

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
16 — K
8

QVADRAGINTA CONCIONES IN ADVENTVM DE ANNVNTIATIONE VIRGINIS MATRIS ET VERBO INCARNATO,

Auctore PETRO HAMERIO
Soc. IESV Presbytero.

Subiicitur tergeminus INDEX, Concionatoribus percommodus.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.
M. DC. XXVIII.

REVERENDISSIMO
AC
PERILLVSTRI DOMINO
D. GEORGIO
CHAMBERLAIN
IPRENSIS ECCLESIÆ
EPISCOPO
L. M. D. C. Q.



VLTI, fateor, PRAESVL REV^{ME}, in hoc profundum pelagus ſacroſancti Euangelij de Filij Dei Incarnatione, & Annuntiatione Angelica, plenis velis inuecti ſunt; atque altiſſimis diuinorum ſenſuum arcanis erutis atque explanatis, difficultatum ſcopulos præteruecti feliciter enauigarunt. Ego autem viam ab ipſis commonſtratam ingreſſurus, & maiorum veſtigia ſecuturus, illud D. Auguſtini ante oculos habui: D. Aug. lib 1. de Trinit. cap. 3. *Expedit plures libros à pluribus fieri, diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios*

ſic,ad alios autem ſic. Quapropter, vt in hac re voce
Eccli. 33. vtar ſacra, *nouiſsimus ipſe quoque euigilaui, & quaſi qui colligit acinos poſt vindemiatores. In benedictione Dei & ipſe ſperaui, & quaſi qui vindemiat, repleui torcular.* Cuius vini qualiſcumque ſpecimen offerenti, tuam viciſſim benedictionem impertiri efflagito. Etenim haud ſimplici titulo potiſſimùm REV^MÆ D.V. atque hoc tempore præſertim, debebatur eiuſmodi officij genus.

Quemadmodum ſtatuarij, atque pictores, ſi non ſatis eminent in arte quam profitentur, vt poſſint opera ipſorum lucem ferre, conſpectumque aliorum, ſolent ſtatuas vel tabulas ſuas ſublimes in columnis, aut locis editioribus conſtituere; vnde poſſint eminus vi opticæ intuentium oculis commendabiliores apparere: ita & mihi nunc faciendum exiſtimaui, dum hæ laborum meorum primitiæ lucem aſpicere coguntur; vt videlicet eas ad celſitudinem nominis alicuius eleuarem, vnde commendatiores populo gratioreſque redderentur. Ea nimirum princeps ratio mentem perpulit, vt ſub ampliſſimi nominis tui auſpiciis ac ſplendoribus prodire atque apparere hoc perpetuæ erga REV^MAM D.V. obſeruantiæ pignus voluerim. tametſi non tam à me propriè id proficiſci agnoſcendum eſt, quàm ab vniuerſa Societate noſtra, atque ab iis potiſſimùm, quotquot de eadem Societate

in

in hoc Collegio Iprenſi, pro Eccleſiæ tuæ bono, pro iuuentutis inſtitutione, pro totius Reipub. ſalute deſudant.

An non etiam memoriæ proditum eſt, quomodo Diogenes philoſophus quondam in communi ciuitatis motu atque occupatione dolium ſuum ipſe quoque verſare cœperit? Ita nempe in communi omnium congratulatione, qua ob nouam inaugurationem tuam in Iprenſi Cathedra, ſummi, medij, infimi paſſim omnia fauſta fortunataque vouent, quomodo non ex officina quoque Societatis IESV ſymbolum aliquod prodeat, quo cuncta ſimiliter feliciſſima REV^MÆ D.V. apprecetur?

Lucian. lib. de Cōſcr. hiſtor. Eraſm. Chil. 4. cētur. 5. Manut. in Adagio, *Dolium vertitur.*

Solet Societas memorem gratumque animum conteſtari in fautores ac benefactores ſuos. quocircà lubens recolit atque agnoſcit, quanto ipſam ſtudio, amore, beneuolentiâ proſequi hactenus conſueueris, atque etiamnum complectaris: ſibique maiora in poſterum ab eodem fonte ſpondere audet. Quid ni? *Sacerdos es magnus & Pontifex*; (verba ſunt S. Bernardi) *ſed ita præſis omnibus, vt proſis: proſis, vt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.*

D. Bernardus lib. 2. de Conſiderat.

Quæ cùm ita ſint, dum è tota Diœceſi Iprenſi, audita REV^MI DOMINI inauguratione, ciuitates, Magiſtratus, familiæ opulentiores de more

honorarium parant, & apophoreta; ſperamus nos quoque fore, vt quantulumcumque eſt quod offerimus, non accidat ingratum. Quid? an non

Ælian. lib. 1. Variar. hiſtor. cap. 32.

Artaxerxes Perſarum Rex gratum munus habuit hauſtas manibus aquas è præterfluente Cyro, quas adequitanti quondam obtulit ruſticus quidam nomine Sinæta, cui aliud ad manum non erat? An non gratum pariter malum illud Punicum magnitudine inſigne, quod eidem Miſes Perſa exhibuit in vanno, dicens in horto ſuo natum? Recentius eſt quod accepimus de Ludouico Galliarum Rege XI. qui à Conone quodam, tenuis fortunæ homine, ex agello ipſius rapam inſigniter magnam ſibi in aula oblatam perquàm alacriter accepit, & è proximis vni mandauit, vt inter ea quæ haberet chariſſima reponeret. An non itidem ego fructus modicos lucubrationum mearum, ſeu labores manuum mearum, audeam offerre?

Adhæc poſtulat huius Operis Euangelici argumentum concionatorium, vt vnus Concionum amator, præque omnibus vnus in Patronum deligatur, qui, vt pro ratione muneris *opus faciat*

2. Tim. 4.

Euangeliſtæ, per ſuam diœceſim vſquequaque cunctos diuini verbi præcones amare, fouere, promouere contendet. Ac quemadmodum olim Summus Sacerdos veteris legis Rationale Iudicij ad pectus geſtabat, in quo cernebatur inſcriptum,

vel

vel acu expictum, opere Phrygio, אורים ותמים Vrim & Tummim, hoc eſt, *Doctrina & Veritas*, ſiue *Iudicium:* ita in lege Euangelica Epiſcopi, vtpote ſelecti in Eccleſia ſacrorum Antiſtites, palàm populo ſuo *Doctrinam* prȩferunt ac *Veritatem*, iudiciaque exercent, & in dubiis dant reſponſa.

Quæ ſanè omnia quò pleniùs atque excellentiùs præſtare poſſet REV^{MA} D. V. Deus ipſam tot tamque raris animi dotibus cumulauit atque inſtruxit; (ô dona benigniſſimi Numinis!) omnigena, inquam, eruditione & eloquentia, conſilio, iudicio, prudentia. Neque horum teſtimonium illuſtrius requirimus, quàm præbuerit hactenus Eccleſia Gandauenſis, adeoque Membra Flandriæ. Silere cogor præclariora virtutum decora (veluti amore fidei ſpretam in Anglia hereditatem benè opimam; atque id genus alia) ne tenuitate noſtra ea deterere potiùs videamur. Sed neque id patitur animi tui, R^{ME} PRAESVL (quamuis locum excelſum in Eccleſia teneas) demiſſio: neque conſuetudo id ſinit Societatis noſtræ, quippe quæ nihil auribus dari velit.

Suſcipe igitur, R^{ME} AC PERILLVSTRIS ANTISTES, quo ſoles vultu animoque, hanc à Societate noſtra teſſeram honoris atque obſeruantiæ, cuius apud ſeram poſteritatem ære perennius monumentum extare poſſit. Intereà noſtrarum erit par-

tium

tium DEVM OPT. MAX. enixè precari, vt inexhaustos gratiarum fontes REV^MÆ D. V. in hac vita largissimè aperire, eamque ad communem Christianæ Reipub. vtilitatem, & sacrosanctæ Fidei amplificationem quàm diutissimè incolumem conseruare; deinde exacto vitæ curriculo, æternæ beatitudinis brauio munerare dignetur. Vale. Ipris xx. Mart. M. DC. XXVIII.

REVEREND^MÆ D. V.

Seruus in CHRISTO

PETRVS HAMERIVS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



I NTER *scribendum, Lector beneuole, idemtidem mihi in oculis fuit illa pietas, qua religiosè, vt par est, colere ac venerari nos oportet sacrosancta duo Fidei nostræ mysteria, Incarnationis, atque Annuntiationis, in quibus omnem sanctitatis fontem constituit Deus. vtiq; gemella quasi vbera Sponsæ Christi, lacte consolationis & gratiarum, atque amoris melle iugiter manantia. Hæc namque sunt Concionum istarum, quas conscripsimus, argumentum. Quapropter cùm sex ferè modis pia mens occupari, & seipsam exercere in iisdem soleat*, Lectione, Meditatione, Contemplatione, Soliloquio, Colloquio, Exhortatione: *operæ pretium erit hîc singula perpaucis expendere, vt sacræ materiæ magis eluceat dignitas atque vbertas.*

In primis Lectio *rem ob oculos ponit, veluti diuina quædam eruditio, qua Deus nos alloquitur, sicuti in oratione nos alloquimur Deum. vt cùm proponit illud Apostoli*, Manifestè ma- 1.Tim. 3.
gnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne. *vel illud eiusdem*, Mihi omnium Sanctorum mi- Ephes. 3.
nimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit. *vel ipsum Angelicæ Annuntiationis Euangelium*, Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galilææ, *&c.*

Meditatio *quærit vt inueniat, accedit ad Deum vt perueniat. veluti cùm scrutatur, Cur Deus homo? Cùm infinitis aliis modis genus humanum redimere posset, cur hunc potissimùm elegit, tam rigidum, tam inusitatum, sibique tam difficilem? Cur non*

** *verbo,*

verbo, vel nutu, vel per Angelum, vel per hominem aliquem, vel
Philip. 2. *aliter, cùm posset viis infinitis, nos liberare voluit; sed maluit* exinanire semetipsum, serui formam accipiens? *Verè D. Ber-*
Bernard. Ser. 2. de Annunt. *nardus:* Abyssus planè imperscrutabilis, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. quis inuestiget?

Contemplatio *inuenit non quærendo, fruiturque inuento. & Deus per eam mirabiliter in animam venit, eique vnitur.*
1. Ioan. 3. *exempli gratiâ in proposito:* Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. *At quomodo, nisi per Incarnationem, dedit nobis potestatem filios Dei fieri, heredes regni cælorum, fratres & coheredes Christi Domini? Ah,*
Tit. 3. *quanta nobis* apparuit benignitas & humanitas (φιλανθρωπία) Saluatoris nostri Dei, dum non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit! *O bonitas infinita Dei nostri, qui de beneficiis tantis cogitat in homines conferendis, à quibus ipse vicissim contumeliis afficiebatur!*

Soliloquium *sequitur, in quo anima secum loquitur, vt excitetur; admiratur ac stupet. O anima mea, quanto constare de-*
Psal. 102. *buit pretio tua salus!* Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. *O anima mea, quantum tuo debes Redemptori! Siqua nos afflictio, morbus aut ærumna premat, Deum oramus vt etiam miraculo nos inde eripiat. Sed è contrario Filius Dei potiùs miraculum miraculorum sua incarnatione operari voluit, quò posset pro nobis ipse non solùm dura, sed & dira pati, & mori, moriendoque suum nobis amorem testari. O anima, quantum item debes Virgini Matri, cuius ab assensu Deus pendere voluit tuam ac totius humani generis redemptionem & salutem!*

Colloquium *familiariter fit cum Deo in quem fertur: desiderat ac petit fructum aliquem spiritualem, quo vel illuminetur*
Psal. 34. *intellectus, vel inflammetur affectus, hoc pacto:* Domine quis similis tibi, *in bonitate, potentia, sapientia, charitate, iustitia,*

mise-

misericordia, quæ in hoc relucent opere? Quomodo tu, qui tribus digitis terræ molem appendis, qui ambulas super pennas ventorum, qui sæuientis maris fluctibus imperas & ventis, ante quem cæli columnæ contremiscant, *& altissimi Seraphinorum* quasi nihilum sunt, *aut* quasi gutta roris antelucani: *quomodo, inquam, tu qui tantus es, adeò memor es hominis vilis & abiecti, cùm eo minimè opus habeas, vt de eius salute tam anxiè labores? vt fias mortalis simul & immortalis, visibilis & inuisibilis, æternus & temporalis, dominus & seruus, magnus & paruulus, creator & creatura? Téne ergo qui Dei Filius es, etiam hominis esse filium! Téne qui sapientia es Patris, ignorantiæ humanæ vacuum implere! Téne qui verbo virtutis tuæ sustines vniuersa, fragilitatis nostræ ruinas reparare! Num fortè id alius quispiam de sacro Consistorio tuo potiùs præstitisset?* Isaiæ 40. Psal. 103. Lucæ 8. Iob 26. Isaiæ 40. Sap. 11.

Exhortatio *ad alios foras emanat, vt Deum ardentiùs diligant, famulentur constantiùs, de illo cogitent sæpiùs, in eius misericordia confidant, iustitiam reuereantur, bonitati gratias agant, maiestatem adorent, prouidentiam admirentur, peccatum execrentur, vitam suam emendent, mundum contemnant.* O Christiani, *inquit D. Augustinus*, si vobis ex terrena vestra fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite. *Et D. Leo*: Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Aug. in Psal. 32. D. Leo Serm. 1. de Nat.

His ac similibus affectibus exardescant animi necesse est, qui se in profundum diuinissimorum salutis nostræ mysteriorum dare atque immergere concupiscunt. Porrò liber hic noster omnes modos iam memoratos complectitur, maximeque, vt patet, postremum Exhortationis. *Vtere, Lector, ac fruere.*

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ.

EGO *infraſcriptus Societatis* IESV *in Prouincia Flandro-Belgica Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ab admodum R^do P. N. Mutio Vitelleſco ad hoc mihi facta concedo, vt Hiſtoria hæc Euangelica myſteriorum Incarnationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, à P. Petro Hamerio* XL. *Concionibus explicata, quæ à Theologis Societatis examinata fuit & probata, typis diuulgetur. In cuius rei teſtimonium has ſignaui, & ſigillo officij muniui. Antuerpiæ,* XXIX. *Iulij,* M. DC. XXVI.

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO CENSORIS.

HISTORIA *hæc Euangelica myſteriorum Incarnationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ,* XL. *Concionibus explicata, elegans eſt: in qua præter literalem ſacræ paginæ germanum ſenſum, alios myſticos iuxta ſanctorum Patrum veram & ſanam doctrinam pari dexteritate, tamquam ſcriba doctus de theſauro ſuo noua & vetera proferens, maximo verborum pondere Auctor mirè proſequitur. Quæ cùm omnia ritè conſonent ſacræ Scripturæ, & ſolidæ Theologorum eruditioni, ad communem omnium vtilitatem meritò lucem adſpicient. Datum Bruxellæ* IV. *Kalend. Aprilis,* M. DC. XXVI.

Henricus Smeyers S. Th. Licentiatus, Scholaſticus Bruxellenſis, Librorum Cenſor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, & Potentissimi Belgarum Principis Priuilegio cautum est, nequis *Petri Hamerij Societatis* IESV *Presbyteri Conciones quadraginta in Aduentum, de Annuntiatione Virginis Matris & Verbo incarnato*, præter Balthasaris Moreti voluntatem intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressas in Belgium importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XXVI. Septembris, M. DC. XXVI.

Signat.

Steenhuyse.

ELENCHVS XL. CONCIONVM ET ARGVMENTORVM TOTIVS OPERIS.

CONCIO I.

seu PRÆFATIO *in Tractatum de mysterio Dominicæ Incarnationis.*

MAnifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne. 1. *Timoth.* 3.

1. *De difficultate, sublimitate, necessitate huius sacrosancti mysterij.*

2. *Quàm grata futura sit hæc materia sanctissimæ Trinitati, & singulis eius Personis in particulari: item Deiparæ Virgini, Angelis, hominibus, auditoribus omnibus speciatim.*

CONCIO II.

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. *Lucæ* 1.

1. *Pro intellectu clara huius diuinissimi mysterij definitio atque explicatio.*

2. *Pro affectu, fidei, spei, charitatis circa illud exercitium.*

CONCIO III.

In mense autem sexto.

1. *De circumstantia temporis: Cur tam diu dilata sit Verbi incarnatio, siue, Cur non continuò post hominis lapsum adhibitum sit remedium.*

2. *Pro motu, effusa gratiarum actio, quòd nos hoc tempore gratiæ inter Christianos nati, ac longè aliter quàm maiores nostri, participes fructuum incarnationis effecti simus.*

CONCIO IV.

Missus est.

1. *Quinque rationes missionis huius: Cur nimirum conueniens fuerit Christi incarnationem annuntiari.*

2. *Quid documenti è singulis addiscendum, aut quis inde fructus percipiendus ad morum informationem.*

CONCIO V.

Angelus.

1. *Quinque rationes ob quas Angelo deferri hanc legationem conueniens æquumque fuerit.*

2. *Quid emolumenti è singulis capiendum ad morum conformationem.*

CONCIO VI.

Gabriel.

1. *Quis, quòve in ordine cælestis Curiæ censendus sit Gabriel.*

2. *Quin-*

2. *Quinque rationes cur summopere decuerit summũ istum Angelum mitti.*

3. *Quid è singulis doctrinæ salutaris elici possit ad mores componendos.*

CONCIO VII.

A Deo.

1. *Cur Deus homo? exponuntur duo Consistoria sanctissimæ Trinitatis; alterum de creatione Angelorum & hominum; alterum de redemptione hominum, sed non Angelorum.*

2. *Quantus hinc stimulus amoris erga Deum, & admirationis, & perpetuæ gratiarum actionis.*

CONCIO VIII.

In ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

1. *Quare Deus delegerit suæ incarnationi ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.*

2. *Quid inde salutaris disciplinæ hauriri possit.*

CONCIO IX.

Ad Virginem.

1. *Quare Deus incarnationi suæ Virginem delegit.*

2. *Qualis hæc Virgo fuit.*

3. *Quomodo imitari eam possimus.*

CONCIO X.

Desponsatam viro.

1. *Quid causæ, cur de coniugata Christus nasci voluerit.*

2. *Qualis ista fuerit: speculum videlicet omnium coniugum, maximè mulierum.*

CONCIO XI.

Viro cui nomen erat Ioseph.

1. *Quare Ioseph diuinitus designatus atque electus Deiparæ sponsus siue coniux.*

2. *Quomodo Ioseph & Maria exemplo præluceant omnibus coniugibus, Ioseph potissimùm viris.*

CONCIO XII.

De domo Dauid.

1. *Cur Christus Dominus suam suæque matris nobilitatem ac genealogiam ab Euãgelistis describi voluerit.*

2. *Cur potiùs dicatur in Euangelio filius Dauid, quàm filius Adæ, Abrahæ, Isaac, Iacob.*

CONCIO XIII.

Et nomen Virginis Maria.

1. *Cur Euangelista tam pauca de vita & laudibus D. Virginis attigêre?*

2. *De nomine Virginis*, MARIA, *eiusque inuocatione, & cultu.*

CONCIO XIV.

Et ingressus Angelus.

1. *Describitur persona Angeli, qualiter & qua forma sit ingressus ad Virginem.*

2. *Quale, quamque efficax nobis exemplũ honorandæ Virginis præbuerit.*

CONCIO XV.

Ingressus Angelus ad eam dixit.

1. *Captandam solitudinem, animique collectionem exemplo Deiparæ.*

2. *Studium orationis, lectionis sacræ, meditationis, exemplo eiusdem frequentandum.*

CONCIO XVI.

Aue.

1. *Quanta cum reuerentia Deiparam salutarit Angelus Gabriel.*

2. *Qua ratione, eius exemplo, salutanda sit nobis.*

CONCIO XVII.

Gratia plena.

1. *Duodecim plenitudines gratiæ in B. Virgine Maria.*

2. *Quemadmodum illius gratiarum participes effici possimus.*

CONCIO XVIII.

Dominus tecum.

1. *Quemadmodum Dominus cum Maria fuerit.*

2. *Qua*

CON-

CONCIO XXVIII.

Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.

1. *De statu, laudibusque Regis Christi, ac Regni eius.*

2. *De statu ac conditione nostra sub tali Rege ac Regno.*

CONCIO XXIX.

Dixit autem Maria ad Angelū: Quomodo fiet istud, &c.

1. *Quàm rigidè B. Virgo silentium seruarit quamdiu expedire visum est: & quàm consideratè locuta sit quando loquendum fuit. vbi etiam agitur de septem verbis Mariæ.*

2. *Quomodo silendi loquendique rectissimas leges ab ea condiscere possimus.*

CONCIO XXX.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

1. *Quomodo B. Virgo his verbis mundo patefecerit votum virginitatis, & quando vouerit, & quas causas habuerit vouendi, quamque sollicitè votum seruarit; & alia plura de voto eius aliquot quæstionibus explicantur.*

2. *Quomodo eius exemplum homines imitari possint, seu vouendo, seu votum perfectissimè seruando.*

CONCIO XXXI.

Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

1. *Quæstionibus aliquot explicatur, quomodo superueniente Spiritu sancto, & virtute Altissimi obumbrante, & Filio Dei actum incarnationis in sua hypostasi terminante, D. Virgo facta sit mater Dei.*

2. *Quomodo multiplicem hinc doctrinæ moralis vtilitatem haurire possimus.*

CONCIO XXXII.

Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

1. *Quale quamque admirabile Sanctum hoc fuerit, quod in Maria, & ex Maria virgine natum est; nempe quamplurima Dei magnalia, præcipuè decem, in se complectens.*

2. *Quàm sancta item mater eius ob talem conceptionem.*

3. *Quàm sancti etiam nos esse debeamus, vt in nobis Christus nascatur per gratiam.*

CONCIO XXXIII.

Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua; & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

1. *Rationes exponuntur, ob quas cælestis Paranymphus adduxerit exemplum Elisabethæ, cùm de fide Virginis nihil dubitaret.*

2. *Quare insuper ista ratione est vsus,* Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum?

CONCIO XXXIV.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

1. *Verbum hoc quantæ efficaciæ, quantique miraculi fuerit, sicut & alia verba Deiparæ.*

2. *Quomodo eam imitari debeamus in loquela, verbisque fructuosis.*

*** CON-

CONCIO XXXV.
Ecce ancilla Domini.

1. *De perfectione & excellentia obedientia, quam apprimè exercuit Maria virgo toto vitæ suæ cursu, potissimùm verò in hoc mysterio Annuntiationis, cùm dixit,* Ecce ancilla.

2. *De sedula eius imitatione in omni statu.*

CONCIO XXXVI.
Ancilla Domini.

1. *De profundissima B. Virginis humilitate, quàm præsertim in hoc mysterio impensè exercuit, dum ait,* Ecce ancilla Domini.

2. *Quomodo imitandum sit omnibus tam illustre exemplum.*

CONCIO XXXVII.
Fiat mihi.

1. *De charitate sanctissima Virginis, seu de amore Dei super omnia, quem tum maximè patefecit, cùm Angelo respondit:* Fiat mihi secundùm verbum tuum.

2. *Quomodo idem amor nobis imitatione Deiparæ studiosè sit exercendus.*

CONCIO XXXVIII.
Secundùm verbum tuum.

1. *De eximia fide B. Virginis, quam hoc loco peculiariter toti mundo imitandam proposuit.*

2. *Quomodo hæc nostra imitatione aliquatenus ab omnibus exprimi possit.*

CONCIO XXXIX.
Et discessit ab illa Angelus.

1. *Quomodo gloriosissima Virgo, digresso Angelo, concepit in vtero Filium Dei.*

2. *Quomodo ad id sese præparauerit quatuor præcipuè virtutibus, puritate mentis, humilitate, fide, charitate.*

3. *Sigillatim illis additur, Quomodo nos conueniat imitari Dominam nostram in præparatione ad sacram Communionem.*

CONCIO XL.
& vltima, & multarum instar, de hoc argumento, Cur Deus homo.

Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Ioan.* 1.

Rationes 28. adducuntur, quæ ad hæc duo capita reuocari possunt:

1. *Propter maiorem diuini nominis gloriam.*

2. *Propter multiplicem hominum vtilitatem, atque exaltationem.*



EV-

EVANGELIVM
ANNVNTIATIONIS.

IN mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero; & paries filium: & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. *Lucæ 1.*


Rorate cœli desuper

PETRI HAMERII SOC. IESV PRESBYTERI CONCIONES QVADRAGINTA IN ADVENTVM.

CONCIO I.

ſiue PRÆFATIO *in Tractatum de myſterio* DOMINICÆ INCARNATIONIS.

Manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne. 1.*Tim.* 3.

1. *De difficultate, ſublimitate, neceſſitate, huius ſacroſancti myſterij.*
2. *Quàm grata futura ſit hæc materia ſanctiſſimæ Trinitati, & ſingulis eius Perſonis in particulari: item Deiparæ Virgini, Angelis, hominibus, auditoribus omnibus.*



QVEMADMODVM pia materfamilias, vt liberos ſuos ad virtutis pulchritudinem, vel ad ſtudia ſcientiarum exſtimulet, ſolet interdum illorum animos dulcì aliqua illecebra capere atque inuitare, propoſito iis lacte, melle, ſaccharo, aliiſq; huiuſmodi puerorum cupediis atque dulciariis; interdum etiam minas ac terrores intentat, vt extorqueat ab iis quod exoptat: ſic ſancta mater Eccleſia, vt ad omnem virtutem, iuſtitiam, pietatem filios inflammet, variis anni vertentis temporibus feſtiua celebrat gaudia, & læta fidei myſteria proponit; veluti Feſtis Natalitiis ac proximè ſequentibus, Paſchalibus, Pentecoſtalibus, Beatiſſimæ Virginis, & Omnium Sanctorum: quæ ſumma certè dulcedo eſt filiis regni, *qui ſecundùm ſpiritum ambulant, & ea quæ ſpiritus ſunt ſapiunt.* Rom. 8. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, teſte Apoſtolo. 1. Cor 2. Subinde etiam duriùs eos increpat, & ad pœnitentiæ luctum vocat; vt in Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Vigiliis ſacris: quo tempore Deum audiunt clamantem: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu: & ſcindite corda veſtra*, &c. Ioël 2. Porrò nunc in Aduentu, vt ad Feſta ventura noſtros animos præparet, vtrumq; præſtat, & lętis miſcet triſtia; vt probi quidem ſpe gaudeant & ad meliora excitentur, improbi verò reſipiſcant, & conuertantur à viis ſuis peſſimis. Nam in primis toto hoc tempore myſterium recolit Dominicæ incarnationis, ſiue aduentum Filij Dei in hunc mundum:

dum: ac proinde lætissimis de eo vocibus gaudet Prophetarum, vt dum
Ioël. 3. toties in Officio Diuino canit: *In illa die stillabunt montes dulcedinē, & fluent colles lac & mel.* &, *Rorate cæli desu-*
Isa. 45. *per, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Verba sanè melliflua, quia melliflui hoc
Psal. 84. tempore facti sunt cæli, & *Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum.* Ecce mel, ecce dulcedo filiorum Dei. Rursus verò secundum Domini aduentum, plenum pauoris atque horroris, eodem tempore proponit; ideoque in Euangelio statim cum denuntiat, dum
Luc. 21. ait: *Erunt signa in Sole & Luna, & in terris pressura gentium: & virtutes celorum mouebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate.* Ecce pauor, ecce trepidatio, ecce a-
Psal. 33. maritudo. *Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos,* inquit Pro-
Isa. 46. pheta Regius. *Redite præuaricatores ad cor.* audite per hos dies venturi Iudicis tubam, rugitum leonis, vt aperiantur aures surdorum, & soluantur linguæ mutorum. Ceterùm reiectâ in sequentem annum materiâ de Iudicio, tractabimus nunc quæ sunt iucundissima de aduentu Agni, siue de incarnatione Filij Dei, deque Salutatione Angelica; persequentes huius historiæ ordinem, vti nobis traditus est à S. Luca Euangelista cap. 1. Hodie verò pro fundamento huius tractatus dicendum est primò de difficultate, sublimitate, &c. vt suprà.

AVE MARIA.

VErbi Diuini incarnatio mysterium mysteriorum est, quod nec lingua nec mens, licet Angelica, satis assequi possit. miraculum miraculorum prorsus incōparabile, quod nec cum vllis miraculis Sanctorum, aut etiam ipsius Christi Domini, imò nec cum omnibus simul sumptis dignè conferri possit. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne:* vel, vt habet textus Græcus, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. *Deus manifestatus in carne.* hoc 1. Tim. 3.
est, maximum, inquit, ac diuinissimum secretum. Denique compendium est mysteriorum omnium quæ D. Paulus gentibus nuntianda in paradiso didicit, continens totam humanæ redemptionis œconomiam.
Mihi, inquit, *omnium Sanctorum minimo data est gratia hac, In gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit.* quæ sit dispensatio sacramenti, id est, quàm sapienter à Deo dispensatum sit hoc mysterium, quamque admiranda dispositio hæc diuina, vt Deus homo fieret, Dominus seruus, creator creatura. Ephes. 3.
Profectò magnum hoc arduumque mysterium, magnam pariter ab omnibus hominibus requirit attentionem, magnam admirationem, magnam ac profundam reuerentiam. Præsertim verò quando pro concione explicandum est, magnam postulat animorum præparationem tum ab ipso doctore, tum ab omnibus auditoribus ipsius. Atque ab ipso quidem Concionatore exigit indefessa studia, ardentem profectus vestri spiritualis zelum, orationes assiduas, ad imitationem S. Apostoli, qui ex simili occasione sic ait: *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali: vt ambuletis dignè Deo per omnia placen-* Coloss. 1.

centes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei. A vobis verò omnibus postulatur pius & gratus affectus erga augustissimum hoc mysterium, diligẽtia & alacritas magna in frequentando, vt intellectus vester indies pleniùs illustretur, & voluntas amore Christi inardescat; denique orationes & gratiarum actiones pro immenso hoc Dei erga homines beneficio. His & maioribus animi feruoribus digna est materia quæ deinceps tractabitur. Sap. 15. *Nosse te,* inquit Sapiens, *consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Consummata, inquam, iustitia est, quia perducit ad omnem virtutem, & perfectã sanctitatem: & radix immortalitatis, quia origo & fons bonorum operũ est, quibus ad vitam æternam peruenitur. Quin immo talis Dei ac diuinorũ mysteriorum cognitio charitate informata dicitur in Sacris litteris, estq; verè vita æterna, hoc est, meritum ac præmium vitæ æternæ. Hinc D. Ioannes Apostolus, Ioan. 17. cælestis illa aquila, *Hæc est vita æterna,* inquit, *vt cognoscant te, solum Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum.* q d. Omnis gloria ac felicitas nostra siue beatitudo, tam in via quàm in patria, in eo consistit vt cognoscamus sanctissimam Trinitatem, & Filij Dei incarnationem, fide scilicet viua quæ per charitatem operatur. Videte itaq; num operæ pretium sit, nos tali animorum contentione atque ardore procedere in huiusmodi tractatu, qualem Dei Filius pro nobis homo factus meritò exigit, & mysterij sublimitas requirit. Siquidem vti difficillimum est, ita sublimissimum; prorsusque necessarium illud comperiemus ad salutem.

Ac primò difficillimum atque obscurissimum esse fatetur Apostolus, dum appellat *inuestigabiles diuitias Christi,* & *sacramentum absconditum,* vel potiùs *dispensationem sacramenti absconditi à sæculis in Deo,* vt audiuistis, hoc est, in Dei solius notitia ab æterno. Rursus eodem modo vocat alibi *mysterium, quod absconditum fuit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, quem nos annuntiamus.* Fatentur idẽ SS. Patres, inter quos D. Dionys. Areopag. *Iesu in carne apparitio,* inquit, *est omni sermone superior, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati non satis perspecta.* D. quoq; Damasc. *Nouum omnium nouorũ, & solum sub sole nouum est, per quod Dei apparuit infinita virtus, bonitas & sapientia:* rursus alibi: *Qualiter facta sunt vnum Deus & homo, mirantur Angeli, pauent cæli, vox silet, mens deficit; dum vna puella sic Deum in suo vtero capit, vt sanctis pacem, vitam mortuis, salutem perditis cõferat.* Mirum certè, si cælum vniuersum ingereretur terræ; sed quantò mirabilius, Deum infinitum puluisculo terræ sic iungi? Similiter alij SS. Patres miris loquendi modis significant mysterium hoc ita esse arduum & admirabile, vt à nullo creato intellectu inuestigari aut attingi possit. Hinc D. Aug. de eo satis locutus, ita demum cõcludit: *Fateamur ergo Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.* Hinc etiam ab Isaia Propheta Christus *Deus absconditus* appellatur. quem sensum indicauit ibi D. Hieronymus, docens ita vocari Christum propter assumpti hominis sacramentum. Nihilominùs interim nequa-

Difficultas mysterij. Ephes. 3.

Coloss. 1.

De Diuinis nomin. c. 2.

Lib. 3. de Fide, c. 1.

Damasc. in *Missus est.*

Vide illos apud P. Suarez in 3. part. disput. 3. sect. 1.

Epist. 3. ad Volusiam.

Isaiæ 45.

 quam

quam nobis animum in re tam difficili despondendum rectè monet D. Bernardus, de hac materia sic suos auditores alloquens: *Vos igitur, fratres, quibus tamquam paruulis reuelat Deus, quæ abscondita sunt à sapientibus & prudentibus, circa ea quæ verè salutaria sunt, sedula cogitatione versamini. laudabilis sine dubio curiositas ista & salubris.* Quapropter alacriter pergamus vlteriùs, cùm sciamus bonum & salutare esse, hoc mysterium indagare.

Serm. 1. de Aduentu.

Sublimitas eius.

Quid mirum, si hoc obscurum sit atque difficile, cùm sit vel omnium sublimissimum atq; augustissimum, vel certè inter augustissima censeri debeat? Infinitam quidem potētiam suam cunctis patefecit Deus opt. max. in rerum creatione ex nihilo; infinitam sapientiam in earum lectissima dispositione atque ordine; infinitam prouidentiam in conseruatione atque ad certum finem directione; infinitam iustitiam in Angelorum, in Adæ, in Sodomæ Ægyptique punitione: sed nusquam hæc omnia simul ita complexus est, nusquam præcipuè infinitam bonitatem, ac summam immensitatem gratiæ, clementiæ, misericordiæ suæ in ore atque oculis omnium adeò magnificè constituit, sicut in hoc opere incarnationis Filij sui ex matre Virgine Maria. *Magnum hoc clementiæ pelagus* appellat Damascenus, simulq; docet, diuinæ potentiæ ac sapientiæ rationem hîc maximè ostendi, quòd rei per quàm difficilis ac perplexæ congruentissimum exitum inuenit, & in eodem opere summam iustitiam cum summa misericordia, quæ sibi contraria videbantur, ineffabili modo coniunxit. in quo quidem *misericordia & veritas obuiauerūt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt*, videlicet in opere humanæ redemptionis. Sed de diuinis perfectionibus quæ hîc maximè relucent, alius erit opportunior dicendi locus. Quapropter nec Angeli suis precibus, nec Patriarchę suis bonis operibus, nec Prophetæ suis desideriis, nec tota religio Moysaïca suis sacrificiis vel oblationibus tantum beneficium promeruerunt; sed sola Dei ter optimi bonitate atq; misericordia id nobis obtigit. Hoc Zacharias prædicat in Cantico suo: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Hoc item vas electionis & Doctor gentium extollit, dum ait: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Proinde vt id omnes agnoscant, omnes credant, omnes prædicent, venerentur, adorent, gratias agant; vtque B. Virgo intelligat tempus tanti beneficij aduenisse, mittitur Angelus Gabriel, qui nuntium ferat, totumque mundum lætitia repleat, ob desideratissimum Saluatoris aduentum.

Lib. 3. de Fide, c. 1.

Psal. 84.

Conc. 40

Lucæ 1.

Ad Tit. 3. & 2. Timoth. 1.

Iam de duplice eius necessitate ecquisnam ambigere potest? Nam quemadmodū ita necessarium fuit, Messiam mundi Redemptorem ac Iudicē, verum hominē fieri, vt aliàs ad præstandum hoc officium minùs idoneus ac sufficiens fuisset: sic omnibus hominibus omni æuo prorsus necessarium ad salutem fuit illud credere, vt * vniuersa Theologorum schola testatur, & sanctorum Patrum conspirat auctoritas. Manifesta est Scriptura Actor. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hoc etiam agit D. Paulus tota illa Epistola

Necessitas eius duplex.

*D. Tho. 2. 2. q. 2. a. 7. & alij communiter cum Magistro in 3. distinct. 25. D. Aug. epist. 89. & 155. Gregor. hom. 17. in Ezechiel. &c.

la ad Romanos, vt doceat neminem potuisse vmquam iustificari aut saluari, nisi per gratiam ac fidem Christi. Ratio autem huius assertionis potissima est: quia si qua fides supernaturalis sit ad salutem necessaria, illa certè huiusmodi videtur, quæ est de primo ac præcipuo instrumento nostræ redemptionis, nempe de Mediatore generis humani Christo Iesu. Porrò quàm necessarium fuerit ipsum opus incarnationis, satis demonstrat in Euangelio ipsa Dei Sapientia incarnata, dum ait: *Sic Deus dilexit mũdum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eũ, non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Ioan. 3.) Iterùm: *Venit enim filius hominis quærere quod perierat:* (Matt. 18.) id vtiq; non facturus, nisi necessum fuisset. Mitto alias Scripturæ sacræ, mitto SS. Patrum auctoritates, quas hoc loco persequi & longum nimis & alienum videtur ab instituto. (Quas vide apud D. Tho. 3. p. q. 1. art. 2. & Suarez ibid. disput. 4. sect. 2.) Attingamus dumtaxat breuiter præcipuas huius doctrinæ rationes, cur necessariò Deus homo. Primò, Vt in Prophetis suis fidelis inueniretur, oportuit eum esse semen mulieris, *quod serpentis caput contereret*; (Gen. 3.) semen Abrahæ, *in quo benedicerentur omnes gentes*; (Gen. 15. & 22.) denique *fructum lumborum Dauidis*, (Ps. 131.) qui in sempiternum stabiliret regnum eius. Secundò, Vt Deum Patrem nobis propitiaret, oblata ei condigna satisfactione ex perfecta iustitia pro peccatis totius mundi, oportuit eum summè humiliari, plurima & grauissima pati, morti adiudicari, crucifigi, sepeliri, resurgere, & in cælos ascendere, vbi apud eumdem Patrem pro nobis perpetuus esset intercessor atq; mediator. Hæc autem non nisi in verum hominem cadere possunt: nec verò ipsa sufficerent, nisi idem homo esset Deus. de quo sic D. Augustinus: *Mediator inter Deum & homines debebat habere aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis longè esset à Deo, aut in vtroque Deo similis longè esset ab hominibus; atque ita mediator non esset.* (Lib. 10. Confess. cap. 42.) Tertiò, Non poterat alio modo perfecta misericordia cum perfecta iustitia coniungi, quàm vt Deus homo fieret, & pro homine homo satisfaceret, quandoquidem homo offenderat. Si enim Angelicam naturam assumpsisset, vel aliam aliquam, iam non fuisset perfecta proportio satisfactionis. Quartò, Vt depressam hominis naturam ad altissimam eleuaret dignitatem, qua homo fieret Deus. siquidem, teste D. Augustino, *ideò Deus factus est homo, vt homo fieret Deus.* (Serm. 9. de Natiu. Domini. Conc. 40) Sed pluribus de hac re agendum erit aliàs ex professo. nunc antequam transeamus, hęc omnia quæ de tanto mysterio delibauimus vt aliquam eius notitiam hauriremus, magnam oportet excitent in animis nostris admirationem, reuerentiam, gratiarum actionem. Dicamus ex intimo sensu cum Propheta: *Quis sicut Dominus Deus noster? Excelsus super omnes gẽtes Dominus, & super cælos gloria eius.* (Ps. 112.) Quomodo, cuius magnitudinis non est finis, hic nostram non abhorruit vilitatem? quomodo *qui in forma Dei erat, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo?* (Philip. 2.) *O quantum sumus tibi debitores, Domine Deus noster*, inquit D. August. (Meditat. cap. 17.) *tanto redempti pretio, tanto saluati dono, & tam glorioso adiuti beneficio! Quãtum à nobis miseris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, glorificandus, qui nos sic amasti, sic saluasti, sic sanctificasti, sic sublimasti! Tibi nem-*

pe debemus omne quod possumus, omne quod viuimus, omne quod sapimus. Venio nunc ad secundam partem, Quàm videlicet grata futura sit hæc materia Deo, &c. vt suprà.

Secunda pars, Quàm grata sit hæc materiâ Deo vni ac trino:

Ac Deo quidem quomodo non placeret tractatus de hoc opere, deque mysterio tam augusto, cuius auctor & opifex fuit ipsemet Deus trinus & vnus, omnipotens, faciens quæcumque vult in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, à quo Gabriel Angelus in legationem missus est, vt scribit Euangelista? Patris enim fuit, Filio de idonea matre prospicere: Filij, dignã eligere: Spiritus sancti, eamdem velut hospitium ac tabernaculum suum ab omni sorde puram mundamque perpetuò seruare. Atque adeò, licet solus Filius hypostaticæ illius vnionis Dei & hominis terminus fuerit; tamẽ cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, certum est, incarnationem Filij sanctissimæ Trinitatis opus esse, idque longè longeq; præclarissimum. Sic docet fides, sic D. August. explicat. *Natus*, inquit, *ex virgine non nisi solus est Filius: vox de nube ad solius personam pertinet Patris, & in corporali specie columbæ solus apparuit Spiritus sanctus: tamen & illam carnem solius Filij, & illam vocẽ solius Patris, & illam speciem columbæ solius Spiritus sancti, vniuersa Trinitas operata est*, &c. Itaque sanctissimæ Trinitati hoc opus sanctissimum non potest non summopere placere. Atque vt singulis in Trinitate personis ex æquo id quod dicimus conuenire demonstremus: Sicut artifex gaudere solet, cùm opus aliquod præstantissimum suis numeris absoluit ac perfecit; ita Deus Pater, cui per appropriationem creatio tribuitur in Genesi, condito hoc vniuerso *requieuit die septimo*. quo loco verbum Hebræum significat, gauisus est, siue, placuit Deo opus quod fecerat. Porrò, si gaudet hoc orbe condito, quantò magis redempto ac reparato, & reparato hoc modo; cùm id longè pluris ei constiterit? Si gaudet quia domum primo Adæ conuenientem exstruxerit; quis dubitet quin plurimùm gaudeat inuenta atque adornata domo, quæ secundum Adam cælestem neutiquam dedeceat, quæ magnificentior multò sit, quæ potior maiorque sit priore, quia quem cæli capere non poterant, suo contulit amplexu? Similiter Deus Filius ante omnia sæcula præuidens hoc mysterium ad se propriè pertinere, non mirum si eius consideratione maximè fuerit delectatus. Certè increata illa Sapientia, qui Deus Filius est, à Sapiente describitur *ludens in orbe terrarum, & delicias eius esse cum filiis hominum.* Ecce vt gaudet ac delicias suas reputat, dum hunc diem præuidet, quo cum filiis hominum erat versatura. Quemadmodum enim, siquis nouit quo die sit Regio diademate insigniendus, eum diem semper præ oculis habet, eiusque recordatione delectatur: ita hic dies Regij diadematis Filio Dei ab æterno in oculis fuit, cùm videlicet floridissima carne humanitatis *eum coronatura erat mater, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Atq; ita locum illum Prou. 8. SS. Patres interpretantur de Filio Dei, qui & alibi *Dei virtus, Dei Sapientia* vocatur. Easdem quoque fuisse Spiritus sancti delicias quid mirum, cùm Christus Dei Filius *per Spiritum sanctum semetipsum obtulerit immaculatum Deo*, &c. vt testatur Apostolus

Luc. 1.

August. lib. de Trinit. & vnitate Dei c. 9.

Genes. 2.

Prou. 8.

Cant. 3.

1. Cor. 1. Vide D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 12. Hilar. lib. 12. de Trinit.

Ambrof. libro 1. contra Arianos. lus Hebr. 9. Lubenter itaque & alacriter accingamur ad illud opus pro virili nostra collaudandum. gratias, vt par est, quantas maximas possumus, habeamus Deo Patri pro infinita misericordia, & charitate, qua *sic*

Ioan. 3. Rom. 8. *dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: nõ vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.*

Philip. 2. Gratias Deo Filio, *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Gratias denique Spiritui sancto, qui de tam dulci, tam efficaci, tam salutari nobis remedio prouidit.

Iam beatissimæ quoque Virgini Mariæ gratam fore hanc operam nostram certò confidere possumus, siue ipsius personę conditio spectanda, siue nostri etiam officij ratio sit habenda. Nam si ceterorum memoria Sanctorum gratis animorum affectibus colitur, *tum vt debitus illis honos dicetur, tum vt nobis virtutum exẽpla monstrentur,* auctore D. Chrysostomo: quantò potiùs hîc vtrumque in ipsam Sanctorum cælique Reginam, omnium, excepto Rege, dignitate Principem, conuenire dicemus? hoc siquidem Angelico colloquio, quod explicaturi sumus, ad infinitam propemodum Matris Dei dignitatem prouecta est: hoc Euangelio cæli terræque Regina renuntiata: hîc denique illustrissimæ eius virtutes, tamquam stellæ in Firmamẽto coruscant. Quocircà, quæ par oratio laudibus eius exornandis excogitari queat? quæ tam ingrata sęcula de virtutibus eius conticescent?

Quàm grata quoq; hæc materia Deiparæ:

Serm. de Martyr. tom. 3.

Prou. 13. *Mulier timens Deum ipsa laudabitur,* inquit Sapiens. & *in Sanctis suis laudari* vult Deus, vt Scriptura docet:

Ps. 150. quantò magis in hac Matre sua augustissima, in qua & per quam totius humani generis salutem operari dignatus est? Ipsa quidem in hac vita mortali laudes hominum non expetebat, sed potiùs toto pectore auersabatur. vnde, audito Angelo, *turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* nunc verò vita fruens immortali longè aliter affecta est, & in nostri gratiam, quos arctissimè sibi deuinctos habet, simulque ad Dei gloriam, à quo, ceu perenni fonte, dona omnia quibus cumulata est, profluxisse agnoscit, laudibus nostris mirificè delectatur. Quocircà rectissimè D. Bernardus in Sermone quodam, meritis sanctissimæ Virginis ob oculos positis, hac ratione se suosque ad eius cultum atque venerationem inflammat. *Hac est,* inquit, *quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse sollicitã, cui dictum est ab Angelo, Inuenisti gratiam, vtiq; quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat inuestigare? nam longitudo eius vsque in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. latitudo eius replet orbem terrarum: vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem: & profundum eius sedentibus in tenebris & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus euacuatus est, instaurata ruina cælestis Ierusalem, exspectantibus miseris vita perdita, data. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra, ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.* Hæc ille suauissimus ac mellifluus Ecclesiæ Doctor: qui

Luc. 1.

Serm. 4. de Annunt.

&

&paulò antè in has ad Virginem aureas voces erumpit: *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Quibus certè ipso etiam gelu frigidiora pectora ad amorem, cultum, atque inuocationem eiusdem sanctissimæ Deiparæ excitari atque accendi possint.

Angelis similiter: Veniamus ad Angelos, quorum etiam honori & gloriæ in hoc opere velificamur. Angeli namque hoc mysterium incarnationis Christi hominibus annuntiarunt. Angeli hac ratione propriè caput supremum, Regemq; suum obtinuerunt. Angeli denique hac via ruinas suas impletas vident. De quo sic D Augustinus meditatus est: *Heu mihi, quia videre non potui Dominum Angelorum, humiliatum ad conuersationem hominum, vt homines exaltaret ad conuersationem Angelorum,*&c. Antè quidem Angeli meritò pudefacti videri poterant, quòd is qui omnium malorum origo, suasor & causa fuerat (Luciferum intelligo) ipsorum gregis atque ordinis quondam fuisset. Homines quoque cum Eua matre sua conqueri sic poterant: Angelus in serpente decepit nos. Quapropter vt iis omnibus satisfieret, vt omne tolleretur scandalum de regno Dei, vt Angeli cum hominibus conciliarentur, Angelus Gabriel appositè & conuenienter missus est, vt lætitiam incarnationis, hominumque redemptionis, toti orbi annuntiaret, à qua ne ipsi quidem cælestes spiritus excluderentur.

Meditat. cap. 41.

Vniuerso hominum generi: At genus humanum præcipuas huius lætitiæ partes tulit, quia hoc mysterio longè desideratissimo è statu damnationis erutum, atque ad diuinitatis verticem exaltatum fuit. Nam si adeò luctuosa ac funesta fuit hominis perditio, quæ ortum habuit ex colloquio angeli mali cum Eua; profectò iucundissima sit oportet redemptio hominis, cuius initium fuit ex dialogismo boni Angeli ac Virginis Mariæ. Ad hunc modum loquitur D. Irenæus: *Quemadmodum Eua per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & hæc virgo per Angelicum sermonem euangelizata est vt portaret Deum, obediens eius verbo.* Atque hæc vniuersè de genere humano.

Iren. l. 5. cap. 19.

Auditoribus omnibus. Nunc ad extremum omnibus auditoribus præsentibus & futuris vt placeat labor noster, quid fructuosius aut iucundius tractari possit? Quid iucundius, quàm versari in cōtemplatione mysterij huiusmodi, in quo salus hominum cōstituta est? Quos quantosq; animorum motus, quàm mirificos affectus admirationis, amoris, gratitudinis sentire soliti sunt Sancti, qui se huic consideratione penitùs dedidêre! Exemplo sit vnicus D. Augustinus passim in Meditationibus ac Soliloquiis, vbi Dei consilium scrutatur de humani generis reparatione. Ita dulcis ac sapidus ei hic cibus animæ fuit, vt satiari non possit. cælesti quasi sagitta cor suum ictum queritur cùm ait, *Sagittaueras, Domine, cor nostrum charitate tua.* Quid item iucundius, quàm assiduè meditari de dulcissima matre Domini nostri Iesu Christi? Quàm piè erga illam se affici dicebat sanctus Franciscus, cùm per eam & ex ea talem sibi fratrem obtigisse agnosceret, factum ex muliere, os ex ossibus nostris, & carnem de carne nostra? Ecquis nostrûm etiam non intimis sensibus se commoueri sentiet, cùm aggrediemur ei pandere sacram illam

Lib. 9. Confess. cap. 2.

In vita eius.

illam sancti Spiritus pyxidem, è qua tantus manauit virtutum odor, vt Deum traxerit in terras? *Dum esset,* inquit, *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Quid mirum si odor hic non modò templum hoc, sed totã etiam repleat ciuitatem? Sic D. Hieronymus Mariam veluti speculum sãctitatis omnibus proponit. *Propone tibi B. Mariam,* inquit, *qua tanta extitit puritatis, vt mater Domini esse mereretur.* Sic D. Chrysostom. hanc *magnum mundi miraculum* appellat. Sic D. Ambrosius Mariæ vitam asserit *formam virtutis, omniumque disciplinam, in qua secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium mirabiliter fulserint. Talis,* inquit, *fuit Maria, vt eius vnius vita sit omnium disciplina. Sit vobis tamquam in imagine descripta vita Mariæ, in qua refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. quid nobilius Dei matre?* Neque hæc virginibus tantùm aut piis hominibus dicuntur, sed vniuersis etiam peccatoribus. Nec immeritò D. Bernardus eam vocat *scalam peccatorum.* & Christus ipsemet B. Catharinę Senensi in quadam reuelatione affirmauit, matrem suam esse dulcissimam escam, qua peccatores ad se trahit. Denique tale colloquium, tam sublime, tam admirandum, tamque iucundum nec ab orbe cõdito fuit, nec vmquam erit. In eo agitur de salute mundi, agitur de sanctissima Trinitate, de omnipotentia Patris, de natura duplici & excellentia Filij, de charitate & operatione nobilissima Spiritus sancti; agitur de Maria matre Dei augustissima, agitur de Angelis, agitur de moribus ac virtutibus omni hominum statui opportunis. Itaq; frequentate diligenter, vt fructum vberem referatis, & fructus vester maneat. Sola auditione aut scientia contenti ne sitis, quæ est veluti pecunia otiosa: negotiandum est insuper & ad praxim veniendum. Nec cibus mensæ appositus nutrit, nisi ori admoueatur, & in membra dispertiatur: nec arma prosunt, nisi induantur, & suo tempore vsui sint. Sic videlicet verbum Dei auditum vel intellectum dumtaxat, parum reportat lucri: sed in praxi fructus est, laus est, gloria & exultatio. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* quod si feceritis, abundantem Dei gratiam in hoc sæculo, & in futuro gloriam eius consequemini. Amen.

Cant. 1. — Epist. ad Eustoch. — In Hypap. Domini. — Lib. 2. de Virgin. — Serm. de Natiu. — Tract. 4. Dialog. cap. 139. — Iacob. 1.

CONCIO II.

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilęæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatã viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. *Luc.* 1.

1. *Pro intellectu, clara huius diuinissimi mysterij definitio atque explicatio.*
2. *Pro affectu, fidei, spei, charitatis circa illud exercitium.*



DIVVS Bernardus initio commentationis suæ in hanc euangelicam historiam Dominicæ incarnationis, comparat D. Lucam Euangelistam monti cuidam mellifluo; vni scilicet ex iis de quibus vaticinatus est Propheta Ioël, vbi ait: *In illa die stil-*

Hom. 1. super Missus. — Ioël. 3.

stillabunt montes dulcedinem, & fluent colles lac & mel. Unus iste, inquit, *inter ceteros montes non modicus fuit B. Euangelista, dum desideratum nobis nostra salutis exordium suo mellifluo commendauit eloquio, ac veluti perflante Austro, atque è vicino Sole radiante iustitia, quadam ex eo spiritualia fluxerunt aromata. plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac calesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouerit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Sed rectè monet Sapiens in

Prou. 25. Prouerbiis: *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.* Rursus idem alibi: *Comede,*

Prou. 24. *fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo. Sic & doctrina sapientia anima tua.*

Audiuimus heri de difficultate, sublimitate, necessitate huius augustissimi mysterij incarnationis: veniendum nunc ad eius explanationem, quantam nostra capacitas feret. Sed quid consilij, vt vestigemus

Rom. 11. hoc Dei arcanum? *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* vt inquit D. Paulus. nemo sanè mortalium, ô Apostole, nemo Angelorum immortalium hoc sibi audeat arrogare, aut eò conetur pertingere, vt voce aut animo rem tantam complecti se posse putet: nemo prorsus, nisi cui dignatus est ipse Deus eam reuelare per Scripturam sacram aut per Ecclesiam suam: hæc scalam nobis erigat oportet hinc vsque ad cælum, si ascendere meditamur. Cùm hoc secretum scribendum esset Prophetæ Isaiæ, dicitur ei diuinitus: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis:* hoc est, communi stylo, cui homines assueuerunt, ne res obscurè tractata intelligi non possit.

Isaiæ 8.

Idem videlicet nobis sequendum est in hoc opere, ne meritò imprudentiæ vel temeritatis arguamur, si aut excedentia captum nostrum scrutari, aut non omni intellectui vsquequaque satisfacere conemur. Itaque antequam ad singula mysteria, quæ singulis ferè verbis huius historiæ signantur, particulatim eruenda atque euoluenda veniamus; hodie videndum quid sit incarnatio, & proponenda primò pro intellectu, clara huius diuinissimi mysterij definitio, &c. vt suprà.

AVE MARIA.

MYsterium humanitatis Christi mihi quàm simillimum videtur tabernaculo Moysis, aut templo Salomonis, cuius tres erant partes spatiis officiisque inter se distinctæ. Prima dicebatur Atrium, in quod licebat omnibus promiscuè, vel ad orandum, vel ad offerendum intrare. Secunda, quæ interior, Sancta appellata est, in qua solis sacerdotibus versari concedebatur; omnibus tamen patebat aspectus illius. Tertia denique, quæ secretissima, Sancta sanctorum; in quam solus Pontifex max. ac semel dumtaxat quotannis intrabat. Talis ferè constitutio censenda est augustissimi tēpli humanitatis Christi, *in qua habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter:* nam ipsemet Dei Filius in Euangelio hanc vocat templum suum, dum ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Iudæis verò hoc de templo Salomonis intelligentibus, subiungit Euangelista: *Illud autem dicebat de templo corporis sui.* Tria sunt igitur eorum genera quæ de hoc mysterio tractari possunt: quædam ab omnibus omnino intelligi ac tractari non modò possunt, sed & debent: quædam verò arca-

Coloss. 2.

Ioan. 2.

arcana sunt & clausa rudioribus, & solis sacerdotibus siue Ecclesiasticis ac Scholasticis patent: quædam postremò nulli cognita nisi soli Deo. Ac de tertio quidem genere curiosum sit ac temerarium, velle tangere: sed de primo, & nonnihil de secundo, vt omnibus satisfiat, explicare quid fides Catholica doceat, non equidem temerarium fuerit, sed iucundum pariter ac salutare. Siquidē omnibus
Rom. 1. *debitor sum, sapiētibus & insipientibus*, vt cum Apostolo sentio & loquor.

Itaque quando scrutanda sunt huiusmodi mysteria fidei sublimia & obscura, vt sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, Eucharistiæ; procedendum est, fateor, cum magna humilitate, reuerentia, & prudentia. Si quis enim velit inquirere quidpiam vltra ea quæ Scriptura sacra nobis tradit, vel Ecclesia Christi orthodoxa, quæ sola nobis Scripturam & genuinum Scripturæ sensum dedit: aut si rationes quærat humanas rerum quæ sola fide tenendæ sunt, & intellectum nostrum superant: is exponit se errori, ac pedibus cùm suis tum alienis offendiculum statuit. vnde il-
Eccli. 3. lud Ecclesiastici: *Altiora te ne quæsieris* (scilicet vt comprehendas, aut rationibus humanis diiudices) *& fortiora te ne scrutatus fueris*, id est, quæ superant vires ingenij tui: vt sunt opera potentiæ Dei infinita; quæ curiositatis sit velle tantillis ingenij viribus discutere, & non potiùs recipere ac credere quod de iis reuelatum est in Sacris litteris, aut à Patribus totaque Ecclesia traditum. Sapiens quoque periculum huius curiositatis euidenter declarat, dum
Prou. 25. sic ait: *Sicut qui mel multum comedit, nō est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Quid dulcius melle? tamen eius copia fastidium generat, & corruptionem aliquam corpori infert. Et quid gloria excellentius? tamen opprimetur à gloria scrutator maiestatis, si curiosus fuerit. Sicut etiam solis radij turbant ac præstinguunt oculos fixè intuentium: ita Dei maiestas, qui *lu-* 1. Tim. 6.
cem habitat inaccessibilem, permittit vt scrutator huiusmodi in errores incidat, quibus & Dei gratiam, & interdum etiam fidem amittat. Hæc merces est curiositatis. Verùm quando Christiani ad cognoscenda fidei mysteria, diuinasque perfectiones inuestigandas, sequuntur tantummodò rectam Ecclesiæ doctrinam & sacræ Scripturæ dogmata, non transgredientes limites quos posuerunt Patres antiqui, nihil noui addentes de suo, sed in omnibus Dei reuelationem Ecclesiæ Christi sponsæ factam sequentes; tantum abest vt reprehensionem incurrere debeāt, vt eximiam quoque laudem mereantur, quòd officium suum præstiterint, quòd Deum cognoscere & cognitum amare studuerint. Nam cur Deus illa nobis reuelauit, & miraculis tot ac tantis confirmauit, nisi vt cognoscantur, excitentque ad Dei amorem, obedientiam, & honorem? Agedum ergo, vt rem aggrediamur, ante oculos statuamus in quo consistat huius mysterij veritas.

Incarnatio, vt Doctores definiūt, *est supernaturalis & substantialis vnio naturæ diuinæ & humanæ in vna persona Filij Dei.* Hæc vnio quàm sublimis sit, quotq; in se mysteria complectatur, Theologi fusè prosequūtur. Sed quotusquisque potest omnia capere? quantum potest, tantum quisque audeat: & cùm nemo perfectè possit capere, profiteamur ex animo nos, vt opor-
Vide D. Tho. 3. part. Suarez aliosque Doctores.

oportet, credere, Deumque longè maiora efficere posse, quàm nos intelligere. Non sine causa Vates ille
Isa. 53. Euangelicus dicebat: *Generationem eius quis enarrabit?* Porrò, si tam occulta sit eius generatio, quàm occulta erit conceptio? Sapiens quoque ex quatuor difficillimis quæ intelligere
Prou. 3. non poterat, vnum ponit, *ingressum viri in adolescentia*, vel vt Hebraicè est, *in adolescentula:* quia nimirum quo pacto vir, id est, is qui perfectus erat in Diuinitate, & in omni genere virtutum, gratiarum, perfectionum, factus sit paruulus assumpta humanitate, hoc fatebatur se penitus ignorare. Ecquid mirum? erat hoc mysterium adhuc valdè nouum auditu, & non satis perspicuè diuina reuelatione cognitū, sed obscurè tantùm figuris ac promissionibus adumbratum. Sed nunc postquam Dei Filius
Baruch 3. aspectabilem formam induit, *& in terris visus est, & cum hominibus cōuersatus* Euangelium suum illis tradidit, multò maiorem mysteriorum huiusmodi lucem ac cognitionem hausimus; multò meliùs intelligemus nos id quod antè dixi, *Incarnatio est supernaturalis ac substantialis vnio,* &c.

Itaque vt singula hîc quantum satis est excutiamus, obseruare nos oportet in iam dicta definitione, eximia quatuor miracula, quæ & scitu necessaria sunt, & proponuntur nobis necessariò credenda. Me-
Ita Damascen. Orat. 1. de Annunc. ritò enim dicitur opus incarnationis miraculum miraculorum, quòd & omnibus dignitate præstet, & complura in se vnum comprehendat. qua ratione sic etiam de eo loquitur Pro-
Iere. 31. pheta Ieremias: *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* primum eius miraculum. Ante omnia, tametsi credimus tres esse personas in Diuinitate, vnumque Deum, & omnes tres personas opus incarnationis effecisse: tamen fide tenendum est, Filium, non Patrem, aut Spiritum sanctum esse incarnatum. Hunc articulum Fidei S. mater Ecclesia nobis omnibus credēdum proponit, omnibus ad salutem necessarium necessitate medij, vt suprà dixi, & probaui. Cuius vt facilis sit intelligentia, D. Augustinus similitudinem citharæ adhibet. *Tria, inquit, hic sunt, ars, manus, chorda, & tamen vnus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, chorda resonat; nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit.* Alia similitudine rem clariùs adhuc illustremus. Fac esse tres homines quorum vnus splendidam induat vestem, alij non induant, sed adiuuent illum: & qui à dextris sit, & qui à sinistris, operam & auxilium suum præstent, medius autem vestem induat. ita Pater & Filius & Spiritus sanctus in opere incarnationis occupati fuère, medius autem Filius solummodò splendidissimam humanitatis vestem induit.

1. Miraculum, quod secunda persona sit incarnata, non alia.

Conc. 1.

1. Similitudo ex August. Serm. 1. de Tempore.

2. Similitudo ex Bellarmino.

Sed quid est quòd Filius, & non Pater neque Spiritus sanctus, naturam humanam assumpserit, cùm alię personæ æquè potuissent eam assumere? Rectè D. Ambrosius sic inchoat sua Commentaria in hoc Euangelium Lucæ: *Latent quidem diuina mysteria: nec facilè, iuxta Propheticum dictum, quisquam hominum scire potest consilium Dei.* tamen Doctores satis explicant huius rei causas, cùm sic aiunt: Etsi potuissent aliæ sanctissimæ Trinitatis personæ humanam natu-

Causa cur Filius incarnatus sit, non alia persona.

Ambros. lib. 2. in Lucam.

Doctores in 3. d. 1. Vide ibi D. Tho. Bonau. Richar. &c.

naturam assumere, minimè tamen hoc fieri conueniebat. Si enim Primò Pater fuisset factus filius hominis, idem fuisset Filius propriè & Pater, quod vergit in confusionem personarum diuinarum. visum est magis expedire, vt idem qui erat Filius Dei, fieret etiam filius hominis. Ita D. Augustinus. Secundò, Congruum etiam erat, vt qui erat medius inter duas personas, mediator generis humani fieret. Cùm enim quasi lis quædam exorta esset inter Deum & hominem, Deo conquerente de homine quòd ipsum offendisset, homine vicissim de Deo quòd suam creaturam desereret: ecce Dei Filius hanc litem dirimere aggressus est, mediatorem se faciens, & *pacificans omnia quæ in cælis sunt, & quæ in terris.* Hæc sanè intercessio magis Filio competebat apud Patrem, quam Patri apud Filium. Tertia ratio ex parte peccati sumitur, propter quod incarnatio facta est. Peccauerat enim primus homo appetendo scientiam, vt patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali. quare conueniens ducebatur, vt per verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum scientiæ appetitum à Deo recesserat, vt loquitur D. Thomas. Quarta ex D. Ioanne Damasceno: *Decuit maximè sapientiam ac virtutem Dei hoc mysterio manifestari: sapientiam quidem, vt inueniretur difficillimi pretij solutio: virtutem verò, vt victum rursus faceret victorem. sed virtus ac sapientia Filio appropriantur, qui proinde Dei virtus ac sapientia appellatur.* Hę rationes hoc loco & tempore sufficiant, cur Dei Filius nostram naturam assumere debuerit: alias siquis fortè quærat, inueniet apud D. Thomam aliosq; Theologos.

De Eccl. dogmat. tom.3.

Coloss. 1.

Gen. 2.

D. Tho. 3.p.q.3. art.8.

Damasc. l.3.c.1.

1.Cor.1.

D.Tho. 3.p.q.3. art.8.

Secundum incarnationis miraculũ sit ex parte vnionis hypostaticæ omnium perfectissimæ, quæ immutabili atq; indiuiduo nexu in æternum est duratura. Magna quidem est vnio animæ & corporis, sed morte dissoluitur. Magna quoq; est supernaturalis vnio animæ cum Deo per gratiam, at mortifero peccato deperditur. Maior adhuc longè est animæ cum Deo coniunctio per gloriam; quam anima quidem, ob statum immutabilem, perdere non potest, Deus autem vt perdat efficere potest. Atqui his multò maior ac fortior est vnio hæc hypostatica duarum naturarum in vna persona; quam neque Diuinitas dissoluere vult ob decretum immutabile, neque humanitas eius solutionem aut velle aut efficere potest. Maxima verò & fortissima est trium personarum diuinarum in vna essentia, quam nulla persona potest neque vult dissoluere, neque omnes simul. Itaque vnio hypostatica admirabilis est, omnium ferè vnionum nobilissima ac fortissima, numquam vt dissolui possit in omnem æternitatem. Separata quidem est anima à corpore in passione, neutrum tamen à Diuinitate. vnde commune est SS. Patrum axioma: *Quod Deus assumpsit, numquam dimisit.* Solet hoc mysterium illustrari similitudine arboris constantis ex tribus ramis, quæ vna quidem est, sed cum perfecta distinctione ramorum. qua ratione mysterium explicatur sanctissimæ Trinitatis. Sed fac secundum ramum inseri seu inoculari: iam non erit vna sola natura istius rami, sed erunt duæ naturæ, & tamen vnus ramus. vnio verò huius rami tam firma est vt durare debeat quamdiu ramus durat. En myste-

2. Miraculum ex parte vnionis hypostaticæ.

Ex Damasc. l.3. c.27.

Vide hæc similit. apud D.Tho. Bonau. & alios Theologos in 3. d.1.q.1. Optimè Bellarm. festo Annuntiat. p.2.med.

mysterium vnionis hypostaticæ in secunda persona Filij Dei.

3. Miraculum ex parte naturarum. Tertium miraculum ex parte naturarum, distinctio scilicet duarum naturarum in vna persona. Mirum valdè est in SS. Trinitate, quòd tres sint personæ & vna natura. mirum quoque in incarnatione, quòd vna sit persona, & duæ naturæ integræ & impermixtæ, videlicet diuina & humana; imò tres quodammodò naturæ, diuinitas, corpus & anima, vt explicat D. Augustinus. Ecquid simile in rebus creatis? Si gutta aquæ infunditur mari, amittit nomen suum, & naturam: tamen humana natura coniuncta Diuinitati manet integra & incorrupta: persona item vna tantùm & simplex in duabus naturis. De quo sic D. Leo, *Salua*, inquit, *proprietate vtriusque substantia, in vnitatem persona suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* Sed quomodo suscipitur? homo suscipit vestem, qua induitur, estque vnus homo, licet vestis sit alterius naturæ: sic etiam Filius carnem induit sicut vestimentum, & *habitu inuentus vt homo.* Sed euidens hîc discrimen est, cùm multò magis humanitas Verbo adhæreat, quàm vestis homini, vt suprà dictum est. vnde melior est D. Athanasij similitudo hoc modo: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* qua quidem similitudine ante Athanasium vsus est Iustinus in libro de Recta Fidei expositione, non vt sua, sed tamquam ab aliis tradita. Thomistæ cum Caietano contendunt hanc esse omnium aptissimam, sed ex vna parte aliquantùm etiam claudicat: quia caro & anima sunt naturæ imperfectæ, ex quibus vna perfecta conflatur natura & persona hominis: at in Christo duæ naturæ perfectæ subsistunt in vna persona Filij Dei.

August. lib. 13. de Trinit. cap. 17.

D. Leo Serm. de Natiuit.

Philip. 2.

Athanas. in Symbolo.

Thom. 3. p. q. 5. art. 6.

4. Miraculum, communicatio idiomatum. Quartum miraculum & vltimum dicitur communicatio idiomatũ. In Trinitate quidem cùm diuersæ personę sint, diuersæ quoq; operationes illis tribuuntur. Pater enim generat, non Filius: Filius generatur, nõ Pater, neque Spiritus sanctus. Item, Spiritus sanctus procedit per spirationem à Patre & Filio, non Pater neque Filius. At in mysterio incarnationis cùm sit vna tantùm persona, nulla est operatio vnius naturæ quæ non tribuatur etiam alteri per appropriationem, quia ambæ sunt naturæ eiusdẽ personæ. Exempli gratia. Quoniam verè possumus dicere de isto paruulo qui datus est nobis, ratione humanæ naturæ quam habet, Iste paruulus est homo, nascitur, comedit, dormit, moritur, &c. sic de eodem possumus dicere, ratione eius Diuinitatis, Iste paruulus est Deus, omnipotens, infinitus, creator cæli & terræ, immortalis. Quid ita? quia est vna persona, quæ simul est Deus & homo. vnde sic D. Augustinus, *Talis*, inquit, *est illa assumptio humanitatis à Diuinitate in Christo, vt Deum hominem faceret, & hominem Deum; & quæ dicuntur de vno, dicantur de altero.* In vna quippe persona rectè conueniunt diuersissima attributa, vt mortalitas & immortalitas, passibilitas & impassibilitas, Creator & creatura, Rex Regum & seruus omniũ, omnipotens & infirmus, æternus ac temporalis, diues ac pauper. SS. Patres adhibent etiam similitudinem ferri candentis, quod vnum & idem diuersas tamen habet proprietates ferri & ignis. Veniamus nunc ad secundam partẽ.

August. lib. 1. de Trinit. cap. 13.

D. Basil. Orat. 25. ex variis. Damasc. l. 3. c. 11. Orig. 2. Periar. cap. 6.

Hactenus quatuor huius sanctissimi

Secunda pars, Quomodo fides hic exercẽda.

ſimi myſterij miracula commemorauimus; quæ fuſiùs explicanda fuerunt, quia ſine his non poteſt miraculum hoc miraculorum intelligi, neque ſequentia quæ in poſterum per Dei gratiam afferemus: hoc ſiquidem fundamentum ſtatuendum eſt omnium credendorum. Iam dicamus breuiter quomodo fides exercenda ſit hîc & in aliis huiuſmodi myſteriis. Atque in primis rectè D. Auguſtinus hoc myſterio incarnationis fidem noſtram ſtabiliri docet his verbis: *Vt homo,* inquit, *fidentiùs ambularet ad veritatem, ipſa Veritas Dei Filius homine aſſumpto conſtituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter eſſet homini per hominem Deum.* Sed variis temporibus aduerſus hoc variæ hæreſes ſunt exortæ. Nam Apollinaris, Eutyches, Dioſcorus, duas naturas in Chriſto confuderunt, aſſerentes, ex commixtione diuinæ naturæ & humanæ vnam reſultaſſe naturam, humanâ ſuperiorem & inferiorem diuinâ. Sed euidenter eos condemnat ipſemet Deus per Prophetam, dum ait: *Ego Deus & non mutor.* Ex altera parte Neſtorius, & Theodorus Mopſueſtenus cum ſuis, alterum amplexi extremum, cum duplici natura duplicem conſtituunt perſonam. Sed hæ & ſimiles hæreſes citiùs pænè ſunt condemnatæ quàm natæ: ſicut & concident eodem modo hæreſes noſtri ſæculi, quæ in his regionibus etiamnum graſſantur, vt Anabaptiſtarum, quibus perſuaderi non poteſt Deum factum verè ex muliere, os ex oſſibus noſtris, & carnem de carne noſtra. Noſtra de hac re Fidei orthodoxæ confeſſio, eadem ſit oportet quæ Damaſceni, dum ait: *In duabus perfectis naturis vnam Filij Dei incarnati perſonam confitemur: vnam nempe Diuinitatis & humanitatis ipſius perſonam dicentes, & duas naturas poſt vnionem in ipſo incolumes ſeruari confitentes,* &c. Omnes verò hęreſes quæ Verbi diuini incarnationem oppugnant, hoc vno teſtimonio D. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ manifeſtè iugulantur, dum ait, *Verbum caro factum eſt:* quod de vera carne aſſumpta omnes Patres cum tota Eccleſia orthodoxa concorditer interpretati ſunt. Nam quare non dicitur, Verbum homo factum eſt, ſed potiùs caro nominatur, niſi vt naturæ aſſumptę veritas clariùs aſtruatur? Porrò, quis nobis optimus modus videri debet tuendi atque exercendi fidem noſtram in arduis huiuſmodi myſteriis? iſte videlicet quem vniuerſa tradit Eccleſia Sanctorum; vt non rationibus aut argumentis eruere ſtudeamus quæ intellectus noſter capere non poteſt, ſed ſimplici ac prompta voluntate credamus, quia Deus reuelauit, ac nobis per Eccleſiam credenda propoſuit. *Fides namque meritum non habet, cui humana ratio præbet experimentum,* vt docet D. Gregorius. Credamus Deum longè plura poſſe efficere, quàm nos intelligere. ita monet D. Auguſt. his verbis: *Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Ita quoq; Euſebius Emiſſenus, *Ne dicas,* inquit, *Illud fieri non poteſt: quia qui te magna credere iuſſit, omnipotens eſt. Diuinis rebus admiratio adhibenda eſt, non credulitas neganda. In Omnipotente te credere cõfirmas; ſed ſi de factis eius dubitas, imbecillitatem Omnipotentis accuſas.* Ad hunc modum ſi qua occurrant argumenta, vel ſi qua hæretici obiiciant contra

Auguſt. lib. 11. de Ciuit. c. 2

Malach. cap. 3.

Damaſc. lib. 3. fid. cap. 3.

Gregor. Hom. 26

Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſianum.

Euſebius Emiſſ. Hom. 2. Symbol.

contra veritatem Venerab. Euchari-ftiæ, cõtra Verbi incarnationem,&c. Respondendum est, Nónne Deus hoc ita facere potest? etiamsi modum vel rationem non capiamus, credendum est ita fieri posse. Quòd si modum aut rationem intellectu assequeremur, iam non crederemus fide diuina. Fides diuina est donum Dei, quo tam facilè ista credimus quàm
Ioan.20. alia. *Beati qui non viderunt & crediderunt:* contrà verò infelices qui
Rom.1. *traditi sunt in reprobum sensum*, vt hæretici. O Christiani, contra omnes hæreses, contra omnes fidei tentationes ac pericula, contra dæmonis infestationes, qui nihil aliud molitur quàm basim hanc salutis nostræ subuertere, exerceamus frequẽter actus fidei, dicendo ex intimo animi sensu: Credo in Deum Patrem omnipotentem: Credo quidquid ille suæ Ecclesiæ reuelauit: Credo quod cre-
1.Tim.3. dit sancta Romana Ecclesia, *columna & firmamentum veritatis*, contra quam neque hæresis vlla, neq; dia-
Matt.16. bolus, *neque portæ inferi præualebunt*,
Luc.17. vt ipsa Veritas promisit. *Domine adauge nobis hanc fidem.* Sic orandum, sic eliciendi actus fidei. Securè creditis, Christiani, quæ tot sancti homines crediderunt, tot Confessores, tot Religiosi, tot Martyres fuso sanguine gloriantes, tot Ecclesiæ Doctores, Episcopi, Pontifices: omnes, inquam, Pontifices qui à S.Petro perpetua successione vsq; ad hunc Pontificem, qui nunc Romanæ præsidet Ecclesiæ, hanc nostram fidem Apostolicam nobis quasi per manus tradiderunt, ne in minimo quidem articulo corruptum aut immutatum. Securè creditis quæ tot Concilia generalia virorum sanctissimorum ac doctissimorum, studio veritatis cognoscendæ ex toto orbe congregata, quæ decipi nullo modo possunt, Spiritu veritatis illis assistente, nobis credenda proponunt. Securè creditis quę tot miraculis confirmata sunt ab vsque primordiis Ecclesiæ nostræ Catholicæ: cùm hæretici nullum vmquam in suæ fidei confirmationem miraculum patrarint, neque potuerint, quantumuis omni studio conarentur. Quin etiam credimus, nec ipsum Deum, qui est suprema veritas, miraculo vero, quod est quasi Regium eius sigillum, posse aliud contestari quàm quod Romana credit Ecclesia. Securè denique in extremo iudicio, in extrema illa omnium trepidatione, fidenter & intrepidè, de fide interrogati, dicere poteritis: Si decepti sumus, Domine, tu certè decepisti nos. docuisti nos enim audire Ecclesiam tuam, cùm diceres, *Qui vos audit, me audit: & qui* Lucæ 10.
vos spernit, me spernit: eique te præsentem affuturum promisisti *vsque* Matt.28.
ad consummationem sæculi. Sed quid in illis angustiis Iudici respondebunt hæretici, Lutherani, Caluinistæ, &c. Cùm ab illis rationem exiget in hũc modum: Quid egistis insensati? quid vos impulit, vt relicto ouili meo, ad luporum gregem vos conferretis? Fortè, Lutherus aut Caluinus, inquient, nos seduxit. Sed quomodo? miraculis fortassis aut vitæ sanctitate? minimè certè. sed vnus apostata cum moniali nefariè copulato matrimonio (vt iam videmus) votisq; quæ Deo fecerant sacrilegè violatis, totum orbem cœpit arguere erroris, & nos nouitati credidimus. Itáne? subiunget ille: Itote ergo cum illo & cum omnibus asseclis illius in paradisum ipsorum, vbi in igne & sulfure pars vestra sit in æternum & vltra.

Sed

Sed nos aliquãtò vlteriùs pergamus.

Exercitiũ spei. Soláne fides nobis exercenda? Ostendite, Christiani, non modò fidem viuam huius mysterij, sed & spem exinde vestram & charitatem atque Dei gratiam plurimùm augere contendite. De spe nostra hoc mysterio confirmanda loquitur in hunc

August. in Meditat. c. 14. modum D. Augustinus: *Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret & habitaret in nobis. sed desperare iam non audeo.* quia videlicet nõ despiciet me caro de carne mea, & os de ossibus

August. lib. 13. de Trinit. cap. 10. meis. Item alibi: *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus, cùm natura nostra dignatus est inire consortium.*

Exercitiũ charitatis. Denique ad charitatem etiam vehementer excitat dulcissima Christi incarnatio. Nam vt rectè D. Augu-

August. lib. de Catechizand. rudibus c. 4. stinus, *Quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* subiungit: *Vt si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* Itaque in posterum operum bonorum frequentia, & maximè deuotionis, patientiæ, misericordię, pœnitentiæ exercitiis hanc virtutem in animo confirmemus, vt nasciturо Christo in cordibus nostris digna præparetur habitatio. Frustrà siquidem iis incarnatus & natus est Christus, qui per charitatem eius gratiæ fructuum participes non fiunt: erũtque è numero illorum qui aliquan-

Sap. 5. do dicturi sunt cum impiis, *Sol iustitiæ non est ortus nobis:* qui scilicet, quamuis Sol iustitiæ ortus sit, tamen in tenebris volunt persistere, ostia & fenestras Soli occludẽtes: qui doctrinam eius Euangelicam vix aut ne vix quidem audiunt: qui operum bonorum sedulitate gratiam eius promereri non student: qui denique Sacramenta non frequentant, quæ certò & ex opere operato, vt aiunt, gratiam Dei conferant. His omnibus Sol iustitiæ nil prodest, & tantumdem est ac si ortus non esset. Huiusmodi à nobis tenebras auertat Deus opt. max Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

Proximè aggrediemur Euangelium *Missus est*; vbi initio ad certitudinem historiæ adstruendam, eiusque mysteria ponderanda, Euangelista commemorat eximias aliquot circumstantias, primò, quando acciderit incarnatio; secundò, quomodo annuntiata per Angelum; tertiò, à quo Angelus missus; quartò, quò missus, & ad quem, &c.

CONCIO III.

In mense autem sexto.

1. De circumstantia temporis, Cur tam diu dilata sit Christi incarnatio, siue, Cur non continuò post hominis lapsum adhibitum sit remedium.

2. Pro motu, effusa gratiarum actio, quòd nos hoc tempore gratiæ inter Christianos nati, & longè aliter quàm maiores nostri, participes fructuum incarnationis effecti simus.



VT intelligamus ac ponderemus quanto beneficio affecti simus per diuini Verbi incarnationem, nos præsertim Christiani hoc tempore gratiæ in lucem editi, atque in fide educati; maiorem in modum expediet nobis ob oculos ponere, quis fuerit status Ecclesiæ Dei ante Christi aduentum. Per Ecclesiam intelligo congregationem fidelium à principio mundi vsq; ad redemptionem eiusdem, per annorum plus minùs

quatuor millia. Hæc iam tum erat sponsa cælestis illius sponsi, Filij Dei, speciosi præ filiis hominum : iam tum contractis sponsalibus fides erat data, promissæ iampridem nuptiæ incarnationis, sed differebantur sine fine & sine modo, dum veniret sponsus. Atque is quidem miserat ab initio ad sponsam varia munuscula & amoris sui argumenta, promittens se breuì venturum. miserat varias figuras toto veteris Testaméti spatio, quibus aduentum suum & futuras breuî nuptias adumbrabat. miserat per Angelos suos legem, eamque magna cum cęrimonia, maiestate, religione tradi iusserat in monte Sinai. miserat Prophetas suos, tamquam internuntios, qui ei dicerent: *Apparebit in finem, & non mentietur si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Alius dicebat: *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet*, videlicet de cælesti thalamo gloriæ suæ, & veniet cum eo omne bonum. Alius iterùm: *Veniet desideratus cunctis gentibus*. veniet *desiderium collium æternorum, & ipse erit expectatio gentium*. His nuntiis adeò cor sponsæ vulnerabatur, vt amore languens & contabescens deficeret desiderio sponsi. Quò se verteret, nisi ad Patrem cælestem cui suam exponeret necessitatem? agnoscebat enim pendere adhuc litem inter Deum & hominem: siquidem querebatur Deus quòd esset offensus, homo quòd à suo conditore relinqueretur. ac proinde assiduè postulabat sibi mitti mediatorem, per quem Deo reconciliaretur, *deleto chirographo* quod exstabat aduersus humanum genus. Egebat etiam doctore ac magistro, pastore, medico, duce ac gubernatore: sed si sponsum obtinere potuisset, in eo confidebat se habiturum omnia. nam si Pater donaret Filium, *quomodo non omnia cum Filio donaret?* Itaque grauiter sauciata desideriis istis, quidquid ageret, non poterat quietem capere: sponsi verò nomen atque aduentus penitùs viuebat in omni affectu, in cogitatione, in memoria, in corde: consequenter etiam diu noctuque erat in ore instar mellis ac faui. Vnde ad Patrem ęternum conuersa frequentissimè in hãc vocem erumpebat: *Osculetur me osculo oris sui:* osculo, inquam, incarnationis, vt SS. Patres interpretantur. quasi dicat: O Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, mitte mihi tandem sponsum meum, quem tanto tempore, tot Prophetarum vocibus promisisti: vsquequò differs nuptias meas? vsquequò differs gaudium quod erit omni populo? datæ fidei te pœnitet? tędio quippe mihi & nauseæ sunt tot internũtij, tot prodromi, tot proxenetæ, tot typi, tot figurę, tot vaticinia: veniat ipse Rex Regum; veniat sponsus, & vna mecum caro efficiatur, assumptione humanæ naturæ in diuinam subsistentiam. *Osculetur me osculo oris sui. Nigra quidem sum sed formosa, ornata viro meo, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Concupiuit ipse Rex prior speciem meam. quamdiu ergo despiciet me? Adolescentia mea transiit expectando, non Moysem, non vnum è Prophetis, non Angelos, non Archangelos, sed osculum Filij Dei. Quid mihi cum tot legatis qui sine intermissione vaticinantur: *Mãda remanda; manda remanda; expecta, reexpecta; expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi.* Veniet, & non tardabit. Audiam ipsum sponsum loquentem in Euangelio. videam illum in carne.

Habac. 2. Mich. 1. Agg. 2. Gen. 49. Coloss. 2. Rom. 8. Cant. 1. D. Ambr. Ser. 1. in Ps. 118. Chrys. Hom. de Turture. D. Thomas, Beda, Alcuinus, &c. Cant. 1. Apoc. 21. Psal. 44. Isaiæ 28.

carne. sonet vox eius in auribus meis. ô beati oculi qui illum videre, beatæ aures quæ audire poterunt! Veni ô lux mea, simulque mundum illumina vniuersum. Veni & exorere Sol iustitiæ, lætitia cæli ac terræ, flos generis humani exsurge & veni. Desere tandem, ô dilecte mi Iacob, domum paternam, & ab æterna illa requie tua descende. iam enim tempus est vt manum duris admoueas laboribus, & in sudore vultus tui victum compares sponsæ tuæ: mox diues auri & pecoris in patriam reuertêre, duabus honoratus turmis, gentilium ac Iudæorum.

Hic erat Synagogæ status, huiusmodi querimoniis diuinæ misericordiæ aures identidem pulsabat ac fatigabat, antequam veniret sponsus. Sed quid est quòd eam exaudire nollet? cur vsqueadeò suum prorogabat aduentum? cur non continuò venit post hominis lapsum? Hæc quæstio de circumstantia temporis fusiùs deducenda est, primò, cur tam diu dilata sit Christi incarnatio, &c.

AVE MARIA.

Lib. 2. Moral. cap. 2. QVandoquidem, vt rectè docet D. Gregorius, eximium illud in exponendis Scripturæ mysteriis Spiritus sancti organum, *siquando in sacra Scriptura tempora notantur, mysteria indicantur:* meritò id multò magis in hoc negotio summi momēti obseruatum est, vt non sine summo mysterio tempus designaretur Dominicæ incarnationis, dum dicitur, *In mense autem sexto.* Poterat enim Deus eligere tempus nostræ redemptionis initio mundi, statim post lapsum generis humani, si ita placuisset: potuit in medio mundi, siue, vt Propheta loquitur, *in medio annorum* eius: potuit etiam in fine mundi. Sed ex his omnium opportunissimum iudicauit, vt in medio annorum notum faceret decretum suum: vt reliquo tempore fructus seu messis quædam talis ac tanti beneficij colligeretur. Iam ergo quæstio nostra est, quare non continuò post peccatum voluerit Deus remedium adhibere, nondum consecutâ tot animarum iacturâ. Credibile est quidem, fateor, primis parentibus hoc mysterium reuelatum fuisse mox à lapsu in paradiso terrestri, vt testatur D. Thomas, quando videlicet à Domino dictum est: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* voluit nimirum ostendere iam tum infinitam suam misericordiam & charitatem erga genus humanum; dum commisso peccato statim veniens ad Adam & Euam, exacturus rationem ab eis inobedientiæ suæ, tamquam Iudex eorum, voluit simul offerre eodem tempore remedium peccati, fidem scilicet in venturum Saluatorem, vt non desperarent, sed pœnitentiam agerent, eò ardentiorē, quò maiorem viderent erga se Domini sui benignitatem. Itaque dum primos parentes expellit paradiso, tum etiam portas aperit paradisi cælestis; & dum maledicit, promittit simul fructum benedictionis: sicut quotidie peccatores statim post peccatum inspirationibus ad pœnitentiam impellit, ne in tali statu hæreant, sed conuertantur ad Dominum. Verùm quid causæ fuit cur Deus tamdiu exhibere peccati medicinam differret, quam homini ostendebat, hoc est, cur aduentum suum eousque reiecit ac prorogauit? Hoc certè ipsum est quod Indi & Iapones & infideles alij ante omnia mirantur, cùm illis

Habac. 3. (margin)

D. Tho. 2. 2. q. 2. a. 7. (margin)

verum Christi Euangelium promulgatur. Nam si Deus, inquiunt, propter salutem nostram,& amorem hominum homo factus est, cur non anteà venit, ne tanta hominum multitudo periret? Hanc difficultatem etiam obiecit D. Augustino Porphyrius: sed respondit ei Augustinus in
Tract. 31 in Ioan. hæc verba: *Multi dicunt, Quare non anteà venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora. sciebat enim quando venire deberet.* Hæc est vna ratio generalis, nempe voluntas Dei. Tua, Domine, Sapientia hoc ita statuit,
Sap. 14. Sap. 8. *quæ gubernat vniuersa, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Sic etiam alibi loquitur D. Augustinus:
Lib. 2. Quæst. ex nouo Testam. q. 83. *In potestate dantis est, quando vel quantum velit misereri.*

Sed hîc vlteriùs quæri potest, quare Deus ita voluerit ac statuerit. Cùm enim omnia, quæ à Deo fiunt, ordinatè & conuenienter fiant, non possunt deesse rationes ad hanc fidem explicandam. Quid? nónne opus incarnationis ex immensa Dei charitate procedit, ipsomet illud attestante
Ioan. 3. dum ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, &c.? atqui ordinata charitas non tardat subuenire amico necessitatem patienti, iuxta illud Sapientis:
Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* ergo Deus videtur non vsqueadeò debuisse beneficium suum differre. Sed respondet in primis D. Irenæus, Deum
Lib. 4. cap. 76. opportunè omnia facere, atque adeò fecisse opus incarnationis admirandum tempore iuxta infinitam sapientiam opportuno. *Expecta, inquit, manum artificis tui sapientissimi. non potest illa vel in opere faciendo, vel in tempore quo fieri debet, errare.* Hoc deinceps demonstrandum est, tempus opportunum ab æterno electum esse à diuina Sapientia, in consistorio sanctissimæ Trinitatis: quod autem ab æterno sic iudicatum est, id optimum ac rationi maximè consentaneum sit oportet. Itaque vt hoc assequi pro captu nostro valeamus, cogitate, obsecro, Dei æternitatem ante sex millia annorum, quibus iam ferè mundus durauit: cogitate, inquam, plurima annorum millia ante mundi constitutionem. Quid erat tunc, nisi Deus in sua æternitate? Cogitate adhuc mille millia annorum vlteriùs: quid reperietis nisi æternitatem? Iam dicimus, in illa æternitate respondisse Dei sapientiam ad istam quæstionem, incarnationem esse quidem opus infinitæ charitatis, tamen non expedire vt statim exhibeatur: charitatem necessariò scientia & discretione informari oportere. si enim semper Medicus statim à principio ęgritudinis medicinam daret infirmo, minùs proficeret; imò potiùs subinde læderet quàm iuuaret. Causas igitur inuestigemus huius mysterij, * SS. Patrum ac Doctorum vestigiis semper insistentes.

* Quos vide ex parte apud D. Tho. 3. p. q. 1. a. 6. & Suarez ibid. disputat. 6. sect. 2.

Prima ratio, Conueniens fuit ex parte peccati.

Prima ratio, quia sic exigebat conditio nostri peccati, cui mederi debuit Saluator. Ac Primò quidem, quoniam illud ortum habebat ex superbia, conueniebat eo modo hominem liberari, vt priùs humiliatus recognosceret se liberatore maximè indigere, nec per legem naturalem, nec per legem scriptam posse remedium efficaciter adhiberi. Nam si statim post lapsum Christus venisset, cogitare homo potuisset se lege naturæ liberari potuisse: si in lege Moy-

Moysaïca venisset, se per illam legem iustificari potuisse. Itaque reliquit Deus hominem satis diu in libertate arbitrij vt vires naturæ cognosceret. Dedit legem scriptam, qua Deum ac proximum amare vehementiùs compelleretur. Neq; tamen adhuc morbus curatus fuit, imò magis etiam inualuit. Tunc ergo, cognita satis infirmitate sua & necessitate, miser homo clamauit ad medicum; & dilato beneficio creuit desiderium Saluatoris. Quando autem eousque ingrauescebat hæc infirmitas, vt homo per vniuersum ferè orbem terrarum quasi Diuinitatis honorem vsurpare vel in dæmones transferre auderet, tum demum ita exinaniuit semetipsum Deus, vt formam serui acciperet homo factus, vt detestabile illud superbiæ peccatum curaret. De quo sic præclarè D. Chrysostomus: *Non si aliquid vtile est*, inquit, *ideò statim dari debet: nam & solidus cibus vtilis est, non tamen datur in principio.* Ita quoque disserit D. Gregorius Nyssenus his verbis: *Medici, intus adhuc febri corpus subpurgante, nullum adhibent ægroto ex cibis auxilium, ne magis corpus accendant; expectantes tantisper dum malum creuerit. sic nobiscum actum est in curatione peccati: expectauit animarum medicus, donec vniuersa malitia ægritudo panderetur, & radice morborum cognita vtiliter securis admoueretur.* hactenus Gregorius.

Hom. 9. ad populum Antioch.

In Orat. de Natiu. Christi.

Secundò, Oportuit deinde hominem agnoscere quanta sit & quàm grauis ira Dei aduersus peccatum, quando propter illud tot animarum myriades ad inferos detrusæ sunt: vt vel sic tandem cognita peccati malitia, post tam diuturnam punitionem homo peccare desineret. De quo accipienda sunt, quæ scribit Theodoretus in libris Curationum suarum his verbis: *Medici lenioribus remediis priùs vsi, quæ potentiora sunt vltimo loco adhibent. Idem fecisse inuenitur medicus animarum nostrarum. Nam cùm priùs olim multa & varia remedia attulisset, Prophetas mittens & legem tribuens, postremò hoc vndique potens ac saluberrimum nobis pharmacum attulit (nempe Christi incarnationem) quò omnis ægritudo funditus tolleretur*, homine scilicet peccatum meliùs exinde cognoscente ac detestante. quò etiam pertinet illud Montanarij Poëtę:

Lib 6. de Curatione Græc. affect.

Omne frequẽtari facit impunitio crimẽ.
Accedit culpam facilis dimissio pœna.

Voluit itaque Deus, ac iustissimo suo iudicio decreuit, quò meliùs penetraremus ac detestaremur culpæ mortiferæ grauitatem, per quatuor annorum millia tot animarum damnatione eam punire, antequam salutari suo aduentu eam profligaret ac tolleret. Sed, ô Deus immortalis, quàm parum adhuc in multis peccatoribus profecit tua medicina! quàm pauci hæc apud se perpendunt ac ponderant! Nolite dicere, Christiani, citiùs debuisse hoc beneficium conferri, quasi futurum fuisset hoc opus magnæ charitatis. qualis enim sit ista charitas quæ mihi non prosit? atqui non profuisset homini hæc medicina, si statim venisset Filius Dei: neglexisset paulò pòst, oblitus fuisset, contempsisset. Nónne hoc adhuc multi faciunt, etiamsi Deus tantoperè exaggerarit & beneficij magnitudinem, & necessitatem nostram? Non diu certè tardasse dicendus est, sed citò venisse, qui tam citò venit, quàm potuit opportunè ac sapienter venire.

Tertiò, Denique circa idem nobis attendendum est, vt meliorem pec-



cati notitiam consequamur, quemadmodum soleat Deus patienter aliquamdiu expectare scelerum incrementum, & certam aliquam mensuram sibi notam, vt *vbi abundauit delictum*, posteà *superabundet gratia*. Sic Theophylactus: *Postquam extremis temporibus*, inquit, *ingens fuit peccatorum copia, meritò manifestatus est Christus in consummatione sæculorum, vt deboliatur peccatum*, &c. Itaque exspectandum fuit diluuium quoddam peccatorum, vt arca in qua genus seruaretur humanum, hoc est, Christi humanitas, à Spiritu sancto fabricaretur. Atque hæc de ratione peccati sufficiant.

Rom. 5.
Theoph. super Epist. ad Hebr. 9.
Genes. 6.

Secunda ratio, Ex parte Regis venturi.

Secunda ratio. Consentaneum quoque fuit, vt sic magis declararetur dignitas Regis venturi. nam cùm esset *Rex regum ac Dominus dominantium*, decebat eum Regio cum apparatu ac magnificentia venire. Solent porrò Regis aduentum multi præcurrere, vt viam præparent, quando in ciuitatem aliquam aut Regnum proficiscitur, multi comitantur, multi sequuntur. Ita de Christo Saluatore decreuit ab æterno Deus vt multi Prophetæ eius aduentum prædicerent, vt lex multis typis & imaginibus eumdem demonstraret, & velut aurora Solem iustitiæ anteiret; proximè autem vt præcurreret S. Ioannes Baptista mensibus sex: vnde in textu dicitur, *mense autem sexto*. Sic enim homines fiebant capaciores fidei in Messiam venturum, quem tot modis viderent præsignatum & promissum, vt fusè demonstrat D. Leo. *Sapientia*, inquit, *& benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat sæcula prænuntiatum, in his diebus Euangelij non esset ambiguum*, &c. Multi quoque comitati sunt è cælesti thalamo descendentem, nempe omnes Angeli eius, officij causâ, vt ne vnus quidem desideratus fuerit, teste Apostolo, dum ait: *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius.* Multi denique sequuntur, quos vidit D. Ioannes in Apocal. sed numerare non potuit. *Post hæc*, inquit, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Post hæc, id est, post Sanctos veteris Testamenti signatos ex omni tribu filiorũ Israel. Quocircà rectè D. Augustinus de hoc apparatu Regis venturi sic ait: *Quantò maior Iudex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat.* quorum nimirum communis esset sententia, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Nónne priùs terra colitur & proscinditur aratro, quàm frumentum seratur? ita mundus excolendus ac præparandus erat per pœnitentiam, per fidem, per opera bona, antequam *granum frumenti in terram caderet*, quo mortuo seges plurima Christianorum exsurgeret. Hanc doctrinam pluribus verbis grauissimè tractant Eusebius, Nicephorus, Hugo Victorinus, &c. Concludamus eam hac similitudine: Quemadmodũ in scholis priùs Grammatica tradenda ac Philosophia, quàm doctor veniat qui Theologiam profiteatur: ita priùs erant Israelitæ à Moyse, à lege, à Prophetis, veluti Grammatica quadam imbuendi, priùs Ethnici à Philosophis instituendi, quàm summus Doctor Christus ad tradendam Euangelij doctrinam veniret. Hinc lex *pædagogus* dicitur, & quidquid sub lege

Apoc. 19.
Serm. 3. de Nat.
Hebr. 1.
Apoc. 7.
Tract. 31 in Ioan.
Isa. 40.
Ioan. 12.
Eusebius libro 1. Hist. c. 2. Nicephor. c. 3. Hugo l. 1 de Sacramentis cap. 3.
Galat. 3.

lege tractabatur, futurorum erat disciplina. ita differit Theodoretus. Theod. in cap. 1. Matth.

Tertia ratio, Ex parte beneficij redemptionis. Tertia ratio. Congruum etiam fuit vt præirent multa vaticinia, multa promissa, multa desideria, vt sic ardenter omnes promissum expectarét beneficium humanæ redemptionis, & pluris facerent iam collatum, nec vmquam obliuioni traderent. de quo ita scribit Cassiodorus: *Habet hoc humana conditio, vt celeriter adepta fastidio sint: dum omne pretiosum vilescit oblatum: dulcius autem accipitur quod sub aliqua dilatione præstatur.* Sic diuus Thomas: *Desiderium quodammodò facit desiderantem aptum & paratum ad susceptionem desiderati.* Et diuus Augustinus, *Desiderium*, inquit, *differtur vt crescat, crescit vt capiat.* Itaque animaduertamus oportet supremi Numinis hanc esse naturam, vt velit diu desiderari & ardenter rogari beneficia sua, antequam præstentur; vt in pretio sint apud homines, nec vmquam vilescant. Ita quondam Patres in Limbo, & iusti in terris ante incarnationem, votis ardentissimis ac suspiriis plurimis diutissimè expetere ac desiderare debuerunt humani generis liberationem, ne citò interiret vel intepesceret in eorum cordibus tanti beneficij memoria. Ex quo patet, quanta sit miseria nostrorum temporum, quòd Redemptorem pro nobis incarnatum & mortuum non tantum diligamus, quantum sancti Patres affectabant & amabant promissum ac venturum. Miratur hoc summoperè D. Bernardus in hunc modum: *Ardorem desiderij Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissimè cogitans compungor & confundor in memetipso, & vix contineo lachrymas consideratione miserabilium temporum horum, quòd numquam nobis tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum Sanctis veteribus præstabat desiderium promissorum.* Hæc Bernardus.

Lib. 9. epistolar. 24.

D. Tho. 1. part. q. 12. a. 6.

Aug. in Psal. 83.

Serm. 2. in Cant.

Quarta ratio, Ex parte humanæ cõditionis. Quarta ratio ex parte generis humani, cui non æquè profuisset beneficium hoc citò collatum. Nam in primis, pauci homines in principio mundi Saluatoris præsentia frui potuissent: pauci etiam fuissent, quibus Christi Euangelium vel ab ipso vel à Discipulis eius tradi potuisset: pauci operarij, pauca messis. Quin etiam paulatim procedentibus temporibus fidei & charitatis feruor elanguisset, aut penitùs extinctus fuisset: siquidem hæc est hominum conditio, vt non diu multùmque in officio virtutis feruenter perseuerent: sicut & ante Christi aduentum satis patuit, & post aduentum eius, dum Ecclesia à primo charitatis feruore statim declinare cœpit, & declinabit vsque ad finem mundi. Hoc enim asserit ipse qui falli non potest, dum ait in Euangelio: *Verumtamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Idem confirmat D. Bernardus ad hunc modum: *Non incongruè factum est, sed verè sapienter disposuit sapientia, vt cùm magis esset necessarium, tunc primò ferret auxiliũ, promptos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans, &c.* Theodoretus quoque his verbis: *Si in principio mortem subijsset, quando peccatum non perinde effusum fuisset, nemo deinde credidisset.*

Luc. 18.

Serm. 1. de Aduentu.

Lib. 6. de Curatione Græcarum affect.

Quinta ratio, Ex parte electorum. Quinta ratio & vltima sumi potest ex parte electorum, quorum fidem, spem, patientiam, perseuerantiam omnemque virtutem, dilatione hac boni promissi exercere ac probare decreuerat Deus. Nam virtutis heroïcæ signum est, non despondere animum quando promissiones factæ

tan-

tanto tempore differuntur. Sic commendatur fides Patriarcharum ac Prophetarum veterum, simulq; constantia ipsorum toto cap. 11. ad Hebræos: ac tandem concludit Apostolus: *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Hinc diuus Gregorius, *Sancta desideria*, inquit, *dilatione crescunt: si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt*. Atque in eamdem sententiam loquitur D. Ambrosius: *Quò diutiùs abest qui desideratur, eò expectantis desideria maiori quadam vi amoris ignescunt: caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur.* Ita subinde permittit nos Deus incurrere graues afflictiones, ariditates, miserias, & longo tempore differt auxilium aut solatium ferre; non quòd nolit succurrere, sed vt fiducia & constantia nostra coronari possit.

Heb. 11.

Hom. 25 in Euág. post initium.

In Psal-mú 118. ad vers. *Defecit in salutare.*

Hæc sunt rationum momenta (quæ quidem ab homine cognosci possunt) quibus rectè consideratis, non tardasse videbitur Dei Filius, sed potiùs summè festinasse ad opus nostræ redemptionis. Meritò proinde inter nomina quę ei apud Isaiam Deus Pater imponit, illa duo præcipuè numerantur, *Admirabilis & Accelera.* Verè enim cùm is in cunctis operibus suis mirabilis est, tum in hac celeritate, qua salutis nostræ negotium egit: quam quidem in spiritu sponsa videbat, cùm aduentum eius in mundum caprearum & ceruorum cursui similem esse prædicauit. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Eamdem verò celeritatem Regius Propheta non capreæ aut hinnulo ceruorum, sed (quę inter omnes maxima est) solis velocitati comparauit. *Exultauit*, inquit, *vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius.* loquitur enim de Sole iustitiæ, cuius ea fuit in opere humanæ redemptionis festinatio, vt ne momento quidem temporis illud distulerit vltrà quàm poterat. Denique sic intelligendus est Propheta Habacuc, dum ait: *Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit.* quomodo enim, si moram faciat, non tardat venire? sensus est, Si iuxta tuum desiderium moratus fuerit, non tardabit iuxta suum decretum: quia veniet simulatque iudicabit veniendum ob maius tuum bonum. Non te itaque tædeat laboris tui aut tribulationis, quantumuis diuturnæ, quia *non est nisi nubes transiens* (vt scribat D. Athanasius dicere in suis persecutionibus) quam statim sol dissipabit. Quomodo ergo non transit? transibit cùm tempus venerit, quod solus ille nouit, *in cuius potestate tempora & momenta sunt.*

Isaiæ 8.

Cant. 1.

Psal. 13.

Habac. 1.

In Vita eius.

Actor. 1.

Veniamus nunc ad secundam partem, priùs tamen, vt materia postulat, quæstionem illam attingentes, qua mundi ætate, quo anno, quo mése, quo die, qua hora venerit Dei Filius ad opus nostræ salutis. Respondet Apostolus in primis, generatim sic loquens: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Hîc autẽ dubium mouet D. Bonauentura, quare dicatur fuisse plenitudo temporis in aduentu Filij Dei, cùm nondum sit finis mundi, quando omnia consummabuntur, & numerus electorum implebitur. Respondetur, designari tempus à Deo definitum, quo promissiones Patribus factæ, prophetiæ, figuræ omnes impletæ sunt, nata

Secunda pars, de gratitudine animi.

Galat. 4.

Super 3. Sent. d. 1. in quæst. circa literam.

nata veritate. Quando enim illa omnia impleta sunt, meritò dici potest plenitudo temporis venisse. Vbi autem illa venit, tunc misit Deus Filium suum, Angelo præmisso ad virginem, *mense sexto*, nimirum à conceptione Præcursoris, cùm adhuc recens esset in populo Dei rumor de visione Pontificis facta in templo, ipse mutus & surdus permaneret, omnesque in maxima essent expectatione Messiæ, vndiq; circumspicientes, sicubi appareret. Hic necesse est attendamus diuinorum operum diuinum planè ordinem. Elegit enim mensem sextum suæ conceptioni, sicut & sextam mundi ætatem, & sextam in hebdomada diem, qua die vti hominem creauerat, ita & redimere voluit; sextam denique huius diei horam qua passus est in cruce: quin etiam sexto annorum mundi millenario (vt multorum est sententia) completo, mundum hunc iudicaturus aduenient. Ac de sexta quidem mundi ætate nullum est dubium: quoniam in prima nondum erat plenitudo temporis, sed principium: in secunda erat quasi adolescentia temporis, & sic deinceps. Voluit autem in plenitudine ac perfectione temporum venire, videlicet sexta & vltima mundi ætate. Prima quidem ætas fuit ab Adam vsque ad Noë, secunda à Noë vsque ad Abraham, tertia hinc vsque ad Moysem, quarta hinc vsque ad Dauid, quinta hinc vsq; ad Christum, sexta verò à Christo inchoata est, & vsque ad mundi finem protenditur. Hac autem ineunte mundi senectute *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* (Ioan. 1.) Si penitiùs inquiras, Quoto mundi anno? dici potest, paulò ampliùs quatermillesimo, vt communior Doctorum sensus est atque consensus. Quo mense? Martio. quo die? vigesimo quinto Martij, quo die etiam primus homo de limo terræ creatus est, vt multi [a] Auctores volunt. quo etiam in crucem actus hominem redemit, vt est communis [b] opinio At qua hora? matutina? meridiana? vespertina? Hoc non adeò certò traditur; dicam tamē quod verisimilius est. Vbi venit plenitudo temporis, videlicet media ferè nocte, siue sexta hora noctis plus minus. [c] Ratio est, quia cùm Christus Dominus natus sit noctu, vt ex [d] Euangelio constat, consequens est conceptum fuisse noctu: sic enim nouem menses perfectè numerantur à conceptionis hora vsque ad partum: & satis constat, conceptionis ac natiuitatis Christi tempus fuisse ordinatissimum. Itaque sicut vigesimoquinto Decembris natus est noctu, ita vigesimoquinto Martij conceptus est noctu. Prætereà consentaneum est, vt veritati figura respondeat. Angelus enim missus ad occidenda primogenita Ægyptiorum, & Iudæos è captiuitate liberandos, figura fuit aduentus Saluatoris in mundum ad liberandum genus humanum. Venit igitur vterque media nocte. Hinc illud pia traditione vsurpat Ecclesia de Christo: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.* (Sap. 18.)

[a] Cum D. Antonino 4. p. Summæ, tit. 15. c. 9
[b] August. lib 4. de Trinit. c. 5. Clemens Alexād. l. 1. Stromat. Rupert. l 3. de Diuinis Off. cap. 19. Chryf. Beda, Haymo, &c.
[c] Athan. Serm. de Deip. &c Vide Barad. to. 1. lib. 7. & Suarez in 3. p. D. Tho.
[d] Lucæ 2.

Iam verno quoque tempore congruenter Dei Filius ad nos venit, tamquam flos campi, & lilium conuallium, post hiemem procellosam veteris legis: & sicut verno tempore cælestis ros in vellus descendit, ita verno tempore Saluatorem terra germinauit, & stillarunt montes dulcedinem, & fluxerunt colles lac & mel.

Hoc eodem tempore & eodem mense mundus creatus est, teste D. Ambrosio, Athanasio, Augustino: ideoq; conueniebat eodem tempore reparari, vt idem creator & redemptor significetur. Hoc eodem mense Martio cessauit diluuium super terrã, vt rectè annotat D. Ambr. lib. de Noë & arca c. 17 siquidem mense Aprili incepit, atq; vndecim mensibus durauit vsq; ad Martium. conuenienter itaq; tunc etiam imminui debuerũt aquæ diluuij maledictionis atque iræ diuinæ, mundique peccatorum. Hoc eodem mense liberati sunt captiuitate Ægyptiaca Hebræi; cui figuræ veritas adaptata est per admirandam liberationem generis humani è captiuitate dęmonis, peccati & mortis, perfici cœptam in Christi incarnatione.

Ambr. in Hexaëm. lib. 1. c. 4. Athanas. Quęst. 9. ad Antioch. August. in QQ. ex veteri Test. c. 8.

Exod. 12.

Consideremus hîc in primis quẽadmodum Deus *omnia in sapientia* faciat, omnia *in numero, pondere & mensura*; quàm *terribilis sit in consiliis super filios hominum*; quàm nihil temerè, nihil fortuitò, nihil casu actũ sit in hoc mysterio: vt omnia diuino cõsilio gesta esse credamus, suspiciamus, veneremur. Deinde cum intimo animorum sensu ponderemus, quantis quamque profusis gaudiis totus terrarum orbis exsultarit, vbi venit plenitudo illa temporis, de qua loquitur Apostolus ad Galatas, de qua D. Lucas in principio Euangelij *Missus est*, dum ait, *In mense autem sexto*. Mox vbi venit illa plenitudo, illa mundi ætas, hic annus, hic mensis, hic dies, hæc hora: vbi, inquam, hæc vltima hora sonuit, *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus*; tunc inchoauit cursum suum tempus gratiæ, tunc incepit nobis dies salutis, aurora lætitiæ, gaudiũ plenum quod nemo tollet à nobis: tunc exortus est nobis Sol iustitiæ, lux illa optatissima quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: tunc venit ad nos è sinu Patris sui Dei Filius, *sicut Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*. Denique vbi venit illa plenitudo temporis *(in mense autem sexto)* tunc nouus mundus apparuit, de quo scriptum erat apud Isaiam: *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Hanc mundi nouitatem diuino lumine illustratus D. Ioannes Apostolus clarissimè se vidisse testatur, vbi ait: *Vidi cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abiit.* Quẽadmodum exempli gratiâ Lusitani mercatores, posteaquam multa maria traiecerunt, veniunt ad nouas terras, ad Indos, ad antipodas: & pedem figentes mirantur alias ciuitates, alia Regna, alias leges, alios mores, aliam Religionem, alia sacra, alios sacerdotes, aliud cælum, alias stellas, alium mundum: sic vbi venit hæc plenitudo temporis (*in mense autem sexto*) cœperũt homines alium orbem speculari, aliam gentem, nempe Christianorum, alias leges, aliam politiam, aliud sacerdotium, aliud sacrificium, aliud hemisphærium, aliam terram, nimirum opulentissimam iam & omni gratia refertam. Ecce loco Synagogæ venit Ecclesia, loco legis gratia, loco egenorum sacramentorum diuina & gratiam conferentia Sacramenta, loco sacrificiorum vnicum nouæ legis Sacrificium Corporis Christi. O felix & fausta plenitudo temporis! ô gratissima & exspectatissima toti mundo! cur non clamorem laudis, & gratiarum actiones cum Angelis attollamus, canentes,

Sap. 8. Sap. 11. Psal. 65. Galat. 4. Luc. 1. Psal. 11. Luc. 1. Isa. 65. Apoc. 21.

Lucæ 2. tes, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis?* Cur non clamemus hîc cum Propheta
Psal. 46. Regio: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exsultationis?*

O Christiane, si non sentis in te hãc communem orbis lætitiam, si non agis Deo gratias quantas maximas animus capere potest, quando hoc beneficium recordaris, quando te in tali plenitudine natum & educatum vides, vt particeps fieri possis illius tantæ gratiæ, totq; fructuum Dominicæ incarnationis: næ ego meritò & verè affirmem, te nondum esse de mundo nouo, sed de veteri. At quomodo adhuc de veteri mundo cẽseri potes? siquidem ipsi Patriarchæ ardentissimis votis desiderarunt videre diem hunc plenitudinis, & multi Re-
Lucæ 10. ges & Prophetę, teste Domino: tu verò non magnopere curas? non amore diuino incalescis? nondum ex animo gratias refundis? nondum pectus & viscera cõcutiuntur? Quid, obsecro, te esse dicemus? nondum certè de mundo veteri nec de nouo, sed monstrum potiùs Christianismi, quàm Christianus habẽdus es. Deus bone! gratiores sint veteres illi pro beneficio promisso, quàm nos pro accepto? ô quis feruor illorum fuit in clamando! quæ suspiria! quæ desideria! quæ preces! Veni Domine, & noli tarda-
Isaiæ 64. re, relaxa facinora plebi tuæ. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes! à facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni.* Quàm diu, ô Domine, ira tua in nos desæ-
Psal. 79. uiet? *Vsquequò irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?* vsquequò obliuisceris nos in finem? vsquequò auertes faciem tuam à nobis?
Ps. 43. *Exsurge, Deus, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. Exsurge, quare obdormis, Domine: exsurge, & ne repellas in finem.* Exsurge gloria gentis nostræ, & spes vnica stirpis nostræ.
Ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Quousque audiemus triste illud carmen, *Expecta, reexpecta; expecta, reexpecta?* Tu es expectatio nostra: veni tu, & salui erimus. Talis erat omnium vox, talis oratio, talis adspiratio. Quid, quòd ipsa Virgo virginum, in qua salus & gloria totius populi constituta erat, simulatque ad vsum rationis ætate pertigisset, & peccatum generis humani, eiusque remedium certum in Filij Dei incarnatione situm cognouisset, suas in hac parte preces, sua desideria, idemtidem cum vetustis Patribus coniungebat, & studiosissimè Deum creatorem suum diu noctuq; precabatur, vt dignaretur tempus contrahere, & terminum aduentui Filij sui præstitutum accelerare? Neq; vllo modo dubitandum, quin re ipsa SS. Virgo à Deo impetrarit, quod tam ardenter & assiduè postulabat. Nam si orationes Patrum illorum, & quidem efficaciter, eòdem referebantur; quantò magis promouerint preces SS. Virginis, quam D. Bonauentura censet ob amplissimam & vberrimam gratiam, & charitatem, potuisse rem aliquam promereri multò efficaciùs, quàm simul reliquos omnes? Cùm itaq; sese in hanc curã & cogitationem de aduẽtu Saluatoris coniecisset, ô qui ardores, qui ignes charitatis purissimũ cor illius accendebãt? ô qui gemitus subinde exaudiebantur? quanta contentio, quanta vis, quantaque dulcedo amoris sanctam animam, sensusque eius intrinsecos, & omnes facultates occupabat? cogitare id aliquo modo,

Psal. 84. Psal. 79. Isaiæ 28. In 3. d. 4. q. 2. q. 1. & 2.

ſed neutiquam exprimere poſſumus.

Iam ſi oculos ad noſtra tempora reflectimus, poſt tam munificam & copioſam huius beneficij collationem; quid aliud dicere poſſumus, quàm nos prorſus ingratos, quàm indignos hoc munere omnium diuiniſſimo, quod adhuc longè futurum, ita animos maiorum noſtrorum accendit? *Nimis nos ſuſpicimus*, ait Seneca, *ſi digni nobis videmur, propter quos hæc tanta* (ſcilicet corpora cæleſtia) *moueantur. ſuas iſta leges habent, quibus diuina exercentur.* Quid hoc? qui indignum hominem credebat cui cæleſtia corpora famularentur, quid diceret aut quid faceret, ſi non ſolem & aſtra, ſed rerum omnium cōditorem Deum in humanæ ſalutis miniſtrum ſeipſum dediſſe, & hominem factum inter latrones medium cruci ſuffixum crederet? O incomparabile beneficium! ô altiſſimam hominis dignitatem, cui Deus in carne famulari dignatur! Vnde, obſecro, noſtra ingratitudo, tepor ac torpor Chriſtianorum, qui veram fidem profitentur; niſi ex eo, quòd Dei opera & beneficia, maximè autem hanc admirabilem Filij Dei pro ſalute noſtra incarnationem, non meditantur, non admirantur, non expendunt? Tota fides noſtra Catholica, abſque earum rerum conſideratione quas credimus, eſt quaſi epiſtola obſignata, ſigilloque munita, in qua licet maxima lætitiæ incitamenta referantur, non tamen mouent, quia non leguntur, nec epiſtola examinatur. Nihil quoque eſt igne calidius aut actuoſius; ſed ſi obiter tantùm digito attingas, vix vllum calorem aut alterationem ſentis. Sic nihil Dei beneficiis erga nos ad accendenda fidelium corda potētius: ſed quia obiter tātùm, & vix leui cogitatione, ea contigimus; ideò non afficiunt nec penetrant cor noſtrum. Sic aromata quantumuis odorifera in Apothecis clauſa non ſentiuntur: at illis apertis, tota domus odore ſuauiſſimo completur. Aulæa denique pulcherrimis figuris contexta, complicata ſi fuerint, nihil à ceteris pannis differunt: expanſa verò & extenſa pulchritudinem ſuam oſtendunt. Itaque frequenti meditatione, eaque attenta & profunda, beneficium hoc recolamus, vt & magnitudinem eius, noſtramq; obligationem longè maximam cognoſcamus. *O Chriſtiani*, inquit D. Auguſtinus, *ſi vobis ex terrena fragilitate viluiſtis, ex pretio veſtro vos appendite.* Appendite, inquam, vos ipſi, & pretium ſalutis veſtræ, & quantum poteſtis laudis, amoris, gratiarum actionis rependite. Quod ſi feceritis, gratiam Dei copioſam in hac vita, & gloriam in altera conſequemini. Amen.

[Margin notes: Lib. 2. de Ira, cap. 27. — Similitudo 1. — 2. — 3. — 4. — In Pſalmum 32.]

CONCIO IV.

Miſſus eſt.

1. *Quinque rationes miſſionis huius, cur nimirum conueniens fuerit Chriſti incarnationem annuntiari.*

2. *Quid documenti è ſingulis addiſcendum, aut quis inde fructus percipiendus, ad morum informationem.*


SATIS, opinor, intelleximus, quot quantiſque omnium hominum deſideriis ac votis, præcipuè verò ſanctorum Patrum ac Iudæorum, expectatus ſit Filij Dei in hunc mundum aduentus. Nam ſi, vt Sacræ litteræ loquuntur, ipſe fuerit expectatio gentium; quantò potiùs Iudæorum, Gen. 49.

dæorum, qui Messiam aliquem nasciturum credebant? Gentes enim, propriè loquendo, non expectabant quem ignorabant, sed quia illo summopere indigebant, resque vi sua naturali maximè fertur ad id appetendum quo maximè indiget; ideò adstruit Scriptura sacra Gentes expectasse; quandoquidem, præsertim si cognouissent, auidissimè ad illum anhelassent, eiusque aduentum ardentissimè desiderassent. Expectauit igitur mundus vniuersus Messiam suum, vt solét captiui redemptorem, vt obsessi ab hostibus liberatorem, vt mendici diuitem à quo alantur, vt subditi Regem qui tyrannidem auferat, vt infimi denique mortique proximi Medicum identidem sollicitatum ac vocatum. Hinc Patriarcha Iacob moriens ait: *Salutare tuum expectabo Domine:* quodque exprimitur de Iacob, hoc de ceteris, imò de toto mundo intelligi debet, vt superiori Concione demonstratum est. At Dei Filius non veniebat, semper ac semper suum prorogans aduentum, anhelantibus frustrà omnibus, & expectatione suspensis. Quid ita? varias suprà attulimus huius rei causas: nunc vltimam addamus; quia videlicet, antequam mater Dei & virgo esset in mundo, non erat locus congruens tanto hospiti excipiendo, non habitatio digna, vt inter homines commoraretur. Ne ipsum quidem templum Salomonis huic rei subseruire poterat, vt ipsemet fatetur & agnoscit, dum ait: *Ergóne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt; quantò magis domus ista quam ædificaui?* At fortè si templum hoc conueniens locus non erat Dei habitationi, quoniam mortuum quid erat, alia fuêre viua templa, tot nempe sanctæ mulieres in quibus potuisset requiescere, vt Sara, Rebecca, Rachel, Iudith, Abigail, Esther, eximia formæ pulchritudine corporum iuxtà animorumque præditæ. nulláne earum poterat venturo Domino locum præbere? nulla. siquidem is erat *qui pascitur inter lilia*, istæ autem omnes spinæ, vtpote in peccatis natæ & educatæ. Ceterùm vbi iam in rerum natura fuit Maria, *tota pulchra & immaculata*, iam nubilis, quindecim annos nata, *tantæ etiam puritatis vt mater Dei esse mereretur*, teste D. Hieronymo; Ecce, inquit Dei Filius, ecce iam mea habitatio, ecce mater mea: in illa & per illam nuptias cōtraham cum humana natura; quæ tam diu tamque ardenter expetit meum aduentum, mearumque meretur gaudia nuptiarum. Mox itaque aduocat Angelum Gabrielem, vnum è primatibus curiæ suæ, vt legationem ad eam suscipiat; Vade, inquit, ad filiam Sion, & dic ei, Ecce Rex tuus venit ad te; si consenseris, præpara thalamū nuptialem. *Sic missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ*, &c. Iam quæritur de hac legatione, quare voluerit Deus eam decernere, cùm posset ipsemet venire & celebrare nuptias per se sine annuntiatione? Primò quinque rationes adferemus, cur, &c. vt suprà.

Gen. 49. · 3. Par. 6. · Cant. 2. · Cant. 4. · Epist. ad Eustoch.

AVE MARIA.

IN Scripturis sacris comperimus sex missionum genera diuinitus contigisse: quarum prima fuit, per quam Dei Filius missus est à Patre in mundum, quando Verbum caro factum est. Sic enim loquitur Apostolus: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Secunda, per quam Spiritus sanctus specie

Prima ratio, seu congruentia ex parte Dei. · Galat. 4.

ignis aspectabili missus est in discipulos in Pentecoste, post Christi in cęlos ascensioné: sicuti his verbis ipse eum promiserat in Euangelio: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Tertia, per quam idem Spiritus sanctus inuisibiliter per gratiam & dona sua mittitur in corda hominum, ad ea sanctificanda, illustranda, perficienda. Sic appellat Apostolus dum ait: *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Quarta, per quam Deus Angelos suos mittit ad aliquid denuntiandum, vel ad opera diuina in hoc orbe peragenda. ita enim scriptum est: *Misit Deus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* Quinta, per quam mittit Deus hominem, sermonum suorum operumque interpretem ac præconem. sic dicitur fuisse *homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes.* Sexta, per quã mittit Deus creaturas rationis expertes ad aliquid mirabile efficiendum: vt apud Ionam Prophetam: *Misit Deus ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna.* Porrò, vt ad propositum veniamus, hæc missio, quam describit noster Euangelista, dum sic incipit, *Missus est Angelus Gabriel,* &c. prorsus inusitata, & singularis & maximè admiranda est, ac proinde omnium linguis tum hominum tum Angelorum deprædicanda. Vnde meritò à Deo decreta fuit, pro totius mundi salute. Quando hanc aggredimur explanare, meritò illud ex libris Regum accommodare ei possumus, *Hæc dies boni nuntij est; si tacuerimus, sceleris arguemur.* Ad hanc quippe annuntiationem concurrunt omnes naturæ rationales, Diuina, Angelica & humana. Diuina, vtpote infinitæ

Ioan. 16.
Galat. 4.
Act. 12.
Ioan. 1.
Ionæ 1.
4. Reg. 7.

liberalitatis dono mittit nobis Filium suum, vt paruulus fiat pro nobis, quò ad altissimum excellentiæ gradum nostram extollat naturam. In quo quidem perfectissimè relucet immensa charitas Dei Patris, qui *sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Profundissima quoque humilitas Filij, *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Efficacissima denique Spiritus sancti operatio atque obumbratio, de qua dicitur: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Deus itaque trinus & vnus nuntium huiusmodi misit in terras: Gabriel Angelus nobilissimus ac promptissimus eius legatus fuit: homo in persona Deiparæ nuntium suscepit, vti explicat D. Augustinus ad hunc modum: *O beata Maria, sæculum omne captiuum, tuum deprecatur assensum. Te, ô Domina, mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari, virgo, nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium: da fidem & senti virtutem. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat,* &c. *Nec mora, reuertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus.* sic ille. Quapropter hinc meritò sumi potest prima ratio decretæ huius legationis ad Virginem, seu congruentia quædam ex parte Dei: quia nimirum omnia opera sua magnifica, quibus potentiam, sapientiam ac bonitatem suam nobis ob oculos ponit, per missiones quasdam solet ad exitum perducere. Alioqui enim nisi Deo opt. max. ita visum fuisset, videri poterat non magnopere necessaria fuisse hæc annuntiatio. Nam

Ioan. 3.
Philip. 2.
Serm. 2. de Annuntiat. & Serm. 17. de Natiu.
Documentum.

1. Nam satis in primis prænuntiata fuit Christi incarnatio per Prophetas : *Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ,* &c. (Isaiæ 7.)
2. Deinde, beatissima Virgo habebat fidem incarnationis satis expressam atque distinctam, quæ Iudæis necessaria erat, teste Apostolo, vbi ait : *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes.* (Vide Suarez tom. de Fide disp. 12. sect. 3. Rom. 3.) quid igitur opus hoc internuntio?
3. Denique si particulatiùs mysterium hoc Virgini insinuari oportebat, cur non locutus est ei Deus immediatè, sicut Adamo, Abrahamo, Moysi locutus scribitur? Respondendum verò est, id ita postulasse diuinæ prouidentiæ ordinem, omnia quàm congruentissimè facientis : cumque minora longè negotia non nisi per missiones quasdam conficere solita sit, summopere decuisse vt hoc mysterium omnium sublimissimum honorifica ad virginem legatione annuntiaretur, atque ita cognosceret ipsa id maximè ad se pertinere, quod antè ignorabat; suumque insuper consensum exprimeret, quem more hominum Deus ab illa requirebat, antequam opus illud eximium incarnationis in ea, & per eam perficeretur.

Secunda ratio. Ex parte mysterij quod est matrimoniũ quoddam spirituale.

Secunda congruentia ex parte mysterij ipsius, videlicet ad obtinendum Virginis consensum in nuptias incarnationis, vti humanitus fieri consueuit. ita D.Thomas, cui adstipulantur SS. Patres ac Theologi ceteri. *Congruum,* inquit, *fuit B.Virgini annuntiari quòd esset Christum conceptura: vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei & humanam naturam: ideoque per annuntiationem expectabatur consensus virginis loco totius humanæ naturæ.* (D.Tho. 3.p.q.30. a.1 Doctores ib.) Meritò sanè Virginem Deiparam *miraculorum officinam, miraculorum* item *abyssum* appellat D. Ioannes Damascenus. (Orat. 1. de Nat. ipsius.) Expendamus, obsecro, huius admirabilis thalami, harumque nuptiarum miracula. In nuptiis quidem illis omnium ore decantatis, quæ in Cana Galilææ celebratæ sunt, vnum miraculum post Virginis verba patratum est : at in istis multò maiora miracula cernuntur edita, post illa eiusdem Virginis verba, *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* (Lucæ 1.) In illis aqua in vinum conuersa est; in his *Verbum caro factum est:* (Ioan. 1.) *quod opus*, vt Damascenus ait, *miraculorum omnium est caput.* (Ora. 1. de Annunt.) In illis natura deterior mutata est in meliorẽ; in his persona dignitate infinita præcellentior naturam immensa intercapedine inferiorem sibi hypostaticè copulauit. In illis fuit propriè conuersio naturæ; in his sine vlla transmutatione duæ naturæ integræ permanentes in vna & eadem Verbi persona coniunctæ sunt. Cùm itaque vellet Dei Filius cum sorore nostra, humana, inquam, natura contrahere matrimonium, cumque requiratur in omni matrimonio expressus consensus partium; non satis ei fuit pro sua parte id velle, sed altera quoque pars, totius humanæ naturæ personam sustinens, suum exprimere consensum debuit, vt conuenienter & more hominum nuptiæ celebrarentur: ac proinde, vt facere solent Principes per procuratores suos, ita per præcipuæ nobilitatis Angelum Gabrielem hunc consensum impetrare statuit. Luculentam huius rei figuram habemus in Genesi, vbi Abraham misit Eliezer seruum suum natu maximum, domus suæ procuratorem, qui præerat omnibus quæ habebat, ad Batuelem & Laban, vt acciperet de filiabus eius vxorem filio (Gen. 24.)

suo

suo Isaac, dicens: *Iura per Dominum cæli & terræ, quòd non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac. Et iurauit seruus, tulitque decem camelos de grege domini sui, & abiit in Mesopotamiam ad vrbem Haran.* Vbi eò peruenit, quid egit ante omnia? vtinam domini hoc tempore habeant seruos tam fideles tamq; prudentes! Statuit primò aggredi puellam, deinde parentes. prope vrbem adaquauit camelos eo loco, quò solent vesperi mulieres egredi ad hauriendam aquam. illic orauit Deum prolixè & ex animo, vt pro sua bonitate vellet ei ostendere puellam quam præparasset Isaac filio Abrahæ. exauditur oratio, venit Rebecca: agnoscit illam esse sponsam à Deo destinatam: dat ei munuscula: pergit ad parentes eius: exponit postulata domini sui: petit filiam vxorem. Sed quid illi respondent? attendant parentes quid faciendum sit, quando filias suas collocare in matrimonio volunt. *Vocemus*, inquiunt, *puellam, & quæramus voluntatem eius.* prudenter sanè. Vtinam ita caueant semper parentes collocare filias nisi consentientes atque propensas! nam si promissis aut minis adigant, siue propter diuitias, siue ob nobilitatem aut commoditates varias, censentur quasi cogere, & grauiter peccant contra libertatem status coniugalis eligendi. Atqui constat, si quis cogatur ad contrahendũ iusto metu, nullum fore matrimonium. Possunt nihilominùs parentes consilia dare prolibus, atque adhortari, rectéque consulere. quòd si nolint filij sana eorum consilia sequi, sine graui causa, etiam grauiter peccant, quòd parentibus non obediant. Intuemini exemplum vtriusque partis: *Vocemus*, inquiunt, *puellam, & quæramus voluntatem eius. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? quæ ait, Vadam.* En contractus matrimonij. Ita videlicet accidit in mysterio Angelicæ annuntiationis. Abraham Deum repræsentat, Eliezer Gabrielem domesticum Dei, tamquam fidelē eius procuratorem. Angeli enim sunt *administratorij spiritus*, qui mittuntur ad negotia nostræ salutis, *potentes virtute ad faciendum verbum illius*. is itaque mittitur de cælo in regionem longinquam, *ad ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem*, quæ nomine totius humanæ naturæ exprimat consensum: exprimit autem illum, dum hoc verbum pronuntiat, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* atque eodem penitus momento secreta coniugia celebrata sunt in Mariæ thalamo, quibus Gabriel paranymphus interfuit, vt sæpè describit D. Augustinus, cuius in primis hæc verba sunt: *In vtero virginali Verbum Dei creatura humanæ quodam ineffabili coniugio copulatum est, vnde processit quasi sponsus de thalamo suo.* Hæc item alibi, dum verba illa Psalmistæ interpretatur, *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo; Ipse,* inquit, *est sponsus procedens de vtero virginali, vbi Deus naturæ humanæ tamquam sponsus sponsæ copulatus est.* Eadem habet Laurentius Iustinianus. *Verbum*, inquit, *sponsus, caro sponsa, virginalis vterus thalamus fuit.*

[Margin: Vide August. Serm. 77 de Temp. — Heb. 1. — Ps. 103. — Ser. 12. de Nat. — Super Psal. 18. — Laurent. Iust. lib. de Casto connubio, c. 9.]

Sed (ô Deus bone!) quales hæ nuptiæ fuerunt? nuptiæ, quibus duo Regna maxima & inimicissima inter se reconciliata sunt. Quemadmodũ enim cùm duo finitima Regna capitali

tali

inter se diffident, coniugio aliquo Regiarum vtrimque personarum reduci in gratiam solent; corporeaque nuptiarum vnio diffidentium animorum efficit vnionem: ita cùm iam olim ab origine mundi cælestia ac terrestria Regna mutuis in se odiis desæuirent, sacramento nuptiarum Agni in pristinam gratiam reuocata sunt. Diuinitas namque è cælo, & humanitas assumpta de terra, dum indissolubili vinculo fœderantur, terrena cælestibus, & humana diuinis copulantur. Si igitur, ô homo, Deum anteà iratum ac fulminantem timebas; quomodo nunc non diliges, cùm cernis eum tali te honore dignatum, vt sororem tuam sibi desponderet, tuæque naturæ consors fieret, atque ærumnarum omnium tuarum, infirmitatum, laborum particeps? Iterùm lubet inquirere, Quales hæ fuerunt nuptiæ? nuptiæ, inquam, spirituales ac diuinæ, quales oportet cogitationes nostras esse cùm de illis
1. Cor 2. audimus. *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Auocate igitur mentem à rebus carnali-
Cant. 3. bus. *Egredimini, filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius.* Hic est verus Salomon, *qui pa-*
Coloss. 1. *cificauit quæ in cælis & quæ in terris,* per suas nuptias. *Dies desponsationis eius* propriè fuit, cùm Patribus facta est incarnationis promissio; *dies lætitiæ*, cùm opus incarnationis est impletum. Atqui in nuptiis quædam leges sunt & conditiones necessariæ. Debet esse qui iungat matrimonium, debent esse personæ iungendæ, inter quas solet esse æqualitas & communio bonorum, sequitur affinitas partium, deinde celebrantur in nuptiis conuiuia. Hęc eadem obseruare possumus in mystico hoc matrimonio incarnationis. Primò quidem magnus sit oportet qui hoc matrimo- 1.
nium iungat, qu d ita? solent enim honoris causâ magni Principes à magnis Prælatis, ab Episcopis, à Summis Pontificibus id officij postulare. hîc autem non alius fuit quàm ipse Spiritus sanctus, testante id Angelo Gabriele, dum ait, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi* Luc. 1.
obumbrabit tibi. At quæ personæ iungendæ? Deus & homo, arctissimo 2.
nexu vnionis hypostaticæ inter se deuincti, vt in duabus naturis eadem maneat persona. de quo ita scribit D. Augustinus: *In vtero virginis spiritales nuptiæ celebratæ, Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus Deus & totus homo.* Conc. ad Catechum. tom. 6.
Quæ partium æqualitas? vos qui- 3.
dem soletis ferè pares eligere, idque ad multa incommoda euitanda: sed hæc timeri non possunt in hoc connubio spiritali, licet summa sit partium inæqualitas: cùm finiti ad infinitum nulla sit comparatio. Affines
quoque Christo effecti sunt omnes 4.
filij Adæ, propter nuptias sororis.
Etiam secuta est bonorum commu- 5.
nio: siquidem natura humana quidquid habuit Deo dedit, nempe infirmitatem, teneritudinem, laborem & dolorem & lachrymas; quin etiam peccata quæ debuit ipse portare & luere. vicissim autem Deus dedit sponsæ suæ omnia sua bona, subsistentiam, Diuinitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, diuitias, gloriam. homo namque factus est Deus, omnipotens, &c. Vnde cum admiratione canit Ecclesia, *O admirabile commercium! creator generis humani, animatum corpus sumens, de virgine*

nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.
6. Denique conuiuium grande Eucharisticum instruitur, in quo ipsemet cibus proponitur, qui est sponsus; idem planè cibus in via, qui in
Ioan. 17. patria. *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* O iterùm admirabile commercium! quomodo suam Diuinitatem ac seipsum communicat nobis?

Sed quid hîc nobis addiscendum est? quorsum tam multa de nuptiis, ad quas contrahendas legatio ista diuinitus decreta est? Dixi me alloqui spirituales non carnales homines.
Documentum primum. Primò itaque recordari identidem nos oportet, quare Verbum sit caro factum. vtique vt desideria carnis resecaret, imò penitùs extingueret, quoad eius quidem fieri potest. At quomodo hoc fecit? quomodo? Dum largitus est nobis suam Deitatem, hominesque fecit diuinos, facilè caduca ista, & peritura, & carnalia se posse resecare atq; auferre existimauit. Sicut enim virgo quæ nuptias optat, si fortè Princeps maximus eam adamauerit, inferiores amatores statim despicit: ita par est vt animæ nostræ, quæ Christo per sororem nostram desponsatæ sunt, cælesti sponso gaudeant, cælestia diligant, terrena contemnant, carnalia fastidiant, tamquam longè inferiora talium sponsarum talisque sponsi dignitate. Itaq; audiamus D. Leonem hoc propositum vrgentem:
Leo Serm. 1. de Nat. *Deponamus*, inquit, *veterem hominem cum actibus suis, & adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus.*
Secūdum documentum. Deinde, quando animaduertimus Dei Filium assumpsisse carnem sine iis quæ illa optat ac desiderat, sine diuitiis, honoribus, voluptatibus aut commodis huius vitæ, quæ omnia ille spreuit ac nihili duxit; certè ea ratione hominem efficaciter docuit illa spernere ac pro nihilo habere. Idem prorsus mundo accidit hoc videnti ac sentienti, quod accidere solet margaritariis, qui adulterinas vendunt margaritas, easque magno in pretio habent, quia putant verè pretiosas esse: sed si adsit insignis lapidarius, qui eas probè noscat; isque despectui eas habeat, asserens fallaciam inesse, eamque detegens; reliqui eas nihili ducunt. Ad eum modum *simile* appellari potest *regnum* Matt. 13.
cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Sed cùm putarent homines pretiosa esse quæ in mundo sunt, & vano colore decepti opinarentur hîc esse veras diuitias, veramque gloriam; de cælo venit optimus rerum ponderator, qui pretium omnium nouit, & hæc vniuersa vana esse ostendit, eaque despexit. Quid homo faciat, id videns fieri ab æterna illa Sapientia, quæ nouit *reprobare* Isaiæ 7.
malum, & eligere bonum? Hoc documentum omnibus præbetur considerandum in hoc mysterio nuptiarum, quæ celebratæ sunt in thalamo virginali. Quare credimus adhuc mundo potiùs hęc infima ceu magna & pretiosa extollenti, quàm Christo Domino? qui fit quòd tale mysterium tam parum nos afficiat, aut exstimulet ad amorem Dei & contemptum sæculi? qui fieri potest? Certè quia nimis carnales sumus, viridibus lignis similes, quæ subiecto igne vsqueadeò non accenduntur, vt ipsum frequenter ignē humore suo extinguant. Si boni & spirituales essemus, longè faciliùs cor nostrum, his auditis, instar pulueris tormentarij, flam-

flammam amoris diuini conciperet.

Tertia ratio, Ex parte Virginis.

1. Tertia ratio huius legationis, ex parte Deiparæ Virginis; vt illa præpararet thalamum suum ad excipiẽdum Regem, seseque disponeret ad sublimissimam Matris Dei Reginæque cælorum dignitatem. Decuit enim ipsam tãtum beneficium summa reuerentia ac religione suscipere: vti accidisse cernimus in hoc virgineo colloquio cum Angelo, exercendo magnam obedientiam, humilitatem, fidem, charitatem eximiam erga Deum & homines; summam quoque adhibendo prudentiam ac sollicitudinem pro virginitate: quibus aliisque virtutibus dicitur à SS Patribus meruisse dignitatẽ Matris Dei. Præcipuè verò in ipsa requirebatur perfectissima fides & instructio de hoc mysterio in ipsa perficiendo, vt Christum conciperet priùs corde quàm carne. De quo sic D Augustinus: *Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Et posteà subdit: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.* D. Leo quoque loquitur eodem prorsus modo: *Virgo Regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu, diuinam humanamque prolem priùs conciperet mente quàm corpore.* ita quoque diuus Thomas & alij. Præterea, licet beatissima Virgo expressam haberet fidem mysterij incarnationis, tamen non dictabat fides, in ipsa & per ipsam hoc esse perficiendum, donec per Angelum hoc ei innotuit, vt docent Ambrosius, Augustinus, Leo loco suprà allegato, vbi hæc subiungit: *Et ne superni ignara consilij ad inusitatos paueret effectus, quod in ea operandum erat, colloquio discit Angelico.*

(Vide D. Hier. ad Eustoch.) 2. (Lib de Virginit. cap. 3.) (Serm. 1. de Nat.) (D. Tho. 3. p. q. 30 art. 1.) 3. (Ambros. lib 2. in Lucam. August. lib. de Virginit. cap. 4. Leo Serm. 1. de Nat.)

Haud dubiè siquidem conturbari potuisset ac pauere, si antequam euidenter instructa esset, experta fuisset cõceptionem ac partum Filij Dei, non intelligens interim à quo & quare id fieret. Itaque cùm mens Deo vicinior & coniunctior sit quàm corpus, nequaquam decebat vt Dei Sapientia in eius vterum descenderet, nisi mente priùs cognitionis huius lumine illustrata. Adhæc, tametsi potuisset eam Filius Dei matrem adsciscere, non petito neque expresso consensu per Angeli alloquium, sed per reuelationem aliquam de toto mysterio instructa Virgine, siue ante partum, siue post partum; tamen decuit magis suauem diuinæ prouidentiæ ordinem sic fieri, *vt posset Maria certior esse testis huius sacramenti, quãdo super hoc diuinitus esset per Angelum instructa.* quæ est etiam ratio D. Thomæ. Cui addi potest, per hanc legationem factum esse, vt præcipuum testimonium virginitatis eius, & modi admirabilis, quo filium suũ concepit, haberemus. Decuit insuper summã Dei prouidentiam, vt petito priùs consensu offerret ipsa voluntarium obsequium matris Filio Dei; quod nempe obtulit ei, cùm dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat,* &c. Quapropter vt verbis D. Augustini hanc rationem concludamus, sic eam vice Angeli suauissimè alloquitur, eius thalami præparationem insinuans: *Expandat nunc fides splendentis vteri pulchra tentoria: flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur,* &c.

4. (3. p. q. 30. a. 1.) 5. (August. Ser. 17. de Nat.)

Documentum.

Quid hîc discimus? quantum honorem Deus soleat deferre libero arbitrio, quod nobis dedit: nihil vt in

nobis operetur inuitis, nisi cùm pro sceleribus meritas à nobis pœnas exigit. tunc enim (vt D. Bernardus ait) *iustè homo patitur quòd nolit, qui non peccat nisi velit*. Ibidem liberum arbitrium his laudibus ornat melliflius Doctor: *Hac sanè dignitatis diuinæ prærogatiua rationalem singulariter creaturam conditor insigniuit, quòd sui quodammodò iuris in hac parte existeret, quatenus non nisi sua voluntate aut mala fieret, & iustè damnaretur; aut bona maneret, & meritò saluaretur: non quòd ei propria sufficere posset voluntas ad salutem, sed quòd eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur. nemo quippe saluatur inuitus.* hæc ille de liberi arbitrij dignitate. Vultis itaque, Christiani, Deo grata sint opera vestra? sint prompta, sint expedita, sint voluntaria. nihil ipsi placet sine nostro consensu & voluntate, nullum ipsi coactum seruitium placet: sed *hilarem datorem diligit Deus*. Sicuti enim vt B. Virgo per mysterium incarnationis ad singularem cum Deo coniunctionem eleuaretur, consensum eius voluntarium exspectauit: ita Deus neminem rationis compotem per gratiam suam, licet efficacissimam, ad amicitiam suam pertrahit sine eius consensu. Hoc sciebat qui dicebat: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine.* Hoc postulat à nobis qui dicit: *Siquis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* In omnibus quærit voluntatem nostram & intentionem cordis: rectèque Propheta Regius Deum alloquens id agnoscit: *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.* Quare in corda? quia si cor Deus non habet, nihil se habere existimat: sin autem cor habet, omnia habet.

Lib. de Gratia & libero arbitrio.

2. Cor. 9.

Psal. 53.

Matt. 16.

Psal. 44.

Quarta ratio, vt sic Deus sapientiam suam infinitam in modo redemptionis demonstraret, qui modo perditionis aptè responderet. Contraria enim contrariis curantur: & naturâ ita comparatum est, vt siquis per excessum copiâ prauorum humorum redundet, is per venæ sectionem vel ieiunium ad temperiem pristinam redigatur. eò videlicet pertinent omnes medicinæ, vt hominem eadem via, qua peccauit, ad pristinam incolumitatem reducant. Neque hoc natura tantùm requirit, sed politia quoque, legesque iudiciariæ; ac præsertim lex illa talionis, *oculum pro oculo*, vitam pro vita postulans. Quin etiam Dei lex est, *vt per quæ peccat quis, per hæc torqueatur:* idque strictissimè apud inferos obseruabitur, qui locus est iustitiæ vsquequaque perfectæ; sed hîc non semper impleri potest, quoniam locus est misericordiæ. itaque eodem modo debuit Deus pro sua sapientia liberare genus humanum, quo fuerat perditum. At quomodo, inquies, peccauerat homo? quæ fuit via prima ad peccatum? num delectatio? num consensus? Non: primus gradus suggestio fuit, facta per colloquium serpentis cum muliere. *Cur*, inquit, *præcepit Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? cui respondit mulier: Ne fortè moriamur. Nequaquam*, ait serpens, *morte moriemini. scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* en colloquium. *Tunc vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* en delectatio. Denique *tulit de fructu illius, & comedit, & dedit viro suo*.

Quarta ratio, Ex modo redemptionis humanæ.

Leuit. 24

Sap. 11.

suo, qui comedit. ecce peccatum consummatum. Ianua igitur peccati fuit colloquium cum angelo malo, & per eamdem ianuam, nempe per colloquium, sed cum Angelo bono, debuit peccatum regredi quà ingressum fuerat. Sicuti truculentus aliquis taurus, redactus in circulum quemdam, & cinctus à Nobilibus, clauso vndique exitu, per eamdem viam qua intrauerat, erumpit. Venit ergo Angelus bonus, salutat, nuntiat Diuinæ conceptionis mysterium. interrogat Virgo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus sanctus*, inquit, *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Tum illa: *Ecce ancilla Domini*, &c. Procul & abhorrens à moribus eius fuit, vt appeteret esse sapiens & similis Deo, sicut Eua, sed vocabat se ancillam, quæ iam fiebat Regis gloriæ mater. Hoc mysterium videlicet verba illa præsignabant quibus Deus serpentem sic alloquebatur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semẽ tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* quasi dicat, Tu pessime angele, frustrà tibi videris triumphare quòd tua suggestione mulierem ad lapsum perduxeris: tempus erit cùm per Angeli boni annuntiationem, & mulieris colloquium, perdes omnem potestatem, & regnum tuum exscindetur, & mundus, quem in abyssum malorum præcipitasti, liberabitur. Hanc congruentiam tractat D. Bernardus his verbis: *Missus est coluber tortuosus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est quoque Angelus à Deo, vt Verbum Patris per aurem Virginis in mentem & ventrem ipsius eructaret, vt eadem via intraret antidotum, quà venenum intrauerat.* Sic Bernardus.

Gen. 3.

Bernard. Ser. 2 de Penteco-ste.

Sed res tota similitudine illustretur. Captus est homo à diabolo instar auiculæ, quæ vt escam sumat, in decipulam volat, primumque insistit costæ, qua labente & fallente, fallitur atque includitur. Sic enim quasi decipulam homini struxit diabolus in paradiso, cuius costa fuit Eua, de viri costa formata. Adam ei nimis tribuens & acquiescens capitur, & secum omne genus humanum eadem ruina inuoluit. Porrò eius liberatio per mulierem quoque cœpit: quando ad eam venit Angelus bonus, vt in humani generis redemptionem, quod Eua perdiderat, cõsensum eius impetraret. Denique, vt verbo concludam, sicut diabolus non facilè potuisset genus hominum præcipitare nisi per feminam: ita non potuit Deus sapientiùs illud erigere, quàm per feminæ consensum. O mirum Diuinæ sapientiæ ordinem, quo vniuersa gubernantur!

Quid hîc maximè admirandum, atque ad nostram vtilitatem deducendum? nempe quòd Deus opt. max. tantum mysterium, atque adeò totius mundi salutem, committat voluntati vnius puellæ. Quid ita? vt vniuersus orbis tanto beneficio maneat ipsi in sempiternum deuinctus. Quemadmodum enim olim venerũt ad Iudith omnes seniores Ierusalem, gratias acturi pro libertate iam parta, dicentes: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificẽtia populi nostri:* sic mundus vniuersus ad pedes Mariæ prouoluatur, eique gratias agat necesse est, quòd nobis Deum dederit Saluatorem. Audiamus D. Augustinum sic in laudes eius prorumpentem: *O beata Maria, quis tibi dignè va-*

Documentum.

Iudith 13.

Serm. 2. de Annunt.

valeat iura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Accipe quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones; & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa Prodeat quoque in medium mellifluus Doctor, ac de tam dulci mysterio dulce conferat colloquium. *Quid dicebas*, inquit, *ô Adam? Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Redditur ecce femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis fructum tibi porrigat vitæ. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! ô feminam singulariter venerandam, benedictam inter omnes feminas!* Ita sancti illi Patres meritò nos tam piis vocibus accendant ac permoueant, vt mundi reparatricem studiosissimè colamus, & gratissimis animis prosequamur; neque vlla abeat dies, qua non aliquid ad eius honorem perfecisse nobis conscij simus.

Bernard. Hom. 2. supra *Missus.*

Quinta congruētia, Ex parte nostra.

Quinta congruentia denique à nostri officij ratione sumi potest, vt scilicet veneremur, maximique æstimemus mysterij huius celsitudinem:

1. dum cognoscimus rem tanti ponderis magnas ab initio præparationes ac dispositiones præcessisse. Nam & reuelatum fuit hoc mysterium Patriarchis, prænuntiatum à Prophetis, promissum iustis. Quid etiam cōgruentius, quàm vt tandem & ab Angelo, & quidem vno è Principibus cæli

2. maximis, annuntiaretur? Deinde magnopere nobis profuit hæc annuntiatio, vt in isto colloquio Virginis cognosceremus eminentissimas eius virtutes, easq; imitaremur. priùs enim ipsa fide Christum concepit in mente, quàm in carne. Puritas quoque eius virginalis, humilitas, prudentia, & obedientia nobis in exemplum proponi debebant, vt nōn modò eas verbis commendaremus, aut animis admiraremur, sed etiam opere exprimeremus. Denique, vt omnium ora in laudes atq; in gratiarum 3.
actiones resoluerentur pro beneficio incarnationis, cuius notitiā magnam attulit hæc legatio SS. Trinitatis ad Virginem. Ipsa nos magistra virtutum omnium Maria docere possit canticum laudis ac gratiarum actionis, dum hoc percepto beneficio, cōuersa ad Dominum, in hanc vocem gratissimi animi testem erupit: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo,* &c. quasi dicat, Tu me beatam prædicas, ô cognata, & vt magnam ac benedictam inter mulieres extollis; sed magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus, &c. hoc est, Tanto me Dominus tamque inaudito munere sublimauit, vt non vllo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat cōprehendi: ac proinde totas animi vires & spiritum totum in agendis gratiis offero. Doceat nos idem ipsemet Christus opt. max. qui idcircò voluit cōmuniter vocari *filius hominis*, teste historia Euangelica, vt ipso nomine incarnationis suę ingens erga nos beneficium declararet, quasi mirabile quid indicans, quòd Filius Dei pro hominibus factus sit filius hominis: &, vt explicat D. Augustinus, *Commendans hoc nomine nobis, quod miseri-*

Luc. 1.

Lib. 1. de Consensu Euang. cap. 1.

ricor-

ricorditer dignatus est esse pro nobis. Agnoscamus ergo & attendamus diligenter ac frequenter, quemadmodum præpotens ille Deus, cùm bonorum nostrorum non indigeret, nec hominum vlla extarent merita, tantummodò per viscera misericordiæ suæ & charitatis infinitæ, miserit Vnigenitum suum pro generis humani pretio ac redemptione: vt nos carnis nostræ susceptione nobilitaret, ad eumque gradum extolleret, vt altiùs ea ascendere non posset: vt sua iustitia nos sanctificaret, sua gratia locupletaret, sua doctrina erudiret, suis instrueret exemplis, sua denique morte vitam conferret sempiternam. Sapienter hoc & piè admonet D. Augustinus, vbi ait: *Quia naturale est vt homines diligentes se diligant, hac humilitate & charitate incarnati Filij Dei liquefacta est duritia mūdi, vt agnosceret saltem beneficium reparationis, qui non agnouerat excellentiam suæ conditionis.* Similiter D. Chrysostomus in Matth. post enumerata aliquot Dei beneficia, *Putásne*, inquit, *si quotidie pro eo, qui nos tam mirificè amauit, moriamur, condignas posse gratias referre? imò vero minimum quid debiti reddere? nequaquam.* O igitur benignissime Iesu, quas tibi referre laudes, quas gratiarum actiones paremus? etsi millies sanguinem, vitam, nosque totos pro tui nominis gloria expenderemus, minimum hoc esset officiorum omnium, quæ tibi ex æquo debemus, pro omni benignitate & humanitate hîc nobis exhibita. Da, obsecro, huic populo tuo hanc gratiam, vt tibi fideliter viuere ac mori possit, cui tanta miseratione factus homo seruire non es dedignatus. Amen.

Serm. 19. de Sanctis.

Hom. 62 in Matth.

CONCIO V.

Angelus.

1. *Quinque rationes, ob quas Angelo deferri hanc legationem conueniens æquumq; fuerit.*

2. *Quid emolumenti è singulis capiendum ad morum conformationem.*



ECTE sancti Patres de mysterio Verbi incarnati exposuerunt illud Isaiæ Prophetæ: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* vbi Propheta per apostrophen vehemens quoddam desiderium expromit, & ad cælos extollit. Sed quorum illud fuisse dicemus, hominum an Angelorum? De hominibus quidem locuti sumus, maximè fidelibus veteris Testamenti: sed nunc etiam dicamus non tantùm homines sitiuisse hunc rorem cælestem, sed & Angelos. homines siquidem illum sitiebant, tanquam summum bonum ac felicitatē quam per originale peccatum perdiderant: Angeli verò sitienter etiam expectabant felicitatem ac gloriam suam, quæ in eo posita erat, primò vt ruinæ eorum per homines repararētur: deinde, vt acquirerent caput aliquod in Christo, quo tot millibus annorum caruerant. Idcircò enim statim, Filio Dei incarnato, primi venerunt Angeli in terras obsequiū suum delaturi, & pro Rege & capite suo illum agnituri, teste Apostolo, vbi ait, *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius.* Iterùm ipso nato in Bethlehem idem præstiterūt, & pastoribus euangelizarunt *gaudium* illud *magnum quod erit omni populo,* laudantes Deum, eique ante omnes

Isaiæ 45. Vide August. de Quinq; hæresibus, c. 4. Gregor. Nazianz. lib. 1. cōtra Iulianum. Chrysostom. in Psal. 71.

Hebr. 1.

Lucæ 2.

nes homines pro tanto beneficio gratias agentes, addito hoc carmine gratulatorio, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* At cur igitur apud Prophetam Christum vocant rorem? Opinor vt originem eius ac genus designent: quia
1. ex alto velut ros in terram descendit. Nam neque in cælo facta est incarnatio, vt credimus. *Nusquam*, inquit
Heb. 2. Apostolus, *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* neque est facta in inferno, cùm dæmones non redemerit: sed in terra contigit, vt exprimit Propheta, *Aperiatur terra & germinet Saluatorem.*
Isa. 45. 2. Deinde ros terram fœcundat: locus autem, ad quem ros non cadit, sterilis est. ita mundus ante Christi tempora sterilis erat & infructuosus: sed descendit ros, & terra germinauit Saluatorem & cum eo fructum copiosum. sic per Prophetam dicit
Osee 14. Dominus: *Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium.* Tertiò denique
3. ros calorem temperat ac refrigerium
Eccli. 18. præstat, vti scriptum est, *Nónne ardorem refrigerat ros?* sic Christus præcipuè æstum temperauit concupiscentiæ & malitiæ, quæ in mundo regnabat. nam licet aliàs ignem hunc obruerit generali diluuio, parum id profuisset, nisi iam tempore gratiæ longè efficaciùs illum extinxisset: sicuti olim fecisse legitur *medium fornacis quasi ventum roris flãtem.* Christus
Daniel. 4
Iudic. 6. itaque ros, Maria vellus fuit Gedeonis, in quod ros iste descendit sine strepitu, & arcano quodam modo, sine violatione virginitatis, ibique per operationem Spiritus sancti coaluit tam secretò, tamque mirificè, vt nemo possit satis explanare quomodo incarnatio sit perfecta. Ferunt ostrea certo tempore se aperire & rorem cœlestem recipere, hincque margaritam in suis visceribus gignere. ita nimirum B. Virgo animum suum consentiendo aperuit quando dixit, *Ecce ancilla Domini*, &c. & filium Dei mox concepit. Interim quandoquidem diuinæ prouidentiæ consentaneum non fuit vt hoc tantum mysterium in ipsa fieret, nisi priùs id cognosceret atque instrueretur; colligitur satis opus fuisse internuntio seu legato ad Virginem. Nunc quæstio est, qualem conueniebat deligi legatum? hominem? Prophetam quempiam? non, sed Angelum. hoc demonstrandum, Primò afferendo quinque rationes, &c. vt suprà.

AVE MARIA.

Sciendum in primis est, Angelum (nomen Græcum) idem significare quod nuntium, id est, vnius voluntatis apud alterum interpretem: sed tripliciter vsurpari in S. Scriptura. Primò, vt est nomen officij tantùm: atque ita quicumque nuntius 1.
& interpres diuinæ voluntatis ad eám explicandam destinatus dicitur Angelus, quamuis homo sit quoad naturam. iuxta quam significationem Christus ipse dictus est Angelus à Propheta, *Angelus testamenti quem vos vultis.* Episcopi etiam dicuntur Malach. 3.
Angeli in Apocalypsi, *Angelo Ephesi scribe*, &c. Sacerdotes etiam alibi, qui Apoc. 2.
verbum Dei prædicant, vt cùm dicitur; *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est.* Malach. 2.
Secundò accipitur vt est nomen officij simul & naturæ, pro substantiis 2.
illis spiritualibus & incorporeis, quæ Dei voluntatem denuntiant. iuxta quam notionem appellamus omnes illas substantias Angelos: siquidem, autore D. Dionysio, illæ omnes sunt diuinæ voluntatis nuntij; nõ quidem Dionys. libro de Cælesti hierar. cap. 5.

omnes

omnes respectu hominum; sed quædam nuntiant hominibus, quædã inter se inuicẽ superiores inferioribus. Sic dixit Apostolus: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Hebr. 2. Nec putes officium Angelorum solùm esse nuntiare; quia per eos multa alia Deus facere consueuit, vt docet D. Gregorius in Euangelium. Hom. 34 in Euang. castigat enim homines, iisque subinde per eosdem beneficia confert; vt patet in Angelo Custode. Tertiò sumitur vt est nomen officij, naturæ & ordinis. iuxta quam etymologiam, cùm sint tres hierarchiæ, & in singulis tres ordines, vltimum ordinem dicimus esse Angelorum, qui frequentiùs ad nos mitti solent: & sic distinguimus Angelos ab Archangelis, Principatibus, &c. Sic D. Paulus, *Neque Angeli*, inquit, *neque Principatus, neque Virtutes*, &c. Rom. 8. Porrò hoc loco nomen Angeli capitur secundo modo, generatim scilicet, pro quauis substantia spirituali. Nam Gabriel non erat Angelus de ordine Angelorum, sed eo longè superior, vt sequenti Concione probabimus: dictus est tamen Angelus communi significatione, qua omnes illi ordines dicuntur Angeli.

Iam hac re cognita, satis perspicuum arbitror, tam congruenter per Angelum annuntiationem fieri potuisse, quàm per hominem: quandoquidem magnum etiam bonum Angeli ex incarnatione expectarant. Sed videndum est quare conuenientiùs per Angelum, quàm per hominem sit facta. Nam tametsi incarnatio Verbi diuini ceteraque fidei mysteria per Prophetas aut Patriarchas in veteri lege reuelari soleant; tamẽ hoc non conueniebat beatissimæ Virgini reuelari per homines; sed cùm vellet Dei Filius homo fieri, decebat eum ex sua curia cælesti, non ex iis qui in terra degunt, quempiam destinare nuntium in hunc orbem. Accedit eòdem, quòd, teste D. Dionysio, *inferiorum sit recipere à superioribus illustrationes.* Lib. de Cælesti hierar. cap. 4. atqui B. Virgo erat omnibus Prophetis & Patriarchis lumine gratiæ & meritis longè superior.

Sed nónne, inquies, etiam fuit Deipara omnibus Angelis superior? ergo à solo Deo debuit fieri hæc reuelatio. Respondendum est, in vniuersum tribus modis eam fieri potuisse, vel ab homine, vel ab Angelo, vel à Deo. Sed primò non conueniebat ab homine fieri, tamquam inferiore, vt diximus. Deinde non congruebat etiam proximè ab ipso Deo perfici, vt seruaretur ordinatio suauis ipsius prouidentiæ, iuxta quam mediantibus Angelis maioribus diuina mysteria ad minores perueniunt, & mediantibus Angelis vniuersè ad homines. Deinde hac via fides sanctissimæ Virginis non satis exerceri ac perfici poterat. quò enim difficilius fuit tantum mysterium credere Angelo nuntianti, quàm Deo ipsi reuelanti, tantò maior ac robustior fides credentis apparet atque efficitur; quam tantopere posteà commendauit Elisabetha, cùm diceret, *Beata quæ credidisti*, &c. Luc. 1. Hanc causam insinuat Tertullianus his verbis: *Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, ista credendo deleuit.* Lib. de Carne Christi. Tertio denique modo non apparebat manifesta ratio, quare non congruenter per Angelum fieret. verùm enimuerò demonstrandum est deinceps quare conuenientissimum omnium fuerit vt Angelus ad id decerneretur.

Sit itaque prima huius rei ratio

Prima ratio principalis, ex parte Dei. Sap. 8. seu congruentia ex parte Dei: vt Deus hîc ostenderet generalem ordinem prouidentiæ & sapientiæ suæ, *quæ attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducit.* Hic ordo postulabat, vt mediantibus Angelis diuina ad homines peruenirent. vnde, auctore D. Dionysio, *diuinum Iesu benignitatis mysterium Angeli primo edocti sunt: postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transiuit.* (Dionys. libro de Cælesti hierar. cap. 4.) Sic Angeli in veteri Lege sæpè mittuntur ad homines, ad Abraham, ad Lot, ad Moysem, ad Tobiam, vt Dei secreta eis pandant. in nouo Testamento idem Gabriel qui Mariam instruxit, Zachariam etiam docuerat Ioannem prophetam ac Præcursorem ex ipso nasciturum. Et in hoc mysterio incarnationis, cùm ex vna parte Deus, ex altera parte homo constituendus sit (natura namque humana diuinæ erat copulanda) nuntius medius eligitur inter vtrumque, cuius natura inferior sit diuinâ & superior humanâ. Talis est suauitas & ordo diuinæ prouidentię in omnibus operibus tum naturæ tum gratiæ. nam per primum mobile, quod altissimum est, mouet omnes inferiores orbes: resque omnes inferiores, vitam, motusque & fructus rerum conseruat per influentias cælorum. in operibus verò gratiæ populum suum in fide & charitate conseruat per Superiores, quibus dicitur, *Vos estis lux mundi, sal terræ, lucerna super candelabrum, ciuitas supra montē posita.* (Matt. 5.) *Qui vos audit, me audit.* (Lucę 10.)

Documentum. Dilecte Christiani, libenter alios audire, & doceri à doctioribus. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* (Heb. 13.) Dei ordo postulat vt aliis credatis, vt à pastoribus vestris, à Confessariis, à Sacerdotibus piis atque prudentibus vos dirigi atque erudiri sinatis. aliter loquitur spiritus Dei per illos quàm per vos: plus gratiæ & luminis habent illi quàm vos. scriptum est, *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* (Prou. 8.) Sunt hæretici ac stupidi homines, qui hunc ordinem peruertunt in conuentibus aut conciliabulis suis, vbi quærunt ex vulgaribus hominibus & opificibus de Scriptura sacra vel de mysteriis fidei obscurissimis quid ipsis videatur, aut quid suggerat spiritus ipsorū. perinde ac si verus Dei spiritus sic Ecclesiam erudire atque illuminare soleat per huiusmodi hominū quisquilias, ac non potiùs per legitimos Dei vicarios in terris. Quapropter ita Iethro legimus Moysi consuluisse, *Prouide de omni plebe viros sapientes qui iudicent populum omni tempore.* (Exod. 18.) & electi sunt non quiuis obuij, sed è sapientioribus septuaginta duo, per quos Spiritus sanctus loquebatur. Hæc est via ordinaria prouidentiæ diuinæ. Ecce hîc quantumuis gratiæ donis beatissima Virgo superior esset Angelis, tamen quia naturâ & statu huius viæ ac vitæ mortalis erat inferior, Deus non per se immediatè, sed per Angelum more suo fieri hanc annuntiationem decreuit.

Secunda ratio, ex parte mysterij. Secunda ratio sumi potest ex parte mysterij, quod congruenter per Angelum executioni mandari oportuit. Eam quippe fieri humani generis reparationem decebat, quæ lapsui eius responderet, vt præclarè exponit venerabilis Beda. (Super Lucam.) *Aptum videlicet humanæ restaurationis principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad virginem partu consecrandam diuino: quia prima perditionis humanæ fuit causa, cùm serpens à diabolo mittebatur ad mulierem spiri-*

spiritum superbiæ decipiendam. Sic Beda. sic & Fulgentius, *Venit ad Euam diabolus*, inquit, *vt vitam malignus auferret: venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nuntiaret.* Sicut enim magna & illustris comparatio instituitur à sanctis Patribus inter Euam & Mariam: ita inter Angelum bonum & malum. Primò, Eua dicta est mater viuẽtium vita corporali: Maria verò mater viuentium per gratiam. Secundò, Eua intulit mortem in hunc mundum, Maria verò vitam. Tertiò, Eua consensit diabolo, & vetitum pomum, fructum inquam mortis gustauit: de quo dicitur, *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Maria credidit Angelo Gabrieli, & concepit fructum benedictum, à quo manauit benedictio omnium gentium. *Vocabis nomen eius Iesum*, inquiebat Angelus, *ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quartò, Eua peperit cum ærumna & dolore. *Multiplicabo*, ait Deus, *ærumnas tuas, & in dolore paries:* Maria sinè dolore facta est puerpera, & summo gaudio exsultauit mater & virgo. Quintò, Eua maledicta in mulieribus, Maria benedicta in mulieribus. Sextò, Fructus ventris Euæ Cain maledictus, fructus Mariæ benedictus. Septimò, Eua prima omnium corrupta virginitatem amisit, & mater fuit omnium corruptarum: Maria prima virginitatem vouit, & virgo omnium virginum appellatur. Octauò denique, Eua per superbiam à diabolo decepta est: Maria ab Angelo bono instructa vicit diabolum per humilitatem. Meritò itaque in Hymno Ecclesiæ de ipsa canitur illud:

Serm. de Duplici Christi natiuit. — Vide Augustin. Serm. 13. de Natiu. Bernard. Ser. 2. de Pentec. Iren. l. 5. cap. 19. Albert. Magnũ sup. *Missus est*, cap. 54. — Genes. 2. — Matth. 1. — Gen. 3.

Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.

Quomodo mutauit nomen Euæ? aptè videlicet ordine retrogrado literarum Eua transiuit in Aue, quod sonat quasi sine maledicto, & propria significatione est vox gaudij. Sed nunc itidem vicissim audiamus comparationem inter Angelos, sed à contrario. Primò, Missus est angelus malus ad virginem desponsatam viro cui nomen Adam, & nomen virginis Eua, vt nimirum eius animo fallacem hanc persuasionem ingeneraret, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi, &c. nequaquam moriemini.* Sic missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem cui nomen Maria, &c. Secundò, Diabolus in arborem ascendit, sed Angelus bonus descendit è cælo in Nazareth. Tertiò, Diabolus primò consolatus est Euam promissione diuinitatis, mox reliquit eam in summa perturbatione: sed Angelus primò percellit Virginem, *quæ turbata est in sermone eius*; reliquit autem plenam consolatione & gaudio Spiritus sancti. vnde statim à conceptione exsurgẽs Maria abiit in montana cum festinatione. Hæc siquidẽ differentia est inter bonos & malos angelos, vt D. Antonius docet apud Athanasium. Quartò, Diabolus addidit falsam promissionem: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum:* Angelus bonus veram hanc & salutarem assertionem, *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, &c. Quintò denique, vt concludam verbis Petri Chrysologi, *Audistis agi vt homo cursibus eisdem quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua angelus egerat de ruina; vt nostra*

Gen. 3. — In Vita Antonij. — Serm. 2. de Annunt.

perditionis initio, nostra principium reparationis responderet. O medicinam nostris malis conuenientissimam! ô peritissimum Medicum, qui hanc præscripsit!

Documentum. Vultis pariter vos, Christiani, medicinam vestris morbis opportunam adhibere? Audistis quomodo peccatum originale, quod in mundum, terribilis instar tauri, irruperat, eiectum sit: contrariis nempe viis. sic nostra superbia debet humiliatione deprimi; sic rebellio carnis castigationibus ac macerationibus cõgruis, ieiunio, ciliciis, longis orationibus compesci: sic gula vel ebrietas abstinentiâ curanda est. Forti ac generoso proposito vobiscum pactum inite, quotiescumque intrabitis tabernam, vos toties ieiunaturos, vel eleemosynam toties largituros, sumptibus in taberna factis pretio respondentem. Inspicite B. Mariæ Magdalenæ pœnitentiam, pedes Christi Domini lauantis. en quomodo oculos illos impudicos, & faciem quam cerussa & stibio toties infecerat, iam lacrymis fœdat, iisq; tam copiosis, vt pedes Christi possent abluere. en quomodo crinibus, quos ad mundi vanitatem compserat, pedes exsiccat. en quomodo superbiam suam deprimit prouoluta ad pedes Domini, & stans retrò secus pedes eius. O medicinam optimam! pretiosum fuit vnguentum, ô Magdalena, quo vnxisti Dominum; sed ista pœnitentiæ medicina fuit longè pretiosior, eique longè charior. Denique monitum Senecæ Philosophi est: *Fac quod Medici solent, qui, vbi vsitata remedia non succedunt, tentare solent contraria.* idem videlicet in curatione morborum animi seruandum.

Vide Conc. 4. Rat. 4. suprà.

Lib. 1. de Clementia, cap. 5.

Tertia ratio ex parte sanctissimæ Virginis: quia virginitati matris Dei congruebat, vt Angelus ad eam legatus designaretur. Missi quidem sunt ad Dauidem Regem, postquam deliquisset, commonefaciendũ Nathan & Gad prophetæ, ad Hebræos Moyses, Ionas ad ciues Niniue, Elias ac Eliseus ad decem tribus Israel, ad mundi conuersionem Apostoli, id est, homines ad suæ speciei & sortis homines: ad Virginem verò augustissimam Deum parituram, non homo mortalis, sed Angelus immortalis mitti debebat. Hanc rationem affert D. Chrysost. in Oratione de Annuntiatione. Hanc roborat D. Hieronymus his verbis: *Benè Angelus ad virginem mittitur*, inquit, *quia semper est Angelis cognata virginitas. profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis: Angelorum est, non hominum. vnde in carne Angelicam gloriam acquirere, maioris est meriti quàm habere. esse quippe Angelum, felicitatis est; esse virginem, virtutis.* Addamus his verba Chrysologi: *Virginitas*, inquit, *hoc obtinet viribus quod habet Angelus ex natura. Angelicam gloriã acquirere maius est quàm habere.*

Tertia ratio, Ex parte Virginis.

Hieron. in Ser. de Assũpt.

Chrysol. Serm. 3. de Annuntiat.

Documẽtum. Audiant hoc omnes virgines, quæ similem Angelis vitam agunt. nonne & hoc sentire atque asserere possumus, quot mundus habet Angelos, tot virgines; & contrà quot virgines, tot habere Angelos? *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* quàm pulchra! planè vt homines nos oculis carnis eius fulgorem ferre non possimus. quod si possemus, cor nostrum mirificè æstuaret eius desiderio, & gaudio pænè rumperetur. Sed quare additur, *cum claritate?* quia videlicet opera carnis in tenebris fiunt, eaque natura vult sem-

Sap. 4.

per

per tegi: vnde etiam non libenter ea cõfitemur, sed malè ac vitiosè: quod non puduit nos committere, pudet confiteri, vt veniam consequamur. è contrario virginitas lucem amat, & solis radios non formidat, quos decore transcendit. Beatissima Virgo virginitatem Deo vouerat, eamque perfectissimè seruans, & hominum dignitatem longè excedens, Angelorum consortio & alloquiis assueuerat, vt in primis auctor est D. Ambrosius. Propterea sic eximius eius cultor Bernardus eam commendat atque affatur: *Quid ni Angelum videas, ô Virgo, cùm iam Angelicè viuas? quid ni visitet Angelus vitæ sociam? quid ni salutet ciuem Sanctorum & domesticam Dei? Angelica planè vita virginitatis: & qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei. Erat virgo corpore & spiritu, cui specialiter esset dicere, Conuersatio nostra in cælis est. Ascendit planè supra omne humanum genus; ascendit vsque ad Angelos, sed & ipsos vsque transcendit, & cælestem omnem supergreditur creaturam.* hæc Bernardus. Immò valdè probabile est quod grauissimi Auctores de ea ediderunt, vt D. Ambrosius, Georgius Nicomediensis, Cedrenus, ipsam fuisse ab Angelo nutritam cùm viueret in templo Salomonis, inter virgines ibidem Deo consecratas, & ad latera templi habitantes. Nam quid mirum si eam sæpè inuiseret Angelus, & manna aliquod cæleste præberet, eique insuper ministraret, cùm Dei Filius in ea suam dignatus sit habitationem deligere? Audiamus Georgij Nicomediensis verba: *Tu autem, ô homo,* inquit, *admirabilem & nouam in templo viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare: noli examinare ratione ea, quæ capere non potest cogitatio. Vides Dei Verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero: & contendes fueritne alimentum, quo Maria vesceretur, materiale an expers materiæ? Vides paterno consilio spiritus Sancti in ea obumbrationem; & de ministerio dubitas Angelorũ? Nihil est dubium ex his quæ sunt castissimæ virginis; ex eius magnalibus nihil est quod non sit cõueniens. Oportebat enim diuinum tabernaculum augeri talibus ascensionibus. oportebàt Agnũ immaculatum tali excipi conuiuio, talibus cibis excitari.* Quod quidem quò maiorem faciat fidem de hac Virgine virginum, Palladius commemorat etiam idem beneficium pluribus collatum, sanctitatis merito eminentibus, vt fuerunt abbas Apollo, & abbas Anuph, quibus Angelus statis temporibus cælestem cibum afferebat, eò quòd dies noctesque orationibus vacantes de terreno cibo nullam curam haberent. Ecquis igitur ambigere poterit an consentaneum fuerit ab Angelo fieri annunciationem?

Ambros. lib. de Virginib. Bernard. Serm. de Natiuit. eius.

Ambros. lib. 2. de Virginib. Georg. Hom. de Oblatione Virginis in templo. Cedren. in Compendio histor.

In histor. Sanctorum.

Quarta ratio ducitur à persona Angeli. Ac Primò quidem ei hęc legatio conueniebat, vt totum Angelorum collegium honoraretur in mundi reparatione, sicuti infamiæ labe aliqua respersum fuerat in eius ruina. Angelus enim fuit, etsi malus, Lucifer videlicet, qui in paradiso terrestri primos nostros parentes pertraxit ad lapsum, & nos omnes eius malis inuoluit: vnde meritò sanè de Angelis conqueri poteramus; sed nunc ideò ecce decernitur ex eodem collegio Angelus ad Virginem, qui eius impetret consensum ad hominum redemptionem, vt omnis querimonię tollatur occasio: nam si vnus nobis damnũ intulit, alius magnam vtili-

Quarta ratio, Ex parte Angeli.

Documentum. vtilitatem & gloriam rependit. Hinc discimus, nequaquam murmurandum,& ne admirandum quidem, si in magna aliqua multitudine aut societate audiamus subinde vnum aut plures improbos inueniri: nam alij quoque multi sunt boni. Vitium hoc frequens ac familiare est hominibus sæcularibus,qui si quem viderint è Religiosis in delicta quantumuis minima labi,statim condemnant totam Religionem vel Ordinem eius, quasi omnes in eo sint affines culpæ: quin etiam in omnes exinde Ecclesiasticos inuehuntur, quasi tales etiã sint. Sed hoc est temerarium ac stultum iudicium: ac si non omnes homines simus, & non aliqui possint interdum ex fragilitate delinquere, saluo reliquorum honore. Sicuti enim amœnus ac fructifer hortus non ideò destruendus ilicò, quòd inter multa olera etiam vrtica nascatur: ita non est damnanda Religio,licet inter multos viros sapientia & virtute præstantes reperiatur aliquis voluptatis aut ambitionis igne adustus. Nam & in sacro Christi collegio fuerunt apostatæ, qui Christum reliquerunt,nec vmquam rediuerunt, etsi Deus esset, atq; omnia sapientissimè faceret. Fuerunt etiam aliqui humanæ gloriæ cupidi, qui dextram & sinistram in regno eius petierunt. Fuit & vnus qui eum abiuraret. Fuit deniq; inuentus proditor eius,qui eum triginta argenteis venderet ac traderet. Sed etsi isti improbè fecerint,num cœtui Apostolorum vniuerso proinde detrahemus, aut sanctissimæ eius doctrinæ? Ita etiam Religiones sacræ condemnandæ non sunt, quæ quasi columnæ marmoreæ stant, quibus bona pars Ecclesiæ totius nititur, propter flagitiosam vnam alterámve personam. Hæc itaque sit prima in hoc Angelico ministerio congruentia. Altera verò,quia cùm ex singulis choris, & fortè speciebus aliqui angeli cecidерint, consentaneum erat Angelum mitti ad angelicæ restaurationẽ naturæ. eò siquidem pertinebat mysterium Dominicæ incarnationis, teste Apostolo, dum ait: *Quoniam proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt.* Ephes. 1. Denique Angelorum officium est, ea curare & administrare quæ ad hominum salutem spectant, quò maximè hoc mysterium spectabat. hoc designat nomen Angelorum;hoc ipsum designat Apostolus cùm ait: *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Hebr 1. Cumque inter Angelos quidam principem locum teneant (quales supremæ hierarchiæ sunt, Throni, Cherubini, Seraphini, quorũ est creatori suo semper assistere, cùm inferiores his ad ministerium destinati sint) omnes tamen & assistentes & ministrantes curam nostri gerunt. Alij negotia maioris momenti hominibus deferunt,alij prouinciis præsunt, alij vrbibus, alij templis singulis, alij singulis hominibus. Vnde in Euangelio Saluatoris illud monitum: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Matt.18.

Magna certè dignitas animarum, inquit D. Hieronym. in Matthæum, *vt vnaquaque sub exordio suæ natiuitatis Angelum habeat ad custodiam suam deputatum.* *Documentum.* Hier. in Matt. 18. Agnoscite, Christiani, dignitatem vestram, & quot hîc

hîc ſunt homines, tot cernite adeſſe Angelos. Agnoſcite veſtrum erga illos officium, & illorum erga vos. Nam ſi vigilantiſſimi illi ſint in cuſtodia obſequiiſq; hominum, ſi vbique pręſentes omnibus rebus factiſque noſtris intendant, ſi aſſiduis inſpirationibus ac beneficiis innumeris noſtram promoueant ſalutem & gloriam: æquitas profectò atque officij noſtri ratio exigit, vt gratiſſimis animis eorum memoriam frequentiſſimè recolamus, iiſque ſtatis temporibus gratias, quantas poſſumus maximas, refundamus; vt nos etiam eorum fidei ac tutelæ identidem commendemus; vt denique promptè & alacriter illorum deſideriis atque impulſibus pareamus: ne ſine fructu curam vigilantiamque ſe nobis fruſtrà impendiſſe conqueri aliquando poſſint.

Quinta congruētia, ex parte noſtra. Quintò etiam ad extremum ex parte noſtra conueniebat Angelum mitti, vt humana honoraretur natura. Nam cùm viderent Angeli ipſum etiam Regem gloriæ velle fieri hominem propter nos, promptiſſimi fuerunt vt nobis miniſtrarent. Sicuti quando famuli Regis aliquem vident à Rege diligi & maximi haberi, omnes illum honoribus afficiunt, & de eius vtilitate ſunt ſolliciti. Itaque Angeli qui Adam & Euam è paradiſo eiecerunt, & Sodomam incenderunt, & homines ſceleratos variis ſępè pœnis affecerunt, quia Dei hoſtes erant: quando nunc animaduertunt nos in hoc myſterio tantopere à Domino honorari, etiam ipſi noſtram ſalutem quærunt. *Documentum primum.* Quo exemplo docemur, vt nos pariter Dei amicos, hoc ipſo quòd amici eius ſint, quo poterimus honore afficiamus, ſiue ſint diuites, ſiue pauperes & abiecti. *Nam quod vni ex his fratribus meis minimus fecistis*, inquit ille, *mihi fecistis.* Matt.25. Sic etiam facere ſolebat pius ille Rex qui dicebat, *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui, Deus.* Pſ.138.

Documentum ſecūdum. Sed quæret hîc fortè aliquis, quid ſit quod Angeli nobis potiſſimùm præſtent, ſiue in quo conſiſtat illorum honor ac miniſterium, quod in ſui Regis gratiam hominibus deferunt. Reſpondeo breuiter, non poſſe clariùs aut efficaciùs id exponi, quā ſanctiſſimis illis verbis Regij Pſalmiſtæ, vbi ait: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedē tuum.* Pſal. 90. quem locum explicans diuus Bernardus, *Quantam debet tibi hoc verbum*, inquit, *inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Pro præſentia reuerentiam, pro beneuolentia deuotionem pro cuſtodia fiduciam. Cautè ergo ambula vbi ſunt Angeli, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Super Pſal.90. Et paulò pòſt: *In quouis diuerſorio, in quouis angulo reuerentiam tuo Angelo exhibe, nec audeas illo præſente, quod me vidente non auderes.* hoc eſt quod antè dixit, *pro præſentia reuerentiam.* Sequitur, *pro beneuolentia deuotionem*, id eſt, gratum promptumque animum ad illorum cultum atque obſeruantiam. Denique *pro cuſtodia fiduciam*. Sed quæ & quanta eſt hæc cuſtodia quam præſtant? Conſideremus id in illo Pſalmo, vbi dicitur, *Angelis ſuis mādauit de te.* quid mandauit? in primis ſingularem tui curam & affectū erga te, ô homo. Quemadmodum parentibus, quibus educandorum filiorum curam commiſit, magnam eorumdem dilectionem ingenerauit, qua diligenter quæ ad illorum ſalutem pertinent curant: ſic Angelis cam-

eamdem erga homines charitatem indidit. Sequitur, *vt custodiant te in omnibus viis tuis*, id est, ab omnibus visibilium & inuisibilium inimicorum insidiis ac periculis. Vnde & alibi dixit idem Propheta: *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum.* pro quo legunt Hebræi, *castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* quid hac custodia firmius? Ita cùm periclitaretur Eliseus in ciuitate Dothaim, hostili cinctus exercitu, vidit puer eius montem plenum equorum & curruum igneorum in tutelam ac defensionem Prophetæ. Tertiò, *in omnibus viis tuis*, id est, propriè in omnibus actionibus tuis, nequando videlicet Deum offendas. quod sanè officium maximi momẽti est, vt impediant peccata, & scandala de regno Dei auferant. Agnoscit hoc pia Iudith, dum à cæde Holofernis ad suos reuersa sic ait: *Viuit Dominus, quia custodiuit me Angelus eius, & hinc abeuntem, & ibi commorãtem, & inde huc reuertentem: nec passus est Dominus me ancillam suam coinquinari.* Quartò, *in manibus portabunt te, ne fortè offendas*, &c. id est, ab omnibus etiam offendiculis quæ ad peccatum nos impellere possunt, occulta quadam suggestione eripere conantur. Vt enim fratres natu maiores infantulos fratres in vlnis gestant: ita Angeli (quos maiores quasi fratres nostros appellare possumus) nos homunciones seu fraterculos suos in manibus portant, vt ab omnibus nos peccatorum offendiculis tueantur. Possem hîc etiam demonstrare quomodo non tantùm à malo nos Angeli liberent (cùm necesse sit prætereà bona facere) sed ad bonum pariter nos incitent suis inspirationibus, multò potentiùs ac diligentiùs quàm diabolus ad peccatum; quomodo etiam in omnibus angustiis auxilium nobis ac solatiũ prębeant; quomodo denique in morte animas iustorum, vt Lazari, in sinum Abrahæ cum lætitia & concentu alacriter deportent: sed quæ dicta sunt, sufficere possunt ad omniũ animos quantumlibet torpentes excitandos, nostrumque erga bonos Angelos officium summè ponderandum. Oremus itaque omnes præsentes Angelos singulorum custodes, aliosque patriæ præsides, huiusque ciuitatis ac templi, vt quanta solent charitate ac vigilantia, mandatum Regis sui in hominum custodia exequi atq; implere pergant; hoc est, vt pro demandata sibi cura præseruent nos ab omnibus hostibus visibilibus atque inuisibilibus, maximè autem à peccatis & peccatorum periculis; promoueant ad omne bonum; adsint atque opitulentur nobis in omnibus necessitatibus, maximè verò in hora mortis. Doleamus nos hactenus non satis eos coluisse atque honorasse: meliora in posterum proponamus, eademque proposita quotidie, præsertim manè ac vesperi, ad exitum perducere ne grauemur. Quod si fecerimus, eos magis magisque nobis deuinciemus ad maiorem in virtute progressum, Deique optimi max. gloriam, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Psal. 33. 4. Reg. 6. Iudith 13

CON-

CONCIO VI.

Gabriel.

1. Quis, quóve in ordine cælestis curiæ censendus sit Gabriel.

2. Quinque rationes cur summopere decuerit summum istum Angelum mitti.

3. Quid è singulis doctrinæ salutaris elici possit ad mores componendos.

SINGVLAREM prouidentiam, qua Deus sponsam suam Ecclesiam tuetur ac defendit, simulque plurimùm honorat, manifestè demonstrant verba illa Cantici canticorum: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* (Cant. 3.) Nam lectulus iste quid nisi Ecclesiã designat, in qua is molliter accubat & quiescit, *cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum?* (Prou. 8.) quiescit, inquam, per veram fidem & charitatem. Hic est diuinus Salomõ, id est, pacificus, *qui pace colligauit ima summis.* de quo Regius quoque Psaltes: *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* (Isaiæ 9. Psal. 75.) hoc est sensu allegorico, in Ecclesia. Sexaginta fortes eam ambiunt, quia valdè multi Angeli sunt in custodiã eius destinati; quinimò, teste Apostolo, *Omnes administratorij spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* (Heb. 1.) Porrò quàm fortes ij sint, ostendit Propheta Dauid, vbi ait: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute.* (Ps. 110.) & vidit Eliseus, & expertus est, famulo trepidanti monstrauit in Dothaim ciuitate, quò Rex Syriæ miserat exercitum ad ipsum comprehendendum. (4. Reg. 6.) Huc pertinet etiam illud quod in Canticis sub nomine Sunamitis de eadem spõsa dicitur: *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* (Cant. 7.) At enim rectè quoque D. Bonauentura de augustissima Dei Matre ac virgine Maria hunc locum interpretatur. Et *sexaginta fortes*, inquit, *Angeli beatissimi sunt, qui custodiebant eam, tamquam locum diuinæ habitationis electissimum. vnde etsi beneficium custodiæ sibi impenderent propter infirmitatem carnis, cultus tamen reuerentiæ exhibebant, propter dignitatem matris.* (Bonau. super Luc. 1.) Quæ cùm ita sint, meritò quæstio mota est in consistorio sanctissimæ Trinitatis, quisnam ex istis fortibus, & ex istis choris castrorum mittendus esset *ad virginem, in ciuitatem Galilææ cui nomẽ Nazareth*, &c. Sapientia verò Patris æterni definiuit hanc legationem congruere maximè Gabrieli, qui vel summus erat, vel vnus è summis omnium spirituum istorum, atque ideò dictus Gabriel, id est, *fortitudo Dei*, vt D. Hieronymus & alij ex Hebræo vertunt. (Hieron. de Nomin. Hebraic.) Quid ita? magnus est ille qui mittit, *cuius magnitudinis non est finis*; magna quoq; causa ob quam mittit; magna similiter persona ad quam mittit; igitur magnum etiam oportet Angelum esse qui mittitur. (Gregor. Hom. 34 in Euãg. Bernard. Homil. 1. super *Missus*. Beda sup. Luc. 1. Ps. 144.) Mittit quippe sanctissima Trinitas; Pater, vt potentiam suam; Filius, vt sapientiam; Spiritus sanctus, vt bonitatem mundo ostendat. Causa est totius humani generis redemptio; persona ad quam mittitur, est Dei mater mox futura. Ergo missus est Angelus Gabriel, princeps curiæ cælestis. De hoc legato fusiùs dicẽdum, Primò, quis, quóve in ordine censendus, &c. vt suprà.

AVE MARIA.

VT quis fuerit Gabriel, & ex quo ordine Angelorum, intelligenter inquiramus, supponendum est, innumerabilem esse multitudinẽ

D.Dionys.l.de Cæleſt. hierarch. S Greg. Hom. 34 in Euangel.&c.

cæleſtium ſpirituum, variæ dignitatis, & gradus. Etenim S.Dionyſius, aliique ſancti Patres in primis illos omnes in tres hierarchias diuidunt, ſupremam, mediam, & infimam: deinde ſingulas hierarchias in tres ordines, ſupremum, medium atque infimum. *In ſuprema quidem ſtatuuntur hi ordines, Seraphim, Cherubim, & Throni: in media, Dominationes, Virtutes, Poteſtates: in vltima verò, Principatus, Archangeli, Angeli.* Conſtat porrò, generatim loquendo, duos eſſe præcipuos Angelorum ordines: alterum eorum qui ad nos mittuntur, quibuſq; noſtræ ſalutis miniſterium committitur; alterum verò, eumdemque ſublimiorem, eorum qui Deo aſſiſtere dicuntur. vtrumque enim ordinem, miniſtrantium ſcilicet atque aſſiſtentium, Daniel Propheta ſe in ſpiritu vidiſſe teſtatur. Quamuis autem rarò ſuperioris ordinis Angeli ad nos mittantur; omnes tamen aliquando mitti, manifeſtè teſtatur Apoſtolus, cùm ait: *Omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis.* Sic eloquia ſacra Cherubinum fuiſſe teſtantur, qui initio orbis conditi in paradiſi cuſtodiam deſtinatus eſt. Sic etiam ad mundanda labia Prophetæ Iſaiæ miſſus eſt Seraphinus. Et verò, cur iſti non mittantur, cùm & vnicus Dei Filius, & Spiritus ſanctus, à quibus conditi ſunt, miſſi in mundum fuerint? Adde, hanc eſſe doctrinam D.Gregorij Nazianzeni, aliorumq; complurium Doctorum; vt mirandum non ſit, etiam Seraphinos ad extraordinaria quædam & magni momenti negotia interdum mitti. Atqui ſiquando ſupremorum ſpirituum opera Deus vti voluit, haud

Dan.7.

Heb.1.

Gen.3.

Iſa.6.

Naziãz. tract. de Theol. Alexãder Alenſis, & Altiſiod.l. de Angelis.

dubiè in hoc negotio maximi momenti vſus eſt, quod inferioribus miniſtris committi non decebat: vbi præſertim legatio inſtituenda erat ad Virginem virginum, quæ mox Dei mater futura erat, ac totius orbis regina. Neque verò multos mitti conueniebat, propter arcanum matrimonij, quod non decet multis reuelari antequam Virgini, vt ſuggerit rectè D. Bernardus. Vnus ergo Gabriel delectus eſt tamquam idoneus legatus, vtpote vel vnus è ſummis, vel potiùs omnium ſupremus Seraphinus ac Deo proximus. Neque magni refert quo nomine appelletur ab Euangeliſta noſtro, vel à ſanctis Patribus, vt patebit. alij enim Angelum vocant, alij Archangelum, alij Principem vel ſummum Angelorum, vt D.Auguſt. & D.Thomas, Gregorius, Bernardus, alij præcipuum aliquẽ ex Angelis. Non enim ponunt vim in nomine, quod eſt generale & omnibus ſpiritibus commune. Sententia in primis D.Gregorij loco citato quàm perſpicuè his verbis exprimitur: *Summum,* inquit, *Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat.* D.Ioannes Damaſcenus vocat *Angelorum anteſignanum:* Andreas Ieroſolymitanus *vnum è præcipuis, qui & primũ inter Angelos locum tenet.* Alij, vt D.Hieronymus, D.Baſilius, Rupertus, vel præferunt Michaëlem, vel ponunt ambos pariter maximas & paris momenti lucernas diuinitatis, & totius orbis luminaria, myſtas arcanorum, & ad futurorum myſteria introducentes: ambos bellis præpoſitos & ſecretis Dei maximis reuelandis. Eccleſia quidem in publicis Precationibus ſeu Litaniis præponit Michaëlem: ſed ideò præponit, quia

Bernard. Hom. 1. ſuper *Miſſus.*

D.Aug. l.9.& 20. de Ciuit. D.Tho. 3.p.q.30 artic.2. Gregor. Hom. 34 in Euãg. Bernard. lib.5 de Conſid. cap.4. Damaſ. Orat.2. de Aſſũp. Andreas Ieroſol. Serm. de Salutat. angel. D.Hier. ſupra Daniel.8. D.Baſil. Hom. de Angelis. Rupert. lib.5. in Apoc.in princip.

is à

is à Deo princeps ac protector eius vniuersalis constitutus est; sicut & olim custos erat Synagogæ Hebræorum: in Ecclesia verò triumphanti credibile est Gabrielem primatum tenere. Certè Michaëlem non esse omnium supremum, verba ipsius Gabrielis apertissimè indicant, cùm

Dan. 10. dixit, *Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*. vbi non primum, sed vnum è primis vocat. In hoc saltem excelluit Gabriel quòd paranymphus seu pronubus fuerit Verbi incarnati, vt D. Augustinus eum solet appellare. (Vide Serm. 14. de Nat.)

Dicimus ergo ex probabiliore sanctorum Patrum sententia, Gabrielem vel summum Archangelorum, vel potiùs omnino supremum omnium spirituum cælestium fuisse, & Deo proximum. Nam in primis summum Archangelorum fuisse ea ratione confirmari potest, quia propriè & ordinariè ad Archangelos spectat summa nuntiare, sicuti ad Angelos infimi ordinis pertinet homines custodire, vel res minoris momenti annuntiare; vti docet D. Thomas & Abulensis, qui sequuntur auctoritatem etiam aliquot sanctorum Patrum, vt Irenæi, Ambrosij, Augustini. Præcipuè autem hoc fundamento nituntur, quòd Ecclesia Catholica communiter illum Archangelum vocet, non Cherubinum aut Seraphinum: ac proinde censent ad Archangelorum ordinem pertinere, qui multò inferior est ordine illorū. Ceterùm diximus iam Angelum & Archangelum esse potiùs officij nomina quàm ordinis; tum in Scriptura sacra, tum apud sanctos Patres. quocircà certius videtur Gabrielem potiùs supremum totius curiæ principem fuisse, vel certè è supremis vnum, nempe ex assistentibus, tamquam legatum à latere. Nam vt in curia Pontificis tria sunt Nuntiorum genera, & qui tertij ordinis sunt, Legati à latere dicuntur; ita quidam in curia cælesti sunt legati minores, vt Angeli, quidam ad maiora mittuntur vt Archangeli, quidam ad maxima negotia mittuntur, vt sunt supremi illi spiritus, qui semper Deo assistunt. de quorum numero est Gabriel, vt ipsemet satis testatur dum ait, *Ego sum Gabriel Angelus, qui assisto semper ante Deum*. (Lucæ 1.)

(D. Tho. 3. p. q. 30 artic. 2. Abulensis super Matt. 18. quæst. 60. Iren. l. 5. Aduersus hæreses cap. 2. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. August. Serm. 17. de Nat.)

Hæc itaque posterior sententia (missis Patribus quos superiùs citauimus, eorumque rationibus) apertè D. Bernardi fuisse cernitur, vbi sic ait: *Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione. quod & ex eius nomine palàm intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur; & quia non ab alio aliquo fortè excellentiore se (vt assolet) spiritu sed ab ipso Deo mitti perhibetur, propter hoc ergo positum est, A Deo. Vel ideò dictum est, A Deo, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus antequam Virgini reuelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tantæ inter suos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nuntio*. sic Bernardus. Ex quo loco euidenter colligimus, illum sensisse Gabrielem vel supremum fuisse Seraphinorum, vel è supremis, quoniam à Deo immediatè missus dicatur, nullius Angeli interuentu, vt assolet, sed Deo ipso immediatè reuelante arcanum incarnationis, quod annuntiandum accepit. atqui sic immediatè à Deo mittitur solùm supremus Seraphinorum. Eadem fuit sententia pariter (Bernard. Hom. 1. sup. Miss. sus.)

ter ac ratio D. Chrysostomi, qui in Oratione sua Deum introducit hæc verba ad Angelum Gabrielem proferentem: *Placet vt virtutes omnes, quæ in cælo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum.* Et alibi itidem: *Vade in ciuitatem Galilææ, quæ vocatur Nazareth,* &c. Eadem quoque sententia fuit ac ratio D. Dionysij Areopagitæ, qui & Gabrielem diuinissimum appellat, & Angelos inferiores à superioribus illuminari & mitti multis locis docet, supremos autem à nullo nisi à Deo. Verba eius sunt inter cetera: *Id,* inquit, *diuina & æterna lege atque ordine sancitum est, vt per prima secundis, diuini fulgoris radius influat.* Sic ab Angelo superioris ordinis mittebatur ad Prophetam Zachariam alius ille Angelus, cui dicebatur, *Curre, loquere ad puerum illum,* &c. Nam Angelus Angelum ad Prophetam mittit, vt declarat etiam alibi D. Gregorius. Quæ cùm ita sint, cumque Gabriel à Deo mittatur immediatè; constat certè vel eminentissimum, vel inter eminentissimos censeri oportere. Præter hos tuentur hanc sententiam ex professo Vignerius & Cælestinus. Si quis dicat, præter legem ordinariam & ex speciali priuilegio Deum immediatè per se legationem illam Angelo Gabrieli reuelasse, non autem quòd supremus esset omnium Angelorum: sic etiam licebit nobis dicere, præter legem communem & ex speciali priuilegio, Deum tanti ponderis legationem detulisse Angelo omnium excellentissimo, seu principi Angelorum. Secunda etiam eiusdem rei coniectura possit esse, quòd Isaias Propheta Seraphinum ad se missum testatur à quo erudiretur atque eloquentia instrueretur ad Dei verbum annuntiandum. *Volauit,* inquit, *ad me vnus de Seraphim.* Si ergo de hoc ordine fuit qui Isaiam ad prophetandam incarnationem purgauit ac præparauit: multò magis de ipso ordine esse debuit, qui ipsam incarnationem Virgini annuntiaret. Tertia coniectura, Quoniam legimus in Genesi, ante hortum Eden collocatum esse Cherubinum ad custodiendam viam ligni vitæ: quomodo non maior esset Angelus qui mittitur ad paradisum secundi Adæ, hoc est, ad beatissimam Virginem Mariam? Quarta, Quid quòd princeps dæmonum fuit, qui aduersus Adam, ac posteà aduersus Christum Dominum insurrexit? nónne igitur principem Angelorum mitti docebat ad Adami liberationem, Christique incarnationem toti orbi annuntiandam? Quinta, Denique tam ingens, tam inusitata, omnibusque sæculis inaudita tanti ponderis legatio, de mysterio mysteriorum omnium supremo, non nisi principi omnium Angelorum debebatur: vt rectè ponderat D. Gregorius sic dicens: *Ad hoc ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium annuntiabat.* vti suprà citauimus.

Chrysostom. apud Metaphrast. Orat. de Annuntiat. Idem Hom. 2. in Matt.

Dionys. l. de Cælesti hier. c. 4. 8. 9.

Zachar. 2

Gregor. l. 28. Moral. c. 5.

Vigner. in suo Decachordo c. 2. Cælestin. sup. *Missus.*

Isa. 6.

Genes. 3.

Gregor. Hom. 34 in Euangel.

Documentum.

At quid hîc discimus? quid nos docet summus hic magister, qui cælitus à Deo missus est ad instruendam Virginem? Etsi probè intelligeret se naturæ conditione longè nobiliorem hominibus, immò & ceteris Angelis ordine & gradu sublimiorem; tamen vbi intellexit Dei voluntatem, promptè & alacriter ex tempore suo perfunctus est ministerio. Vtinam nos similiter in rebus ad diuinum obsequium pertinentibus, non, vt fieri solet, nosipsos aut honorem nostrum spectemus, sed id tantummo-

tummodò quod conuenientius iudicamus voluntati gloriæque diuinæ, ac saluti animarum. Quanta contentione atque alacritate omnes Angeli præpotentis Dei voluntatem ac mandata exsequantur, clarissimè apud

Isa. 6. Isaiam Prophetam, in illustri illa visione, tamquam in imagine cernimus, vbi *vidit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*, cui assistebant duo Seraphici spiritus, senas alas habentes, quarum duabus faciem Domini, duabus verò pedes eius tegebant, duabus denique volabant: & clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Per faciem quidem & pedes Domini vtramque Domini nostri Saluatoris naturam, diuinam scilicet & humanam, intelligimus. Vtriusque autem naturæ (quamuis longè dispar dignitas sit) ea tamen est sublimitas, vt ne ipsi quidem Seraphici spiritus plenè cognoscere valeant. hoc est enim quòd faciem & pedes Domini velare dicantur. Duarum verò alarum motus obedientiæ promptitudinem & alacritatem designant, qua mentes illæ beatissimæ Domini sui iussa quantumuis ardua, exsequuntur. Idem vult Regius Psal-

Psal. 103. tes, vbi ait: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Quocircà hoc sit nobis propositum necesse est, hæc intentio, hæc regula in omnibus actionibus: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Hoc est, tam promptè tamque perfectè fiat ab hominibus, quàm fit ab Angelis Dei; siue facilis videatur nobis siue difficilis; in prosperis æquè atque in aduersis. Sed transeamus nunc ad secundam Concionis partem, rationes inuestigaturi ob quas summum hunc Angelum mitti oportuit.

Primò, Ex parte Dei rationi consentaneum erat vt Gabriel mitteretur, vtpote qui non frustrà tale nomen à Dei sapientia ac prouidentia sortitus esset. Constat enim, Angelorum nomina, quorum in Scriptura sacra fit mentio, à Deo illis indita esse ab officijs præcipuis, ad quæ longè antè ab eo destinabantur. Hinc Origenes ac D. Hieronymus tria illa nomina celeberrima, Gabrielis, Michaëlis, ac Raphaëlis, interpretantur in hunc modum: Michaël præpositus fuit precibus, supplicationibus & oblationibus fidelium; ideoque Michaël est nomen eius, id est, *Quis sicut Deus?* quasi diceretur, nullius est propitiari peccatis, aut preces exaudire, nisi Dei. Raphael autem præest sanitati corporum; ideoque ad illuminandum Tobiam missus est, & nomen eius idem est quod *medicina Dei.* Gabriel denique præest bellis ac prælijs hominum, idemque significat ac *fortitudo Dei*, teste Diuo Hieronymo, ac Diuo Gregorio suprà citatis. Verba D. Gregorij sunt: *Per Dei fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus ac potens in prælio, ad debellandas aëreas potestates veniebat.* Itaque prima congruentia huius missionis ex parte Dei sumenda est, cuius opera omnia sunt ordinatissima; ac proinde, quia ad redimendum genus humanum opus erat fortitudine Dei infinita (siquidem neque fortitudo hominum neque Angelorum ad peccatum debellandum erat satis) oportuit ad hoc officium destinari Gabrielem, id est, *fortitudinem Dei.* Gabrielem elegit primùm Deus Pater, qui in hoc negotio nostræ salutis maximè voluit potentiæ suæ brachium exerere. Impossibile quippe videbatur feminam circumdare virum: at fecit Pater

Secunda pars, de quinque cögruentijs.

Orig. l. 1. Periarch. c. 8. Hieron. super Daniel. 8.

S. Hier. l. de Nomin. hebr. Gregor. Homil. 34. in Euang.

Prima cögruentia Ex parte Dei.

Ex parte Dei Patris.

Iere.31. vt circumdaret. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Vnde Angelus Gabriel Luc.1. Virgini dicebat: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* q.d. etiamsi videatur fieri omnino nō posse, quoniā opus sit infinita potentia; ne dubites tamen, quia Deus est omnipotens, & hîc ostendet omnipotentiam suam. O mirabilem in mysterio incarnationis coniunctionem Creatoris cum creatura, qualis numquam fuit aut futura est sæculis perennibus! magnam siquidem ostendit virtutem Deus in coniunctione disparium elementorum ac contrariarum qualitatum in corpore humano: maiorem in vnione corporis istius terreni cum anima spiritali atque immortali: maximam verò in coniunctione Dei cum homine in vna persona. Vnde Serm. de Natiuit. sic D. Bernardus, *Talia*, inquit, *opera fecit illa omnipotens maiestas in assumptione nostra carnis, ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, vt talia nec facta sint, nec facienda amplius super terram.* Veniat ergo Gabriel necesse, qui nuntiet hanc potentiam Dei infinitam, & incredibilem fortè alijs, sed non Mariæ. Quid enim ait Luc.1. Maria? *Fecit potentiam in brachio suo*, vt videlicet tantum opus perageret, in quo vellet maximam ostendere Aug. l. de Essent. diu.ver. Bonau. sup.Luc.1 Fulgent. libro 3. Thym. Athan. l. de Cōmuni essent.Patris,Filij &c. fortitudinem. ita enim per brachium intelligunt SS. Patres Verbum incarnatum, vt Augustinus, Bonauentura, Fulgentius, Athanasius. Vbi & hoc obseruari potest, quædam esse opera digitorum Dei, quædam opera manuum eius, sed opus incarnationis dicitur à Deipara Virgine opus brachij eius. Opera digitorum sunt, quando fabricauit cælum & terram & quæcumque cæli ambitu continentur. Ita enim loquitur Psaltes Regius: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ fundasti* Psal. 8. Opera manuum sunt exempli gratia mirabiles in hoc mundo hominum punitiones, ac iudicia Dei, maximè supremum, quod in fine mundi futurum est. Sic enim legimus in sacris voluminibus: *Opera manuum eius veritas & iudicium.* Psal. 110. Sed brachium adhuc fortius est; opus autem brachij opus incarnationis dicitur, quo Deus amplexus naturam humanam, fortissimè eam sibi colligauit. Deus filius etiam elegit Gabrielem tamquam cęli primatem, aut *Ex parte Dei Filij.* vnum certè de primatibus, quia voluit in hoc opere maximè ostendere sapientiam suam, vt humani generis hostis, qui in fœmina vicerat, in fœmina vinceretur. At cùm hanc fœminam deceret virginem esse, ac virginem parere mundi Saluatorem, idque fieri non posse videretur; Dei Filius impendit sapientiam suam infinitam, vt & concipi in virgine, & nasci posset de virgine, saluo virginitatis sigillo. Veniat ergo Gabriel ad opus tantæ sapientiæ mundo perdito annuntiandum. Sicut enim diuina sapientia ordinat vt inferiores Angeli singulis hominibus ministrent, maiores integris prouincijs; ita vult summum Angelorum toti mundo ministrare. Spiritus sanctus denique hunc *Ex parte Spiritus sancti.* aulæ cælestis principem elegit, quia summæ specimen bonitatis præbere in hoc opere decreuerat; adeoque maioris in homines charitatis ac misericordiæ, quàm in alijs omnibus operibus simul sumptis. Cumque suos ministros ignem vrentem faciat, teste Psal 103. Psalmista, hoc est, instar ignis ardentes charitate hominum, sicut & ipse infinito in illos amore inflammatur:

Sera-

Seraphicum Angelum oportuit designari, qui hoc opus Seraphicum nuntiaret. O igitur altissimum vereque stupendum mysterium, in quo Deus pater, & Filius, & Spiritus sanctus exeruêre vires suas infinitas!

Documentum. Sed vt nostri non obliuiscamur, discamus hîc Christiani, sæpiùs admirari atque intimis affectibus venerari sanctitatem ac sublimitatem huius mysterij, omniumque diuinarum perfectionum, quæ nobis in eo panduntur. Exemplo sit atque incitamento D. Hieronymus, qui de eo differês cum stupore quodam, *Quod natura*, inquit, *non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, stupet terra, creatura omnis etiam cælestis miratur; hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nuntiatur*. Discamus quoque sæpiùs ac profunda cum reuerentia sacro Missæ officio interesse, in quo huius mysterij quotidie memoria celebratur: quin immò nihil aliud est Missa quàm repræsentatio viua incomparabilis beneficij nostræ redemptionis, meritoque dici potest mysteriû mysteriorum, ac beneficiû beneficiorum. ibi quippe Sacerdotem audimus, loco Angeli Gabrielis, quotiescumque vocem hanc faustæ precationis iterat, *Dominus vobiscum*, hoc mysterium Dominicæ incarnationis hominibus nuntiantem, atque ob oculos ponentem; ipsum insuper huius diuinissimi beneficij fructum, id est, copiosam Dei gratiam pollicentem, quæ virtute sacrificij hominibus confertur; perinde ac si Dei Filius specie adspectabili eam nobis de cælo rursus afferret. Quanta, prô dolor, cæcitas nostra, quanta inconsideratio, quòd in hac parte officij Christiani tam negligentes tamque socordes simus, tamque raro participes fieri optemus Sacrificij Missæ.

Hieron. Serm. de Assumpt.

Secunda ratio ob quam summopere congruebat hunc cæli principem mitti, ex parte mysterij incarnationis desumitur, cuius omnis cura & administratio commissa atq; concredita fuit ab initio, vt credibile est, Angelo Gabrieli, & patet satis euidenter tum in veteri Testamento, tum in nouo, vt mox videbimus: testatur D. Augustinus auctor grauissimus: atque ita docuit Pantaleon Diaconus apud Metaphrasten, & insinuat non obscurè D. Bernardus. Vnde etiam consequens erit, cùm nobilioribus Angelis Deus, pro suaui sua prouidentia, nobiliora det officia, nobilissimum hunc Angelum dici oportere, cui officium humanæ redemptionis, atque omnia pariter quæ eò pertinent committantur. Sic ergo in primis, vt hinc incipiamus, antequam propheta Daniel descripturus esset hebdomadas suas, hoc est, certum tempus, quo Messias erat venturus, dixit ei Dominus: *Gabriel fac istum intelligere visionem.* q. d. tu vnus è multis mihi à secretis es, tuû est quæ ad Messiam pertinent procurare; tu igitur pande istud arcanum. Et paulò pòst, *Ecce*, inquit Daniel, *vir Gabriel quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me tempore sacrificij vespertini. & docuit me & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & vngatur Sanctus sanctorum.* At cùm iam proximus esset Saluatoris aduentus, missus

Secunda congruentia, Ex parte mysterij incarnationis.

August. lib. 3. de Mirabil. sacræ Script. Metaph. de Anût. Mariæ. Bernard. Hom. 1. super *Missus.*

Dan. 8.

Dan. 9.

missus est ad Zachariam patrē S. Ioānis Baptistæ, eiq; inter cetera prædixit: *Multos filiorum Israel cōuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* (Lucæ 1.) significans iam instare tempus Messiæ. mense autem sexto post annuntiationem Præcursoris idem *mittitur à Deo in ciuitatē Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginē*, &c. (Ibidem.) Et quia huic beatissimo Angelo tanti mysterij procuratio credita videtur, consequens est eumdem fuisse, qui Iosepho præcepit Virginem non deserere (Matth. 1), qui pastoribus Saluatorem natum nuntiauit (Lucæ 2.), qui tribus Magis vt per aliam viam redirent in regionem suam auctor fuit (Matth. 2), qui paulò pòst, cùm Herodes persequeretur puerum, astitit in somnis Iosepho vt fugeret in Ægyptum (Ibid.), iterumque in Ægypto monuit vt rediret (Ibid.), qui etiam Christo in horto affuit consolationis causâ (Luc. 22.), qui à morte Dominum resurrexisse mulieribus nuntiauit (Matt. 28.), qui tandem post Ascensionem Apostolis ait, *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet*, &c. (Actor. 1.) Magnus profectò Gabriel, atque eximius planè Paranymphus matrimonij incarnationis Dominicæ, vti eum solet appellare D. Augustinus (August. Serm. de Tēpore passim.). Sed nihílne inde moniti salutaris ad nos?

(Documentum) Opportunè videlicet ad nostram doctrinam dixisse videtur Euangelista, *Missus est Angelus Gabriel à Deo*; vt perspiceremus, Gabrielem (tametsi ad eius personam, vt diximus, propriè spectaret hoc legationis munus) non se tamen ingessisse, non temerè officium vsurpasse, nec quidquam locutum esse à seipso; prout hæreticis familiare est & spiritibus malignis; sed diuinam expectasse reuelatiōnē ac delegationem. In hoc enim apparet bonorum Dei ministrorum malorumque discrimen. illi cum fide & obedientia exspectāt vt mittantur ac edoceantur à Deo, nec inuentis suis populum eius eludunt. isti verò suapte superbia ac temeritate seipsos ingerunt; vel, vt loquitur Scriptura, veniunt nomine suo (Ioan. 5.), veniunt ad nos in vestimentis ouium (Matth. 7.), subintroeunt homines impij (Iudę ep.), vt vel à se inuentis, vel à superioribus Hæresiarchis resumptis erroribus velut zizaniis purissimum Domini agrum corrumpant. Ita mandatum Dei expectarunt Moyses, Aaron, Samuel, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Ionas, & alij Prophetæ; Petrus ac Paulus, Apostoli; ac Apostolici viri, qui non prędicarūt, nisi missi (Rom. 10.). quin etiam cauerunt, vt nemo diuinum hoc officium sibi assumeret, *nisi vocatus à Deo tamquam Aaron* (Hebr. 5.); qui licet electus ac designatus immediatè à Deo, vnctus tamen, ornatus, & manuum impositione declaratus ac missus fuit à Moyse, totius tum temporis Ecclesiæ Dei rectore ac gubernatore. Sicut autem malè ac nequiter diabolus olim venit ad Euam (Gen. 3.), ad Iob (Iob 1.), ad pseudoprophetas, ad Achab (3. Reg. 22.); Christum deinde adortus est (Matth. 4.), expetiuit Apostolos cribare sicut triticum (Lucæ 22.), D. Paulum denique, vt impediretur à prædicatione Euangelij, colaphis cędebat: ita & pseudoprophetæ hæretici malitia & ambitione sua excæcati currunt dicentes: Hæc dicit Dominus, cùm tamen Dominus nec miserit eos, nec locutus eis fuerit (Iere. 23. 27. 29.). Sic aduersus Ecclesiam Christi nec à Deo, nec ab Apostolis, aut vllis Apostolorum successoribus missi insurrexerunt Simon Magus, Cerinthus, Ebion, Menander, Cerdon, Valentinus, Marcion, Manes, Vigilantius, & reliqua

reliqua fæx hæreticorum: qui etiam velint nolint confitentur se nulla vocatione ordinaria missos esse. Contere, ô Deus pacis, satanam sub pedibus tuorum velociter.

Documentum secundum. E contrario quoque obseruandum est, sicuti nemo se ingerere debet ad officia huiusmodi; ita & legitimè deferenda esse iis quibus competunt, & ab iisdem fideliter suscipienda atque exercenda, vt hîc factum videmus. propria, inquam, officia exercenda, non aliena vsurpanda, vel ambienda: alioquin ordo Reip. peruertitur. Quare cû voluit rex Ozias incensum adolere super altare thymiamatis, Azarias sacerdos, & cum eo pariter omnes sacerdotes acriter ei in faciem resistentes, dixerunt: *2.Par.26* *Non est tui officij Ozia vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium, egredere de sanctuario; ne contempseris.* Cumque iratus Ozias nollet relinquere thuribulum, & sacerdotibus minaretur, statim à Deo leprâ percussus est, quam retinuit vsque ad mortem. Quo exemplo satis monemur ne alienum officium nobis arrogemus; sicut Reges Angliæ qui se dici volunt caput Ecclesiæ, aut alij subinde laici sacerdotum iura inuadentes; certissimam aliquando Dei vindictam incursuri.

Tertia congruëtia, ex parte Christi. Tertiam rationem ex parte Christi optimè exponunt D Bernardus ac Venerab. Beda. Bernardi verba audiamus: *Dei quippe virtutem Christum*, inquit, *quem meliùs nuntiare decebat, quàm hunc quem simile nomen honorat? nam quid est aliud fortitudo quàm virtus? non autem dedecens aut incongruum videatur Dominum & nuntium communi censeri vocabulo; cum similis in vtroque appellationis, non sit tamen vtriusque similis causa. aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupatiuè, Christus autem etiam substantiuè.* (Bernard. Hom. 1. sup. Missus est. Beda sup. Lucæ 1.) Christus siquidem non solùm dicitur ab Apostolo, sed & verè est *virtus Dei* ab æterno: in tempore verò primùm in creatione mundi, deinde multò magis in eius redemptione, vt ipsemet clarè explanat in Euangelio, vbi ait: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet*, &c. ita enim fecit Christus, quando *regnauit à ligno Deus*. Hanc eius fortitudinê cum summa admiratione prædicat Propheta Dauid in Psalmis, vbi ait, *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* & posteà, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Rursus alibi: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se virtute*. videlicet ad debellandos hostes suos, ad profliganda peccata, mortem, infernum, diabolum. (1.Cor.1. Lucæ 11. Psal. 95. Psal. 22. Psal. 92.)

At quomodo hostes suos debellauit? videtur enim infirmitatem potiùs quàm virtutem assumpsisse, in carne scilicet infantili ac tenera vagiens, & miseriis omnibus subiectus. Hoc autem Apostolus vocat *infirmum Dei* ergo id côuenientiùs nuntiaret Angelus qui diceretur *infirmitas Dei*. Verùm nihilominùs dicendum est, conuenientiùs Gabrielem nuntiare, qui dicitur *fortitudo Dei*; quoniam *hoc infirmum Dei fortius est omnibus hominibus*, teste D. Paulo: & ea potissimùm in re Dei fortitudo emicuit, cùm armis tam infirmis debellauit aëreas potestates. Quid enim magnopere mirandum esset, si (1.Cor.1. Ibidem.)

H fortu-

fortitudine ac maiestate sua dæmones superaret, vel si legionibus Angelorum stipatus in mundum venisset? Sed mirum valdè est, quòd infirmitate nostra circumdatus victor euasit, ac tartareas omnes legiones profligauit. Quòd si quis congregata ad spectaculum multitudine ad monomachiam prouocaret, & aduersario quidem quæuis arma permitteret, sibi verò dumtaxat peteret loricam & gladium, fortis profectò censeretur: at si tantummodò gladium sibi reseruaret, fortior: si nihil, longè longeque fortior: quid dicam, si insuper sibi manus ligari pateretur, dicens, Per me licet vt mihi manus pedesque vinculis constringantur, atq; ita cum hoste congrediar? Huiusmodi heroïca imò inaudita fortitudo in Christo cernitur, dum infans fascia ligatus in præsepi, dum fugiens in Ægyptum, dum cruci manibus pedibusque affixus, mortem profligat, infernum spoliat, ligat fortem armatum, hostes omnes debellat. Maxima certè ac stupenda fortitudo, quam sic explicat D. Leo: *Certamine pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure pugnatum est, dum omnipotens Dominus cùm sæuissimo hoste non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, vt inuentor mortis diabolus per ipsam quam vicerat carnem vinceretur*. Ad eum quidem modum, quo in figuram ac typum eius in libris Regum legimus Dauidis victoriam tantopere celebratam, quòd non ærea Saulis galea, lorica ferrea, aut ancipiti gladio accinctus certamen contra gigantem iniret, sed quòd funda solùm, quinque lapidibus, & baculo illũ prostrarit. Quòd si ergo vincentem alloquamur Christum, sicut Dalila Samsonem: In quo, Domine, est maxima fortitudo tua? audiemus in tenuissimis sitam capillis, quia infirmitatis suæ armis dæmonem superauit, & vincula omnia dirupit. Clament licet Iudæi, *Si Filius Dei es, descende de cruce*. nos scimus, quia Filius Dei erat, non decuisse descendere, sed sic vincere. O mirabile mysterium! Verè *noua bella elegit Dominus*, vti scriptum est. *O admirabile commercium! creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem*. ita canit cum admiratione Ecclesia. Meritò sanè hîc omnium corda obstupescant. Quale commercium! qualis contractus inter Deum & hominem! Volebat Deus inire cum homine societatem, homini quidem vtilem & gloriosam, Deo verò humilem ac laboriosam. Sed in quo sita erat hæc societas? Ait Deus homini, Da mihi tua, & ego vicissim dabo tibi mea. Quænam illa sunt quæ homo dare poterat, cùm vniuersa vanitas & miseria sit? Nihilominùs hæc ipsa Deus suscipere vult quæ hominis sunt. quasi sic dicat, Da mihi imbecillitatem tuam, suscipe verò fortitudinẽ meam. Da mihi dolores tuos, dabo tibi gloriam meam. Da mihi mortem tuam, dabo tibi vitam meam. Da mihi peccata tua, vt pro iis satisfaciam, & accipe gratiam meam. Quis hîc non obstupescat & exclamet, *O admirabile commercium*, &c.

[Margin: Leo Serm. 1. de Natiu.; 1. Reg. 17; Matt. 27.; Iudic. 5.; Eccles. Offic.]

O Christiani, quando estis in doloribus, in infirmitate, in angustiis constituti, discite constantiam, fortes in patientiæ præliis persistite, vt possitis cum Christo cumque Apostolo dicere, *Dum infirmor, fortior sum*. Videmini vobis procul à Deo semoti, sed

[Margin: *Documentum.*; 2. Cor. 12]

ſed eſtis Deo proximi, vt ipſemet affirmat dum ait: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Videmini omnia perdidiſſe, ſed omnia ſalua ſunt, eius beneficio qui ſolet cum tentatione facere prouentum. At quid eſt quod dicit Apoſtolus, *Dum infirmor, fortior ſum?* quomodo fortior, ſi verè infirmatur? Non apparet quidem fortitudo foris, ſed ſpiritus interim robuſtior euadit. Cernitis Chriſti Domini infirmitates, in quibus tamen abſcondita eſt maxima fortitudo & diuinitas? In natiuitate panniculis inuoluitur, & reclinatur in præſepio: ſed gloria eius ab Angelis extollitur, amplificatur à ſtella, à Regibus prædicatur. Infirmus putabatur cùm vellent hoſtes eum lapidare, ſed ipſe per medium illorum ibat. Moritur in cruce, ſed cælum ac terra teſtantur eſſe Deum fortem. Denique rectè canit Eccleſia: *Paruulus natus eſt nobis, paruulus datus eſt nobis, & vocabitur Deus fortis.* Ipſe diabolus timuit ante conflictum, nuntiante Pilato, *Nihil tibi & iuſto illi.* ita infirmitatis armis noſtri hoſtes debellantur.

Pſal. 90.

Iſaiæ 9.

Matt. 27.

Quarta congruentia, ex parte Virginis.

Quarta ratio duci poteſt à perſona Virginis, quæ dignitate & gratia omnibus Angelorum ordinibus ſuperior eminebat. Ecquis ad eam inſtruendam niſi ex ſummis Principibus deſtinaretur? ecquis niſi Gabriel ad mulierem fortem mitteretur, de qua Salomon, *Mulierem fortem,* inquit, *quis inueniet?* ſic enim de ea exponit D. Bernardus. Mundus diu multumque tam fortem quæſierat, vt poſſet Dei virtutem ad ſe trahere. videbat quippe venturam aliquando; &, vt ſequitur, *procul & de vltimis finibus pretium eius:* hoc eſt, vt Septuaginta vertût, *pretioſior eſt lapidibus magni pretij procul petitis.* Viderat Iaël, viderat Iudith, viderat alias mulieres: ſed nondum erant quales eſſe debebant. At vbi Maria mulier fortis in mundum venit, ſola digna reputata eſt & virtutis diuinæ myſterio, & nuntio Gabriele. Magna ſiquidem & eximia erat illius fortitudo, cui incumbebat antiqui ſerpentis caput conterere, graſſantes hæreſes interimere, libidinem noſtram virginitatis ſuæ voto extirpare, ac tandem ingens illud difficultatum agmen ſuperare, quæ Angelicæ annuntiationis tempore animam eius pulſarunt. Magna enim difficultas erat, grauidam futuram eſſe in domo ſponſi, à quo minimè fuiſſet agnita. Magna difficultas, virginitatem ac maternitatem in eadem ſede ſimul morari. Magna difficultas, vt Verbum caro fieret, & immortale mortalitatem indueret. Magna difficultas, vt quem cęli capere nō poterant, anguſto virginis vtero clauderetur. Maxima deniq; difficultas, inuincibilem Deum vincere, & inflexibilem ad parcendum humano generi flectere, vt mundum diligere eiq; Filium ſuum dare vellet. Quantam ergo eius fortitudinem eſſe oportuit, quæ hæc omnia præſtitit, quæ diaboli vires confregit, atque omnia ardua ſuperauit; quæ ſine viri opera concepit Dominum ſuum, geſtauit ſine labore omnia geſtantem, peperit ſine parturitione ſuum genitorem, lactauit omnia paſcentem, cuſtodiuit ab Herode omnia cuſtodientem? Quis itaque ad eam nuntius delegandus erat niſi Gabriel? Et verò quantulus adhuc Gabriel, ſi Virginis dignitas ſpectetur? Sanè, ſi Angelus fuiſſet cētuplo excellentior, mittendus ad hanc virginem fuerat, quæ vſqueadeò

Prou. 31.

Bernard. Ser. n. de Natiuit. B. Mariç.

cunctos Angelorum ordines dignitate & gratia antecellebat, vt etiam in primo instanti conceptionis maiorem accepisse gratiam credamus (in qua sola consistit vera dignitas) quàm fuerit suprema gratia in qua consummatus sit summus Seraphinorum. Et manifesta ratio suadet, quia hic sanctificationis modus planè Virgini Deum pariturae congruebat, ob summam cum Verbo incarnato coniunctionem. Quid enim, an non in illo instanti beatissima Virgo à Deo diligebatur, tamquam futura Dei mater? quis igitur dubitet, quin & ardentiùs & efficaciùs iam tum amaretur, quàm supremus Angelorum? Atqui gratia respondet amori, semperque vberiora gratiae dona ijs conferuntur, qui magis à Deo amantur. Atque hoc ipsum disertis verbis docet B. Laurent. Iustininanus, eoque pertinet ille Psalmi versiculus, quem Ecclesia Deiparae accommodat: *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Cuius hic sensus est, Vt fundamenta sanctitatis in B. Virgine ibi posita significentur, vbi alij fuerunt consummati.[a] Vt alios taceam, sic etiam disserit[b] Petrus Damianus: *Attende Seraphim, & videbis, quidquid maius est, esse minus Virgine solumque opificem opus istud supergredi.* Sic D. Vincentius affirmat, illam, quando sanctificata est in vtero, supra omnes Sanctos, omnesque Angelos sanctitatis plenitudinem accepisse, eique accommodat illud è Psalmis, *Fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei.* Hoc est, Deiparam Virginem. Iam porrò quantum in illa creuisse gratiam necesse est, continuis meritis, singulisque actibus in duplum, seu proportione dupla; quandoquidem totis viribus & tota latitudine habitus semper operabatur?

Iustinia. Serm. de Natiuit. Mar.

Psal. 86.

Ecclef. in Offic.

[a] Vide D. Greg. super l. 1. Reg. c. 1.

[b] Pet. Da. Serm. de Annunt.

Vincent. Ser. 1. de Natiuit.

Psal. 45.

Nunc, ô Christiani, cùm Mariae tanta sit excellentia, tanta perfectio, vt nihil supra illam constitui possit nisi Deus, & quaecumque sunt praeter Deum, infra eius sint dignitatem; quo studio, quibus obsequijs, qua contentione par est eam colere ac venerari? Ah, breuis est admodum vitae nostrae periodus, nimiaque virium imbecillitas, vt cultum debitum aut congruos ei honores exhibeamus! At quantos certè maximos possumus, exigit à nobis tum officij ratio, tum Reginae maiestas, tum denique volútas Regis, qui vt eius honorandae exemplum hominibus praeberet, tam honorifica eam legatione dignatus est. *Tanta quidem huius Virginis excellentia est*, exclamat D. Ambrosius, *vt in eius narratione omnes balbutiant linguae, caecutiant omnes intelligentiae, deficiant omnes similitudines parabolicae.* Et D. Damasc. *Non eam hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens sat dignis laudibus efferre possit* &c. Tamen ab eius laudibus atque honoribus cessare non patitur officiosus erga matrem dulcissimam affectus, cùm scriptum sit, *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem.* Quacumque tandem ratione ad id conatus nostros direxerimus, erit certè ipsa nobis patrona fidelissima, mater optima, defensio inexpugnabilis, protectio instar muri aut turris validissimae. Nam se muro conferre arcique inuincibili dignatur, vbi ait: *Ego quasi murus, & vbera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens* Consueuerunt Romani olim in Olympicis ludis ac luctatorum pugnis varios honores victoribus deferre, vt coronam in capite, palmam in

Documentum.

Lib. de Virg.

Orat. 1. de Assũp.

Ecclef. 3.

Cant. 8.

in manibus, ſplendida corporis ornamenta, currum etiam triumphalem quo in vrbem veherentur. At illud honoris genus reliqua ſuperabat, quando ad victoris ingreſſum vrbis murus rumpebatur, vt hiſtoriæ teſtantur. Quo ritu ſignificabant non opus eſſe muro ciuitati, tales habenti Duces, qui ſic poſſent pugnare ac vincere. Sic ergo vt ſe beatiſſima Virgo demonſtraret fidiſſimam ſuorum protectricem contra omnes hoſtes viſibiles atque inuiſibiles, maximè autem contra Dei iram & peccata, quæ diuidunt inter Deum & hominem, comparat ſe muro & propugnaculo, dicens, *Ego quaſi murus* &c.

Vide Sueton.

Quintam & vltimam rei propoſitæ rationem ſumamus ex parte Angeli Gabrielis: quia ſcilicet valdè probabile eſt, quod multi magnique viri docuerunt, ac poſteritati conſignarunt, hunc fuiſſe Angelum cuſtodem Virginis, ab initio vitæ ipſi traditum. Liquet autem, Angeli cuſtodis proprium eſſe, illuminare atque inſtruere perſonam à ſe cuſtoditam. Ita ſcribunt D. Bernardus, Abulenſis, Dionyſ. Carthuſ. Ildephonſus. Nec mirum ſi perſona tam auguſta id priuilegij inter alia immunera conſecuta ſit, vt è primo ordine Angelorum acciperet cuſtodem: nec minus tanto Angelo honorifica fuit matris Meſſiæ Virginis virginum ac Reginæ Angelorum mox futuræ cuſtodia. Ita etiam diſertè Cardinalis Petrus Damiani, vir ſuo ſæculo ſingularis, Gabrielem pariter ac Ioannem Euangeliſtam cuſtodes Virgini attribuit, quos comparat duobus leonibus throni Salomonis, quorum alter, inquit, dexteræ Virginis, alter ſiniſtræ cuſtos deputatus eſt. Gabriel enim præcipuè mentem, & quæ eò ſpectant, Ioannes corpus peruigili ſollicitudine ſeruarunt. D. Hieronymus Gabrielem vocat virginalis cubiculi ianitorem.

Quinta congruentia, Ex parte Angeli. D. Bern. epiſt. 77. ad Hug. de S. Vict. Abulenſ. in Matt. 18. q. 60. Dionyſ. Carth. in 2. diſt. 11 q 2. Ildephonſus Ser. 5. de Aſſumpt. Euſeb. Emiſſ. Hom. in Vigilia Natiuit. Petr. Damian. Ser. 1. de Natiuit. D. Virg. Hieron. Orat. ad Sabin.

Hîc iterùm recolamus dignitatem noſtram, Chriſtiani, cùm Deum videamus cuiuſque ordinis aut gradus Angelos hominum cuſtodiæ præficere. Quantus, obſecro, huius ſæculi hominibus honor videtur, Epiſcopos aut Duces habere pro pædagogis aut miniſtris? at quantò præſtantiores omnibus hominibus Angeli ſunt, qui nobis in cuſtodes ac miniſtros diuinitus aſſignantur? quantam igitur tum Deo tum Angelis noſtris cuſtodibus obſeruantiam debemus? quantas animi grati ſignificationes?

Documentum 1.

Ad extremum, nónne & myſticè conſiderare poſſumus hanc legationem Angeli Gabrielis, qui & Dei nuntius & fortitudo Dei dicitur? mittit enim Deus ad nos quaſi nuncios aut legatos ſuos, quotieſcumque ſanctis ſuis inſpirationibus animas noſtras inuiſibiliter inſtruit, excitat, atque accendit ad opera virtutum ardua atque heroïca exſequenda: quas quidem inſpirationes nuntios Dei inuiſibiles appellat eximius vitæ ſpiritualis magiſter D. Bonauenturæ. his nuncijs Dei nobis voluntas, & maior eius gloria, & quidquid à nobis poſtulat, innoteſcit. His parendum eſt, & Gabrielis fortitudo in operibus perfectionis quantumuis arduis ac difficilibus generosè imitanda. quam vt in nobis augeamus, continuis incrementis augenda & confirmanda eſt charitas, de qua dicitur in Canticis, *fortis eſt vt mors dilectio.* Pro qua exorandus Deus Opt. Max. qui & naturâ ſuâ charitas, & fons eſt omnis charitatis: cui honor & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Documentum 2. D. Bona. Tractat. de 7. Donis Spiritus ſancti c. 6. Cant. 8.

CONCIO VII.

A Deo.

1. Cur Deus homo? exponuntur duo Consistoria sanctissimæ Trinitatis, alterum de creatione Angelorum & hominum, alterum de redemptione hominum sed non Angelorũ.

2. Quantus hinc stimulus amoris erga Deum, & admirationis, & perpetuæ gratiarum actionis.

HACTENVS Eangelista circumstantiam tẽporis Dominicæ incarnationis assignauit, simulque personam Angeli cui tanti mysterij annuntiandi munus commissum ac concreditum fuit: nunc ipsum legationis auctorem ac principium exprimit, dum ait, *A Deo.* Quemadmodum autem nihil tempore illo conuenientius, nihil personâ Angeli Gabrielis ornatius; ita nihil altius aut inscrutabilius dici potuit hac circumstantia, *A Deo.* significatur siquidem persona mittens, scilicet Deus, siue tota Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nam cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa (vt Theologi loquuntur) si mittitur Angelus Gabriel à Deo, mittitur à tota Trinitate. Non mittitur, inquam, sicut Filius aut Spiritus sanctus: Filius enim quia à solo Patre est, ideò à solo mittitur Patre: Spiritus sanctus verò quia à Patre & Filio est, ab iis solùm mittitur, non à seipso, quia à seipso non procedit. Angelus itaque quia creatura est, à tota Trinitate mittitur, sicuti à tota Trinitate creatus est. Iam quo ordine, quóve consilio atque decreto tres illæ sanctissimæ Trinitatis personæ inter se conclusère necessarium esse vt Deus homo fieret propter salutem hominum: deinde cur non angelos pariter atque homines post lapsum censuerint esse liberandos, quis aut verbis consequi aut mente complecti possit? Imò verò, quandoquidem ante mundi creationem videbant homines Angelosque, si crearentur, æquè lapsuros, cur hos vel illos omnino condere dignatæ sunt? Certè quidem iure optimo cùm de omnibus Dei operibus, tum de his potissimùm duobus, creationis videlicet ac redemptionis exclamare Dauidicum illud licet: *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Ps. 103. Nam cùm alioquin superent captum omnem mentis humanæ, hoc solùm verè fateri ac deprædicare possumus, *Quàm magnificata sunt opera tua*, &c. itemque rectissimè illud Apostoli: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Rom. 11. Atque vt mittamus de opere creationis multa verba facere, alterum illud incarnationis quàm sublime, quàm reconditum, quàm inaccessum est? Audite diuum Bernardum de eo disserentem: *Abyssus*, inquit, *planè imperscrutabilis est Dominicæ incarnationis sacramentum, abyssus impenetrabilis. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. quis inuestiget?* De Annunt. Serm. 2. Quoties etiam Apostolus *magnum* appellat *sacramentum*, & *à sæculis absconditum in Deo*, id est, in Dei notitia? Ephes. 3. Coloss. 1. 1. Tim. 3. quasi dicat, Deo soli perfectè cognitum, creaturis autem omnibus absconditum, nisi voluerit Deus illis reuelare. Absconditum nempe fuit à sæculo quomodo scilicet Trinitas ab æterno decreuerit, vt qua via peccatum & mors in mundum ingressa fuerant, eâdem vita & iustitia redirent. *Absconditũ à sæculo,* sicut Adam pecca-

peccauerat appetendo ſapientiam, ita Dei Sapientiam, cõtra quam peccatum erat, hominem fieri debere, vt liberaretur homo. *Abſconditum à ſaculo*, ſicut per angelum malum & per mulierem malam homo lapſus erat, ita per Angelum bonum & mulierem bonam erigi ac reparari oportere. *Abſconditum* denique *à ſaculo*, ſicuti Adam in ſuperbiam atque inobedientiam inciderat affectando ſimilitudinem Dei, ita Dei Filium humilitate ſua atque obedientia inuicta vſque ad mortem, mortem autem crucis, remedium ei allaturum. verba ſiquidem D.Pauli
Rom.5. ſunt: *Sicut per vnius delictum in omnes homines mors regnauit in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines* (regnauit gratia) *in iuſtificationem. Et ſicut per inobediẽtiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.* Nunc, quid conſilij igitur vt poſſimus hæc Dei arcana
Rom.11. na dignè inueſtigare? *Quis cognouit ſẽſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Nullus, ô ſanctiſſime Apoſtole, nullus hominum, nullus Angelorum ſuis viribus eò pertinget, ſed is dumtaxat cui dignatus fuerit Deus reuelare. Ita nos doces in Epiſtola ad
Coloſſ.1. Coloſſ. his verbis: *Myſterium quod abſconditum fuit à ſaculis & generationibus, nũc manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloria ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Christus, quem nos annuntiamus.* Quocircà qui reuelationem eius aliquam habet, per fidem, per ſacram Scripturam, per ſanctorum Patrum dogmata, is quaſi ſcalas erigere poteſt vſque ad cælum, imò vſque ad Deum ipſum, & altiſſimum cõſiſtorium ſanctiſſimæ Trinitatis, vnde *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilaa.* Agedum huiuſmodi ſcalis, Chriſtiani, hodie nobis aſcendendum eſt ſupra omnes cælos reſque omnes creatas vſq; ad Deum, qui extra hunc mundum non minùs quàm in ipſo eſt mundo: eoque animis omnium eleuatis, quoad eius fieri poterit, duo Concilia ſeu cõſiſtoria SS. Trinitatis vobis ob oculos ponam; quorum vno diſputatum eſt, An omnino mũdus creandus eſſet, id eſt, Angeli atque homines, reſque cæteræ propter homines, cùm vtroſque conſtaret in peccatũ grauiſſimè lapſuros: in altero conſultatum eſt, An homines potiùs quàm Angeli redimendi eſſent. Denique hinc patebit, quantas hoc myſterium in animis noſtris charitatis diuinæ flammas, quantas admirationes, quantas gratiarum actiones excitare debeat.

AVE MARIA.

Antequam de priori Conſiſtorio SS. Trinitatis, dicam ea breuiter quæ mentes noſtras humo excitare, atque in Deum Opt. Max. erigere poſſint. Refert Galatinus, veteres Rabbinos ad cognitionem diuinarum conſultationum tam arcanam pertigiſſe, vt dicerent, Deum, antequam mundum crearet, multùm ſecum deliberaſſe an expediret Angelum hominemque, & ex conſequenti cetera omnia in vſum hominis creare. Nam cùm, inquiunt, Deus prænoſceret Adæ ruinam, qua totam ſimul poſteritatem inuolueret, iudicabat neutiquam expedire vt hoc vniuerſum conderet. Verùm oculos conijciens in Meſſiam, & Filij Dei incarnationem ex Virgine, manum operi admouere conſtituit. Confirmant etiam huiuſmodi ratiocinationem

Lib. 7. de Arcanis fidei.

nem è Sacris litteris, vt ibidem explicat Galatinus. En radius veritatis, qui iam tum olim veteribus illuxit. sed non sunt vlteriùs progressi vt inquirerent, Quòd si homo non peccasset, vtrùm Deus quoque non fuisset incarnatus. Atqui hoc est quod Theologi nostri in scholis acerrimè disputant. D. Thomas, eiusque discipuli disertè negant Deum carnem humanam assumpturum fuisse, nisi Adam lapsus fuisset: idque probant ex D. Augustino alijsque Patribus euidenter. Sic etenim ille explicans hæc D. Matthæi Euangelistæ verba; *Ipse enim saluum faciet populum suum: Si homo non peccasset, inquit, Virgo non peperisset.* Et D. Leo Papa: *Si homo, qui ad imaginem Dei factus est, in pristino suo honore permansisset, Creator creatura non fieret.* Ratio autem huius sententiæ potissima est, quòd Scripturæ passim, imò semper hãc incarnationis causam assignent, qua sit permotus Deus vt homo fieret, nempe lapsæ naturæ humanæ remedium. Sic enim Christus ipse identidem in Euangelio expressit: *Venit,* inquit, *Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Rursus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Idem indicatur in parabola pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus venit ad quærendam centesimam ouem perditam. Vnde colligi potest, si ouis vna non aberrasset, numquam illum relicturum fuisse gregem suum in deserto. Et quænam, obsecro, alia causa tam vrgens, tamque necessaria esse poterat, vt Deus eò miseriarum se demitteret, nisi, vt in Symbolo Nicæno profitemur, *propter nos & propter nostram salutem* de cælo descendere debuisset? Nónne si quis diceret, En iste Legatus mittitur in Turciam, Catholicos liberaturus captiuos, is satis insinuaret non fuisse mittendum, si captiui non fuissent? Itaque hæc ratio Deum impulit, penitusque permouit, vsque adeò vt sine illa Filium suum in hunc mundum missurus non fuisset. Credimus id longè probabilius, ac Scripturis rationique magis consentaneum: videlicet non pro exaltatione humanæ naturæ potissimùm, sed pro eius curatione Deum tantæ molis expeditionem aut suscepisse, aut suscepturum fuisse. Eoque pertinet illud Augustini: *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus.*

Quæstio 1. An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Vide D. Thõ. 3. p. q. 1. a. 3. &c. August. super Matth. c. 1. Leo Ser. 3. de Pẽtecost. Matt. 18. Ioan. 3. Luc. 15. Vide August. de Pasche mysterio c. 1. & 4. & de Verbis Apost. Serm. 9. & 10. & super Ioannem, &c.

Sed alia hinc quæstio exoritur, quam veteres illi Rabbini intactam etiam reliquerunt, Hoc ita constituto quòd vellet nos Deus pro misericordia sua infinita perditos in libertatem vindicare, vtrùm planè necessarium fuerit vt Deus homo fieret? Respondeo, necessarium duobus modis accipi posse. In primis absolutè necessarium dici solet, sine quo finis obtineri non potest: veluti cibus necessarius est ad vitæ conseruationem; vel sicut medicina interdum necessaria est, sine qua certò moriendum esset. Hoc enim maximè propriè necessarium dicendum, sine quo res periret. Atqui sic non fuit necessaria Christi Domini incarnatio: quia mille alijs modis poterat diuinitus natura nostra reparari. Altero modo necessarium dici solet, quo nihil melius, vtilius, aut congruentius fieri potest. Hoc modo necessariam asserimus Incarnationem fuisse: quia tametsi Dei omnipotentia ac bonitas illa infinita mille alios modos habuerit, quibus finem suum fuisset consecuta, non potuit

Quæstio 2. An necessarium fuerit vt Deus homo fieret.

potuit tamen eligere meliorem. Ita D. Augustinus pluribus locis. Ratio autem præcipua cur hunc modum eligeret fuit, vt de rigore iustitiæ & ex condigno conuenientem exhiberet satisfactionem. Purus enim homo id non poterat, tum quia peccato infectus, tum quia quidquid poterat, ex alio capite Deo ipsi debitum erat; tum denique, quia peccatum cùm esset perpetratum contra infinitum bonum, purus homo ac finitus infinitæ illi iustitiæ satisfacere nulla ratione valebat. Quare opus erat vt is qui pro peccato hominis satisfaceret, non tantùm homo esset, sed etiam Deus, qui in humana natura assumpta infinitam & condignam offerret satisfactionem.

Aug lib. de Agone Christ. & l. 13. de Trin. c. 10

His ita intellectis, constituenda nunc sunt ante oculos duo Consistoria diuinarum personarum, quibus actum fuit ac consultatum de humani generis creatione, totiusque mundi opificio, ac potissimùm de nostra redemptione. Etenim Rupertus interpretans illa verba Geneseos, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, scribit, consilium quoddam iam à mundi primordijs inter diuinas personas initum esse, non solùm super hominis creatione, sed etiam super illius instauratione. *Magnum planè consilium*, inquit, *de nobis peccatoribus habitum est, omnis nostra in medio causa posita est*, &c. Idem docent D. Athanasius ac Theodoretus: itemque D. Leo Papa tradit, in illo colloquio sanctissimæ Trinitatis, ad nostrum intelligendi modum, personas inter se distribuisse nostræ reparationis ministerium iuxta attributorum dignitatem. Verba autem eius hæc sunt: *Diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus vniret.* Et quod illi magnum planè consilium, D. Paulus appellat *manifestè magnum pietatis sacramentum, & sacramentum absconditum à sæculis & generationibus.* Omnium fusissimè & elegantissimè describunt consilium hoc de redemptione hominis D. Bernardus, D. Augustinus, D. Anselmus. Quorum vestigijs insistendo, vtinam ad arcana Dei ter Maximi hodie admitti mereamur!

Super Genes. 1.

Athanas. Theod. super Genes. S. Leo Ser. 3. de Pentec.

1. Tim. 3. Ephes. 3.

Bernard. Ser. 1. de Annunt. August. l. Cur Deus homo c. 6. Ansel. l. 1. Cur Deus homo, in principio

Forsitan vestigia Dei comprehendemus, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperiemus. excelsior cælo est, & vnde cognoscemus? vt verbis vtar prophetæ Iob. Itaque in priori consistorio agitata est magna cum deliberatione quęstio de creatione huius vniuersi, atque in primis de opificio hominis atque Angelorum. Nam quæ poterat afferri satis iusta ratio cur hominem Angelumque Deus crearo vellet? certè æquè beatus ac gloriosus ante creationem ac post eam futurus erat. Deinde præcognitâ vtriusque ruinâ quid erat necesse inchoare quod exitum non erat habiturum? quid proderat iis vitam dare, quam paulò pòst dissipatis omnibus naturæ ac gratiæ bonis perderēt? Quid hîc ergo conclusum est? æterna illa Sapientia Patris, ac Verbum Patris, dux verbi fuit & ait: *Faciamus Angelos, faciamus homines ad imaginem & similitudinem nostram, vt possint nostræ felicitatis ac gloriæ participes fieri.* ratio non alia proferri potuit quàm hæc, *Bonum vt bonum sui est communicatiuum*, id est, qui bonus est, eius naturæ est vt semper velit alios participes facere eius quod habet. vnde suprema bonitas propter semetipsum voluit nos consortes suę glorìæ

Primum Consistorium de creatione. Iob. 2.

Conclusio 1.

nem è Sacris litteris, vt ibidem explicat Galatinus. En radius veritatis, qui iam tum olim veteribus illuxit. sed non sunt vlteriùs progressi vt inquirerent, Quòd si homo non peccasset, vtrùm Deus quoque non fuisset incarnatus. Atqui hoc est quod Theologi nostri in scholis acerrimè disputant. D. Thomas, eiusque discipuli disertè negant Deum carnem humanam assumpturum fuisse, nisi Adam lapsus fuisset: idque probant ex D. Augustino alijsque Patribus euidenter. Sic etenim ille explicans hæc D. Matthæi Euangelistæ verba; *Ipse enim saluum faciet populum suum: Si homo non peccasset, inquit, Virgo non peperisset*. Et D. Leo Papa: *Si homo, qui ad imaginem Dei factus est, in pristino suo honore permansisset, Creator creatura non fieret*. Ratio autem huius sententiæ potissima est, quòd Scripturæ passim, imò semper hanc incarnationis causam assignent, qua sit permotus Deus vt homo fieret, nempe lapsæ naturæ humanæ remedium. Sic enim Christus ipse identidem in Euangelio expressit: *Venit*, inquit, *Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat*. Rursus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat*. Idem indicatur in parabola pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus venit ad quærendam centesimam ouem perditam. Vnde colligi potest, si ouis vna non aberrasset, numquam illum relicturum fuisse gregem suum in deserto. Et quænam, obsecro, alia causa tam vrgens, tamque necessaria esse poterat, vt Deus eò miseriarum se demitteret, nisi, vt in Symbolo Nicæno profitemur, *propter nos & propter nostram salutem* de cælo descendere debuisset? Nonne si quis diceret, En iste Legatus mittitur in Turciam, Catholicos liberaturus captiuos, is satis insinuaret non fuisse mittendum, si captiui non fuissent? Itaque hæc ratio Deum impulit, penitusque permouit, vsque adeò vt sine illa Filium suum in hunc mundum missurus non fuisset. Credimus id longè probabilius, ac Scripturis rationique magis consentaneum: videlicet non pro exaltatione humanæ naturæ potissimùm, sed pro eius curatione Deum tantæ molis expeditionem aut suscepisse, aut suscepturum fuisse. Eoque pertinet illud Augustini: *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus*.

Quæstio 1. An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Vide D. Thō. 3. p. q. 1. a. 3. &c. August. super Matth. c. 1. Leo Ser. 3. de Pētecost. Matt. 18. Ioan. 3. Luc. 15. Vide August. de Pasche mysterio c. 1. & 4. & de Verbis Apost. Serm. 9. & 10. & super Ioannem, &c.

Sed alia hinc quæstio exoritur, quam veteres illi Rabbini intactam etiam reliquerunt, Hoc ita constituto quòd vellet nos Deus pro misericordia sua infinita perditos in libertatem vindicare, vtrùm planè necessarium fuerit vt Deus homo fieret? Respondeo, necessarium duobus modis accipi posse. In primis absolutè necessarium dici solet, sine quo finis obtineri non potest: veluti cibus necessarius est ad vitæ conseruationem; vel sicut medicina interdum necessaria est, sine qua certò moriendum esset. Hoc enim maximè propriè necessarium dicendum, sine quo res periret. Atqui sic non fuit necessaria Christi Domini incarnatio: quia mille alijs modis poterat diuinitus natura nostra reparari. Altero modo necessarium dici solet, quo nihil melius, vtilius, aut congruentius fieri potest. Hoc modo necessariam asserimus Incarnationem fuisse: quia tametsi Dei omnipotentia ac bonitas illa infinita mille alios modos habuerit, quibus finem suum fuisset consecuta, non potuit

Quæstio 2. An necessarium fuerit vt Deus homo fieret.

potuit tamen eligere meliorem. Ita D. Augustinus pluribus locis. Ratio autem præcipua cur hunc modum eligeret fuit, vt de rigore iustitiæ & ex condigno conuenientem exhiberet satisfactionem. Purus enim homo id non poterat, tum quia peccato infectus, tum quia quidquid poterat, ex alio capite Deo ipsi debitum erat; tum denique, quia peccatum cùm esset perpetratum contra infinitum bonum, purus homo ac finitus infinitæ illi iustitiæ satisfacere nulla ratione valebat. Quare opus erat vt is qui pro peccato hominis satisfaceret, non tantùm homo esset, sed etiam Deus, qui in humana natura assumpta infinitam & condignam offerret satisfactionem.

Aug lib. de Agone Christ. & L. 13. de Trin. c. 10

His ita intellectis, constituenda nunc sunt ante oculos duo Consistoria diuinarum personarum, quibus actum fuit ac consultatum de humani generis creatione, totiusque mundi opificio, ac potissimùm de nostra redemptione. Etenim Rupertus interpretans illa verba Geneseos, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, scribit, consilium quoddam iam à mundi primordijs inter diuinas personas initum esse, non solùm super hominis creatione, sed etiam super illius instauratione. *Magnum planè consilium*, inquit, *de nobis peccatoribus habitum est, omnis nostra in medio causa posita est*, &c. Idem docent D. Athanasius ac Theodoretus: itemque D. Leo Papa tradit, in illo colloquio sanctissimæ Trinitatis, ad nostrum intelligendi modum, personas inter se distribuisse nostræ reparationis ministerium iuxta attributorum dignitatem. Verba autem eius hæc sunt: *Dimisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus vniret.* Et quod illi magnum planè consilium, D. Paulus appellat *manifestè magnum pietatis sacramentum, & sacramentum absconditum à sæculis & generationibus.* Omnium fusissimè & elegantissimè describunt consilium hoc de redemptione hominis D. Bernardus, D. Augustinus, D. Anselmus. Quorum vestigijs insistendo, vtinam ad arcana Dei ter Maximi hodie admitti mereamur!

Super Genes. 1.

Athanas. Theod. super Genes. S. Leo Ser. 3. de Pentec.

1. Tim. 3. Ephes. 3.

Bernard. Ser. 1. de Annunt. August. l. Cur Deus homo c. 6. Ansel. l. 1. Cur Deus homo, in principio

Forsitan vestigia Dei comprehendemus, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperiemus. excelsior cælo est, & vnde cognoscemus? vt verbis vtar prophetæ Iob. Itaque in priori consistorio agitata est magna cum deliberatione quęstio de creatione huius vniuersi, atque in primis de opificio hominis atque Angelorum. Nam quæ poterat afferri satis iusta ratio cur hominem Angelumque Deus crearo vellet? certè æquè beatus ac gloriosus ante creationem ac post eam futurus erat. Deinde præcognitâ vtriusque ruinâ quid erat necesse inchoare quod exitum non erat habiturum? quid proderat iis vitam dare, quam paulò pòst dissipatis omnibus naturæ ac gratiæ bonis perderēt? Quid hìc ergo conclusum est? æterna illa Sapientia Patris, ac Verbum Patris, dux verbi fuit & ait: *Faciamus Angelos, faciamus homines ad imaginem & similitudinem nostram, vt possint nostræ felicitatis ac gloriæ participes fieri.* ratio non alia proferri potuit quàm hæc, *Bonum vt bonum sui est communicatiuum*, id est, qui bonus est, eius naturæ est vt semper velit alios participes facere eius quod habet. vnde suprema bonitas propter semetipsum voluit nos consortes suę

Primum Consistorium de creatione. Iob. 2.

Conclusio 1.

I glorię

nem è Sacris litteris, vt ibidem explicat Galatinus. En radius veritatis, qui iam tum olim veteribus illuxit. sed non sunt vlteriùs progressi vt inquirerent, Quòd si homo non peccasset, vtrùm Deus quoque non fuisset incarnatus. Atqui hoc est quod Theologi nostri in scholis acerrimè disputant. D. Thomas, eiusque discipuli disertè negant Deum carnem humanam assumpturum fuisse, nisi Adam lapsus fuisset: idque probant ex D. Augustino alijsque Patribus euidenter. Sic etenim ille explicans hæc D. Matthæi Euangelistæ verba; *Ipse enim saluum faciet populum suum: Si homo non peccasset, inquit, Virgo non peperisset.* Et D. Leo Papa: *Si homo, qui ad imaginem Dei factus est, in pristino suo honore permansisset, Creator creatura non fieret.* Ratio autem huius sententiæ potissima est, quòd Scripturæ passim, imò semper hãc incarnationis causam assignent, qua sit permotus Deus vt homo fieret, nempe lapsæ naturæ humanæ remedium. Sic enim Christus ipse identidem in Euangelio expressit: *Venit,* inquit, *Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Rursus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Idem indicatur in parabola pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus venit ad quærendam centesimam ouem perditam. Vnde colligi potest, si ouis vna non aberrasset, numquam illum relicturum fuisse gregem suum in deserto. Et quænam, obsecro, alia causa tam vrgens, tamque necessaria esse poterat, vt Deus eò miseriarum se demitteret, nisi, vt in Symbolo Nicæno profitemur, *propter nos & propter nostram salutem* de cælo descendere debuisset? Nónne si quis diceret, En iste Legatus mittitur in Turciam, Catholicos liberaturus captiuos, is satis insinuaret non fuisse mittendum, si captiui non fuissent? Itaque hæc ratio Deum impulit, penitusque permouit, vsque adeò vt sine illa Filium suum in hunc mundum missurus non fuisset. Credimus id longè probabilius, ac Scripturis rationique magis consentaneum: videlicet non pro exaltatione humanæ naturæ potissimùm, sed pro eius curatione Deum tantæ molis expeditionem aut suscepisse, aut suscepturum fuisse. Eoque pertinet illud Augustini: *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus.*

Quæstio 1. An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Vide D. Thõ. 3. p. q. 1. a. 3. &c.

August. super Matth. c. 1. Leo Ser. 3. de Pẽtecost.

Matt. 18.

Ioan. 3.

Luc. 15.

Vide August. de Pasche mysterio c. 1. & 4. & de Verbis Apost. Serm. 9. & 10. & super Ioannem, &c.

Sed alia hinc quæstio exoritur, quam veteres illi Rabbini intactam etiam reliquerunt, Hoc ita constituto quòd vellet nos Deus pro misericordia sua infinita perditos in libertatem vindicare, vtrùm planè necessarium fuerit vt Deus homo fieret? Respondeo, necessarium duobus modis accipi posse. In primis absolutè necessarium dici solet, sine quo finis obtineri non potest: veluti cibus necessarius est ad vitæ conseruationem; vel sicut medicina interdum necessaria est, sine qua certò moriendum esset. Hoc enim maximè propriè necessarium dicendum, sine quo res periret. Atqui sic non fuit necessaria Christi Domini incarnatio: quia mille alijs modis poterat diuinitus natura nostra reparari. Altero modo necessarium dici solet, quo nihil melius, vtilius, aut congruentius fieri potest. Hoc modo necessariam asserimus Incarnationem fuisse: quia tametsi Dei omnipotentia ac bonitas illa infinita mille alios modos habuerit, quibus finem suum fuisset consecuta, non potuit

Quæstio 2. An necessarium fuerit vt Deus homo fieret.

potuit tamen eligere meliorem. Ita D. Augustinus pluribus locis. Ratio autem præcipua cur hunc modum eligeret fuit, vt de rigore iustitiæ & ex condigno conuenientem exhiberet satisfactionem. Purus enim homo id non poterat, tum quia peccato infectus, tum quia quidquid poterat, ex alio capite Deo ipsi debitum erat; tum denique, quia peccatum cùm esset perpetratum contra infinitum bonum, purus homo ac finitus infinitæ illi iustitiæ satisfacere nulla ratione valebat. Quare opus erat vt is qui pro peccato hominis satisfaceret, non tantùm homo esset, sed etiam Deus, qui in humana natura assumpta infinitam & condignam offerret satisfactionem.

Aug lib. de Agone Christ. & l. 13. de Trin. c. 10

His ita intellectis, constituenda nunc sunt ante oculos duo Consistoria diuinarum personarum, quibus actum fuit ac consultatum de humani generis creatione, totiusque mundi opificio, ac potissimùm de nostra redemptione. Etenim Rupertus interpretans illa verba Geneseos, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, scribit, consilium quoddam iam à mundi primordijs inter diuinas personas initum esse, non solùm super hominis creatione, sed etiam super illius instauratione. *Magnum planè consilium*, inquit, *de nobis peccatoribus habitum est, omnis nostra in medio causa posita est*, &c. Idem docent D. Athanasius ac Theodoretus: itemque D. Leo Papa tradit, in illo colloquio sanctissimæ Trinitatis, ad nostrum intelligendi modum, personas inter se distribuisse nostræ reparationis ministerium iuxta attributorum dignitatem. Verba autem eius hæc sunt: *Diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus vniret.* Et quod illi magnum planè consilium, D. Paulus appellat *manifestè magnum pietatis sacramentum, & sacramentum absconditum à sæculis & generationibus.* Omnium fusissimè & elegantissimè describunt consilium hoc de redemptione hominis D. Bernardus, D. Augustinus, D. Anselmus. Quorum vestigijs insistendo, vtinam ad arcana Dei ter Maximi hodie admitti mereamur!

Super Genes. 1.

Athanas. Theod. super Genes. S. Leo Ser. 3. de Pentec.

1. Tim. 3. Ephes. 3.

Bernard. Ser. 1. de Annunt. August. l. Cur Deus homo c. 6. Ansel. l. 1. Cur Deus homo, in principio

Forsitan vestigia Dei comprehendemus, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperiemus. excelsior cælo est, & vnde cognoscemus? vt verbis vtar prophetæ Iob. Itaque in priori consistorio agitata est magna cum deliberatione quæstio de creatione huius vniuersi, atque in primis de opificio hominis atque Angelorum. Nam quæ poterat afferri satis iusta ratio cur hominem Angelumque Deus creare vellet? certè æquè beatus ac gloriosus ante creationem ac post eam futurus erat. Deinde præcognitâ vtriusque ruinâ quid erat necesse inchoare quod exitum non erat habiturum? quid proderat iis vitam dare, quam paulò pòst dissipatis omnibus naturæ ac gratiæ bonis perderêt? Quid hîc ergo conclusum est? æterna illa Sapientia Patris, ac Verbum Patris, dux verbi fuit & ait: *Faciamus Angelos, faciamus homines ad imaginem & similitudinem nostram, vt possint nostræ felicitatis ac gloriæ participes fieri.* ratio non alia proferri potuit quàm hæc, *Bonum vt bonum sui est communicatiuum*, id est, qui bonus est, eius naturæ est vt semper velit alios participes facere eius quod habet. vnde suprema bonitas propter semetipsum voluit nos consortes suę

Primum Consistorium de creatione. Iob. 2.

Conclusio 1.

nem è Sacris litteris, vt ibidem explicat Galatinus. En radius veritatis, qui iam tum olim veteribus illuxit. sed non sunt vlteriùs progressi vt inquirerent, Quòd si homo non peccasset, vtrùm Deus quoque non fuisset incarnatus. Atqui hoc est quod Theologi nostri in scholis acerrimè disputant. D. Thomas, eiusque discipuli disertè negant Deum carnem humanam assumpturum fuisse, nisi Adam lapsus fuisset: idque probant ex D. Augustino alijsque Patribus euidenter. Sic etenim ille explicans hæc D. Matthæi Euangelistæ verba; *Ipse enim saluum faciet populum suum: Si homo non peccasset, inquit, Virgo non peperisset.* Et D. Leo Papa: *Si homo, qui ad imaginem Dei factus est, in pristino suo honore permansisset, Creator creatura non fieret.* Ratio autem huius sententiæ potissima est, quòd Scripturæ passim, imò semper hãc incarnationis causam assignent, qua sit permotus Deus vt homo fieret, nempe lapsæ naturæ humanæ remedium. Sic enim Christus ipse identidem in Euangelio expresset: *Venit*, inquit, *Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Rursus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Idem indicatur in parabola pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus venit ad quærendam centesimam ouem perditam. Vnde colligi potest, si ouis vna non aberrasset, numquam illum relicturum fuisse gregem suum in deserto. Et quænam, obsecro, alia causa tam vrgens, tamque necessaria esse poterat, vt Deus eò miseriarum se demitteret, nisi, vt in Symbolo Nicæno profitemur, *propter nos & propter nostram salutem* de cælo descendere debuisset? Nónne si quis diceret, En iste Legatus mittitur in Turciam, Catholicos liberaturus captiuos, is satis insinuaret non fuisse mittendum, si captiui non fuissent? Itaque hæc ratio Deum impulit, penitusque permouit, vsque adeò vt sine illa Filium suum in hunc mundum missurus non fuisset. Credimus id longè probabilius, ac Scripturis rationique magis consentaneum: videlicet non pro exaltatione humanæ naturæ potissimùm, sed pro eius curatione Deum tantæ molis expeditionem aut suscepisse, aut suscepturum fuisse. Eoque pertinet illud Augustini: *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus.*

Quæstio 1. An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Vide D.Thõ. 3.p.q.1. a.3.&c. August. super Matth. c.1. Leo Ser. 3. de Pẽtecost. Matt.18. Ioan.3. Luc.15. Vide August. de Pascha mysterio c.1. & 4. & de Verbis Apost. Serm.9. & 10. & super Ioannem, &c.

Sed alia hinc quæstio exoritur, quam veteres illi Rabbini intactam etiam reliquerunt, Hoc ita constituto quòd vellet nos Deus pro misericordia sua infinita perditos in libertatem vindicare, vtrùm planè necessarium fuerit vt Deus homo fieret? Respondeo, necessarium duobus modis accipi posse. In primis absolutè necessarium dici solet, sine quo finis obtineri non potest: veluti cibus necessarius est ad vitæ conseruationem; vel sicut medicina interdum necessaria est, sine qua certò moriendum esset. Hoc enim maximè propriè necessarium dicendum, sine quo res periret. Atqui sic non fuit necessaria Christi Domini incarnatio: quia mille alijs modis poterat diuinitus natura nostra reparari. Altero modo necessarium dici solet, quo nihil melius, vtilius, aut congruentius fieri potest. Hoc modo necessariam asserimus Incarnationem fuisse: quia tametsi Dei omnipotentia ac bonitas illa infinita mille alios modos habuerit, quibus finem suum fuisset consecuta, non potuit

Quæstio 2. An necessarium fuerit vt Deus homo fieret.

potuit tamen eligere meliorem. Ita D. Augustinus pluribus locis. Ratio autem præcipua cur hunc modum eligeret fuit, vt de rigore iustitiæ & ex condigno conuenientem exhiberet satisfactionem. Purus enim homo id non poterat, tum quia peccato infectus, tum quia quidquid poterat, ex alio capite Deo ipsi debitum erat; tum denique, quia peccatum cùm esset perpetratum contra infinitum bonum, purus homo ac finitus infinitæ illi iustitiæ satisfacere nulla ratione valebat. Quare opus erat vt is qui pro peccato hominis satisfaceret, non tantùm homo esset, sed etiam Deus, qui in humana natura assumpta infinitam & condignam offerret satisfactionem.

Aug lib. de Agone Christ. & l. 13. de Trin. c. 10

His ita intellectis, constituenda nunc sunt ante oculos duo Consistoria diuinarum personarum, quibus actum fuit ac consultatum de humani generis creatione, totiusque mundi opificio, ac potissimùm de nostra redemptione. Etenim Rupertus interpretans illa verba Geneseos, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, scribit, consilium quoddam iam à mundi primordijs inter diuinas personas initum esse, non solùm super hominis creatione, sed etiam super illius instauratione. *Magnum planè consilium*, inquit, *de nobis peccatoribus habitum est, omnis nostra in medio causa posita est*, &c. Idem docent D. Athanasius ac Theodoretus: itemque D. Leo Papa tradit, in illo colloquio sanctissimæ Trinitatis, ad nostrum intelligendi modum, personas inter se distribuisse nostræ reparationis ministerium iuxta attributorum dignitatem. Verba autem eius hæc sunt: *Diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus vniret.* Et quod illi magnum planè consilium, D. Paulus appellat *manifestè magnum pietatis sacramentum, & sacramentum absconditum à sæculis & generationibus*. Omnium fusissimè & elegantissimè describunt consilium hoc de redemptione hominis D. Bernardus, D. Augustinus, D. Anselmus. Quorum vestigijs insistendo, vtinam ad arcana Dei ter Maximi hodie admitti mereamur!

Super Genes. 1.

Athanas. Theod. super Genes. S. Leo Ser. 3. de Pentec.

1. Tim. 3. Ephes. 3.

Bernard. Ser. 1. de Annunt. August. l. Cur Deus homo c. 6. Ansel. l. 1. Cur Deus homo, in principio

Forsitan vestigia Dei comprehendemus, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperiemus. excelsior cælo est, & vnde cognoscemus? vt verbis vtar prophetæ Iob. Itaque in priori consistorio agitata est magna cum deliberatione quæstio de creatione huius vniuersi, atque in primis de opificio hominis atque Angelorum. Nam quæ poterat afferri satis iusta ratio cur hominem Angelumque Deus creare vellet? certè æquè beatus ac gloriosus ante creationem ac post eam futurus erat. Deinde præcognitâ vtriusque ruinâ quid erat necesse inchoare quod exitum non erat habiturum? quid proderat iis vitam dare, quam paulò pòst dissipatis omnibus naturæ ac gratiæ bonis perderêt? Quid hîc ergo conclusum est? æterna illa Sapientia Patris, ac Verbum Patris, dux verbi fuit & ait: *Faciamus Angelos, faciamus homines ad imaginem & similitudinem nostram, vt possint nostræ felicitatis ac gloriæ participes fieri.* ratio non alia proferri potuit quàm hæc, *Bonum vt bonum sui est communicatiuum*, id est, qui bonus est, eius naturæ est vt semper velit alios participes facere eius quod habet. vnde suprema bonitas propter semetipsum voluit nos consortes suę

Primum Consistorium de creatione. Iob. 2.

Conclusio 1.

CONCIO VII.

A Deo.

1. Cur Deus homo? exponuntur duo Consistoria sanctissimæ Trinitatis, alterum de creatione Angelorum & hominum, alterum de redemptione hominum sed non Angelorũ.

2. Quantus hinc stimulus amoris erga Deum, & admirationis, & perpetuæ gratiarum actionis.



ACTENVS Eangelista circumstantiam tẽporis Dominicæ incarnationis assignauit, simulque personam Angeli cui tanti mysterij annuntiandi munus commissum ac concreditum fuit: nunc ipsum legationis auctorem ac principium exprimit, dum ait, *A Deo.* Quemadmodum autem nihil tempore illo conuenientius, nihil personâ Angeli Gabrielis ornatius; ita nihil altius aut inscrutabilius dici potuit hac circumstantia, *A Deo.* significatur siquidem persona mittens, scilicet Deus, siue tota Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nam cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa (vt Theologi loquuntur) si mittitur Angelus Gabriel à Deo, mittitur à tota Trinitate. Non mittitur, inquam, sicut Filius aut Spiritus sanctus: Filius enim quia à solo Patre est, ideò à solo mittitur Patre: Spiritus sanctus verò quia à Patre & Filio est, ab iis solùm mittitur, non à seipso, quia à seipso non procedit. Angelus itaque quia creatura est, à tota Trinitate mittitur, sicuti à tota Trinitate creatus est. Iam quo ordine, quóve consilio atque decreto tres illæ sanctissimæ Trinitatis personæ inter se conclusère necessarium esse vt Deus homo fieret propter salutem hominum: deinde cur non angelos pariter atque homines post lapsum censuerint esse liberandos, quis aut verbis consequi aut mente complecti possit? Imò verò, quandoquidem ante mundi creationem videbant homines Angelosque, si crearentur, æquè lapsuros, cur hos vel illos omnino condere dignatæ sunt? Certè quidem iure optimo cùm de omnibus Dei operibus, tum de his potissimùm duobus, creationis videlicet ac redemptionis exclamare Dauidicum illud licet: *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Ps. 103. Nam cùm alioquin superent captum omnem mentis humanæ, hoc solùm verè fateri ac deprædicare possumus, *Quàm magnificata sunt opera tua*, &c. itemque rectissimè illud Apostoli: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Rom. 11. Atque vt mittamus de opere creationis multa verba facere, alterum illud incarnationis quàm sublime, quàm reconditum, quàm inaccessum est? Audite diuum Bernardum de eo disserentem: *Abyssus*, inquit, *planè imperscrutabilis est Dominicæ incarnationis sacramentum, abyssus impenetrabilis. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. quis inuestiget?* De Annunt. Serm. 2. Quoties etiam Apostolus *magnum* appellat *sacramentum*, & *à sæculis absconditum in Deo*, id est, in Dei notitia? Ephes. 3. Coloss. 1. 1. Tim. 3. quasi dicat, Deo soli perfectè cognitum, creaturis autem omnibus absconditum, nisi voluerit Deus illis reuelare. Absconditum nempe fuit à sæculo quomodo scilicet Trinitas ab æterno decreuerit, vt qua via peccatum & mors in mundum ingressa fuerant, eâdem vita & iustitia redirent. *Absconditũ à sæculo*, sicut Adam pecca-

peccauerat appetendo ſapientiam, ita Dei Sapientiam, cõtra quam peccatum erat, hominem fieri debere, vt liberaretur homo. *Abſconditum à ſæculo*, ſicut per angelum malum & per mulierem malam homo lapſus erat, ita per Angelum bonum & mulierem bonam erigi ac reparari oportere. *Abſconditum* denique *à ſæculo*, ſicuti Adam in ſuperbiam atque inobedientiam inciderat affectando ſimilitudinem Dei, ita Dei Filium humilitate ſua atque obedientia inuicta vſque ad mortem, mortem autem crucis, remedium ei allaturum. verba ſiquidem D.Pauli

Rom.5. ſunt: *Sicut per vnius delictum in omnes homines mors regnauit in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines* (regnauit gratia) *in iuſtificationem. Et ſicut per inobedietiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.* Nunc, quid conſilij igitur vt poſſimus hæc Dei arca-

Rom.11. na dignè inueſtigare? *Quis cognouit ſẽſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Nullus, ô ſanctiſſime Apoſtole, nullus hominum, nullus Angelorum ſuis viribus eò pertinget, ſed is dumtaxat cui dignatus fuerit Deus reuelare. Ita nos doces in Epiſtola ad

Coloſſ.1. Coloſſ. his verbis: *Myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nũc manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus, quem nos annuntiamus.* Quocircà qui reuelationem eius aliquam habet, per fidem, per ſacram Scripturam, per ſanctorum Patrum dogmata, is quaſi ſcalas erigere poteſt vſque ad cælum, imò vſque ad Deum ipſum, & altiſſimum cõſiſtorium ſanctiſſimæ Trinitatis, vnde *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ.* Agedum huiuſmodi ſcalis, Chriſtiani, hodie nobis aſcendendum eſt ſupra omnes cælos reſque omnes creatas vſq; ad Deum, qui extra hunc mundum non minùs quàm in ipſo eſt mundo: eoque animis omnium eleuatis, quoad eius fieri poterit, duo Concilia ſeu cõſiſtoria SS. Trinitatis vobis ob oculos ponam; quorum vno diſputatum eſt, An omnino mũdus creandus eſſet, id eſt, Angeli atque homines, reſque cæteræ propter homines, cùm vtroſque conſtaret in peccatũ grauiſſimè lapſuros: in altero conſultatum eſt, An homines potiùs quàm Angeli redimendi eſſent. Denique hinc patebit, quantas hoc myſterium in animis noſtris charitatis diuinæ flammas, quantas admirationes, quantas gratiarum actiones excitare debeat.

AVE MARIA.

ANtequam de priori Conſiſtorio SS. Trinitatis, dicam ea breuiter quæ mentes noſtras humo excitare, atque in Deum Opt. Max. erigere poſſint. Refert Galatinus, veteres Rabbinos ad cognitionem diuinarum conſultationum tam arcanam pertigiſſe, vt dicerent, Deum, antequam mundum crearet, multùm ſecum deliberaſſe an expediret Angelum hominemque, & ex conſequenti cetera omnia in vſum hominis creare. Nam cùm, inquiunt, Deus prænoſceret Adæ ruinam, qua totam ſimul poſteritatem inuolueret, iudicabat neutiquam expedire vt hoc vniuerſum conderet. Verùm oculos conijciens in Meſſiam, & Filij Dei incarnationem ex Virgine, manum operi admouere conſtituit. Confirmant etiam huiuſmodi ratiocinationem

Lib. 7. de Arcanis fidei.

nem

nem è Sacris litteris, vt ibidem explicat Galatinus. En radius veritatis, qui iam tum olim veteribus illuxit. sed non sunt vlteriùs progressi vt inquirerent, Quòd si homo non peccasset, vtrùm Deus quoque non fuisset incarnatus. Atqui hoc est quod Theologi nostri in scholis acerrimè disputant. D. Thomas, eiusque discipuli disertè negant Deum carnem humanam assumpturum fuisse, nisi Adam lapsus fuisset: idque probant ex D. Augustino alijsque Patribus euidenter. Sic etenim ille explicans hæc D. Matthæi Euangelistæ verba; *Ipse enim saluum faciet populum suum: Si homo non peccasset, inquit, Virgo non peperisset.* Et D. Leo Papa: *Si homo, qui ad imaginem Dei factus est, in pristino suo honore permansisset, Creator creatura non fieret.* Ratio autem huius sententiæ potissima est, quòd Scripturæ passim, imò semper hãc incarnationis causam assignent, qua sit permotus Deus vt homo fieret, nempe lapsæ naturæ humanæ remedium. Sic enim Christus ipse identidem in Euangelio expresset: *Venit,* inquit, *Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Rursus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Idem indicatur in parabola pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus venit ad quærendam centesimam ouem perditam. Vnde colligi potest, si ouis vna non aberrasset, numquam illum relicturum fuisse gregem suum in deserto. Et quænam, obsecro, alia causa tam vrgens, tamque necessaria esse poterat, vt Deus eò miseriarum se demitteret, nisi, vt in Symbolo Nicæno profitemur, *propter nos & propter nostram salutem* de cælo descendere debuisset? Nónne si quis diceret, En iste Legatus mittitur in Turciam, Catholicos liberaturus captiuos, is satis insinuaret non fuisse mittendum, si captiui non fuissent? Itaque hæc ratio Deum impulit, penitusque permouit, vsque adeò vt sine illa Filium suum in hunc mundum missurus non fuisset. Credimus id longè probabilius, ac Scripturis rationique magis consentaneum: videlicet non pro exaltatione humanæ naturæ potissimùm, sed pro eius curatione Deum tantæ molis expeditionem aut suscepisse, aut suscepturum fuisse. Eoque pertinet illud Augustini: *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus.*

Quæstio 1. An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Vide D. Thõ. 3. p. q. 1. a. 3. &c.

August. super Matth. c. 1. Leo Ser. 3. de Pẽtecost.

Matt. 18. Ioan. 3. Luc. 15.

Vide August. de Pasche mysterio c. 1. & 4. & de Verbis Apost. Serm. 9. & 10. & super Ioannem, &c.

Sed alia hinc quæstio exoritur, quam veteres illi Rabbini intactam etiam reliquerunt, Hoc ita constituto quòd vellet nos Deus pro misericordia sua infinita perditos in libertatem vindicare, vtrùm planè necessarium fuerit vt Deus homo fieret? Respondeo, necessarium duobus modis accipi posse. In primis absolutè necessarium dici solet, sine quo finis obtineri non potest: veluti cibus necessarius est ad vitæ conseruationem; vel sicut medicina interdum necessaria est, sine qua certò moriendum esset. Hoc enim maximè propriè necessarium dicendum, sine quo res periret. Atqui sic non fuit necessaria Christi Domini incarnatio: quia mille alijs modis poterat diuinitus natura nostra reparari. Altero modo necessarium dici solet, quo nihil melius, vtilius, aut congruentius fieri potest. Hoc modo necessariam asserimus Incarnationem fuisse: quia tametsi Dei omnipotentia ac bonitas illa infinita mille alios modos habuerit, quibus finem suum fuisset consecuta, non poruit

Quæstio 2. An necessarium fuerit vt Deus homo fieret.

potuit tamen eligere meliorem. Ita D. Augustinus pluribus locis. Ratio autem præcipua cur hunc modum eligeret fuit, vt de rigore iustitiæ & ex condigno conuenientem exhiberet satisfactionem. Purus enim homo id non poterat, tum quia peccato infectus, tum quia quidquid poterat, ex alio capite Deo ipsi debitum erat; tum denique, quia peccatum cùm esset perpetratum contra infinitum bonum, purus homo ac finitus infinitæ illi iustitiæ satisfacere nulla ratione valebat. Quare opus erat vt is qui pro peccato hominis satisfaceret, non tantùm homo esset, sed etiam Deus, qui in humana natura assumpta infinitam & condignam offerret satisfactionem.

Aug. lib. de Agone Christ. & l. 13. de Trin. c. 10

His ita intellectis, constituenda nunc sunt ante oculos duo Consistoria diuinarum personarum, quibus actum fuit ac consultatum de humani generis creatione, totiusque mundi opificio, ac potissimùm de nostra redemptione. Etenim Rupertus interpretans illa verba Geneseos, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, scribit, consilium quoddam iam à mundi primordijs inter diuinas personas initum esse, non solùm super hominis creatione, sed etiam super illius instauratione. *Magnum planè consilium*, inquit, *de nobis peccatoribus habitum est, omnis nostra in medio causa posita est*, &c. Idem docent D. Athanasius ac Theodoretus: itemque D. Leo Papa tradit, in illo colloquio sanctissimæ Trinitatis, ad nostrum intelligendi modum, personas inter se distribuisse nostræ reparationis ministerium iuxta attributorum dignitatem. Verba autem eius hæc sunt: *Diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus vniret.* Et quod illi magnum planè consilium, D. Paulus appellat *manifestè magnum pietatis sacramentum, & sacramentum absconditum à sæculis & generationibus.* Omnium fusissimè & elegantissimè describunt consilium hoc de redemptione hominis D. Bernardus, D. Augustinus, D. Anselmus. Quorum vestigijs insistendo, vtinam ad arcana Dei ter Maximi hodie admitti mereamur!

Super Genes. 1.

Athanas. Theod. super Genes. S. Leo Ser. 3. de Pentec.

1. Tim. 3. Ephes. 3.

Bernard. Ser. 1. de Annunt. August. l. Cur Deus homo c. 6. Ansel. l. 1. Cur Deus homo, in principio

Forsitan vestigia Dei comprehendemus, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperiemus. excelsior cælo est, & vnde cognoscemus? vt verbis vtar prophetæ Iob. Itaque in priori consistorio agitata est magna cum deliberatione quæstio de creatione huius vniuersi, atque in primis de opificio hominis atque Angelorum. Nam quæ poterat afferri satis iusta ratio cur hominem Angelumque Deus crearo vellet? certè æquè beatus ac gloriosus ante creationem ac post eam futurus erat. Deinde præcognitâ vtriusque ruinâ quid erat necesse inchoare quod exitum non erat habiturum? quid proderat iis vitam dare, quam paulò pòst dissipatis omnibus naturæ ac gratiæ bonis perderēt? Quid hîc ergo conclusum est? æterna illa Sapientia Patris, ac Verbum Patris, dux verbi fuit & ait: *Faciamus Angelos, faciamus homines ad imaginem & similitudinem nostram, vt possint nostræ felicitatis ac gloriæ participes fieri.* ratio non alia proferri potuit quàm hæc, *Bonum vt bonum sui est communicatiuum*, id est, qui bonus est, eius naturæ est vt semper velit alios participes facere eius quod habet. vnde suprema bonitas propter semetipsum voluit nos consortes suę

Primum Consistorium de creatione. Iob. 11.

Conclusio 1.

gloriæ fieri. Hic fons & origo extitit totius vniuersi conditi propter nos & propter nostram gloriam. Hanc rationem latè explicat D. Augustinus in Enchiridio. *Credimus*, inquit, *rerum creatarum, cælestium & terrestrium, visibilium & inuisibilium, causam non esse nisi bonitatem creatoris, vt beatitudinis suæ, qua æternaliter est beatus, alios faceret esse participes, quam vidit & communicari posse, & minui omnino non posse. & ita Deus fecit creaturam rationalem, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur.* hactenus Augustinus. At quæret quispiam, quomodo Scriptura sacra dicat, *Vniuersa propter semetipsū operatus est Dominus*, hoc est, propter gloriam suam, cùm eius gloria, vt dictum est, augeri non potuerit? Respondeo, non potuisse quidem in se augeri, sed in aliis, per cognitionem videlicet eius & amorem; quibus rationibus Angeli hominesque Dei gloriam propagarunt. alia quoque opera Dei bonitatem eius, potētiam, maiestatem, sapientiam ceterasque perfectiones illustrant. vnde etiam res condidit maximè varias, quasdā purè spirituales, vt Angelos, quasdā purè corporales vt elementa, alias denique ex natura corporali & spirituali compositas, vt homines; vt sic perficeretur vniuersum. Quid porrò amplius gestum in hoc Consistorio? Audiuimus primam conclusionem de mundi creatione, vt aliis communicari posset Dei gloria. sed numquid hîc finis impositus Concilio? non. perrexit vlteriùs diuina Sapientia, & ait, *Consentaneum est, vt Angeli & homines illam gloriam mereantur, & non gratis accipiant à nobis. itaque demus illis liberum arbitrium quo bonum vel malum eligere possint. sic erit maior gloria quam ipsimet meruerint.* atque ita factum est, vt æterna Sapientia definiuit. Sed ecce libero arbitrio Angeli hominesque abusi sunt, & miserrimè exciderunt fine ad quem conditi erant, angeli, inquam, superbierunt & homines, & vtrique grauissimè peccarunt. O magnam miseriarum abyssum! quid tum fecit SS. Trinitas, cuius natura est bonitas, cui próprium est misereri & parcere? quid? Statim vtrisq; parceret? sed modum excederet hæc misericordia. puniret pro meritis? at nimis hoc durum iudicium visum est. Quid ergo Consilij? indictum est hac de re secundum consistorium diuinarum personarum pro redemptione creaturæ rationalis.

Enchirid. c. 6. Vide etiā Chrysostom l. 1. de Prouidentia, post princip.

Prou. 16.

Vide Magist. in 2. d. 1. Bonau. ibid.

Secunda conclusio.

Magnum sacramentum hoc, fratres, inquit S. Bernardus, *& diligentiùs perscrutandum, nisi & intellectus mysterio, & ipsi quoque intellectui verba deessent. Quis putas illi colloquio meruit interesse, & indicabit nobis? quis audiuit, & enarrabit? fortè inenarrabilia sunt, & non licet homini loqui. Summa tamen controuersiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis, ait Misericordia, quoniā misera facta est & miserabilis valdè. venit tempus miserendi eius, quia iam præterit tempus.* At contrà Iustitia, suum ius euerti, suum peti caput, se perire queritur si parcatur. itaque hîc iterùm loquendi munus sibi vendicat diuina Sapientia, per quam facta erant omnia, Filius, inquam, Dei, quem Isaias vocat *Magni consilij angelum. Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Sententia autem eius erat huiusmodi: *Non patiamur tam nobiles creaturas,*

Secundū Consistorium de redemptione.

Bernard. Ser. 1. de Annunt. August. lib. Cur Deus homo, cap. 6. & Anselm. l. 1. Cur Deus homo, tractant eamdem controuersiam.

Isa. 9. Ps. 103.

Prima propositio.

ras, conditas ad imaginem & similitudinem nostram, fine suo frustrari ac funditus interire. quod si bonitus nostra nos impulit vt illas conderemus, eadem impellere nos debet vt perditas liberemus. Erigamus igitur nostras creaturas à tam misero lapsu, vt conseruentur ad gloriam. Visa est propositio hęc plena sapientiæ, plena æquitatis ac fauoris. sed quæstio statim mota est, sintne redimendi angeli iuxtà atque homines? respondit Sapientia negatiuè: *Angelos,* inquit, *non redimamus, homines redimamus.* Iustitia dixit: Si angeli pereant, etiam homines necesse est pereant. nam vbi par culpa est, conuenit quoque vt par sit pœna. Veritas dixit: Oportet impleri sermonem quem locutus es Domine, quando ab initio homini dixisti, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* totus ergo moriatur Adam cum omnibus qui in eo erant, quo die vetitum pomum in præuaricatione gustauit. Misericordia respondit: Sufficiat vobis, ô dilectissimæ sorores, quòd habeatis ius vestrum in Angelis; mihi quoque liceat obtinere partem meam in homine. Dixit Sapientia: *Æquum est quod postulat Misericordia: ita fiat.* idque hac ratione, quia angelorum culpa grauior est quàm hominum. angelis enim dedimus intellectum clarissimum, in quem nulla caderet ignorantia: homini autem datus est intellectus qui tardiùs per discursum ac deliberationem operetur, ideoque faciliùs potest errare. Quantò igitur nobilior fuit Dei cognitio, tantò grauius fuit errare. Accedit eòdem, quòd angeli sponte sua nullo suggerente peccarunt, ex malitia: homo verò suggerente diabolo, ex infirmitate. Denique maior fragilitas & minor malitia fuit in lapsu hominis quàm angeli. Atque hæc fuit secunda resolutio Consistorij, *Pereant angeli, viuant homines.* Sed quis modus puniendi angelos, & homines redimendi? Iustitia non multum laborauit, quia paratum habebat infernum excipiendis ac cruciandis angelis. Misericordia magis satagebat vt modũ inueniret redimendi homines. & Quæ via, inquit, aut quæ ratio huius sententiæ exequendæ? ánne possit sufficere creatura aliqua liberandis hominibus, Angelus videlicet aut Propheta, aut Sanctus aliquis & innocens qui nihil debeat iustitiæ? Dixit Iustitia, Nequaquam. Cùm enim angelus vel homo, quisquis ille sit, persona sit finita, certos habens limites potestatis, peccatum verò expiandum infinitum sit, quia Deum offendit infinitum, & pœnam meretur infinitam, satis patet creaturam non posse satisfacere. Quis ergo poterit? ait Veritas: Solus Deus, qui infinitæ virtutis est. Sed quomodo id fiet? Deus immortalis, immutabilis, impassibilis est, ideoque satisfactioni aut pœnitentiæ subiicere se non potest. Quid consilij, inquit Misericordia? respondit Iustitia: Fiat Deus homo, vt pati possit ac pœnitentiam agere pro homine, atque hac ratione hominem redimet, qui semetipsum redimere non potest. Hoc est quod Sapientia mox definiuit, *Oportet,* inquit, *Deum fieri hominem vt satisfiat iustitiæ simul ac misericordiæ in redemptione hominis.* Omnes obstupuêre in verbo Sapientiæ, & forma compositionis pariter atque iudicij. ita nimirum pulcherrimo congressu *Misericordia & Veritas obuiauerunt sibi, Iustitia & Pax osculatæ sunt.* Iustitia enim peccatum noluit impunitum

Gen. 2.

Secunda propositio.

Tertia propositio.

Psal. 84.

tum relinquere, Misericordia autem peccati pœnam ab homine reo transferre debuit in personam aliquam infinitam, quæ posset satisfacere culpæ infinitæ: vt misericordia quidem iusta, iustitia verò misericors fieret. Sicuti enim in rebus humanis cùm Rex absoluta sua potestate reum absoluit, non tam honorificum id ipsi est, quàm si ordine iuris seruato capita delictorũ obiiciantur, & iuridicè satisfiat parti, ac tum maiori cum honore dimittatur. ita Deus hominem redimi voluit ac saluari non purâ misericordiâ, vel potestate sua absoluta, sed iustitiæ iure seruato, per merita infinita personæ infinitæ. Vt ergo certamen vtriusque partis absoluamus, Misericordia pro homine diu multumq; sollicita, iterùm cum verecundia quæstionem in medio posuit, *Quanam persona ex tribus fiet homo?* poterat enim Pater homo fieri, & Spiritus sanctus æquè ac Filius. sed Filius continuò assurrexit, & cognoscens id placiturum Patri ac Spiritui sancto, sese obtulit dicens: *Ecce venio. Per me cõdita sunt vniuersa, per me reparari oportet vniuersa. Dedi consilium vt liberetur homo, dabo etiam auxilium. Conuenit hoc mihi potiùs quàm aliis personis. nam homo peccauit contra Sapientiam, quando persuasit sibi apertum iri oculos suos si comederet de ligno vetito. æquum est igitur vt Sapientia Patris quærat remedium.* Tum ad Patrem cõuersus ait: *Pater, scio quia hostias & holocautomata pro peccato noluisti; idcircò ecce venio. in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam. Aliam vtique hostiam pro peccato, aliud holocaustum offeram in monte Caluariæ cum admiratione ac stupore totius orbis.* Dulcis hic & bonus sermo visus est, vtpote fidelis & omni acceptione dignus, nempe vt Filius Dei homo fiat & moriatur pro homine. Sed agedum, nondum finis, nondũ soluitur Concilium. Ecquis mittetur legatus ad Virginem, cuius est consensum prębere in matrimonium cum Filio Dei? Prodeat Angelus Gabriel, vnus è cæli primatibus, qui nuntium afferat filiæ Sion, Regem glorię mox venturum. *Mense* itaque *sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph,* &c. vsque ad finem Euangelij: factumque est ei secundùm verbum Angeli paranymphi, &, vt verbis vtar D. Augustini, *eodem momento in vtero virginis spiritales nuptiæ celebratæ sunt, Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo.* Hæc est Historia incarnationis Verbi Dei.

Zachar. 9.

Quarta propositio.

Hebr. 10.

Quinta propositio.

Lucæ 1.

Conc. ad Catechum. tom. 6.

O abyssus misericordiæ! ô charitas ineffabilis! ô bonitas & benignitas incomprehensa! Deus siquidem non ampliùs est Deus vltionum, sed pater misericordiarum factus est, & Deus totius consolationis. Benedictus Deus qui tanta exarsit in nos charitate, vt tamquam gigas exultaret ad currendam viam, tamque difficilem obire peregrinationem, & peccata nostra humeris suis suscipere, & pro iis tam ingnominiosè mori non recusaret. O fortissime Samson, quomodo quæso te ita infatuauit amor tuæ Dalilæ, id est, nostræ naturæ peccatricis? vt post tot eius proditiones deponere velis caput tuum in sinum eius, cùm scias te mox ab ea tradendum in manus hostium, & post multa probra atque iniurias, turpissima morte ab eis multandum? ô mansuetissime agne, quam gratiam apud te mundus inuenit, vt velles tam liberaliter

Luc.18. raliter peccata mundi auferre? *Nemo* profectò *bonus nisi solus Deus.* quamuis enim & Sancti omnes, & Angelicæ mẽtes diuinæ bonitatis participes sint, vsqueadeò tamen immensa Dei bonitas eminet, vt ceteræ bonitates non magis ante eam fulgeant, quàm astra cæli ante meridianum solem. O sempiterne Deus, quid potest homo rependere in grati animi testificationem? quid à nobis reposcis, nisi charitatem, vt par pari referamus? Atqui hæc erat secunda pars nostræ Concionis, quomodo excitanda charitas erga Deum, & gratiarum actio.

Secunda pars de charitate, &c. O Christiani, anne vobis videtur glaciale pectus, ferreum, chalybeum, aut adamantinum, quod non incitatur ad redamandum Deum pro nobis hominem factum? Audite Apostolum hoc mysterium nobis ob oculos ponentem, vt mentis nostræ conatum omni ex parte adhibeamus

Ephes. 3. in eo satis ponderãdo, dum ait: *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ* (id est, maiorem quàm sciri possit) *charitatem Christi.* Quid his verbis aliud significare voluit, quàm beneficij huius magnitudinem ac gratiam quàm latissimè patere, vt SS. Patres interpre-

In Commentar. huius loci. tantur, D. Thomas, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius? Primò, magna quippe est eius latitudo, quia pertinuit ad omnes homines quotquot ante legem, in lege, & post legem fuerunt, sunt, & erunt, vt di-

1. Tim. 2. uus Paulus alibi affirmat: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Deinde, magna quoque longitudo est, quia mysterium hoc ab æterno definitum fuit: & ad longissimas etiam regiones, Indorum, Scytharum, Æthiopum, noui orbis, insulasque remotissimas peruenit. Tertiò, magna sublimitas, quia supra omnes cælos primitias nostras in se euexit, nosque euehet aliquando. Quartò, magna insuper profunditas, quia virtus eius ad inferos se extendit, Patribus liberatis. Quintò, addit denique impenetrabilem charitatis Christi abyssum. quæ omnia vt possitis comprehendere, flexis, inquit, genibus quotidie ad Patrem Domini nostri Iesu Christi preces fundo. Quî fit, obsecro, auditores, quòd tam parum cõmoueamur, tanto salutis nostræ opere ante oculos posito? quid est quòd tam ingrati sumus, tam frigidi, vt nihilo magis quàm anteà amore Dei incalescamus? Huius profectò ingratitudinis atque adeò stuporis causa est vna, toties illud audiendi consuetudo. *Naturale enim est hominibus*, vt ait Seneca, *magis noua quàm magna mirari. ita enim compositi sumus, vt nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sint, transeant: contrà minimarũ quoque rerum, si insolita prodierint, spectaculum dulce fiat. Sol spectatores, nisi cùm deficit, non habet. nemo obseruat Lunam nisi laborantem*, &c. Nam quid est quòd solis lunæq; defectum ita miramur, nisi quòd raro accidat? ipsum siquidem splendidissimum solem nemo miratur, propter quem videndum Anaxagoras philosophus se natum esse dictitabat. Sicut ergo nemo miratur sideris huius magnitudinem, cęlum, terras, maria, & vniuersa quæ à Deo condita sunt illuminantem, quia oculis illud quotidie vsurpat: ita vix quisquàm fide- Lib. 7. Natural. q. cap. 1.

lium miratur Verbum Dei carne indutum, dum nihil in Ecclesia frequentius audit, præsertim sub hæc tempora. acciditque hominibus idē ferè quod canibus, qui iacentes in officinis fabrorum non iam excitantur audiendis malleorum ictibus, sed profundiùs indormiunt. Altera verò causa est quòd vix quisquam hoc tantum sacramentum seriò secum tacitus expendit, & animo illius magnitudinem euoluit. quare minimè mirum est quòd voluntas in hoc affectu langueat, cùm intellectus tanti beneficij dignitatem illi minimè proponat. Sed erit tamen aliquando cùm huius obliuionis & ingratitudinis reddenda sit ratio. in illo enim supremo mundi examine nihil erit de quo strictiorem iudex rationē quàm de hoc beneficio exiget. tunc, vt D. Eusebius Emissenus ait, *Ille pro commissa nobis salute nostra rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. qui tantum contulit, scit quantum reposcat*. Et ibidem, *Nouit*, inquit, *quanti ei cōstiterit homo suus. non ergo nobis viles simus, qui tam pretiosi Deo sumus*. Horreamus itaque ingratitudinis vitium: & ne nos quoque simus è numero huiusmodi hominum, qui hanc beneficij magnitudinem non perpendunt, iterùm atque iterùm oculos in cælum eleuemus; & consideremus sanctissimā Trinitatem de solio gloriæ suę terram vniuersam despectantem, & omnia dicta, facta, cogitata hominum ponderantem. cùm autem cerneret totum orbem diluuio peccatorum obrutum, vt describit Osee Propheta, & meritò proinde diluuio quodam iræ ac iustitiæ diuinæ puniri debuisset: quomodo tunc è contrario Deus misit diluuium misericordiæ suæ in terram vniuersam? Consideremus deinde quantum fuerit tribus personis gaudium, quando tempus talis gratiæ iam aduenerat. quàm alacriter singulæ personæ se ad illud opus accinxerunt, Pater vt Filium mitteret, Filius vt veniret humanam assumpturus naturam, Spiritus sanctus vt hanc naturam cum diuina in vna persona vniret? Contrà verò coniiciamus etiam oculos in terram & mundanos homines. quid tum temporis cogitabant? quid agebant? *Nimirum sicut distat cælum a terra, ita distabant cogitationes Dei à cogitationibus hominum*. Ethnici enim tanti erant idololatræ, vt seipsos pro diis coli imperarent. Iudæi erant pleni hypocrisi, auaritia, ambitione, aliisque vitiis, maximè carnalibus. cumque illos Deus vel aquis, vt temporibus Noë, vel igne vt Sodomam olim, omnes meritò posset perdere; maluit *cogitare cogitationes pacis, & egressus est in salutem populi sui*. O summa diuinæ pietatis dulcedo!

Hom. de Symbolo.

Osee 4.

Isa. 55.

Iere. 29.

Habac. 3

Ecquid verò à nobis requirit Deus pro incomparabili hoc beneficio? D. Augustinum audiamus: *Vt Deum ipsum*, inquit, *si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit & rependere. Operæpretium est autem animaduertere quomodo & quāto amore exardescat inferior, cùm a superiore se diligi senserat. Ibi enim gratior est amor, vbi non æstuat indigentiæ siccitate, sed vbertate beneficentiæ profluit. Iam verò si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, ineffabiliter commouebitur in amorem, si vltrò ille dignatus fuerit ostendere quantum diligat eum, qui nequaquam sibi tantum bonum*

De Catechizād. rudibus cap. 4.

num promittere auderet. Quid autem superius Deo iudicante? & quid desperatius homine peccante? Audiamus & sponsam in Cantico amoris: *Dilectus meus mihi*, inquit, (se totum videlicet impendit) *& ego illi* (id est, eius amori & cultui me volo impendere) *Ille meæ liberationi*, vt exponit D. Bernardus, *ego illius honori: ille meæ saluti, ego illius voluntati.* Denique in huius contemplatione beneficij iugiter occupari atque hærere omnium Christianorum animos æquissimum sanè esset: sicuti sanctos legimus huiusmodi meditationibus ita assiduè exercitatos, vt solo mentis coniectu exardescere solerent in amorem Dei incarnati. Sic D. Augustinus de se fatetur in libris Confessionum, *Non satiabar*, inquit, *dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui super salute generis humani.* Et alibi: *Deus factus est homo? quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo?* Nulla sanè re, nullis beneficijs diuinis, neque creationis, neque conseruationis, neque exaltationis nostræ satis inflammari homines potuerunt ad amandum Deum, donec *ipsemet Deus in terris visus est, & cum hominibus conuersatus.* Tunc enim, tunc maximè *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Vbi obiter obseruandum quod dicitur *humanitas Saluatoris*, efficaciùs Græcè ponitur φιλανθρωπία. Quid verò de eodem ipsemet Saluator in Euangelio? *Sic Deus dilexit mundum*, inquit, *vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quomodo dilexit, inquam? vt Filium suum vnigenitum daret. ô summam liberalitaté!

Cant. 2. — Ser. 68. in Cant. — L. 9. Cōfess. c. 6. — In sententijs Prosp. sententia 329. — Baruch. c. 3. — Tit. 3. — Ioan. 3.

Numquid ampliùs dare potuisset? magnum est quidem, quod Propheta quoque miratur, cùm ait: *Quid est homo quòd memor es eius? aut Filius hominis, quia reputas eum?* Maius verò fuisset, si Angelos aut Seraphinos redemptioni eius destinasset. Sed tametsi hîc magna Dei pietas exhibita fuisset, non tamen maxima exhibita fuisset. Semper enim crescere potuit, donec nobis dedit Filium suum. Quando autem illum dedit, vlteriùs crescere non potuit; quia tum satisfactum est amori in nos infinito. Agnoscite hoc, Christiani, intimis sensibus, quid dederit Deus quando dedit Filium suum. Amor sui diffusiuus est, eiusque naturæ vt omnia velit dare & nihil retinere. Amor ergo cor Dei sollicitauit vt se magis ac magis effunderet, vt omnia nobis daret quæ habebat. Multum dederat nobis, fateor, cùm cælum & terram & creata omnia dederat: tam videlicet hoc beneficium magnum est, quàm magnus est orbis vniuersus. Plus etiam dedit cùm nobis corpus & spiritum, & quæ in illis sunt omnia dedit. Certè tantum est hoc donum, quantus est totus homo. Sed amor Dei non quieuit, donec aliquid daret quod infinitum esset, quo maius dare non posset. Hoc dedit cùm Filium dedit; quia plus dare non potuit quàm seipsum. Ergo, dicet quispiam, quieuit tum amor Dei? Nondum quieuit, donec manibus proprijs salutem nostram operaretur, magno cum labore, probro, cruciatu vsque ad morté, mortem autem crucis. Tam dulcis simul ac fortis fuit hic affectus (etsi propriè cōparationem idoneam non reperiam) quàm solet esse in matre erga filiū. Si enim filius vnicus ægrotat, solet ei mater

Psal. 8.

sua

ſua cibum apparare, ac præbere ſuis manibus, nec alijs id vult committere. Sic Anna mater Samuelis voluit ipſamet filio ſuo facere tunicam ſuis manibus, eamque portare voluit ipſamet filio ſuo. Sic Maria Magdalena tenero erga Magiſtrum ſuum affectu ipſamet volebat corpus eius vngere ſuis manibus, nec ſufficiebat ei quòd centum libris vnguenti conditum anteà fuiſſet. Ità Dei Filius tam vehementer ac generosè nos amauit, vt nollet vel Angelorum vel hominum manibus, ſed proprijs noſtram ſalutem operari. Sic videlicet, *ſic Deus dilexit mundum*, &c. O æterna Dei charitas! quomodo huic homo reſpondere valeat? quomodo? Putamus nos multum præſtare, cùm bona fortunæ in eleëmoſynas pauperum conuertimus? Deus quidem id magni facit; quia vult vt non tantùm lingua & verbo, ſed operibus bonis amorem comprobemus. At quantulum hoc eſt, ſi conferatur cum eo quod ipſe contulit nobis? aut fortè multum præſtare nos putamus, ſi corpus affligimus ſummo manè ſurgendo, & prima luce, antequam negotijs illius diei implicemur, rei diuinæ audiẽdæ cauſa templum adeundo, ieiunando vel abſtinendo interdum, denique impigrè Deo ſeruiendo? certè hoc amplius eſt quàm eleëmoſyna, quia aliquid de corpore noſtro impendimus. Sed nondum nos ipſos totos in holocauſtum ipſi offerimus, qui ſe totum donauit nobis. Sicuti ergo non ſufficeret nobis ſi daret omnia alia Deus pręter ſe: ita non ſufficiat nobis, niſi nos integrè ipſi impendamus, & ad obſequium eius offeramus millies eoque ampliùs interdum vno die, repetitis actibus amoris, & quando aliter non poſſumus, renouata recta intentione in omnibus operibus noſtris.

Ioan. 3.

Ad extremum accipite ſimilitudinem, qua res illuſtretur, antequam concludam. Rex quidam potentiſſimus commiſit tibi filiam ſuam chariſſimam, cui ſtatuerat paulò pòſt diadema regium imponere ad ſuum honorem & conſolationem; tu verò inimicis Regis tradidiſti eam conſtuprandam, inſuper eam occidiſti. Serue nequam, quid feciſti? theſaurum & pignus Regis ita neglexiſti? in carcerem crudeliſſimum & in mortem condemnaris. Quamuis enim Rex ſit clementiſſimus, non poteſt tamen aliter tibi ignoſcere. Hîc ergo manendum tibi, breuî etiam moriendum eſt. Sed ecce Rex tui recordatur, & liberationem tui ſtudiosè quærit, ſed modus non eſt facilis & expeditus, ſaluâ iuſtitiâ. Quid igitur agit? mittit filium vnicum de ſolio regali vt deſcendat in carcerem tuum, tuum habitum, vincula & flagella tua in ſe ſuſcipiat, ac demum pro te moriatur, vt tu interim viuas, & feliciter viuas, & regnes in ſempiternum. O ineffabilem amoris modum! ô bonitatis abyſſum! Sic fecit tibi Deus. Filiam ſuam tibi tradidit cuſtodiendam, videlicet animam rationalem ad imaginem eius factam, ornatamque virtutibus. Tu verò dæmonibus, Dei inimicis, eam proſtituiſti per tua peccata. Vnde & carcerem inferni, & mortem meritus es æternam. Sed ecce quanta Dei pietas, quanta charitatis quàm peregrina dulcedo! ita tui miſertus eſt vt Filio ſuo vnigenito non parceret. *O diuinæ pietatis ſumma dignatio! vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti!* vt D. Gregorius exclamat. Quæ lingua non ſileat hîc, quæ mens non ſtupeat? ſilere certè magis lubet quàm

In Præfatione Paſchali.

quàm plura dicere. Deus Opt. Max. augeat charitatem & gratiam suam in nobis, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

CONCIO VIII.

In ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth.

1. *Quare Deus delegerit suæ incarnationi ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.*
2. *Quid inde salutaris disciplinæ hauriri possit.*

August. Ser. 18. de Tēp. Gregor. Hom. 34 Damasc. Serm. de Assump.



SANCTI Patres, atque huius Euangelij interpretes, nominatim D. Augustinus, Gregorius, Damascenus, magnopere mirātur hîc initiò tot constitui circumstantias temporum, personarum, & locorum, proprijs signatas nominibus: idque colligunt ita fieri oportuisse, vt cognoscamus rem totam diuinitus esse perfectam, plenamque mysterijs. Iuuat audire mellislua D. Bernardi verba in hanc sententiam. *Quid sibi voluit Euangelista tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuntium qui mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoque Virginis: amborumque genus, ciuitatem ac regionem proprijs designat nominibus. Vt quid hoc? Putásne aliquid horum superuacuè positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec vnus ex passeribus sine patre cælesti cadit super terram: putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysterijs, ac cælesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouerit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem, colles fluxerunt lac & mel, quando rorantibus cælis desuper, nubibusque pluentibus iustum, aperta est terra læta germinans Saluatorem: quando Domino dante benignitatem, & terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum & pinguem, misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Illo quoque tempore vnus iste inter ceteros montes non modicus, beatus hic videlicet Euangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mellifluo commendauit eloquio, veluti perflante Austro, atque è vicino sole radiante iustitia, quædam ex eo spiritualia fluxerunt aromata. Vtinam & nunc Deus emittat verbum suum, & liquefaciat ea nobis, perflet spiritus eius, & fiant nobis intelligibilia verba euangelica. Fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, fiantque dulciora super mel & fauum.* Hactenus Bernardus. Agedum pergamus sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Hodie nobis proficiscendum est in Nazareth, paruulum quidem oppidum Galilææ, sed floridum, iuxta interpretationem nominis, & famosum, quòd ibi Verbum caro factum sit. D. Hieronymus vocat *florem Galilææ*, sed meritò possimus florem totius mundi vocare. Imò rectè Andreas Ierosolymitanus Episcopus terrestri paradiso illud confert his verbis: *Nazareth Eden hortum æmulata, ipsius Eden conditorem sinu suo complectitur.* Quin etiam Nazareth multis proprietatibus paradisum voluptatis excellit: quia hîc quidem lignum vitæ, ibi auctor vitæ

Bernard. Homil 1. sup. *Missus.* — Matt. 10. — Ioel. 3. — Isa. 45. — Psal. 64. — Hieron. epist. ad Marcellam. — And. Ser. de Ann.

reperitur: hîc fons aquæ in terram decurrentis, ibi fons aquæ salientis in vitam æternam: hîc terrenus Adam, ibi cælestis: hîc præuaricator, ibi reparator: hîc naturam humanam inficiens, ibi redemptor: hîc Eua, ibi Maria: illa inobediens & superba ab angelo malo decepta est, hæc obediens & humilis à bono Angelo salutata nuntium accepit suæ electionis ad altissimam Matris Dei dignitatem. Denique hæc fuit Saluatoris nostri patria, vnde prodijt totius mundi salus. Quòd si Aristotelis patria ab Historiographis tantoperè celebratur, quod talem Philosophum produxerit: si Macedonia laudatur ob Alexandri Magni natiuitatem: si Roma propter suos Cæsares, Scipiones & Catones: quid splendoris ac gloriæ non merebitur Nazarethum, patria nostri Redemptoris, qui Nazarenus inde est appellatus? Dicendum itaque Primò, Cur incarnatio fieri debuerit in ciuitate, in ciuitate, inquam, Galilææ, quæ vocatur Nazareth. Secundò, Quid hinc nobis discendum.

AVE MARIA.

Quæstio prima Cur in ciuitatem.

MIssus est hic legatus cælestis non Romam, non Athenas, non Corinthum, non Ierosolymam, non Babylonem, non Antiochiam, non Alexandriam, quæ erant præcipua ferè totius orbis capita, ne quid sibi in hoc mysterio ac beneficio diuino arroganter tribueret humana vel potestas, vel sapientia, vel opulentia, vel sanctitas, vel tyrannis: sed vni gratiæ, bonitati, sapientiæ, & misericordiæ Dei cuncta seruarentur. Missus est autem in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Quid ita? quare delegit Deus ciuitatem in qua conciperetur? quare ciuitatem Galilææ? quare Nazareth? Albertus Magnus subtiliter ista omnia & minutè admodum Theologorum more discutit in Euangelij explanatione: meritoque verbis D. Bernardi suprà citatis insistit, quibus monet, *plena hîc esse omnia supernis mysterijs, ac cælesti singula dulcedine redundantia.* Differit igitur inter cetera in hunc modum: *Christus non in mari, qui locus est piscium; non in aere, qui est locus auium; nec in campo, qui est locus agrestium animalium; sed in ciuitate, qui est locus proprius hominum, concipi debuit; quia propter nos & propter nostram salutem de cælo descendit.* Voluit nimirum Deus carnem assumere in ciuitate, quia in omnibus operibus quæ in mundo fecit, ostendit se præcipuè venisse vt peccatores quæreret. Sic enim sacra testantur eloquia: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Dominus noster Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Ita patriarcha Ioseph, typum exprimens nostri Saluatoris, interrogatus quid quæreret in agris, respondit, *Fratres meos quæro.* Ita Christus ipsemet in Euangelio, *Non veni*, inquit, *vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Venit ergo ad ciuitatem quæ est cōgregatio peccatorum. vbi enim congruentiùs eos quæreret? Venatores adeunt siluas, quia ibi locus ferarum est; piscatores mare & flumina, aucupes campos apertos, & auia iuxtà ac inuia quæque perlustrant, vbi spes est prædæ: ita Christus in ciuitatem hominum venit, vt peccatores caperet. Vnde etiam inter peccatores natus est, quando in ciuitate Bethlehem inter bouem & asinum iacuit; inter peccatores conuersatus est, inter latrones crucifixus: resurgens quoque peccatrici Magdalenæ, & Petro neganti prius

Super Missus est c. 31.

1. Tim. 1.

Gen. 37.

Matth. 9.

priùs apparuit. siquidem ad peccatores venerat, eosque operosè quærebat, & singulariter diligebat, vt in ciues cooptaret cœlestis Ierusalem.
Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduenæ*, inquit Apostolus, *sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.*

Quæstio secunda, cur in ciuitatem Galilææ. At quare in ciuitatem Galilææ missus est Gabriel? Sciendum in primis, Palęstinam seu Terram promissionis à Iosue diuisam esse inter duodecim tribus: & in Galilæa quidem sortem fuisse duarum tribuum Zabulon & Nephthalim, in Iudæa verò tribus Iuda & Beniamin. Hęc partitio erat iuxta agros ac possessiones quas singuli habebāt secundùm proprias sortes: tametsi licebat commorari vbi vnicuique placebat, sortibus singulorum manentibus in ea parte terræ, quæ propriæ obuenerat tribui. Itaque D. Virgo & Ioseph cùm essēt de tribu Iudā, partem suam habebant in regione Bethlehem: tamen habitandi gratiâ venerant in Galilæam, ibiq; commorabantur, quando missus est Angelus. Iam itaque quæstio est, cur Deus elegerit ciuitatem Galilææ vbi conciperetur. *Sit hæc prima ratio.* Respondeo, quia ibi habitabant Iudæi & Gentiles, & vtrosque volebat quęrere ad salutem. Quòd autem Galilæa non solùm à Iudæis sed etiam à Gentilibus habitaretur, patet apud
Isaiæ 9. Isaiam, vbi ait: *Trans Iordanem Galilææ gentium populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*. Notandum est autem, hîc & alibi Gali-
Matth. 4. læam gentium vocari, non modò superiorem Galilæam, vbi tribus Zabulon erat, sed etiam inferiorem vbi
Ioseph. lib. 3. de Bello Iudaico. Strabo cap. 16. erat Nazareth, & mare Tiberiadis. Ita affirmant Iosephus & Strabo: quia totam Galilæam multæ gentes habitabant: & Salomon ibi assignauit Hiram regi Tyri viginti oppida in 3. Reg. 9.
pretium eorum quæ contulerat ad templi exædificationē. Vnde D. Bonauentura de ea sic scribit: *Erat au-* Bonau. super Luc. 1.
tem Galilæa confinis Iudæorum & Gentium. itaque voluit vtrumque populum Christus ad salutis viam traducere: idque tum ex loco in quo natus, tum ex hoc oppido, in quo conceptus est, demonstrari potest. ideò siquidem elegit Bethlehem vbi nasceretur, quia *factus est ex semine Da-* Rom. 1.
uid secundùm carnem. Cui etiam facta est specialis de Christo venturo promissio, vbi dicitur in Psalmis: *De* Ps. 131.
fructu ventris tui ponam super sedem tuam. At verò etiam extra Iudæam apud Gentes concipi voluit, quia etiam Gentibus erat promissus, vt dicitur Abrahæ: *In semine tuo benedicen-* Gen. 22.
tur omnes gentes. item alibi: *Non au-* Gen. 49.
feretur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Ioan. 10.
gentium. Vnde omnes Prophetæ sæpè faciunt mentionem vocationis Gentium: & ipse Saluator, *Alias oues habeo*, inquit, *quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor.* Venit igitur noster Iacob in terram longinquam, in Mesopotamiam, vt seruiret pro sua sponsa quam adamauerat, vt posset reuerti cum duabus turmis in patriam suam; videlicet cum turmis Gentilium ac Iudæorum: & cùm duabus sponsis, quarum altera esset Rachel, formosa quidē, sed sterilis, id est, Synagoga; altera Lia, quæ etsi lippis erat oculis, quia hactenus Deum non cognouerat, tamen fecundior effecta est, & repleuit familiam Christi: adeò vt propriè & peculiariter ista vocetur sponsa Christi; altera ferè deserta. *Voca*, inquit Dominus, *nomen eius, Non populus meus:* Osee 1.

 quia

quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. Et locum hunc sic Apostolus interpretatur: *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam.*

Rom. 9.

Secunda ratio.

Congruebat etiam significatio nominis *Galilaea*, quod *transmigrationem* seu *transmutationem* designat, auctore diuo Hieronymo, nec non D. Gregorio Magno. maxima etenim transmigratio fuit Filij Dei de sinu Patris ad vterum matris, quemadmodum ipsemet declarat, vbi ait: *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum & vado ad Patrem.* Maxima per incarnationem transmutatio facta est de culpa ad gratiam, de ignorantia ad scientiam, de lege timoris in legem amoris, de seruitute in libertatē: traductio item ex idololatria falsisque religionibus ad veram fidem: conuersio luporū in agnos, & leonum in oues, id est, peccatorum terrenis cupiditatibus obstrictorum in homines spirituales: transitus de vmbra & tenebris veterum figurarum in lucem Euangelij, de humanitate quoque in diuinitatem: translatio fidei à Iudæis ad gentes, vt asserit Christus vbi ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius:* mutatio denique iræ diuinæ in clementiam, vindictæ in indulgentiam, belli in pacem, tristitiæ in gaudium, filiorum diaboli in filios Dei. Nam, vt Euangelista testatur, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius:* causamq; subiungit: *Et Verbum caro factum est*, id est, quia Verbum caro factum est, Hebraismo satis vsitato, vt explicat hîc Maldonatus noster.

Hieron. de Nominibus Hebraic. Gregor. Hom. 21 in Euang. Ioan. 16. Matt. 21. Ioan. 1. Maldon. super Ioan. 1.

Tertia ratio.

Denique hoc pacto nos docuit ab initio suæ conceptionis, mundi opinionum seu respectuum humanorum contemptum atque despicientiam. nam & Galilæa & Nazareth non ita benè audiebāt apud Iudæos, vt ex his eorum ad Nicodemum verbis facilè colligitur: *Scrutare Scripturas & vide, quia à Galilaea propheta non surgit.* & Nathanaël nuntianti sibi Philippo quòd inuenisset Messiam, Iesum à Nazareth, per despicientiam respondit, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Idcircò & hi, & post hos Iulianus apostata, contemptim & Christum Galilæum, & Christianos Galilæos & Nazaræos probri loco vocabant. At verò ab hoc cognomine tantum abest vt Dominus abhorruerit, vt & illud in cælis sibi assumpserit iam gloriosus, dum Paulo suos persequenti ait, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* & cùm eumdem ad necem quærerent milites in horto, ad quæsita eorum respondit, *Ego sum*, scilicet Iesus Nazarenus quem quæritis. Itaque iam ab exordio aduentus sui adimplere voluit quod posteà prædicauit: *Ego non quæro gloriam meam.* ad eum modum cœpit semetipsum exinanire, *& quæ infirma sunt mundi eligere vt confundat fortia; & ignobilia & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

Ioan. 7. Actor. 9. Matt. 26. Ioan. 8. 1. Cor. 1.

Quæstio tertia. Cur in Nazareth.

Sequitur vt explicemus etiam cur nominatim hanc ciuitatulam Nazareth elegerit Deus. *Videamus*, inquit Bernardus, *si, vt ait Nathanaël, à Nazareth potest aliquid boni esse.* quid? hoc mysterio vacare existimandum est? nequaquam. Sit igitur prima cōgruentia quam affert diuus Bernardus loco citato: *In Nazareth annuntiatur Christus nascituus, quia in*

Hom. 1. sup. Missus. *Prima cōgruentia.*

in flore speratur fructus processurus. Nazareth quippe interpretatur flos. Videtur autem mihi quoddam semen fuisse diuinæ cognationis tamquam è cælo iactatum in terras, allocutiones & promissiones factæ cælitus ad Patres, Abraham scilicet, Isaac & Iacob de quo
Isaiæ 1. *semine scriptum est: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Floruit autem hoc semen in mirabilibus quæ ostensa sunt in exitu Israel de Ægypto, in figuris & ænigmatibus per totum iter in deserto vsque in Terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotij vsque ad Christum. Christus autem huius seminis & horum florum non immeritò fructus esse intelligitur:*
Psal. 84. *dicente David, Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit.* Hæc ille. Quòd si igitur Nazareth *florem* significat vel *floridam*, vbi flos Christus oritur congruentiùs quàm in loco florulento? Florigeram vtiq; patriam amat flos iste Iessæus. Porrò quòd Christus Dominus meritò flos appellari de-
1. beat, patet in primis ex Scripturis, quæ tale nomen ei attribuunt. sic enim legimus apud Isaiam: *Egredie-*
Isaiæ 11. *tur virga de radice Iesse, & flos de radice eius adscendet.* vbi D. Hieronymus in hunc locum scribens, secundùm Hebraicam veritatem legendũ docet, *Et Nazaræus de radice eius crescet.* Quin & in Canticis ipsum
Cant. 2. id asserentem audimus: *Ego flos cam-*
2. *pi, & lilium conuallium.* Quadrat etiam similitudo floris, quia sicuti seminatur flos antequam oriatur, ita semen huius floris figuræ fuerunt veteri Testamenti, sed in Nazareth implentur orto flore. Deinde, flos
3. vt fructum afferat, ipse destruitur; & quamdiu integer manet, fructus non apparet: sic Christus morte sua fructum sanctificationis animarum nostrarum attulit, non allaturus, nisi mortuus fuisset, vti scriptum est: *Si* Isaiæ 53.
posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. & alibi: *Nisi* Ioan. 12.
granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Præterea Christus est 4.
flos, si tempus spectes, vere florifero satus, id est, incarnatus mense Martio. de quo sic Albertus Magnus:
Nomen ciuitatis, in qua concipitur, inquit, *exprimit statum tẽporis, & finem operis ad quod venit. Cùm enim Christus in Nazareth concipitur, iam hiems transiit, tempus innouationis aduenit, fructus appropinquauit.* Quintò, etiam 5. (Super *Missus est*, c. 33.)
ratione parentum: quia vt flos in cælo solem patrem, in terra plantam habet matrem sine corruptione: sic Christo Pater in cælo Deus, in solo mater fuit Virgo virginum. Sextò, 6.
ratione natiuitatis: quia vt calore solis & defluxu roris gignitur flos, ita Spiritu sancto beatissimam Virginem obumbrante, & rore diuinæ gratiæ flos iste Iessæus prodiit. Septi- 7.
mò, vti flos odorem habet & pulchritudinem, & amabilitatem: ita in Christo fuit suaueolentia virtutum, pulchritudo corporis, suauitas & gratia conuersationis. De quo in figura dicebat Patriarcha Iacob: *Ecce* Gen. 27.
odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. agrum quippe plenum vocat B. Virginem gratia plenam, ex qua fragrantissimus hic flos generis nostri est ortus. Octa- 8.
uò, sicuti ex floribus contusis virtute

ignis varij liquores eliciuntur morbis curandis: ita ex Christo in passione expressus est sanguis & aqua, vulneribus animarum curandis. Imò & claui & lancea & spinæ dulcissimi flores sunt, quibus immorantes animæ deuotæ mella meditando conficiunt.

9. Nonò, ad pastum etiam variis condimentis præparantur flores: sic & Christus Dominus de se profitetur, *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi*, panis videlicet omne delectamentum in se continens.

Ioan.6.

10. Denique floribus coronæ adornantur: atque ita Christus Dominus electis suis erit corona gloriæ ornatissima, vt loquitur Propheta: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exsultationis residuo populi sui.* Atque in his posita est similitudo floris. Sed qua de causa flos cãpi dictus est, non hortorum? Primò quidem, quia sine personarum acceptione, omnibus eum carpere volentibus in commune propositus est. Deinde, quia solo cælestis Spiritus influxu, sine vlla humani cultus opera, in castissimis Virginis visceribus, velut in campo quodam, satus & altus est virtute Spiritus sancti. Ita scribit mellifluus Doctor in hæc eadem verba: *Non se horti florem sed campi appellat*, inquit, *quia hortus vt floreat, hominum manu & arte excolitur; campus verò ex seipso naturaliter producit flores, & absque omni humana industria adiutorio. Maria procul dubio hic campus est, non sulcatus vomere, non defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec hominis manu seminatus, venustatus tamen nobili illo flore, super quem constat requieuisse Spiritum Domini.* Adhæc, veluti bruta animantia flores conculcant ijsque incubant, sed homo prudens colligit: ita Christus Dominus ab impijs qui vitam animalem ducunt conculcatur, sed à iustis ac pijs honoratur. Iam ecquod huic flori nomen? *Lilium*, inquit, *conuallium*, id est, humilium & castarum animarum gloria atque ornamentum. Proueniunt quippe meliùs lilia in vallibus quàm in montibus, quia copioso indigent humore: ita Christus copiosam confert gratiam humilibus. Itaque venit Christus in ciuitatem Galilææ, hoc est, omnibus hominibus, etiam peccatoribus magnis proponitur: tamen præcipuè Nazareth quærit, ciuitatem paruulam & floridam, hoc est, animam humilem & castam. Ad alias congruentias veniamus.

Isa. 28.

Cur 1. Christus dicatur flos campi Cant.2. 2.

Bernard. Ser.47. in Cant.

Isa. 2. 5.

D. Hieronymus in Isaiam, explicans qua ratione Christus sit dictus Nazarenus, sic ait: *Nazarenus idem est quod Latinè separatus, sanctificatus, consecratus.* Sicut enim in veteri lege qui ad tempus vel perpetuò se Deo dedicabant, & à communi modo viuendi separabant, iuxta præscripta legis, & dicebantur Nazaræi, quasi separati ab alijs ac Deo consecrati; de quorum numero Samson fuit, illustris figura Christi: ita Christus verè ab alijs hominibus separatus fuit, quia hi omnes peccatores sunt, ipse verò solus sine peccato. *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Hãc eamdem causam, cur concipi Christus voluerit in Nazareth, affert etiam Eusebius.

Secunda congruentia.

Hierõ. in Isa. 11.

Num. 6.

Iud. 10.

Hebr. 7.

L. 7. Demonstrat. Euangel. c. 5.

Tertia congruentia fuit, *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*, auctore D. Mattheo Euãgelista. Omnes enim figuræ, prophetiæ, ac promissiones Patribus factæ de Christo nasciturо, sũt impletæ, siue impleri cœperunt in ciuitate Nazareth, quando venit in eam

Tertia congruentia

Matth. 2.

Naza-

Nazaræus, quando ibidem posteà habitauit, quando titulum mortis triumphalem obtinuit, *Iesus Nazarenus: Rex Iudæorum.* Ad eumdem quoq; modum nasci debuit in Bethlehem Iudæ, vt impleretur illa prophetia Michææ: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Sic debuit *sicut ouis ad occisionem duci,* &c. vt implerentur Scripturæ. Denique omnia consummata sunt, figuræ, vaticinia, promissiones, lex, sacrificia, Ecclesiæ matrimonium, mandata Patris, quando dixit in cruce Dei Filius, *Consummatum est.* Atque in cruce quidem finis implendi, in Nazareth verò principium fuit.

Mich. 5.

Isa. 53.

Quarta congruētia. Quarta cōgruentia erat, vt homines doceret nobilitatē ac natalium splendorem contemnere; nequis deinceps gloriaretur se ex magna & nobili ciuitate, aut illustribus parētibus oriundum, quādo ciuitatula talis in patriā ac natale solum delecta est à Dei Filio. Quare nō immeritò Platonem iuueniliter exultantem & gratias agentem naturę quòd Atheniensis esset, quódque Socratis tēporibus natus, grauiter reprehendit Lactantius, affirmās, nihil vmquam in humanis rebus dictum esse deliriùs: quia multi indocti & stulti & asini indidem originem traxêre. Non enim parentes aut locus, in quo quis natus est, conciliat homini verum decus ac gloriam, sed virtus, vt aiunt, ac sapientia.

Quinta congruētia. Quærat porrò quispiam fortassis, an non hoc fine atque consilio Dominus in hunc mundum venit, vt veritatem mundo annuntiaret? sic enim indicat Pilato: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in hunc mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Atqui hoc videtur fieri conuenientiùs potuisse, si natus fuisset Romæ, vbi tunc imperium orbis erat; si Athenis, vbi tot sapientes florebant: aut certè si Ierosolymis, vbi passus est. Quare concipi voluit in ciuitatula Nazareth, quare nasci in Bethlehem ciuitatula *minima in principibus Iuda?* Respondet D. Leo: *Qui serui susceperat formam, Bethlehem prælegit natiuitati, Ierosolymam passioni. Discite à me,* inquit, *quia mitis sum & humilis corde.* Discite, parua semper & humilia propter vos elegisse Dominum. Nam quemadmodum cùm patiendum ei esset, & cùm summa abiectio, summum opprobrium, summa ignominia infami cum supplicio subeunda, Ierosolymam præoptabat, Festum solemne, frequentiam populi, locum excelsum in monte, summam nuditatem, tantam denique vilitatem, quantam poterat maximam: ita cùm in hunc mundum veniret, elegit paruulam Nazareth, nasciturus paruulā Bethlehem, in vita sua tantam egestatem *vt non haberet vbi caput reclinaret,* in vitæ exitu lotis discipulorum pedibus *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortē autem crucis:* Post mortem etiam humilitatis obliuisci noluit, sed nos vocare fratres suos dignatus est, cùm Magdalenæ dixit: *Vade ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Nam quam aliam ob causam vocare illos discipulos aut seruos noluit, sicuti ipsi eum vocabant Dominum ac Magistrum? Denique post ascensionem eadē humilitate causam pauperum discipulorum in se suscipiens, Saulo persecutori dicebat, *Saule, Saule, quid me persequeris?* O mirā diuinæ naturæ proprietatem! *Excelsus*

Ioan. 18.

Mich. 5.

Ser. 1. de Epipha.

Matt. 11.

Luc. 9.

Philip. 2.

Ioan. 20.

Act. 9.

Psal. 137.

sus Dominus, inquit Propheta, *& humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Sicuti pater natu minimos dulciore solet affectu diligere: ita Deus semper peculiari modo affici consueuit paruulis. Sic vbi Adam duos genuit filios, Cain & Abel, non Cain sed Abel elegit Dominus. Abraham genuit Ismael & Isaac, Deus autem non maiorem illum sed minorem elegit. Isaaco nati sunt gemini Esau & Iacob, & antequam aliquid boni vel mali egissent, non Esau, sed Iacob elegit Dominus. Iacob duodecim filios habuit, sed Iosephus eligitur ac præfertur vniuersis. Quando filijs Israël voluit Deus regem dare, constituit illis Saülem, de minima tribu Beniamin, & ex minima familia Israël: de quo dicitur
1. Reg 13 in sacris Regum voluminibus: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset.* Cùm deinde secundus Rex vngendus esset, isque filius Isai diuinitus designaretur, dicebat Dominus
1. Reg. 16 Samueli: *Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Venit Samuel ad Isai, & peracto sacrificio exponit causam aduentus sui. Inter octo filios Isai primo loco ingreditur natu maximus Eliab. num iste rex erit? *Dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neq; altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hũc elegit Dominus. Adduxit Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: & ait Samuel ad Isai: Nõ elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid iam cõpleti sunt filij?* *qui respõdit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel: Mitte & adduc eum. Erat autem rufus & pulcher aspectu. & ait Dominus: Surge & vnge eum; ipse est enim. Itaque vnctus est in medio fratrum suorum.* Hunc in modum Deus Apostolos in noua lege assumpsit, idiotas, rudes, pauperes, ignobiles, inermes, infirmos numero & viribus: humilem denique matrem supra omnes mortales & immortales. O Deũ admirabilem! *Quis sicut Dominus Deus noster* Psal. 112.
qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Ecce istiusmodi seruat ipse morem. Et homines quidem mundani longè aliter faciunt, sicut mundus eos edocet, quia magna concupiscunt, & parum assequuntur: humiles verò Christum sequentes parua eligunt, & ad magna perueniunt. *Sinite*, inquit, *paruulos venire ad me,* Matt. 19.
& nolite prohibere eos: talium enim est regnum cælorum. Ita paruulos extollere, & amplexari, & benedictionem illis impertiri consueuerat. Statuensque paruulum in medio turbæ, dicebat: *Amen dico vobis: nisi conuersi* Matth.
fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non 18. & 19.
intrabitis in regnum cælorum. Quid est Mar. 10.
quòd tantum tribuit paruulis? num quia humilium typi sunt & figuræ? quòd si typum humilitatis tanti facit, quanti ergo prototypum facit?

Sed ecce vt Angelus Gabriel duxit nos in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth! Ecce Nazarethi sumus. Non versemur, auditores, in plateis ciuitatis, quia quærimus Virginem inclusam cubiculo. Dirigite oculos spirituales ad contemplandum hoc cubiculum, in quo Deipara nata est & educata, in quo Angelus eam salutauit, in quo Filius Dei carnem nostram induit, in quo habitauit. Videte lapides

Pars 2. de Nazareth historica & moralis.

lapides quos calcauit, parietes quos attigit manibus. O locum religiosissimum, Christiani! certò credite etiamnum extare illud ipsum cubiculum, in Italia, Laureti: atque in illo cubiculo innumera propemodum miracula hactenus patrata, & adhuc patrari quotidie Esse autem idem cubiculum Laureti quod in Palæstina fuit Nazareth, iam est indubitatum, quàm hoc ipsum in quo sumus templum esse huius ciuitatis: non tantum propter fidem Auctorum grauissimorum qui de hac re libros conscripserunt (vt nuper quidam è Societate nostra P. Turcelinus, & P. Richeome) neque propter admiranda opera dumtaxat, quæ adhuc in dies experientiâ ibi cognoscuntur; sed propter visiones diuinas de hac re varijs Episcopis, alijsque viris grauissimis exhibitas: propter experientiam quoque testium multorum, qui sæpiùs ex Italia exploratum missi sunt, an longitudo & latitudo loci, ipsaque fundamenta responderent fundamentis in ciuitate Nazareth: denique propter declarationem Pontificum, qui post huiusmodi experimenta asseruerunt idem esse cubiculum ab Angelis translatum ad consolationem totius Occidentis, postquam barbari ea loca Orientis inuasêre. Quapropter ad honorem gloriosissimæ Virginis, & Dominicæ incarnationis, dicamus breuissimè quemadmodum cubiculum hoc ex Oriente in has regiones sit translatũ.

Vt Beda de Locis sanctis. Blondus lib. 1. de Italia. Baptista Mãtuan. de Laur. æde Leãder Albertus, &c.

Reperimus in Ecclesiasticis historiis, post ascensionem Christi semper hoc cubiculum in pretio & in honore habitum à Christianis, & ab ipsis Apostolis in sacellum esse dedicatum. Hinc ab Asia, Africa & Europa vndique concursus huc factus religionis causâ. Anno autem trecentesimo partæ salutis, Helena Augusta, mater Constantini Magni, hac domo reperta, peramœnum ibi condidit templum, vt Nicephorus auctor est. Tenuit hæc religio multos annos. Vbi verò Agareni, aliiq; barbari loca sancta inuasêre, & magna ex parte destruxêre, adeò vt Christiani Principes ea non ampliùs tutari possent; ne esset hic locus sine honore, ad consolationem totius Europæ, cubiculum hoc à fundamentis auulsum & barbaris ereptum, & translatum est ab Angelis in Dalmatiam, per tot terras ac maria, per vicies centena milliaria, anno Domini 1294. Vbi cùm aliquamdiu constitisset, magnisque miraculis claruisset, iterùm translatum est in Italiam trans mare Adriaticum: sicuti ad preces D. Gregorij Thaumaturgi olim mons integer translatus est. Quieuit tandem in silua Recanatensi, nobilissimæ feminæ patrimonio, cui nomen erat Laureta, non procul Ancona ciuitate maritima. venienti arbores eius siluæ velut venerabundæ se inclinauêre, ac deinde pronæ perstitêre, quoad æuo, ventis, ferro procumberent. Supersunt adhuc, aut saltem ante aliquot annos vixerunt, qui dicerent ante annos triginta complures istarum arborum nec semel, nec sine admiratione conspectas, versus mare proclinatas. Ecce vt arbores honorant Virginis domicilium: & homines ipsam Virginem non honorant? Vt porrò nos eam in posterum cupidissimè honoremus, miracula eius inibi edita recolamus ingenti tum numero tum splendore. Nam & in mari, & in fluminibus, & in puteis, alijsque summis periculis imploratum eius auxilium profuit.

Niceph. lib. 8. histor. Eccles.

L clau-

claudi, cęci, infirmi multi sanati sunt. Sacerdos quidam Dalmata (vt vnum atque alterum è multis excerpamus) captus à Turcis, cùm ad deserendam Religionem omni artificio pelliceretur, nefarias eorum voces fortiter contēnebat ac reprehendebat, Christum & Mariam identidem inuocans. Stomachantibus illis cur toties illa nomina vsurparet, Quia hærent mihi, inquit, in præcordiis. Ibi Turcæ minitari se præcordia ipsa extracturos, nisi extemplò Christum Mariamque exsecretur. Erratis, inquit ille; præcordia mihi auferre potestis, Christum & Mariam non potestis. Hîc illum ferro inuadunt, crebrò inclamantem Virginem Lauretanam, & vouentem, si vita suppetat, primo quoq; tempore se ad eam iturum. Aperiunt ventrem ipsi, & ilia extrahunt, eaque feminceci, & iam iamque, vt putabant, casuro tradunt, simul per ludibrium increpantes, Abi iam, propera, & præcordia, in quibus hærere ais Mariam Lauretanam, ad eam perfer, vt vouisti. ô rem incredibilem! ille porrò ire pergit, & auxilio Virginis venit Lauretum, omni per viam populo effuso ad spectaculum: peruenitq; tandem, multorum dierum itinere celeriter emēso. ibi ritè confessus est & communicauit, gratiasque Virgini etiam atque etiam egit. Quin & ipse Bassa Turcarum ante quinquaginta annos Constantinopoli cùm esset, ex graui occultoque pectoris apostemate ad extremum venerat vitæ discrimen. apud eum seruitutem seruiebat Christianus vir bonus ac pius; qui dominum, de B. Mariæ Lauretanæ admirabili vi in morbis cuiusque generis depellendis edoctum, bonæ implet spei: & eò impulit vt secum Lauretanam Virginem inuocaret, vouens si morbum depulisset se illi seruo libertatem daturum. Nec seruus dominum, nec Maria seruum fefellit. Seruus libertate donatus cum litteris ac muneribus Lauretum ad Virginem destinatus venit. Quid alia commemorem, quorum pleni sunt libri?

Propter hæc & propter arcanum diuinitatis atque incarnationis, quod inibi Angelo Gabriele nuntiāte peractum est, audeo dicere, tantam esse huius cubiculi gloriam ac maiestatem, vt locis omnibus, quæ sub cælo sunt, anteferri debeat. In agro quidem Damasceno de limo terræ homo creatus; sed hîc de purissima Virginis substantia Deus homo factus est. In paradiso terrestri mulier de viri latere sumpta, hîc de muliere Deus prodiit. In arca Noë generis humani seruatæ reliquiæ, hîc toti mundo salus est orta. In monte Sinai lex Moysi tradita est cum multis signis atque portentis, & Dei digito scripta: hîc Deus fecit potentiam in brachio suo, & datus est nobis ille qui est via, veritas & vita. Templum Salomonis admirabile & gloriosum, Dei insuper præsentiâ sanctum ac venerabile: sed vbi Deus magis pręsens quàm hîc? Sancta sanctorum locus erat sanctissimus, sed hoc sacrarium sine comparatione sanctius. Arca fœderis tabularum receptaculum, legisque armarium ita colebatur, vt profanis manibus attrectari non liceret: at in sacello isto non tabulæ lapideæ, sed ipse legis auctor in carne Deus apparuit. Multa quoque loca celebrata sunt propter illustres apparitiones, vt conuallis Mambre, Gen. 18.
vbi tres Angelos Abraham excepit hospitio: item Bethel in Mesopota- Gen. 18.
mia

mia Syriæ, vbi ſcala Iacob conſpecta eſt: item locus in monte Oreb, vbi Deus apparuit Moyſi in rubo ardenti. Sed quæ comparatio horum locorum cum ędicula Virginis matris, in qua Angelorum princeps Gabriel ei apparuit, & è Concilio ſanctiſſimæ Trinitatis lætiſſimum illum nuntium attulit?

Exod. 3.

Veniamus ad loca Terræ ſanctæ, quæ noſtri peregrini ex toto mundo maximè veneraturi ſolent tot maria peragrare. Sanctæ in primis domus illæ, in quibus verſatus eſt Saluator vel hoſpitatus, vt Lazari, Zachæi, Simonis leproſi, vbi Chriſtus quondam miracula edidit: ſed vbi magis hoſpitatus eſt, vbi maius miraculum fecit, quàm in hoc cubiculo? Sanctus hortus ille Gethſemani, in quo Dominus conſueuit orare: ſed hîc & orauit & quieuit, & manducauit, & bibit cum benedicta matre. Sanctus mons Thabor, vbi Transfiguratio Domini facta eſt: ſed hic locus ſanctior. quæ enim maior Transfiguratio quàm quæ hîc contigit? Sancti ſunt alij etiam mōtes, maximè mons Oliuarum ob Chriſti aſcenſionem; ſed hic locus ſanctior ob Chriſti deſcenſionem. Hoc Chriſti habitaculum, Spiritus ſancti thalamus, gratiarum theſaurus, diuinæ pietatis æternum monumentum eſt: quicumque inuiſunt, experiuntur præſentiſſimam Dei gratiam. Etiamſi maximi ſint peccatores, qui nec Deum timent nec homines, non poſſunt ſine contritione hoc ſacrarium intrare. Teſtantur quicumq; eò religionis cauſa peregrinantur. Sed multa ſatis de loci huius præſtantia atq; ſanctitate.

Nunc applicemus hæc nobis, quoad eius fieri poteſt. Inueſtigemus ſedulò, an nō valeamus reperire hîc etiam aliquam Nazareth in patria noſtra, ne debeamus tot maria tranſmittere quò ad Terram ſanctam pertingamus; vel ſaltem Alpes tranſſcendere & in Italiam proficiſci. Videlicet non ſolùm in Belgio noſtro, vel in ſingulis ciuitatibus Belgij, ſed in animis quoq; ſingulorum qui hîc adſunt extrui poteſt ſpirituale Nazarethum, in quo Dei Filius concipiatur per ſacroſanctam Euchariſtiæ ſumptionem. Habitat quoq; ibidem & alitur atque educatur incrementis diuinæ gratiæ, quæ virtute meritorum Chriſti, bonorumque operum diffunditur in cordibus noſtris. O fœlix nuntius, qui tamquam ab Angelo Gabriele ad aures noſtras perfertur! Sed quemadmodum Verbum æternum carnem humanā aſſumere noluit Ieroſolymis, vrbe Regia, ſed in exiguo oppidulo Nazareth: ita Dei gratia, vel potiùs ipſe Dei Filius, non facilè aut libenter cum ſuperbis commoratur, ſed humiles quærit, & paruulos in oculis ſuis, & virtutum floribus ornatos. *Lectulus noſter floridus*, inquit ſponſa in Canticis: hoc eſt, Anima fidelis, vt ſponſo ſuo placeat, florida ſit neceſſe eſt, deliciis affluens cæleſtibus, gratiarum omnigenis floribus, patientiæ roſis, caſtitatis liliis, ſoliſequis obedientiæ, calthis, violis humilitatis. Qui ſpirituales ſunt, ſatis me intelligunt: & ad frequentem Sacramentorum, maximè venerabilis Euchariſtiæ perceptionem præ amoris ac lætitiæ magnitudine exardeſcunt. Sed queritur Apoſtolus quoſdam eſſe animales homines, dum ait, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Quantum profectò diſcrimen inter ſpirituales homines & carnales? Spirituales enim carnalia &

Cant. 1.

1. Cor. 2.

 mun-

mundana fastidientes, sola spiritualia, quæ summo in pretio habenda sunt, omni studio consectantur, & summi æstimant, & gaudium inde maximum capiunt. sicuti eunuchus ille Candacis reginæ Æthiopum, qui vbi Philippum euangelizantem, & peccatorum veniam, atq; aditum regni cælestis per Christum sibi promittentem audiuit, suscepto salutari lauacro *ibat per viam suam gaudens*, quòd hoc faustissimum Euangelij nuntium accepisset. Ceterùm carnales homines spiritualia bona fastidientes, sola carnalia (quæ carni familiaria & cognata sunt) degustant, sola captant, sola sitiunt. quod apertè confitetur Apostolus, vbi ait: *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt.* Quod cùm ita sit, quid mirum si carnales homines audito hoc spirituali nuntio de Nazareth, nullum lætitiæ affectum in pectore carnali excitent? Quemadmodum enim iumēta hordeum malunt quàm aurum (quòd auri pretium non agnoscant) ita isti velut muta quædam pecora, carnalia bona spiritualibus præferunt. Audite igitur, ô spirituales, quod vobis proprium est: annuntio vobis gaudium magnum, vos nempe in anima vestra spirituale Nazarethum, id est, lectulum floridum sponso vestro apparare, quotiescumque Filium Dei in sacra Communione hospitio excipitis. O si sciretis donum Dei, & quis est qui vestrum ingredi hospitium dignatur! Nam quid non donabit ille cum quo donantur omnia? At quid carnalibus denuntio? quid? ipsos non Dei filios, sed filios esse diaboli, & cum eo in æternum arsuros, nisi velint fieri spirituales, & amore eius qui in Nazareth ciuitate Galilææ incarnatus est, de carne transmigrent ad spiritum, de creaturis ad Deum, de terris ad cælum. Bernardum hac de re disserentem audiant: *Ego hanc arbitror*, inquit, *præcipuam Deo inuisibili fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus conuersari, vt carnalium videlicet cunctas ad suæ carnis salutarem amorem retraheret affectiones.* Videns enim Deus opt. max. homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis in carne exhibuit, vt durissimus sit, quisquis eum toto affectu non diligit. Da Deus, vt te intimè super omnia diligamus, & laudemus & superexaltemus in æternum & vltra. Amen.

Act. 8. | Rom. 8. | Bernard. Ser. 20. super Cant.

Sequitur nunc in Euangelio nostro, *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph*, &c. De quo sic vos omnes alloquitur D. Augustinus: *Venite virgines ad Virginem, sponsæ ad desponsatam: venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem* (addamus &, viduæ ad viduam) *ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Ideò enim omnes istos cursus naturæ virgo Maria suscepit, vt omnibus ad se confugientibus feminis subueniret.*

August. Serm. 11. de Nat.

CONCIO IX.

Ad Virginem.

1. *Quare Deus incarnationi suæ Virginem delegit.*
2. *Qualis hæc Virgo fuit.*
3. *Quomodo imitari eam possumus.*



NOMINIBVS quibusdam proprijs initio huius Euangelij obiter transmissis, ducimur hodie ab Angelo ad ipsam Virginem Mariam,

quæ

quæ est primaria totius actionis persona, atque adeò ad auspicandas nunc laudes Marianas inuitamur. De quibus meritò equidem vsurpare possum verba magni illius cultoris Mariani Petri Damiani, dum ait: *Cum beatissimæ genitricis Dei laudes scribere volumus; quia noua & inaudita sunt quæ tractanda suscepimus, nulla inuenimus verba quibus ad hæc dignè exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis, materia singularis. Quæ enim lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, cũ cogitare cœperit quia Creator oritur ex creatura, factor fit ex factura? Iacet intra materna viscera paruulus, qui cum coæterno Patre rerum iura gubernat immensus: concipitur in Virgine, qui vatissima totius mundi amplitudine non continetur?* Hæc ille. Nihilominùs quia necessariò loquendum est, & Euangelista deinceps campum aperit collaudandi Virginem matrem; considerandum in primis est, quemadmodum Deus Opt. Max. antequam conderet primum hominem, quem vocauit Adam, præparauerit ei conuenientem domum, scilicet mundum hunc vniuersum, ac maximè paradisum terrestrem, ibique posuerit hominem de terra virgine formatum. Hic erat *primus Adam de terra terrenus*, ob cuius lapsum *secundus Adam de cælo cælestis* expectandus erat. Priùs verò quàm is veniret, adornari similiter ipsi decebat alium paradisum, cælesti videlicet cælestem. Qui enim cælitus è pectore Patris in terras descendebat, dignè Virginis vtero excipiendus erat, qui quasi alter paradisus ei maximè congruebat, vt figuræ veritas responderet. Nam paradisi figuram de D. Virgine præter ceteros luculenter exposuerunt D. Bonauentura, D. Irenæus, & Rupertus. Annuit etiam sponsus in Cantico amoris, vbi ait: *Emissiones tuæ paradisus*, &c. vt explicant Honorius, Rupertus, Dionysius. At qua ratione paradisus? Primò, Quia inter ceteras loci delicias in medio eius lignum vitæ natum est, hoc est, Filius Dei, qui de semetipso in Euangelio dixit: *Ego sum via, veritas & vita.* Hoc porrò discriminis fuit, quòd lignum illud vitæ non conferret vitam beatam, sed in vita naturali dumtaxat hominem conseruaret: at beatissima Virga fructum hominibus verè benedictum attulit, in quo benedicuntur omnes gentes. Vnde plena Spiritu sancto dixit Elisabeth: *Benedictus fructus ventris tui.* Secundò, Sicuti paradisus initio creationis mundi à Domino Deo plantatus est, ita Maria initio reparationis mundi ab eodem condita est. *Sapientia* enim *ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem*, &c. Alius videlicet congruentem ei habitationem exædificare non posset. Tertiò, Sicut ibi *omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suaue:* ita & in Maria, cuius hæc sunt verba: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho*, &c. Vbi cedrus sublimem eius contemplationem adumbrat, cypressus odoriferam nominis eius famam, palma gloriosas victorias, rosa patientiam, oliua misericordiam. Quartò item, variæ illic erant florum fructuumque stirpes, inter quas nullæ herbæ noxiæ, nulli tribuli aut spinæ ante peccatum, vt quibusdam videtur: ita in Maria omnigeni vernabant flores virtutum, nihilque erat lethale, nihil noxium,

Ser. 2. de Nat. Virginis.
Gen. 2.
1. Cor. 15
Bonau. l. de Eccles. hierar. par. 4.
Iren. l. 3. c. 33.
Rup. l. 3. sup. Cãt.
Cant. 4.
Ioan. 14.
Prou. 9.
Eccli. 24.
Ambr. lib. Hexaëm.

noxium, sed omnia suauia & salutaria. Quintò denique, fuit ille paradisus antiquus, paradisus terrenus, aquis fluuialibus irrigatus, in quo posuit Deus hominem quem formauerat: iste paradisus nouus, cælestis, delicijs affluens, quem diuini fluminis impetus lætificauit, in quo Deus hominem formauit qui apud ipsum erat in principio. Meritò itaque missus describitur Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, id est, à paradiso in paradisum. De quo dicendum nunc Primò, Quare potiùs ad Virginem quàm ad mulierem aliquam. Deinde, Qualis illa virgo fuit. Tertiò, Quomodo imitabimur.

AVE MARIA.

MOdum incarnationis de femina factæ sic enarrat Apostolus: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Vbi satis insinuat, quo pacto, cùm Deus mitteret Filium suum in mundum, licet posset ei condere corpus & animam sicut primo Adamo, sine matre, aut ex nihilo; vel naturam aliquam Angelicam & cælestem, in qua mereretur nostram redemptionem; noluit tamen sic fieri, sed matrē ei dare ex hominū genere decreuit ab æterno, multis iustisq; de causis. Prima, Vt ex Adami genere ortus homo, Adami ipsius, cæterorumq; omnium Adami filiorum debitum solueret. Ita cum alijs Theologis censet D. Thomas, cuius hæc sunt verba: *Hoc*, inquit, *videtur ad iustitiam pertinere, vt ille satisfaciat qui peccauit: & ideò de natura per peccatum corrupta debuit assumi id per quod satisfactio erat implenda pro tota natura.* Hæc ratio confirmatur auctoritate SS. Patrum, D. Augustini, Irenæi, Leonis, Anselmi, & aliorum.

Gal. 4.

D. Tho. 3 p. q. 4. a. 6. Aug. l. 13. de Trin c. 18. Iren. l. 3. c. 31. & l. 5. c. 21. Leo Ser. 2. & 3. de Natiuit.

Secundò, Deus quidem poterat de viro carnem sibi humanam formare, sicut Euæ corpus de Adæ costa construxit: sed volens humanam naturam honorare, quam ad mundum redimendum assumebat, concedere ei statuit quod erat vtrique sexui valdè honorificum. Nam sicuti dum ipse virilem assumpsit naturam, etiamsi totum genus humanum exaltarit, præcipuè tamen sexum virilem: ita dum elegit matrem feminam, etsi totam hominis naturam honorarit, maximè tamen sexum feminatum. Sanè matrem Dei fieri, ingens dignitas erat, atque adeò quodammodò infinita. Et sicuti Patri celesti infinita est gloria, talem habere Filium vnigenitum; ita incomparabilis quædam gloria est matris, eūdem genuisse Filium, eique suam dedisse substantiam, veluti Pater eidem dederat suam. Nobilitauit itaque naturam humanam Deus haud aliter quàm si Rex domum aliquam nobilitare vellet, ac proinde masculos totius familiæ ac feminas omnes priuilegijs cumularet. Vnde sic D. Augustinus: *Hominis liberatio*, inquit, *in vtroque sexu debuit apparere, in viro & in femina, de qua vir naturam assumpsit.* Eamdem & alibi causam affert, vbi ait: *Ne quis fortè sexus à suo Creatore se contemptum putaret, virum suscepit natus ex femina.*

Ansel. l. 2 Cur Deus homo, c. 8. Basil. Seleuciæ Episc. Ora. de Annunt.

Lib. 83. Quæstionum, q. 11. Vide l. de Fide & Symb. c. 4 & de Vera religione c. 4.

Tertiò, Constituit etiam Deus hac ratione veritatem incarnationis adstruere, quam multi negarūt hæretici, & hodie adhuc Anabaptistæ seu Mēnonitæ negāt. De quo D. Augustinus differit in hunc modum: *Si omnipotēs Deus hominem vbicumque formatū, non ex materno vtero crearet, sed repētinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret*

Epist. ad Volusianum.

firmaret erroris, nec hominem verum suscepisse vllo modo crederetur? & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc verò ita inter Deum & hominem mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret Itemque D. Ambrosius: *Multa secundùm naturam veniens, multa supra naturam fecit. Secundùm naturam in vtero formatum est corpus: sed supra naturam Virgo cōcepit, Virgo peperit; vt crederes quia Deus erat qui innouabat naturam, & homo erat qui secundùm naturam nascebatur ex homine.*

L. de Incarn. Verbi.

Quartò, vt ex illo genere, quod à dæmone superatum fuerat, is nasceretur, qui de dæmone triumpharet. Ita quoque D. Augustinus, *Pertinebat*, inquit, *ad iustitiam & bonitatem creatoris, vt per eamdem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat, & de ipso quod victum fuerat genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.* Sicuti igitur ruina generis humani à femina cœperat, ita reparatio conuenienter à femina fieri debuit: vt sicut Eua initium fuit mortis, ita altera felix Eua exordium fieret vitæ.

L. 13. de Trinit. c. 18.

Quintò, Quin & nostra intererat, vt per incarnationem nobis esset non solùm pater Christus Dominus, sed etiam mater Maria virgo, quæ hominum mediatrix & patrona fidelis existeret, nobisque in omnibus necessitatibus maternum exhiberet affectum. Quid ita? *Intercessor*, inquit Augustinus, *participare debet extrema inter quæ intercedit.* Sic bonus mediator Ionathas, qui Sauli filius erat, Dauidi amicus. Bona mediatrix Maria, Dei mater, & nostra soror, vel potiùs mater. Nam quia mater Dei est, ab eo obtinere potest quæcumque petit. *Pete mater mea,* ait Salomon, *nec enim fas est vt auertam faciem meam.* Quia verò mater quoque nostra est, nos ardenter diligit, nostri miseretur, nobis in omni necessitate gaudet opitulari. Sicut igitur in magna aliqua domo non sufficit filijs habere patremfamilias à quo regantur, sed dulce est habere item & matrem à qua foueantur: ita in Christi Ecclesia non tantùm pater esse debuit, sed dulcissima etiam mater Maria. Hi sunt parentes nostri, auditores, ad quos recursum habeamus in omnibus cum summa fiducia, sicut filij solent ad patrem matremque naturalem. Si timeamus ad Filium accedere quia Deus est, per matrem accedamus, vt sancti viri nos sapientissimè atque identidem monere solent.

Aug. de Ciu. l. 9. c. 15. &c.

3. Reg. 2.

Vide Bernard. Serm. de Natiuit. Mar. Ansel. l. de Excel. virg. c. 6.

Sed qualem feminam Deus delegit? qualem nascendi modum? anne communem? Atqui hoc non decebat Deum, qui dixerat, *Nouum creauit Dominus super terram: femina circumdabit virum.* Nouum aliquid eligere debuit ille, cui nomen, *Magni consilij Angelus, admirabilis,* &c. Nunc igitur attende quæ noua in Maria, matre Dei. Primò, Virgo mater facta est; an non hoc nouum? adeò certè nouum in hoc mundo, vt nec simile factum omnibus retrò sæculis, nec insequentibus sit futurum. Et cùm Poëtæ de dijs suis mira finxerint vt ijs falsos honores haberent, cùm de deabus suis alia multa mentiti sint; hoc tamen comminisci nescierunt. Deinde, mater parentis sui Maria fit; non hoc etiam planè nouum? num de his D. Paulus intellexit atque explicuit illud Prophetæ Habacuc, *Aspicite in gentibus & videte, & admiramini & obstu-*

Iere. 31.

Isa. 9.

1.

2.

Act. 13.

obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur. Quid, quàm illud nouum in hac virgine, quod de rhinocerote siue vnicorne verissimum esse contestantur D. Isidorus, Gregorius, alijque complures rerum naturalium scriptores? Rhinoceros, qui & Monoceros, inquiunt, tam inusitatæ fortitudinis est, vt diu nulla venantium arte capi potuerit, & cum elephante decertans illum cornu occidat, cùm tamen maximum omnium animalium sit elephas. Sed obseruata est quondam natura eius hoc experimento, vt asserunt. Virgo ei puella optimè compta proponitur, cuius decore captus, & velut agnus mansuetissimus pedibus eius aduolutus, beneuolè se tractandum exhibet. Sed inter ludendum, dum ferocitate posita caput in eius gremium reclinat, illa collo laqueum inserit, & alligat arbori. Venatores propè delitescentes accurrunt, & comprehendunt. Porrò id rectè SS. Patres applicant Filio Dei, *cuius fortitudo vt rhinocerotis* in Sacris litteris describitur: itemque, *dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Nam cùm incomprehensibilis ac inuictæ virtutis esset, nec è cælestibus illis septis, in quibus versabatur, elici posset; captus est à Maria virgine, quem frustrà venatores illi veteres Abraham, Isaac & Iacob, Dauid, alijque Reges aut Prophetæ capere tentarant. *Abraham enim exultauit vt videret diem meũ,* &c. &, *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audiuerunt:* vt ipsemet in Euangelio testatur. Funiculus eius collo insertus à D. Virgine, funiculus fuit charitatis, qua adeò mansuefactus est, vt pateretur se omni modo ligari. Vnde sic ait sancta Mater Ecclesia:

3. Isidor. l. 12. Etym. c. 2. Greg. l. 31 Mor. c. 13 Barthol. Anglicus l. 18. de Animal. c. 85 Berchorius in Reductor. l. 10. c. 85. Pierius, &c.

Num. 24

Psal. 28.

Ioan. 8.

Luc. 10.

Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat;
Et manus, pedesque, & crura,
Stricta cingit fascia.

In Offic. de Passione.

Cuius rei figura fortissimus ille Samson non alibi ligatur ac vincitur, quam in gremio Dalilæ. Itaque & ipsa virgo virginum in Cantico amoris de hac re gloriatur in hunc modum: *Dum esset Rex in accubitu suo* (hoc est, cùm ei ministraretur ab Angelis in cælo) *nardus mea dedit odorem suum,* quo videlicet delectatus & captus est. Sed quare cælestis iste vnicornis sic capi à sola virgine voluit? Quare Deus virginem elegit matrem? Certè vsquequaque ad conuenientissimum fuisse dicendum est.

Cant. 1.

Primò ex parte Dei præpotentis, vt nouum eumque admirandum ac perfectissimum eligeret nascendi modum. Ita docet in primis D. Ignatius. *Decebat creatorem*, inquit, *non consueto sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium opificem.* Ita & D. Augustinus & Anselmus. Nam quatuor, inquiunt, modis poterat Deus hominem formare, quorum perfectissimum sibi delegit. Primò, Sine viro & sine muliere: sicut produxit Adam ex terra. Secundò, Ex viro sine muliere, sicut fecit Euam de latere viri. Tertiò, Ex viro & muliere, sicuti nos omnes nati sumus. Quartus modus est planè inusitatus, ex muliere virgine sine viro. *Ista quarta generatio,* inquit ibi D. Augustinus, *liberauit tres alias. Prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina generunt, in quarta salutem inuenerunt.* Itaque hic modus perfectissimus iudicandus, & conuenientissimus Dei Filio: qui cùm esset verus Deus, demon-

Prima congruentia, Ex parte Dei. Epist. ad Heronē.

August. Ser. 10. de Nat. Ansel. l. 2 Cur Deus homo, c. 8.

monstrare voluit hunc quoque modum suæ subiacere potestati. Neque erat rationi diuinæ consentaneum vt alium patrem haberet quàm Deum; ne dignitas paterna ad alium transferretur. Consentaneum verò maximè videbatur, vt qui in cælis habebat patrem sine matre, in terris haberet matrem sine patre, vti disserunt SS. Patres, Ambrosius, Augustinus, Lactantius.

Ambros. epist. 81. August. Serm. 14. de Nat. Lact. l. 4. de Vera sapient.

Secunda cõgruentia, Ex parte matris.

Secunda congruentia ducitur ex parte matris Deiparę: quia non decebat vt filius, qui præceptum posuerat de honorando patre & matre, violaret aut diminueret nascendo honorem matris; si nimirum vel in partu vel post partum virginitas eius tolleretur. Nam *gloria filiorum parentes eorum*, inquit Sapiens. D. Bernardus id explicat in hunc modum: *Deus matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloria, singulari in terris praeuenire curauit & gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta.* Sic Bernardus. Itemque Chrysologus, *Meritò*, inquit, *Virgini salua sunt omnia, quæ omnium peperit Saluatorem.* D. Thomas similiter: *Fuit conueniens, vt matris honorem nascendo non diminueret, qui parentes praeceperat honorandos.*

Prou. 17. Hom. 2. sup. *Missus est.*

Chrysol. Ser. 4. de Annunt. D. Tho. 3. p. q. 28. a. 2.

Tertia cõgruentia, Ex parte Christi.

Tertia sit congruentia ex parte Filij, quem non decebat, prò suæ personæ dignitate ac reuerentia, aliter nasci quàm ex virgine. Ipse siquidem in Scriptura sacra dicitur *Sapientia Patris, & candor lucis aeterna, & speculum sine macula.* rursus, *splendor paternæ gloria, & figura substantiæ eius.* Dicitur quoque *Verbum Dei.* Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: ideoque par erat vt caro eius sine vlla corruptione carnis conciperetur. Itaque non aliter quàm solaris radius sine labe gignitur à sole, ita & Dei Filius gigni debuit de intemerata Virgine. D. Bernardum audiamus hac de re ita ratiocinantem: *Porrò Deũ huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de virgine nasceretur. Talis congruebat & virgini partus, vt non pareret nisi Deum. Proinde factor hominum vt homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaq; esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem de qua mitis & humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus.* Quid alios commemorem, quorum auctoritate idem confirmetur, purum videlicet nasci debuisse, qui erat alios purificaturus? Ita Theodotus Ancyræ Episcopus, *Incorruptionis largitor*, inquit, *corruptionem non inducit. itaq; de virgine nasci debuit.* Ita & D. Gregorius Nyssenus, & Ildefonsus, & omnium instar D. Augustinus, cuius hæc sunt verba: *Fas non erat vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat saluare corrupta.* His addi potest, quòd cùm Christus in vita sua numquàm legatur damnum intulisse, sed contrà potiùs multis beneficijs homines cumulasse, vt scribitur in Actis Apostolorum, *pertransijt benefaciendo & sanando omnes:* ratio postulabat, vt dilectissimæ matris integritati in transitu natiuitatis damnum non inferret. Ratio item postulabat, auctore Ildefonso, *vt hospitium sanctitatis virtute diuina seruaretur illæsum.* Siquidem Christi liberalitas in remunerandis hospitibus, à quibus recipiebatur, longè maior & excellentior erat,

Sap. 8. Hebr. 1.

Hom 2. sup. *Missus est.*

Theodot. Hom. 1. habita in Synodo Ephes. Gregor. Nyss. Orat. de Christi natiuit. Ildefons. de Virgineo partu Mariæ. August. Ser. 6. de Natiuit.

Act. 10.

Lib. de Perpetua virginitate & parturitione Mariæ.

3 Reg.17 & 4.Reg. 4. erat, quàm vel Eliæ vel Elisei, quos tantopere Eloquia sacra prædicant. Idque satis patuit, quando Zachæi domum ingressus opere impleuit quod dicebat, *Hodie salus domui huic facta est*. Patuit, quando ingressus Marthæ & Mariæ domum, illarum interuentu & precibus fratrem Lazarum ad vitam reuocauit. Patuit, quando & ipsum sepulchrum in quo hospes triduo iacuit, ita illustrauit, vt de eo prædixerit, *Et erit sepulchrum eius gloriosum*. Quare, cùm beatissima Virgo illum de sinu Patris in terram peregrinationis nostræ descendentem hospitio susceperit, ac spatio nouem mensium in hospitio vteri sui sustentauerit, æquissimum profectò fuit, vt sacram illam domum nec ingressu nec egressu suo violari pateretur. Ad extremum, quemadmodum primus Adam de terra virgine efformatus est, ita secundus Adam de cælo cælestis, de Virgine matre concipi ac nasci debuit; ille manibus Dei, hic operatione Spiritus sancti. Ita D. Ambrosius, Irenæus, Leo, Chrysostomus. Verba D. Leonis sunt: *Futurum omnium Saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret*, scilicet per naturalem ex Adamo propagationem. Verba autem D. Chrysostomi: *Ingressum nostri omnium Domini digniorem esse oportet quàm nostrum: Regius enim fuit introitus. Oportebat autem & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienum esse: communicare scilicet naturam, sed alienum esse à nuptiali congressu. & propterea vtraque habuit Saluator, vt ex excellentiam & communionem quam tecum habet, discas.*

Luc.7.

Isaiæ 53.

Ambros. Ser. 37. de Quadrag. Iren. l.3. cap.31. Leo Sermon. 2 de Nat. Chrysostom. Hom. 49 in Gen.

Iam id congruum fuit etiam ex parte incarnationis, quæ eo fine perfecta est, vt homines in filios Dei transferrentur, atque ex virgine Ecclesia per gratiam renascerentur. Vnde D. Ioannes hoc mysterio enarrato subiungit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* id est, non communi more, sed virtute Dei, qua homines spiritualiter in Deo renascuntur. Hanc affert rationem D. Augustinus his verbis: *Oportebat caput nostrum* (scilicet Christum) *insigni miraculo secundùm carnem nasci de virgine, vt significaret membra sua de virgine Ecclesia secundùm spiritum nascitura.* Et alibi hanc rationẽ explicans idem Doctor, *Ecclesia*, inquit, *immaculata est, & virgo perpetua, & fecunda partu: concipit non à viro, sed Spiritu: parit non dolore, sed gaudio: nutrit non vbere corporis, sed lacte Doctoris.*

Quarta cõgruentia, Ex parte incarnationis.

Ioan.1.

Lib. de Sancta virginit. cap. 6.

Serm. 6. de Nat. Domini.

Quintò denique, hac ratione voluit Deus virginitatis decus in vtroque sexu commendari, vt viri sequerentur Christum virginitatis ducem, feminæ Mariam virginitatis vexilliferam, vt eam appellat D. Ambrosius, qui & alibi sic ait: *Speciale donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit; atque ipse repræsentauit quod elegit in matre*. Ita loquitur etiam Damascenus: *Christus virginitatis decus & ornamentum est, vt qui non modò ex patre citra congressum genitus sit, sed etiam carnem ex virgine sine virili congressu assumpserit.* Et D. Gregorius Nazianzenus, *Christus*, inquit, *ex virgine oritur, virginitatem velut lata lege sanciens*. Similia scribit Theodoretus, aliique quos mox commemorabo.

Quinta cõgruentia, Ex parte virginitatis.

Ambros. de Instit. virg. c. 5. & epi. 81. ad Siricium.

Damasc. lib. 4. de Fide c. 25

Naziãz. Orat. 20.

Sed vt modum ac rationem huius diui-

Quomodo Christus & Maria virginitatem in mundum inuexerint. diuinissimi instituti penitiùs intelligamus, perpendite obsecro, Christiani auditores, quomodo vsque ad Christi aduentum in hunc mundum hæc virtus aut ignorata planè fuerit, aut vix cognita, aut certè neutiquam vt par erat honorata. Quid ita? cernite an non mundus hanc virtutem propemodum & magna ex parte nesciuerit. In primis sub lege naturæ nulla eius ratio ducebatur, imò probrosa erat virginitas ac despicabilis. In lege scripta vix aut ne vix quidem pretium eius ac pulchritudo noscebatur: tametsi notas quasdam atque indicia iam tum præmiserit Deus, quibus palàm fieret quàm esset ipsi grata. Nam in sacris voluminibus ita præceperat: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* (Exod. 19) vbi ad audiendũ Dei verbum seu legem per Angelum pronuntiandam hoc pacto se comparare iubebantur. Similiter Dauid cum suis fugiens, Saulem venit ad Achimelech sacerdotem, vt panes propositionis ederet (nã & ipse & pueri eius erant famelici.) Sed respondit Sacerdos; *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panẽ sanctum, si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. Ait Dauid: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius.* (1. Reg. 21) Alias etiam huius rei notas & argumenta nonnulla ediderat; vt in libro Leuitici, vbi vetuerat ne immundi vescerentur sanctificatis & Deo oblatis. (Leu. 22.) Porrò hæc aliaque huiusmodi non potuit ignorare diua Virgo: quandoquidem, vt Origenes testatur, *habebat legis scientiam, & erat sancta, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat.* (Origen. Hom. 6. super Lucam.) Atque, vt D. Ambrosij verbis vtar, *numquam sibi minùs sola videbatur quàm cùm sola esset. nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ?* (Ambros. lib. 2 de Virginib.) Sed quid luculentius ea de re dici possit, quàm illud Augustini? *Reuolue,* inquit, *Maria propheticam lectionem: neque enim te scientia diuinorum potest præterire librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum.* (August. Ser. 9. de Tẽpore.) Quin etiam videntur huius vestigia virtutis aut odorem aliquem percepisse veteres illi Prophetæ, quos recensent præter ceteros D. Hieronymus & Augustinus, vt Elias, Eliseus, Isaias, Ioannes Baptista, quos omnes credibile est perpetuam castitatem coluisse. (Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum. August. lib. de Sancta virgin. cap. 2.) Sic D. Ignatius Iosue, Melchisedech, Eliseum, & Ieremiam virginibus adnumerat. (Ignat. epist. ad Philadelph.) Damascenus insuper Danielem Prophetam, & tres socios Danielis: cui & D. Hieronymus adstipulatur. (Damasc. lib. 4. de Fide c. 25 Hieron. super Danielem.) Et D. Ambrosius aliique scribunt virgines fuisse templo deputatas, inter quas etiam Deipara vixit. (Ambros. lib. 1. de Virginib.) quamuis autem nuptui traderẽtur, cur non potuerunt aliquæ Eliam & ceteros in virginitate colenda imitari? Præterea in Iudæa erat collegium Essenorum, qui vitam in castitate traducebãt, inter quos verisimile est multos castitatem seruasse illibatam. Verùm vtut est, satis constat virgines illius temporis non habuisse ita firmum animi propositum vt votum nuncuparent, sicuti habuit beatissima Virgo: nondum enim tempus venerat, quo tempore in publicum prodire debuit talis virginitas, lucemq; aspicere ac mundo apparere. reseruabatur eximia illa dignitas temporibus matris Dei. Imò & Iudæi, quod amplius est, qui eam in pretio habere debuerant (quia *notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius*) (Psal. 75.) communiter eam ode-

rant, tamquam opprobrium ac maledictũ hominum. Nam quia huiusmodi à Domino benedictionem acceperant, *Benedictus eris inter omnes populos: non erit apud te sterilis vtriusque sexus tam in hominibus quàm in gregibus tuis:* ideò prauam conceperant opinionem de statu virginitatis, vt ignominiæ ac probro sibi verterent, siqua virgo non nuberet, aut siqua nupta esset sterilis ac liberorum infecunda. Vnde Rachel dicebat: *Abstulit Deus à me opprobrium meum.* & septem illæ mulieres apud Isaiam, quæ virum vnum apprehensuræ erant, ita loquuntur, *Aufer opprobrium nostrum.* vnde etiam fluxit celebre in illo populo prouerbium, teste Origene, diuo Hieronymo & aliis: *Maledictus sterilis, qui non facit semen in Israel.* siue, *Maledicta sterilis & quæ non parit.* Sed venit Dei Filius hãc ignominiam in summam laudem mutaturus, quando voluit nasci ex virgine; atque eo consilio Angelum Gabrielem misit ad virginem; vt reipsa tunc & posteà verbis suis virginitatem commendaret, & suo illustraret exemplo. Hinc obseruare licet, in hac historia Angelicæ annuntiationis omnes ferè personas quæ nominantur, quæque proximè ad opus incarnationis Dominicę cõcurrerunt, virgines fuisse. Christus ipse, & Deus Pater, & mater, virgines sunt. vnde illud, *Cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit.* & Archangelus Gabriel, & sponsus Virginis Iosephus, & Ioannes Baptista præcursor eius, virgines sunt. Ioannes Euangelista cui ipsa Virgo virginum concredita est, virgo fuit. Denique sic ait rectissimè D. Cyrillus Ierosolymitanus: *Decebat vt purissimus puritatis Doctor ex puris thalamis prodiret.* & D. Augustinus, *Diligamus*, inquit, *præ omnibus castitatem, quia vt placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam vteri virginalis elegit.* Doctrinam videlicet quam voluit toti mũdo posteà manifestam facere, consilium Euangelicum in ea constituens, in semetipso primùm & in matre sua voluit præmonstrare. Igitur, vt concludamus verbis diui Hieronymi *Christus & virgo Maria vtriusque sexus virginitatis dedicauêre principia.* O Christiani, nostis quis sit optimus vitæ humanæ status! Omnes quidem à Deo approbati boni sunt, sed status virginitatis procul dubio longè optimus. Inter omnes homines optimus maximus Christus, & hic virgo fuit: inter mulieres optima Maria, & hæc virgo fuit; & quia virgo, à Deo electa in matrem: inter Apostolos Paulus per excellentiam Apostolus dicitur, & hic virgo fuit: inter Martyres qui principatum tenent Stephanus & Laurentius, virgines extiterunt: primus inter Prophetas Ioannes Baptista, primus inter Euangelistas Ioannes Apostolus, & hi virgines fuêre: inter Confessores Martinus, Antonius, Basilius, aliique innumerabiles virginitatem amplexi sunt, corporaque & animos ab omni voluntaria concupiscentia pura & munda conseruarunt. *O quàm pulchra est generatio casta cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est & apud homines.* Per castitatem similes Sanctis euadimus, similes Angelis, similes Mariæ, similes Deo. Meritò denique D. Gregorius Nyssenus, *Castitas*, inquit, *est forma & viua planè imago Dei.*

Deu. 7. & Exod. 23 | Gen. 30. | Isaiæ 41. | Origen. Hom. 11. in Gen. Hieron. sup. Isaiã cap. 57. August. lib. 14. contra Faustum cap. vlt. & qq. in Exod. 92 | In Offic. Eccles. | Catechesi. 12. | Serm. 7. de Natiu. Domini. | Epist. 74. ad Pammachiũ. | Sap. 4. | Lib. de Virginib.

Secundũ punctum, qualis fuit hæc Virgo.

Peruenimus nunc duce Angelo Gabriele ad Virginem. Sed qualem vir-

virginem? Respondeat D. Augustinus in primis, vbi ait: *Talis eligitur virgo de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei Filium in semetipsa susciperet, & post partum virgo permaneret. Tanta est enim diuina illa potentia, vt & matrem reddat fecundam, & virginitatem seruet illæsam.* Respondeat & D. Ambrosius, qui eam *magistram* appellat *virginitatis*, omnesque virgines ad intuendum eius exemplum his verbis extimulat: *Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas vitaque Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis.* Respondeat ferè totidem verbis Sophronius: *Christus matrem Virginem ideò,* inquit, *elegit, vt ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut in speculo refulget forma virtutis.* Respondeat omnium vberrimè D. Bernardus: *A Deo ad virginem, id est, à celso ad humilem, à Domino ad ancillam, à creatore ad creaturam, ad virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente & corpore sanctam. Nec nouiter nec fortuito inuentam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam & sibi præparatam, ab Angelis seruatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! ô feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum viuificatricem!* &c. Denique vt paucis concludamus, respondeat vniuersa Christi Ecclesia hanc vnicam esse *Virginem virginum,* tam sanctam, vt numquam viro placere appetierit, numquam in se motum contra rationem senserit, numquam dicto, facto, cogitato læserit virginitatem: tam speciosam, vt Deus sponsam elegerit ac matrem: tam fecundam, vt vno partu totum orbem benedictionibus repleuerit.

August. Serm. 10. de Nat.

Ambros. de Instit. virginũ, cap. 6. Item de Virginib. lib. 2.

Sophron. Serm. de Assũpt.

Bernard. sup. *Missus est,* Hom. 1. & 2.

1. Cor. 7.

In Offic. Eccles.

Sed quamobrem Virgo virginum propriè dici mereatur, paulò iam distinctiùs explanandum. Prima ratio est, quia SS. Patres sine vlla controuersia omnes consentiunt, illam inter omnes puras creaturas in virginitatis perfectione primatum tenuisse. Idque confirmant, quia virginitas eius quoad propositum animi tantò fuit efficacior ac valentior, quantò ex maiori charitate & gratia procedebat: cuius vtique intentio ex perfectissimo Dei & puritatis amore manabat. Deinde, propositum hoc voluntatis concepto voto stabiliuit, ac sollicitè illud semper custodiuit, ipsumque adeò Angelum, qui futuram Dei matrem mundique Reginam nuntiabat, non dubitauit interpellare, vt doceret, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Consensum videlicet eius postulatis neutiquam præbitura, nisi didicisset salua virginitate fecundandam se à Spiritu sancto, vt virgo simul ac mater fieret. Itaque facta est velut arbor aliqua peregrina, quæ florem simul ac fructum gestaret, florem virginitatis, fructum Filij Dei. Adhæc habuit vnà chorum ac comitatum omnium virtutum, temperantiæ, humilitatis, prudentiæ, aliarumque quę decus ac splendorem eius augere possent. Quod sic ponderat D. Bernardus: *Quæ est hæc Virgo tam venerabilis vt salutetur ab Angelo, tam humilis vt desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis. Nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem.*

Cur Virgo virginum.

Super *Missus* Hom. 1. & 2.

tatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis Virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatē Virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista praecipitur: ad illam inuitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur, Qui potest capere, capiat; de ista dicitur, Nisi quis efficiatur sicut paruulus iste, non intrabit in regnum caelorum. haec Bernardus, & subdit: *His Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter & corporis decore praefulgida, specie sua & pulchritudine sua in caelestibus cognita, caeli ciuium in se prouocauit aspectum, ita vt & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & caelestem nuntium ad se de supernis educeret.*

Matt. 19. & 18.

Deinde, haec Virgo iure suo Virgo virginum dicitur, quia prima, princeps, & Regina, & primiceria virginum omnium fuit, atque ita salutatur à SS. Patribus. Verba D. Bernardi audiamus: *O Virgo prudens*, inquit, *ô Virgo deuota, quis te docuit, Deo placere virginitatem? quae lex, quae iustitia, quae pagina veteris Testamenti vel praecipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? De virginibus, inquit Apostolus, praeceptū non habeo, consilium autem do: tu verò non dicam praeceptum, sed nec cōsilium, nec exemplum habebas: nisi quòd vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus & efficax antè tibi factus est magister quàm Filius: priùs instruxit mētem, quàm indueri carnem,* &c. Quid D. Ambrosius? *Haec virgo*, inquit, *signum sacrae extulit militiae, & prima intemeratae virginitatis pium Christo vexillum leuauit.* vexillum certè virginitatis liliis rutilans, quod omnes intuerentur futuris saeculis B. Virginis cultores. Hoc innuit Psaltes cùm dicit: *Adducentur Regi virgines post eam, proximae eius afferentur tibi.* Quae verba licet primò de Ecclesia intelligenda sint, tamen cùm beatissima Virgo fuerit pars lectissima Ecclesię, passim quoq; ei accōmodantur à sacris Scriptoribus. Et quia post Christum dux & princeps mundo fuit seruandae virginitatis, rectè D. Ambrosius eius typum ac figuram extitisse declarat Mariam sororem Moysis, quae post transitum Maris rubri sumpsit tympanum & cecinit laudes Deo. & egressae sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus praecinebat dicens: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est,* &c. Sic & Virgo virginum choros virginales excitauit, cantantes ac benedicentes Domino, quòd per mare saeculi sine saecularibus fluctibus transierunt. His consentanea sunt quae de ea sic scribit venerabilis Beda: *Haec prima feminarum est, quae tantae virtuti se mancipare curauit.* Et Albertus Magnus: *Haec mater est omnium in virginitate, quae virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines imitatione virginitatis genuit.* Ita & alij loquuntur grauissimi Auctores: quia tametsi plures in mundo virgines fuerint, vti suprà id esse non absimile vero demonstratum est; at *vna est columba mea, vna est perfecta mea*, inquit Sponsus in Canticis.

Vide Epiphan. Ser. 78. Damasc. Hom. de Assumpt. Bernard. Hom. 3. super Missus. 1. Cor. 7. Ambr. de Institut. virg. c. 5. Psal. 44. Vide Athanas. Serm. de S. Deipara. Ambros. lib. 2. de Virginib. Exod. 15. Beda super Luc. 1. Albert. super Missus, cap. 82. Bonau. lib. 1. Pharetrae cap. 5. Antonin. 4. parte Summae titul. 15. c. 20. §. 10 Cant. 6.

Tertia eminentia eius est, quòd ab aeterno electa sit, vt Verbum in ea caro fieret. *Ab aeterno*, inquit, *ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Atqui hic nobilissimus finis, hic titulus gloriosissimus est, quo dicitur

Prou. 8.

citur hoc virgo Θεοτόκος, id est, mater Dei. Quòd si D. Augustinus matrimonium Abrahæ sanctum vocat, & confert cum virginitate Ioannis, quia diuinitus ordinatum fuit, vt in eo Deus homo fieret: quàm excelsa Mariæ virginitas, quæ in se eminentissima cùm fuerit, in eum finem insuper ordinata directè fuit?

August. lib. de Nuptiis.

Adhæc, Virgo cùm esset speciosissima, nemini tamen quantumuis flagitiosissimo extitit vmquam illecebra peccati, sed contrà magnum potiùs pudicitiæ incitamentum, vt Scriptores optimi testantur. Sed hoc infrà copiosiùs probandum.

Vide D. Tho. in 3. d. 3. q. 1. ar. 2. ad 4.

Ad extremum hæc Virgo miraculum miraculorum est, nouorum omnium nouissimum, quòd simul sit virgo & mater, & non qualibet mater, sed mater Dei. Quale vas, quàm admirandum, quod maius seipso continet? Huiusmodi fuit beatissima hæc Virgo: *Vas admirabile, opus Excelsi*, de qua illud legitur:

Infrà super illud, *Ne timeas Maria.*

Eccli. 43.

—Quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera, factus homo.

In Offic. Eccles.

Itaque *monstrum quoddam sacratissimum, ac caleste prodigium* hanc Virginē appellat Ignatius; alij *præstantissimum orbis terræ miraculum. Felix ergo Maria* (vt verbis S. Bernardi concludamus) *cui nec humilitas defuit nec virginitas: & quidem singularis virginitas, quam non temerauit sed honorauit fecunditas. à sæculo non est auditum vt aliqua simul mater esset & virgo. Quòd si & cuius mater attēdas, quo te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Quid horum non mirabile, quid non incomparabile, quid non singulare?* Sed de his satis.

Ignat. epist. ad Ioannē. Ephræm Orat. in laudib. Virginis. Bernard. Hom. 1. & 2. sup. *Missus.*

Tertium quod proposueramus hoc erat, quomodo hanc Virginem imitabimur? Fierine potest vt eam puritatem verè possit aliquis imitari? Imò verò eam omnes imitari tenentur, pro suo quisque statu & captu. Nam, vt simile afferamus, tametsi Dei sanctitas infinitis partibus exsuperet omnem sanctitatem quam hoc in mundo comparare possimus; satisfacere tamen possumus ei quod Sacræ litteræ nobis præcipiunt, *vt sancti simus, sicut & ipse sanctus est*; modò nos imitari ipsum pro virili conemur. Simili ratione, licet puritas virginalis sanctissimæ Virginis prorsus sit supernaturalis & inenarrabilis; omnes tamen fideles illam vt imitentur conari debent. Ita D. Cyrillus Ierosolymitanus docet his verbis: *Dominus noster, vt virgines efficiat animas (id est, puras ac sanctas) de virgine nasci voluit.* Omnes porrò animæ spōsæ Christi fiunt per Christi gratiam; & quò sanctiores, ac meliùs abstinent à peccatis, eò gratiores sponsæ; insuper si & animo & corpore castitatem colant pro suo statu, sponsæ gratissimæ fiunt. Tres enim sunt status hominum, qui variè hāc Deiparæ Virginis puritatem imitantur. Primus est status coniugalis, de quo dicendum proxima Concione, cuius in eo castitas consistit, vt corde & corpore abstineatur ab omni opere carnis illicito atque inhonesto. Secundus, est viduorum ac cælibum, qui non abstinent modò ab omnibus rebus inhonestis, sed ab ipso etiam vsu permisso matrimonij; & quò magis Deo placeant, viuere & mori in continentia decreuerunt. Hic castitatis gradus multò est præstantior, Deoque gratior, ac maioris meriti, quàm primus. ideoque sanctus Spiritus per B. Paulum eius est suasor, nobisque velut articulus fidei proponitur, vbi dicitur: *Mulier alligata est*

Tertium punctum, quomodo imitabimur.

Leuit. 11

Catechel. 12.

1.

2.

1. Cor. 7.

est legi quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundùm meum consilium. Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. Tertius est omnium perfectissimus sine vlla controuersia & sublimissimus status perpetuæ virginitatis, præsertim si voto sit firmatus. Quocircà D. Hieronymus coniuges terro, viduos argento, virgines auro comparauit. Doctores etiam grauissimi fructum trigesimum grani Dominici matrimonio, sexagesimum viduitati, centesimum verò virginitati assignant. eademq; ratione stellis, Lunæ & Soli tres illi status aptissimè comparantur. In hoc igitur postremo gradu corpus & anima ab omnibus concupiscentiæ motibus voluntariis pura & munda seruari debent. Huiusq; exemplum D. Virgo nobis transmisit longè præclarissimum, siue circumstantiam temporis spectemus, quo votum seruauit; siue eius æstimationem, quanti fecerit & quàm sollicitè seruarit; siue denique puritatem singularem qua seruauit. Interim verò omnes eam imitari oportet, coniuges, viduas, & virgines, eosque qui nullum adhuc statum delegerunt. Hi enim postremi cauere sibi summopere debent, ne reijciant inspirationes Dei, piosque instinctus perpetuæ virginitatis conseruandæ siue intra siue extra Religionem. Caueant, inquam, obsistere; sed potiùs Deo de beneficio tam speciali gratias agant; & secum diu multumque considerent, & conferant cum patre suo spirituali: neque priùs voueant quàm Deo sese identidem commendarint, eiq; deuotè supplicarint, vt dignetur voluntatem suam hac in parte ipsis patefacere, & quasi manuducere ad salutarem status electionem. Nam vti non est temerè vouendum quod adhuc ignoramus, ita animosè & intrepidè faciendum re examinata, & Deo satis commendata. Omnes itaqué cuiuscumque status homines pro viribus imitari studeant diuinissimam hanc Deiparæ virginitatem. At quo pacto? Generatim loquendo, puritatem corporis & animæ diligẽter custodientes, tamquam thesaurum pretiosum in vasis fictilibus; abstinentes ab omni turpi contactu, ac turpiloquio; cogitationibus ac desideriis carnalibus validè resistentes, atque consensum viriliter cohibentes: omnes occasiones ac pericula castitatis lædendæ studiosè quasi scopulos deuitent, vt familiaritates nimias, omnem intemperantiam, otium, curam corporis inordinatam. Denique magni æstiment virginitatis munus, quod nos similes reddit non Angelis modò, sed & Deiparæ virgini, & Christo Domino. D. Gregorium Nazianzenum hac de re disserentem audiamus. *An non planè Angelicum est*, inquit, *eam quæ carnis vinculis sit alligata, non secundùm carnem viuere, sed naturâ ipsâ excelsiorem esse?* Et in Carmine de Virginitate:

Salue virginitas diuino tradita dono,
Mater inoffensa vitæ, pars inclyta Christi.

Ecce quàm religiosa audacia *partem Christi inclytam* vocat. Nam cùm mysticum corpus Ecclesiæ Catholicæ, cuius caput Christus est, vt docet Apostolus (*ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*) variis partibus compactum sit: aliæ quidem dignæ, aliæ digniores eius partes sunt, sed dignissima & inclyta pars status virginalis.

Hieron. epist. ad Nicolaũ. Vide illos super Matt. 13.

Homil. super Matth. *Cùm consummasset, &c.*

Ephes. 1.

ginalis. Audiamus & D. Petrum Chrysologum. *Excellentius*, inquit, *est virginem esse virtute quàm naturâ: virginitas hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura. Angelus & virgo diuinum agunt officium: angelicam gloriam acquirere maius est quàm habere.* Prodeat quoque in medium D. Basilius, dum ait: *Magnum quiddam, vt verè dicam, est virginitas, incorruptibili Deo hominem similem faciens.* Prodeat & D. Cyprianus martyr inclytus: *Virginitas Dei imago est, respondens ad sanctimoniam Domini.* Ad extremum (vt paucis omnia comprehendam) rectissimè omnium diuina eloquia pudicitiam commendant, vbi legimus: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Itaque si virginem incorruptibili cælo conferas, non est digna ponderatio: si Angelum voces, non est digna ponderatio: si Angelo superiorem, non est digna ponderatio: si partem Christi inclytam, non est digna ponderatio: si Dei imaginem (quid amplius dici possit?) hæc fortè sit apta & digna ponderatio. Aliquid certè latentis excellentiæ virginitas continet, soli Deo perspectum, quod nos etiam religiosa admiratione suspicere ac reuereri debemus. Hæc de virginitatis excellentia.

Chrysologus Ser. 3. de Annunt.

Basilius lib. de Vera virginitate.

Cyprian. de Habitu virginum.

Eccli. 26.

Contrà verò, consideremus etiam necesse est, quàm indignum sit homine Christiano, quantamque iniuriam irroget diuinæ maiestati, quando, vt obedire possit rei vilissimæ, nempe carni, & exiguo tempore satisfacere eius cupiditatibus, Dei obedientiam contemnit, legem eius violat, voluntatem eius pro nihilo putat, & corpus animamque pœnis æternis mancipat. Quid? homo ex vna parte aduertit diabolum hostem Dei & hominum incitare carnem ad consensum, vt sic pertrahat ad societatem in pœnis æternis: ex altera parte Dei bonitatem certamen offerre vt vincat & coronetur. & se vinci sinet? & se duci patietur instar bouis ad victimam? Quî fieri potest, vt homo voluntati hostis sui, & quidem infensissimi, pareat potiùs quàm voluntati Dei, qui ipsum tantopere amet ac saluum exoptet? Quî fieri potest vt homo sciat peccato ingrediente Deum migrare ex anima, & locum dare morti æternæ, ac nihilominùs mortem eligat potiùs quàm vitam? Illumina, Domine oculos nostros, vt huius mali fœditatem deinceps meliùs cognoscamus. Adiuua, Domine, infirmitatem nostram, qui dux virginum & merces, & gloria virginitatis viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

CONCIO X.

Desponsatam viro.

1. *Quid causa cur de coniugata Christus nasci voluerit.*

2. *Qualis ista fuerit: speculum videlicet omnium coniugum, maximè mulierum.*



CVM esset D. Ioannes Euangelista in insula Pathmo exul propter fidem, quam longè lateque propagauerat, extremis Domitiani Imperatoris temporibus scripsit Apocalypsin suam, vbi inter cetera, quæ ei diuinitus ostensa sunt, exponit Angelum quemdam ad se venisse, secumque amicorum more familiariter locutum, & dixisse: *Veni & ostendam tibi sponsam, vxorem Agni. Et ego Ioannes*, inquit, *vidi ciuitatem sanctam, Ierusalem nouam, descendentem de cælo à Deo paratam sicut sponsam, ornatam* Apoc. 21.

viro suo: & audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipse habitabit cum eis. Pulchra & honorifica Ecclesiæ militantis pariter ac triumphantis appellatio: meritò vt liceat de ea exclamare illud Psalmistæ, *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Ciuitas* porrò *sancta* dicitur Ecclesia. Primò, Quia est *ciuitas Dei, in monte posita, & ipse fundauit eam Altissimus, supra firmam petram,* quæ est Christus. Secundò, Ciuitas sancta, quia *homo natus est in ea,* Christus ipse scilicet Sanctus sanctorum. Tertiò, Ciuitas sancta, quia gratia & donis sancti Spiritus sanctificata est in tabernaculum Dei sanctum. *Ierusalem noua* nominatur, quia nempe per antiquam illam Ierusalem fuit adumbrata. *Descendens de cælo* cernitur, quasi tecto eius deorsum tendente, fundamenta sursum habens. Eius etenim fundamenta in cęlis sunt Christus Dominus & Apostoli. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Forsitan etiam visa est descendere, quasi vt homines è terris ad cælos ab ipsa subleuentur ac prouehantur. Quid sequitur? *Vidi,* inquit, *paratam sicut sponsam*: ornatam nimirum monilibus gratiæ, annulo charitatis, inauribus obedientiæ, donis sponsalibus summi pretij, dono sapientiæ, dono intellectus, scientiæ, fortitudinis, alijsque innumeris: quibus ipsa eius pulchritudo mirè augetur in immensum. Quid ita? In viri gratiam, seu vt Christo viro suo placeat. *Ornatam,* inquit, *viro suo.* Haud aliter, quàm si quis in die nuptiarum Regis Hispaniæ dicat alteri, Vidi sponsam Regis in ornatu ac maiestate Regali, amictam cyclade aurea, distincta gemmis maximi pretij, duorum nempe vel trium facilè millionum: sic dicit Apostolus, *Vidi sponsam Agni, ornatam viro suo,* sicut sponsam decebat. Ornamentis itaque huiusmodi inuenit gratiam in oculis sponsi, vt sponsam suam quantumuis longè imparem sibi agnoscat, eaque glorietur. At quomodo sponsam agnoscit? quomodo? quemadmodum ex actibus familiaribus ac iocis inter Isaac & Rebeccam agnouit Rex Abimelech Rebeccam esse vxorem eius. Legimus siquidem in Genesi: *Prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca.* Ad eumdem ferè modum signis quibusdam ac familiaritate humanissima Christus Dominus satis profitetur Ecclesiam suam esse sponsam. Ad eam quippe in terras descendens, dat illi monilia ac dona sponsalia, dum sua impertit Sacramenta, parum aquæ in Baptismo, pauxillum olei, modicum panis, modicum vini: & sub illa specie, ne horreat, venit ad sponsam, & loquitur amanter ad cor eius. Istæ sunt actiones familiares ac deliciæ quas sponsæ exhibet, vt noscatur sponsa. *Deliciæ meæ,* inquit, *esse cum filijs hominum.* Ipsa quoque vicissim satis intelligit atque æstimat sponsi aduentum atque delicias: optatque sæpiùs eum venire, & celeriter suum iter cõficere, dum ait in Canticis: *Reuertere; similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Sequitur ad extremum in visione Apostoli: *Et audiui vocem magnam de throno dicẽtem; Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipse habitabit cum eis.* Atque hæc primariò dicta sint de Ecclesia sanctorum. Verùm an non propriè etiam attribuuntur Virgini matri desponsatæ viro? Venite, & ostendam vobis sponsam Agni. An non communis est Sanctorum sensus,

Psal. 86. Psal. 86. Prou. 8. Cant. 2.

ſus, ac totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſus, hanc eſſe verè ciuitatem ſanctam, quòd homo natus ſit in ea qui & ipſam & nos omnes ſanctificauit? &, vt mittam cetera, hanc eſſe viuum Dei tabernaculum, in quod ſummus Pontifex ſolus ingreſſus eſt ſemel, æterna redemptione inuenta? per quod ipſe Deus ad nos veniens
Baruch. 3 *in terris viſus eſt, & cum hominibus*
In Offic. Eccleſ. *conuerſatus?* An non audimus quotidie vocem magnam Eccleſiæ de hoc materno Dei throno dicentem: *Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus?* veriſſimam, inquam, vocem, & vocem magnam, vtpote magnæ miſericordiæ, magnæque dignationis diuinæ teſtem, quòd elegerit hac ratione cum hominibus habitare, vt ipſi eſſent populus eius, & ipſe eorum Deus. Itaque de hac ſponſa Agni dicendum deinceps fuſiùs, ac demonſtrandum Primò quidem, Quibus de cauſis elegerit Deus naſci ex deſponſata. Secundò, Qualis iſta fuerit, &c.

AVE MARIA.

INitio ſtatuenda ſunt obiter quædam, atque in memoriam reuocanda quæ ſuprà diximus. Primò,
1. Deiparam non modò virginitatem perfectiſſimè ſeruaſſe, ſed eam inſuper voto confirmaſſe, vt SS. Patres concorditer affirmant, colligentes id ex Diuinis litteris, & quidem ex eiuſdem Virginis reſponſo in hoc Euangelio, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* de quo inferiùs
2. agendum. Deinde, non ſolùm vouiſſe, ſed primam omnium hominum vouiſſe, vt iidem Auctores aſſerunt: cui & applicant illud è Pſalmis, *Adducentur Regi virgines poſt eam,* &c.
3. Adhæc, vouiſſe ante matrimonium cum Ioſepho, dum viueret adhuc in

(Quos vide Concione 9.) (Pſal. 44.)

domo parentum vel in templo. Ita Doctores plerique ſentiunt, nominatim D. Auguſtinus, vbi ſic ait: *Sed quia hoc Iſraëlitarum mores adhuc recuſabant* (virginitatem ſcilicet perpetuam, ſeu vitam cælibem) *deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs cuſtodituro quod ipſa iam vouerat.* Vbi ſatis oſtendit, votum eius, do quo loquitur, fuiſſe ante matrimonium. Eadem eſt ſententia D. Hieronymi, Nicephori, Gregorij Nyſſeni, & aliorum.

(Lib. de Sancta virg. c. 4.) (Hieron. l. de Ortu virginis. Niceph. lib. 1. c. 7. Gregor. Nyſſ. Orat. de Natiuit.)

4. Quartò, At quare vouit caſtitatem illo tempore tam inuſitatam? Dicam hîc breuiſſimè (infrà enim vberiùs id proſequendum) quia cùm eſſet perfectæ naturæ donis cumulatiſſima, clariſſimo ingenio ac ſcientia diuinarum Scripturarum prædita, lumine etiam ſupernaturali vſquequaque ſummè illuſtrata, ſtudioſiſſima inſuper omnis perfectionis, maximè pudicitiæ, cognouit hanc virtutem excellentiorem fore Deoque gratiorem ſi voto firmaretur, idque haud dubiè ante matrimonium cognouit. Quapropter etiam ante matrimonium quæ Deo gratiora ſunt amplecti voluit.

Iam itaque cùm haberet votum 5.
virginitatis (in quo omnes SS. Patres concordibus ſententijs conſpirant) quomodo voluit nubere? ſiquidem continentiam vouentibus non ſolùm nubere, ſed & velle nubere damnabile eſt. Quod porrò verè nupſerit Ioſepho, id eſt, per verba de præſenti matrimonium contraxerit accipiens Ioſephum pro viro ſuo, communis Eccleſiæ ſententia, tamquam vera & legitima tenenda eſt. Nam tametſi aliqui è Patribus vt D. Hilarius, Cyrillus, Hieronymus, Bernardus, aſſerere videantur fuiſſe ſponſalia tantùm

(D. Hilar. in Matth. 1. Cyrill. Catec. 12 Hieron. l. aduerſus Helu id. Bernar. Hom. 2. ſup. *Miſſus.*)

tùm seu desponsationem sine nuptijs: intelligendi sunt sic locuti honestatis causâ, hoc pacto appellantes matrimonium ratum, vt vocant, sed non consummatum. Nam in primis Scriptura sacra loquitur apertissimè: Matth. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* Rursus: *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Ibidem Angelus ad Iosephũ missus, *Ioseph fili Dauid*, inquit, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Hoc est, noli dimittere eam occultè sicut cogitasti, sed retine eam domi, tanquam veram coniugem. Luc. 2. *Quia, quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Similiter apud sanctam Lucam, *Ascendit Ioseph cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.* Atque ita intelligunt hæc loca D. Thomas, D. Ambrosius, D. Chrysostomus, Epiphanius, Gregorius Nyssenus. (D. Tho. 3. p. q. 29. a. 2. Ambr. lib. 2. sup. Lucam. Chrysost. Hom. 4. in Matth. Epiphan. hæresi 78. Gregor. Nyss. Orat. de Christi Natiuit.) Vnde etiam manifestè colligitur, non modò coniugem Iosephi fuisse Mariam, sed insuper tempore incarnationis cum eo in eadem domo cohabitasse. Et ratio euidens est, quia alioqui videretur non satis prospectum fuisse diuinitus famæ illius, dum Angelus ad eam missus est, qui conceptum nuntiaret. Quãdo enim sponsa concipit ante cohabitationem cum viro, semper illa conceptio manet suspecta. Iam itaque in quæstionem vertitur, quare passa sit beatissima Virgo se desponsari cum votum haberet? Respondeo, Sicut Dei inspiratione contra morem gentis vouit, ita Dei inspiratione nupsit; confidens nullum hîc periculum voti frangendi fore; nixa etiam Dei protectione ac custodia, & certò sibi persuadens (vtpote diuino instructa oraculo) Iosephum non ereptorem virginitatis fore, vt sunt alij viri, sed custodem & voti socium, & ad cetera omnia ministranda coniugem futurum: vt simul ambo in carne mortali puritatem immortalium imitarentur Angelorum. Tantum in ea valuit firmissima in Deum fiducia. Sicut enim Abraham filium ex præcepto Domini immolare parabat, & sobolem tamen à Deo promissam ex eo nascituram firmiter credebat (quæ duo soli Deo possibilia sunt) ita sanctissima Virgo coniugium simul cum virginitatis voto, singulari Dei prouidentia & beneficio seruaturam se esse credebat. Et verò quid mirum si id credebat, cùm sentiret fortissimam Dei inspirationem, ac longè certiorem Spiritus sancti impulsum quàm Cæcilia virgo sensisse creditur, quæ Valeriano nupta, & illum in coniugem accepit, & virginitatem Deo illibatam se seruaturam sperauit? Quin & alij complures Sancti, exemplo D. Virginis ac Iosephi, in coniugio castè vixêre, etiam Principes viri ac feminæ, Reges, Imperatores. Itaque hic est communis Ecclesiæ, SS. Patrum Doctorumque consensus cum D. Thoma, vt magis patebit Cõcione sequenti. (D. Tho. 3. p. q. 29. a. 1. ad 1.) Neque vlla dubitatio est quin possit verum & essentiale matrimonium constare sine copula coniugali: ipsúmque Concilium Tridentinum, supponens id esse verum ac propriè dictum matrimonium, distinguit ratum à consummato. Verba D. Augustini Doctorum antistitis hac de re audiamus: (Aug. l. 2. de Consensu Euangel.) *Exemplo*, inquit, *Virginis & Ioseph insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non commixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Eamdem tradit doctrinã, qui suo sæculo velut alter Augustinus haberi

haberi meruit, Hugo Victorinus, his verbis: *De incorrupta virginitate matris Domini hoc fides piè, & pietas fideliter confitetur, quòd eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis consensus, quemadmodum castitatem illius non violauit cõceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eadem virgo perpetua, & cùm desponsaretur viro, non tamen deseruit aut mutauit propositum continentiæ: & cùm fecundaretur non à viro, concepit sine libidine, & cùm filium ederet, peperit sine dolore.* Ita Victorinus, qui mox seipsum explicans, distinctè examinat quid sit coniugium, & ex eius definitione propositum concludit. Imò verò, quod amplius est, constans etiam est Patrum opinio, Iosephum non modò perpetuam castitatem, sed etiam virginitatem perpetuò coluisse, idq; haud dubiè hortatu sanctissimæ Virginis: credibile etiam voto firmasse. Vnde D. Hieronymus lib. Aduersus Heluidium id ita adstruit: *Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam: vt ex virginali coniugio virginis filius nasceretur.* Idem docent D. Augustinus, Beda, Petrus Damiani, & alij.

Victorin. Serm. de Desponsat. Mariæ

August. Serm. 14 de Nat. Christi. Beda l. 2. in Marcum, & in Ioannem 2. Petrus Damian. epist. 11. ad Nicol. Põt. c. 2.

His ita suppositis, cùm inspirauerit ei Deus non solùm vt voueret primùm, sed etiam vt post votum matrimonium iniret; quæstio iam principalis tractanda est, quare ei Deus hoc voluerit inspirare. Demonstrandum videlicet, quomodo cùm esset à Deo electa in matrem, conuenientissimum fuerit vt mater Filij Dei in matrimonio esset, multis profectò grauibusque de causis.

Prima cõgruentia, Ex parte status coniugalis.

Prima sit ex parte status cõiugalis, vt Dominus Deus hac ratione matrimoniũ cohonestaret, nascendo de coniugata, qui virginitaté tantopere commendauit nascendo ex virgine. Variis enim modis matrimonium, tamquam rem honestissimam, tum instituendo, tum benedicendo, tum deniq; approbãdo, & honorãdo multifariàm, nobilitare dignatus est. Legimus in principio Genesis, dixisse Dominum; *Non est hominem esse solum* (nempe ad humani generis conseruationem) *faciamus ei adiutorium simile sibi* (similitudo siquidem conciliat amorem & societatem.) Quid deinde? *Adduxit vniuersa animantia ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Immisit ergo soporem in Adam, & ex costa eius fecit mulierem: eamque obtulit ei, sicut obtulerat alia animantia. Conspicatus eam Adam dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* q. d. Hæc erit mihi fidelis adiutrix, tamquam pars mei: hæc mihi placet, hanc quæsiui, hanc amabo, huic sociabor. & sequitur: *Hæc vocabitur virago, quoniã de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Sic creata fuit mulier in auxilium ac solatium viri. Porrò quàm arcta sit societas, quæ inter eos initur, exposuit Saluator in Euangelio, vbi ait: *Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit; mœchatur.* Nisi, inquit, ob fornicationem; tametsi tum adhuc toro in perpetuum separari, non vinculo matrimonij, potest. quid ita? *quod Deus coniunxit, homo non separet.* vbi SS. Patres docent, Sicuti cõiunctio illa à Deo fuit, ita diuortium sine legitima causa factum à diabolo esse. Nam Ecclesia siue Respublica vt vinculum hoc insolubile constituere

Genes. 2.

Matt. 19. & Marci 10.

Vide Augustin. tom. 7. de Peccat. origin. cap. 34. & tom. 9 in Ioan. tract. 9.

tuere non potuerunt, ita nec valent
Gen. 1. illud tollere. Quid ampliùs? *Bene-*
2. *dixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* Ecce quomodo honorauit Deus statū matrimonij, illum instituendo, & amplissima sua benedictione cumulando. Quis, inquam, auctor? ipse præpotens Deus. Quando instituit? in statu innocentiæ, ante omne peccatum. Quo fine? ad humani generis propagationem. Vbi? in
3. paradiso terrestri. Quid præclarius? Adhæc quod olim ab initio instituerat, ac fausta comprecatione prosecútus fuerat; hoc in noua lege ad maioris excellentiæ gradum prouexit, dum inter septem huius legis Sacramenta seu vasa gratiæ illud adscripsit, tum ad hominum sanctificationem, tum
4. propriè in remedium peccati.

Nec tacendum, quòd primum omnium miraculorum (eorum saltem quæ palàm fidei stabiliendæ gratiâ ab eo edita sunt) in Cana Galilææ contigerit, ad honorandas haud dubiè nuptias, ad quas fuerat inuitatus cum
5. matre & discipulis suis.

Ceterùm maximū augustissimumque omnium miraculorum operatus est Deus in Nazareth, quando per incarnationem Christi ex desponsata virgine fructum incomparabilem de matrimonio protulit vniuersæ terræ, in quo benedicerentur omnes gentes. Nam cùm præcipuum matrimonium bonum sit proles, siue fructus matrimonij: præstitit hoc illi statui Deus, vt non deesset illi optimus atque excellentissimus omnium fructus, videlicet ipse Iesus, mundi vita. Hinc disertè scribit D. Ambrosius, (D. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 1.) beatissimam Dei Genitricem simul fuisse virginem & nuptam, vt in eius persona virginitas simul & matrimonium honoraretur. Licet enim filius eius cōceptus nō fuerit ex vsu matrimonij, sed ex virtute Spiritus sancti; tamen quia ex cōiugata natus est, hoc quasi fructu coniugium honorauit.

Secundò congruentissimum id fuit (*Secunda congruētia, Ex parte Filij.*) ex parte Christi filij virginis, iustas ob causas. Primò, Ne ex adulterio genitus crederetur, vt docet D. Thomas, itemque D. Ambrosius in hunc 1.
locum. *Quid Iudæis, inquit, quid Herodi posset adscribi si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret, Non veni soluere legem sed adimplere, si videretur cœpisse à legis iniuria, cùm partus innuptæ lege damnetur?* (D. Tho. 3. q. 29. a. 1. D. Ambr. l. 2. sup. Luc. c. 1. Matth. 5.) Quid mirum si Messiam esse non credidissent, quem spurium atque illegitimum esse vidissent? Si enim multò leuiora ei obijciebant eo consilio vt Messias non reciperetur, multò magis hoc exaggerassent; cùm constaret Messiam legitimis natalibus oriturum. D. Bernardus hanc quoque eamdem rationem premit his verbis: *Tolerabilius atque honestius fuit putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione.*
Secundò, Quin etiam par erat puero 2.
prospicere vt custodiretur ac nutriretur à Iosepho, duceretur in Ægyptum ac reduceretur, in omni denique necessitate subleuaretur. Vnde & pater eius & nutritius dictus est. *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* (Luc. 2. D. Tho. 3. p. q. 29. a. 1.) Ita D. Thomas tertia parte, ita Origenes, ita Eusebius Emissenus. (Orig. Homil. 1. ex varijs locis Matthæi. Euseb. Emis. Serm. in Vigilia Natiuit.) Tertiò denique, vt conuenienter illi genti generationis ordo texeretur, & Christus de semine Dauid, sicut diuinitus promissum erat, ortus significaretur: siquidem consuetudine receptum fuit 3.
apud

apud Hebræos, genealogias omnes non à feminis sed à viris deducere. Itaque si D. Virgo desponsata non fuisset, Christus propriè genealogiam more aliorum non habuisset: ac meritò proinde repudiatus Messias, quem de semine Dauid esse non constaret. Vt taceam, viri personam apprimè necessariam esse quæ in Senatu aliisve concilijs palàm generis asserat dignitatem. Hanc rationem præter alios afferunt D. Hieronymus, Anselmus, Beda, Ambrosius. *Qui in sæculum venerat*, inquit Ambrosius, *sæculi more debuit describi*, &c.

D.Hier. in Mat.1. Ansel.lib. Beda l. 1. sup. Luc. c. 3. Ambr.l.3 in Luc. sub. initium.

Tertia congruentia, Ex parte virginis.

Tertia congruentia sumi potest à persona beatissimæ Virginis, multiplici ratione. Primò, Vt consuleretur vitæ eius per huiusmodi matrimonium: quandoquidem aliàs pœnam lapidationis adulteris lege constitutam non poterat euadere. Hoc tradunt ac disertè exponunt D. Hieronymus, & Origenes, D. Thomas & Eusebius Emissenus. Eusebium audiamus: *Si virum, inquit, non habuisset, & grauida videretur, nulla ei excusatio subuenire posset vt quasi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet sine viro concepisse? quis ei crederet de Spiritu sancto eius vterum intumuisse? erat enim hoc inusitatum & sine exemplo. Melius ergo fuit quòd virgo ad tempus non virgo putaretur, quam quòd accusata lapidaretur. Non enim violatur virginitas falsa opinione; occiditur autem innocens falsa accusatione.* Nec refert quòd propriè adulterij rea non fuisset, etiamsi ante matrimonium deliquisse conuinceretur: quoniam pœna eadem quę in adulteras constituta erat, etiam virginibus innuptis inferebatur, ex lege Deuteronomij, quæ sic habet: *Si non est in puella inuenta virginitas, lapidibus obruant eam viri ciuitatis illius, & morietur, quia fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui.*

1. D.Hier. in Mat 1. Orig. Homil.1. in diuersos locos. D Tho. 3.p.q.29. a. 1. EusEb. Hom.in Vigilia Nat.Domini.

Deut.22.

2. Secundò, Adhæc Deus illius inopiæ varijsque incommodis, vt in partu, in exilio, in Ægypto hac ratione prospicere voluit, vt Iosephus arte sua & obsequijs ipsi ministraret. Vnde Chrysostomi aurea illa vox est, *Sicut eam discipulo commendauit, ita & sponso.* Quocircà ad ipsum, tamquam ad caput (*vir enim caput mulieris*) potiùs quàm ad beatissimam Mariam coniugem, Deus mandata sua, quæ quidem ad bonum familiæ illius pertinebant, mittebat, vt scribitur in Euangelio: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Sic etiam fecit cùm redeundum esset ex Ægypto, vt ibidem legimus. At pulcherrimè id tractat D. Hieronymus, explanans illud Isaię prophetæ, *Egredietur virga de radice Iesse, &c. Virga illa Maria est*, inquit, *flos verò eius Christus.* At numquam flos de virga ascendit folijs nuda. Priùs virga folijs adumbratur ac decoratur: folia autem fructum conseruant ab æstu atque iniuria aëris. Ita Maria priùs viri vmbra atque ornamento decorari debuit, quàm Christus in ea nasceretur. Ioseph enim quasi folium fuit, vmbram protectionis virgini præstans. Idem denique verbo satis designauit Damascenus, vbi id factum ait, *vt Ioseph custos esset virginis.* Tertiò, Quid quòd etiam famę Virginis habenda ratio fuit, ne qua labe aspergeretur? Grauissimè id exequitur D. Ambrosius in hæc verba: *Latent quidem diuina mysteria, nec facilè iuxta Propheticum dictum quisquam hominum potest scire consilium Dei. Sed tamen ex ceteris factis atque praeceptis Domini Saluatoris possumus*

Chrysost. sup.Math.1.

Ephes. 5.

Matth.2.

D.Hier. sup.Isa.11

Damasc. l. 4.de Fide c.15.

3.

D. Amb. lib. 2. in Luc.1.

mus intelligere & hoc propensioris fuisse consilij, quòd ea potissimum electa est vt Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur impleta est? Ne temerata virginitatis aduereretur infamiâ, cui grauis aluus corruptela videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de sui ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs adstruendam. Ita etiam docet D. Thomas, & præceptor eius Albertus Magnus, dum ait: *Maluit fabri filius reputari, quàm matrem infamari.* Bernardus similiter, *Dic quæso*, inquit, *quis eam videns non desponsatam & grauidam, non potiùs diceret corruptam quàm virginem? non autem decebat hoc dici de matre Domini.* Quartò, Expediebat quoque plurimùm vt sic verba Virginis matris credibiliora redderētur, suam virginitatem adstruētis. De quo disertè D. Ambrosius sic ratiocinatur: *Quid quòd etiam fides Mariæ verbis maior adsciscitur, & mendacij causa remouetur? videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiēdi indesponsata habuit, desponsata non habuit: cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum partus sit feminarum.* Hæc Ambrosius. Quintò, An non etiam prouidendum fuit, ne vel minima Iudæis, apostatis, aut hæreticis sese excusandi, ac de sanctissima Virgine detrahendi, vel obtrectandi relinqueretur occasio? Nam si Filio eius tot miraculis claro, tanta vitæ integritate conspicuo, tam diuina prædito sapientia, maledicæ eorum linguæ non pepercerint, quomodo castissimos Virginis mores, conceptus ac partus non omni dedecore maculassent, nisi omnipotens Deus obstitisset? Si Filium Dei appellarunt voracem, potatorem vini, publicanorum & peccatorum amicum, dæmonium habentem, Samaritanum, seductorem: quomodo à matre eius sibi temperassent, si non desponsata peperisset? Quis adultæ puellæ dicenti se absque vllius viri commercio grauidam esse; se tantùm de Spiritu sancto in vtero gestare Deum & hominem, fidem habuisset? Imò verò hodieque cernimus nostræ tempestatis hæreticos virginitatis eius splendorem maculare ausos, quem Deus ipse fidelissimo Iosephi testimonio, & indigna sui ortus existimatione protexit atque defendit. Quemadmodum in historijs veterum legimus, cùm Alexander Magnus epistolis suis ad matrem Olympiam subscriberet hoc modo, *Alexander Iouis filius*, matrem eum increpasse, quòd vt se Iouis filium prædicaret, matrem suam adulteram faceret. Haud aliter ferè Dominus Deus, ne sanctissima Virgo & mater aliqua infamiæ labe notaretur, maluit fabri quàm virginis filius haberi ac nominari. Sed ad alia nunc pergamus.

D. Tho. 3. p. q. 29. ar. 1.
Albert. sup. *Missus.*
Bernard. Hom. 2. sup. *Missus.*
D. Ambr. lib. 2. in Luc. 1.

Nam ex parte diaboli consentaneum etiam hoc fuisse, demonstrat Ignatius. *Vt partus virgineus*, inquit, *diabolo celaretur.* id est, ad tutelam pueri contra diabolum, ne videlicet ipse nostram redemptionem impediret, Iudæis persuadendo illam verè matrem Messiæ esse: vnde nullus Iudæorum illum odio prosecutus fuisset, adeoque interfectus minimè fuisset. *Nam*, teste Apostolo, *si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Aut certè potuisset ante tempus necem procurare matri vnà cum filio, persuadendo Iudæis adulteram

Quarta congruētia, Ex parte diaboli.
D. Ignat. epist. 11. ad Ephesios.
1. Cor. 2.

teram esse: aut alia ratione partui virgineo nocuisset. Iam verò inito hoc matrimonio fuit egregiè delusus. Hoc sensu rationem hanc passim exponunt SS. Patres, Origenes, Hieronymus, Basilius, Damascenus, Bernardus, ac luculentissimè D. Ambrosius in hunc modum: *Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cùm desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Fallendi autem, vt dixi, principem mundi fuisse consilium ipsius Domini verba declarant, cùm Apostoli iubentur tacere de Christo, cùm sanati prohibentur gloriari de remedio, cùm dæmones præcipiuntur silere de Dei Filio*, &c.

Origen. Hom. 16 in Luc. Hieron. in Matthæi 1. Basilius Hom. de Christi generat. Damasc. l. 4. de Fide, c. 15. Bernard. Hom. 2. sup. *Missus.* Ambros. lib. 2. in Luc. c. 1.

Probabile quoque est (quod nonnulli ex citatis Auctoribus affirmãt) cùm diabolus sciret Messiam ex virgine nasciturum, solitum fuisse virgines obseruare, vt Messiæ matrem posset deprehendere: sed artificiosè delusus est quando beatissima Virgo nupsit.

Obiectio prima. At obiiciat aliquis, Quomodo metuebat Christus impediri à diabolo, cùm esset Deus, qui virtute sua infinita facillimè eum debellare potuisset? Respondent SS. Patres, nominatim Bernardus in hunc locum, & Anselmus in illud Prophetæ, *Abscõdita est fortitudo eius*, non modò diuinam potentiam ostendi debuisse in hac generatione, sed & sapientiam. Sicut enim potentiæ fuit ex virgine nasci hominem, ita quoq; sapientiæ, diabolum, quo modo hominem deceperat, pariter decipi. Cùm porrò virum & in viro nos omnes decceperit per nuptam Euam, decipiendus vicissim & ipse fuit per desponsatam. Sed Bernardum audiamus, *Oportebat*, inquit, *à principe mundi aliquamdiu celari diuini consilij sacramẽtum: nõ quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem seruare consueuit; ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud aliter quomodo vellet perficere potuisset, placuit ei tamen eo potiùs modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo nouerat cecidisse: vt sicut diabolus priùs seduxit feminam, & postmodum virum per feminam vicit: ita priùs à femina virgine seduceretur, & pòst à viro Christo apertè debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior.*

Bernard. Hom. 2. sup. *Missus.* Anselm. Habac. 3. Bernard. ibid.

Quæres postremò, quomodo diabolus hac ratione celari potuerit. *Obiectio secunda.* Respondeo, potuisse communi more conceptum esse Christum ac natum, inscio diabolo: quia non est vbique, neque scit omnia. Videtur hîc elusus diabolus vti olim Saul, quando occultè fuit vnctus Dauid à Samuele. Cùm enim præcepisset Samueli vt impleret cornu oleo, & in Bethlehem pergeret ad vngendum Dauid, ipseque respondisset, *Quomodo vadam? audiet enim Saul & interficiet me. Dixit ei Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolandum Domino veni:* vt videlicet hac ratione celaretur vnctio Dauidis in Regẽ. Sic etiam cùm Christus Dominus in vtero virginis vngẽdus esset à Spiritu sãcto *oleo lætitiæ pra*- 1. Reg. 16 Psal. 44.

præ consortibus suis, ne diabolus hoc resciscetet, obiectum est eius oculis matrimoniū inter Virginē & Ioseph, vt non aduerteret Dei sacramentū.

Quinta cōgruentia, Ex parte nostra. 1. Ad extremum itidem conuenientissimum fuit ex parte nostra vt virgo nuberet. Primò quidem, vt sponsum haberet testem suæ virginitatis, atque ita nostræ iuuaretur infirmitas fidei, aduersus hæreticos qui omni pænè æuo Mariæ virginitatem oppugnarunt. Ita sentit D. Basilius, Ambrosius, Bernardus. *Maluit*, inquit Ambrosius, *de sua generatione Dominus, quam de matris pudore aliquos dubitare.* Posteaquā enim iuncta matrimonio fuit, facile erat credere incarnationem hoc modo peractam ex virgine, cùm etiam Iosephus vir eius, cuius solet esse summa zelotypia, facilisque suspicio, id contestetur. vnde idem grauissimus Præsul alibi sic ait: *Locupletior testis pudoris Iosephus quàm ipsa virgo, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* Audiamus & D. Bernardum doctissimè nobis hanc vtilitatem persuadentem. *Dicam*, inquit, *quod mihi, imò quod ante me Patribus visum fuit. Illa vtique fuit ratio desponsationis Mariæ quæ & dubitationis Thomæ. Pulchra vtriusque rei conuenientia. Nam & de Filij resurrectione citiùs quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de matris continentia faciliùs sponso eius custodienti & experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti, &c.* Secundò adiungit his Ambrosius: *Nec decuit virginibus sinistra opinione viuentibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur.* Vera enim virginitas non minori pænè cura famam pudoris quàm pudorem ipsum seruare studet: hoc ne puritatis amatori displiceat, illud ne hominum oculos offendat, & aliis exemplo suo vel obscœni rumoris, vel impudici operis occasionem præbeat. Habet enim illud Apostoli semper ante oculos: *Prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Quod quidem præceptum non modò ad feminas, sed ad nos omnes etiam omnino in rebus pertinet. Negligere namque quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Ideoque rectè monet Sapiens, *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ.* Has enim aut fur rapit, aut ignis absumit, aut tinea vel rubigo corrumpit: fama verò bona non ita corrumpi aut deperdi potest, nisi velimus; sic attestante Ecclesiastico: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Adde, quòd iactura bonorum facilè resarciri possit, fama verò contaminata vix vmquam. Porrò ad feminas & ad virgines præcipuè spectat huius exempli imitatio: namque pudica virgo, vt corporis integritatem, ita & nominis, summa cura tueri debet. Hinc Philosophus quidam rogatus, quæ esset pudica femina, *Illa*, inquit, *de qua mentiri fama veretur.* Hinc etiam inter ea de quibus Iudith commendatur, illud præcipuum est: *Nec erat qui de illa loqueretur verbum malum.* & de Ruth ait Booz: *Scit omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Itaque mulier quæ famam suam parum curat, exemplum aliud quærat quo se tueatur. Maria exemplo illi non est,

Marginalia: D. Basil. tom. 1. Hom. 25. D. Ambr. de Instit. virginis. & lib. 2. super Lucæ 1. Bernard. Hom. 2. sup. Missus est. — Loco citato. — Ambros. lib. 2. in Lucæ 1. — Rom. 12. — Prou. 22. — Eccli. 41. — Bio Philosoph. apud Antonium. — Iudith 8. — Ruth 3.

est, quæ vt famæ consulat, nubit. Ne ergo dixeris, Malum non committo, adultera non sum. non id satis tibi esse debet, sed ab omni specie mala abstinendum, vt nullus de te verbum malum dicere valeat.

Decebat insuper, vt Maria exemplum esset ac speculum lucidissimum omnium statuum in Christi Ecclesia, *eiusque vita omnium disciplina*, vt loquitur Hieronymus. Quidam namque hæretici statum virginitatis, viduitatis, cęlibatus; quidam etiam nuptias improbarunt: at dum virgo & nupta eligitur in Dei matrem, hi duo status approbantur: dum item vidua fuit, etiam hic status approbatur. Exultent igitur virgines, quia perfectissimè Mariam imitantur: exultent coniuges, quia & Maria desponsata & coniux fuit: exultent viduæ, quia hæc etiam vidua fuit, annis vt minimùm quindecim. Sed obiter obseruandũ, hîc primo loco vocari ab Angelo virginem, deinde desponsatam, quia virginitas præstantior est nuptiis. Res quidem sancta est matrimonium, sed virginitati tantum cedit, quantum cedit argentum auro, terra cælo, Angelis homo. Hic est communis Ecclesiæ Catholicæ sensus, hæc fidei nostræ regula. Sic docet (vt innumeros alios prætermittam) D. Augustinus, qui ait: *Bona pudicitia coniugalis, sed melior continentia virginalis, vel vidualis.* Sic D. Cyprianus, *Virginitas*, inquit, *est soror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, possessio omnium bonorum.* Denique matrimonium à Deo conceditur, sed virginitas consulitur. Nouit Deus, per matrimonium nõ extingui concupiscentiam, sed armari ac roborari plerumque: verumtamen propter hominum infirmitatem, vt faciliùs effugiant peccatum incontinentię, illud approbat & honestat Sacramento. haud secùs ac parentes faciunt, qui dum filius infirmus est, & appetit dulcia, vel potum, si febricitet, lubenter ac fortiter recusarent, quia maius ei bonum exoptant, & sciunt hæc augere potiùs malum: tamen nonnumquam etiam concedunt, & bonum dicunt quod dant, nempe ex indulgentia, ne filius maiori tristitia vel acerbitate in parentes afficiatur, si negare pergant, aut ne sumat aquam pro cereuisia vel potu salubriori.

D. Hier. epist. ad Paulam & Eustoch.

August. lib. de Sancta viduit.

D. Cypr. lib. de Virgin.

D. Ambrosius in hac materia diffusus est ac disertus, additque aliam rationem, nempe propter significationem. Siquidem D. Virgo figuram gerebat Ecclesiæ: hæc autem virgo & sponsa Christi est: vnde cõgruum erat vt Dei mater virgo & sponsa esset. Verba Ambrosij sunt: *Viro desponsata, sed virgo, quia est Ecclesia typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concepit nos virgo de spiritu, parit nos virgo sine gemitu,* &c. Contentit etiam diuus Augustinus, Doctorum facilè princeps.

Ambros. lib. 2. super Luc. cap. 1.

August. lib. de Sancta virginit.

At nihil hîc mysterij præterea insinuatur? Nónne & anima cuiusque desponsata viro est, & tamen virgo, si diaboli sollicitationibus non consenserit? quid aliud per Prophetam Dominus significat, vbi ait, *Sponsabo te mihi in fide?* quid aliud Apostolus, *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo?* quid aliud ipsemet vult in Canticis identidem dicens, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia?* Sed de priore nostri instituti parte abundè satis: nunc cetera breuiter perstringenda.

Osee 2.

2. Cor. 11

Cant. 2. & 6.

Iam qualis, obsecro, hæc Virgo

Secunda pars de imitatione Virginis desponsata.

fuit in matrimonio? qualis? omnium profectò coniugum exemplar. Sed velim hîc maximè attendant feminæ, quibus Deipara imitanda proponitur: proxima verò Concione viri pariter exemplum habebunt in Iosepho. Primò itaque delegit virum non opibus aut dignitate eminẽtem, sed pauperem, opificio fabrum, iustum interim ac moribus consummatum: quantumuis ipsa satis honestos ac locupletes parentes haberet Ioachimum & Annam, qui licet bona sua partim in vsus pauperum, partim templo iam erogassent, partem tamen sufficientem sibi ac filiæ vnicæ reseruarant, vt grauissimus auctor scriptis prodidit. Haud dubiè cùm esset speciosissima, & illustri orta prosapia, præclarissimis item animi corporisque dotibus pręcellens; facilè sponsum honoratiorem reperire potuisset; sed simplici opifice contenta fuit, qui instinctu diuino ipsi offerebatur, vt simul cum eo laborare victus causa, & paupertatem colere posset: quam quidem virtutem præcipuo quodam studio & amore, toto vitæ suæ curriculo est prosecuta. Nos autem quàm grauatè & indignè ferimus nostram paupertatem? quot mẽdaciis, quot fraudibus, quot furtis, litibus, rixis, iniuriis eam à nobis propulsare conamur? hoccine est Regem ac Reginam cælorum imitari? Illi tam studiosi paupertatis fuêre, vt victum cum Iosepho manuum labore quæritare adamauerint: & nos æquum est hanc virtutem velis remisque, vt dicitur, fugere, ac tamquam infortunium aut graue malum auersari ac erubescere? Quin potiùs ante oculos vobis ponite corporis labores, quibus insudare Virginem cum Iosepho

D. Hier. lib. de Natiuit. Mariæ.

oportuit, dum hic quidem fabrili arte, illa ducendis filis, vel acu pingendis lineis aut laneis victum sibi parari: maximè in Ægypto commorantes, vtpote exules in solo externo, quò appulsi fuerant rebus omnibus necessariis destituti, tum vtensilibus, tum annona. Legite quæ de hac re memoriæ prodidêre D. Basilius, diuus Epiphanius, Nicephorus.

D. Basil. in Cõstit. Monast. cap. 5. D. Epiphan. apud Nicephor. in Histo. l. 2. c. 13.

Secundò, Qualis fuit hæc desponsata viro? vtique obsequentissima sancto illi viro, licet sine comparatione dignitate & gratia ei antecelleret: famulabatur illi in omnibus rei familiari munditer conseruandæ necessariis: in omnibus erat ei subiecta, & fideliter obtemperabat, non biduo aut triduo, sed vnius & triginta annorum spatio. Nam iuxta vulgatiorem ac probabiliorem opinionem, S. Iosephus dumtaxat vsque ad Seruatoris nostri Baptismum vitam produxit. quo toto tempore B. Virgo, quòd sponsus sibi esset, ac sciret Dei præceptum esse vt mulier marito suo obediret, omni cum perfectione illi obediuit. Nouerat, vtpote scientissima Scripturæ sacræ, commendari Saram Abrahami vxorẽ, quòd valdè morigera fuerit viro suo, quem in omni peregrinatione & laboribus fuerit comitata, & quidquid ille imperaret sit executa, *reuerenter eum Dominum suum compellans*. At sacratissima Virgo perfectiùs hæc eadem officia S. Iosepho præstitit, eum secuta Nazarethum, ibique cum eo commorata; Bethleem quoque cum eo profecta, quò tributum Cæsari penderet. Deinde cùm in Ægyptum fugiẽdum erat, quamquam iter longum ac difficile foret, eadem nocte qua de fuga ipsam admonuerat, demigrare, eumque comitari fuit parata.

Vide Canis. in Marial. l. 2. c. 13.

1. Petr. 3.

ta. In Ægypto septennium integrum absumptum, teste D. Anselmo. Meritò itaque Apostolus mulieres coniugatas ad parendum hortatur his verbis: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Sicuti igitur Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis, in omnibus, videlicet licitis & honestis.

Anselm. in Matth. cap. 2.

Ephes. 6. &c.

3. Enimuerò non est stabilis obedientia, nisi ex amore proficiscatur: quapropter etiam singulari illam affectu constat erga virum suum semper fuisse, quem diuinitus in solatium atq; auxilium sibi datum agnoscebat. Ac tametsi numquam vestitu vel ornatu corporis studuerit vlli viro placere (namque etiam per se ad pudicitiam solo excitabat aspectu) tamen verebatur vel in minimo turbare charitatem aut displicere Iosepho, qui vtique non tam erat vsquequaque perfectus, quàm ipsa. Quin imò, quod amplius est, dubitandum non est, quin ipsa, quæ tantopere ipsum diligebat, vti par erat, excellentissimam supra omnes sanctos perfectionem illi impetrauerit: quoniam illius erga virum amor sterilis non fuit, sed fecundissimus. vnde sic disserit D. Bernardinus: *Cùm B. Virgo tot ac tanta peccatoribus impetret sceleratis, quanta putas impetrauerit Iosepho sponso suo dilectissimo?* Profectò, si vna ex efficacissimis rationibus obtinendi à Deo varia gratiæ dona, meritò c[illegible]ditur patrociniũ Virginis, vt experientiâ ipsâ satis constat: non potuit non eximiam præ aliis Sanctis perfectionem obtinere sanctissimus Ioseph; cùm Deipara nullius vmquam hominis sanctitatem ardentiùs, quàm viri sui, vt optimam vxorem decebat, concupiscere[t]. O igitur mulieres diligite viros vestros, & viri diligite vxores vestras, vt toties hortatur Apostolus. Nam quòd Dominus mulierem ex substantia viri, non ex terra aut aqua formauerit, coniugalem charitatem & coniunctionem arctissimam commendauit, vt qui essent duo in carne vna, essent item in duobus corporibus anima vna, idem velle habentes & idem nolle.

Bernardinus tom. 3. Serm. de S. Ioseph

Ephes. 5. Coloss. 3. &c.

Quartò, Iterùm qualis hæc desponsata? Viri sui obseruantissima, magnam ei reuerentiam semper exhibebat, eamque verbis cùm opus esset lubẽs testabatur; probè noscẽs, illum sibi adiutorem datum in educando puero Iesu, suæque virginitatis custodem ac defensorem: proinde ea cum reuerentia quæ mulierem decet erga maritum in sermone eum compellare consueuit. Sic cùm eumdem Iesum in templo offendisset, triduo postquam amissus fuerat, dicebat: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ecce vt appellat Iosephum Saluatoris patrem, qui honoratissimus est titulus, quo inter cetera huius ornamẽta insigniri posset. Et quamuis naturalis non esset pater pueri; ita tamẽ verè poterat appellari, quòd ex vulgi opinione talis haberetur. Prætereà sibi eum præferebat, priorem nominando: quia non dicebat, *Ego & pater tuus:* sed, *Pater tuus & ego*; ei primas humiliter deferendo. En speculum rursus omnibus hominibus, qui alterius potestati quoquomodo sunt subiecti, vti seruis erga dominos suos, filiis erga parentes, eosque quos loco parentum habent, mulieribus autem propriè erga coniuges suos. Audite, mulieres, D. Petri Apostoli monitum: *Sic, inquit, aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo,*

Luc. 2.

1. Pet. 3.

Deo, ornabant se subiectæ propriis viris: sicut Sara obediebat Abrahæ, &c. Sic & B. Monica se erga maritum gessit, etsi ferocem & infidelem. *Illa,* inquit D. Augustinus, *satagebat, vt tu mihi pater esses potiùs quàm ille, & in hoc adiuuabas illam vt superaret virũ, cui velut Domino melior seruiebat: quia & in hoc tibi vtiq; id iubenti seruiebat.* Item alibi: *Maritum habere Dominum meruit mulieris non natura sed culpa. quod tamen nisi seruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa.*

August. l. 1. Cõf. c. 11. & lib. 9 c. 9.

August. de Gen. ad litte. l. 11. c. 27

5. Postremò qualis fuit hæc desponsata? qualis? humilis, ac sui contemptrix in omnibus modestissimè se gerebat. Porrò duo signa humilitatis cõmuniora statuit Albertus Magnus, nimirum officia vitæ vilia, & vestitum vilem deligere, non diuitem aut pretiosum. Quæ duo cùm perfectè præstiterit Domina nostra, meritò nos ad imitãdum huius quoque virtutis prouocat exemplum. In primis vilia & abiecta munia, vt suprà diximus, lubens exercuit. Igitur nec infima officia nos erubescamus. De quo sic Iustinus martyr: *Pudor ille in vitio est,* inquit, *dum veremur, si ipsi manibus nostris opus fecerimus, nequis nos miseros, & auxilio destitutos esse suspicetur.* In vestitu pariter neque curiosa neq; pretiosa quærebat, vt conspiceretur & inter alias emineret, sed habitu vili & communi corpus honestè contegebat. Quin & diuus Epiphanius, vetustissimus ac summus Auctor scribit, vestes S. Virginis natiui fuisse coloris, siue laneas, siue lineas, quæ & vilissimæ essent & minimi pretij; neque vllo modo passam eas alio colore infici. Quod cõprobat colore veli eiusdem Virginis, quod eo tempore Constantinopoli

Albert. in Parad. animæ cap. 2.

Iustinus mart. de Vita Christiana.

Epiphan. apud Niceph l. 2. cap. 23.

adseruabatur, vti rarissimum ac pretiosissimum cimelium. Eant nunc igitur mulieres, & vestium cupiditate incensæ, quæ ad apparatum modò & vanitatem faciunt, summa contentione eas à viro extorqueant. Superbiam suam hac ratione manifestã faciant. *Nemo siquidem,* teste D. Gregorio, *tales habitus lubenter conquirit, nisi ad vanam gloriam.* Et vulgò dici solet in hoc genere tria esse, quæ nũquam satis ornatus atque apparatus habeant; templum scilicet, nauigium, ac mulierem, vt quotidiana docet experientia. Prô quanta earum raritas quæ habitu simplice & modesto, quemadmodum Domina nostra, contentæ sint, non querulæ, non cupidæ, non vanæ, sed humiles ac modestæ! Imitemur obsecro Reginam nostram ac matrem, quoad status nostri conditio permittit. ac si iusta aliqua causa impediamur, quò minùs in propatulo id facere possimus, saltem priuatim & intra domesticos parietes, parandæ humilitatis ergô, faciamus.

Gregor. Hom. 4. in Euang.

Vt finem faciam, Auditores, habetis qualis in matrimonio fuerit Regina Angelorum, mater Dei & Virgo, quàm studiosa paupertatis, quàm obediẽs, quàm humilis, quàm subiecta. Quocircà rectè D. Bernardus, admiratus tantam sublimitatem cum hac humilitate coniunctam, sic demum concludit: *Veneramini coniuges in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam vos sacræ virgines in Virgine fecunditatem: imitamini omnes homines matris Dei humilitatem. Honorate sancti Angeli vestri Regis matrem, qui nostræ adoratis Virginis prolem, ipsum vtique nostrum pariter ac vestrum Regem.* Alloquamur & nos cuiusque status homi-

Bernard. Hom. 1. super *Missus.*

homines. O qui non potestis imitari virginitatem Mariæ, imitamini humilitatem, imitamini obedientiam, patientiam, charitatem. Ecce quomodo exteriùs erat desponsata & coniux, sed interiùs virgo sanctissima, & virtutum omnium splendoribus coruscans. Hæc iustorum nobilitas est, vt similiter interiora magis perfici ament quàm exteriora. Hinc sponsus animam sanctam ita consolatur: *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Ecce aurum interiùs erat, exteriùs vero argentum quo vermiculatæ murænulæ erant. Sed numquid aptius ac congruentius foret, si è diuersò fieret, vt murænulæ argenteæ essent, aurum verò desuper imponeretur? Ita facere solent filij huius sæculi, quorum omnis gloria in exterioribus est. Exteriùs auro fulgent omnia, interiùs sordent: exteriùs quasi sepulchra dealbata & speciosa, interiùs putredo & vermis. Sed non ita euenit sanctis & electis Dei amicis: quin potiùs, vt Regius Psaltes canit, *omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Ipsa etiam sponsa hac laudabili conditione gloriatur. *Nigra sum, inquit, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quæ exteriùs quidem erant deformes, interiùs pulchræ. Curandum denique nobis est omni sollicitudine, vt anima perficiatur & exornetur potiùs quàm corpus: cumque Dei gratia dumtaxat ac virtutum officijs exornetur, hæc sola omni studio quærenda, hæc in pretio habenda, hæc rebus omnibus anteponenda. Sic fiet vt cælesti sponso placere, eiusque ad nuptias & perpetuam felicitatem admitti mereamur; cui honor & potestas & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Cant. 1. Psal. 44. Cant. 1.

CONCIO XI.

Viro cui nomen erat Ioseph.

1. Quare Ioseph diuinitus designatus atque electus Deiparæ sponsus siue coniux.

2. Quomodo Ioseph & Maria exemplo præluceant omnibus coniugibus, Ioseph potissimùm viris.



QVEMADMODVM cùm vere nouo ad nos redit sol, omnia virere incipiunt, terra parturit, arbores frondibus vestiuntur, & tota terræ facies innouatur ac refloreſcit: ita per incarnationem adueniente ad nos sole iustitiæ Christo Domino, tota mundi facies spiritualiter renouata est: surgunt virginum chori, monachorum cœtus, exercitus martyrum, Confessorum ac Pontificum ordo; ac denique illud impletum quod Propheta vaticinatur: *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & exultabit letabunda & laudãs.* Ac si dicat, tunc in Ecclesia steriles & incultæ (quæ nullum pietatis ac iustitiæ fructum, nullum virtutis germen proferebant) per Dei gratiam in amœnum paradisum & voluptatis hortum cõmutatæ sunt. Omnes enim status Ecclesiæ inuenêre in Iesu & Maria quod imitarentur, siue coniuges, siue viduæ, siue virgines; siquidem & mater Domini coniux, & vidua & virgo fuit. Omnes in vniuersum imitati sunt in ea honestatem, puritatem, castitatem statui suo consentaneam. Porrò missis alijs in præsenti, videndum nobis est hodie, quomodo Maria coniux fuerit, desponsata viro cui nomen erat Ioseph, post vndecim annos in templo piè sanctèque transactos: vt statui coniu-

Isa. 35.

gali

gali hac ratione illustre preberetur exemplum. Quomodo id factum sit exponunt D. Gregorius Nyssenus, Nicephorus, & alij. *Mulieres, inquiunt, cum sacerdotibus in templo versari, atq; in sanctis ædibus conspici neque lege permittebatur, neque res erat honesta. Deliberantes igitur sacerdotes in hanc sententiam diuinitus conuenerunt, vt virginem cuipiā viro desponderent.* Ita directione Spiritus sancti, & consilio Sacerdotum tradita est Iosepho, viro iusto, ex eadem patria ac tribu. Sed qua ratione Spiritus sanctus hunc virum præ ceteris delegit in sponsum, quando tum Virgini sanctissimæ inspirauit vt nuberet, tum seniorum consilia eò direxit? Hoc iam primò sic demonstrandum, vt manifestum hinc fiat qualis vir, quantusque fuerit Iosephus. Secundò, Quale exemplum præbuerint coniugibus Ioseph & Maria.

D Greg. Nyss. Orat. de Natiuit. Niceph. lib. :.c.7.

AVE MARIA.

DOctissimè de hac materia disserens D. Irenæus, declarat ex D. Paulo Apostolo, quomodo primus ille Adamus de terra terrenus, secundi qui de cælo cęlestis, & noui mundi quasi princeps fuit, typum gesserit. Quēadmodum enim primus de terra immaculata, &, vt loquuntur, de terra virgine formatus prodijt; ita decebat vt secundus Adam de cælo cælestis etiam formaretur virtute diuina ex virgine. Et sicuti olim paradisum terrestrem, maximeque lignum vitæ commisit custodiæ Angeli; ita paradisum hunc cælestem, videlicet Mariam, fructumque vitæ Christum Dominum commisit Angelo cuidam terrestri, vel homini cælesti, *cui nomen erat Ioseph, de domo David.* In quæ verba sic commentatur D. Bernardus: *Verè de domo Dauid, verè de Regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degenerans à patre suo Dauid. Prorsus, inquam, filius Dauid, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione: quem tamquam alterum Dauid Dominus inuenit secundùm cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tamquam alteri Dauid incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit: & dedit illi non ignarum esse mystery, quod nemo Principū huius saculi agnouit.* Sed cur huic potiùs commissus ac concreditus fuit omnium gratiarum ac virtutum paradisus, quàm alijs quibusuis? haud dubiè, quia omnium dignissimus erat cui talis vxor obtingeret. Asserunt sanè Doctores, omnium qui tum viuebant optimum ac maximè idoneum fuisse, eumque conferunt cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Euangelistis, cum sanctissimis quibusque. Nam sicuti Dominus Deus eam mulierem delegit in matrem, qua melior, aut cui similis in mundo non reperiretur: ita matri suæ charissimæ talem elegisse sponsum credibile est, quo purior aut sanctior inueniri non posset. Porrò id illi probant etiam triplici ferè ratione.

Lib 3. cōtra hæres. c. 33.

Hom. 2. sup. Missus est.

Quos vide apud Canisiū in Mar. & Christoph. à Castro in Historia Deip. Suarez in 3. p. to. 2. disp. 8.

Primò, quia laus eius magna est in Euangelio. Quem autem in Scriptura sacra Deus laudat ac probat, is verè laude dignissimus ac probatissimus est. Homines namque errare possunt, Deus non potest. Et reuerà illud est homo quod coram Deo est, & non minus aut amplius. Quomodo igitur laudatur? ante matrimonium cum virgine contractum iam erat vir iustus & perfectus, teste Eugelista, qui ait: *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus,* &c. id est, vir sanctus, seu omni virtute præditus. Vnde cùm

Matth. 1.

cùm aduerteret, vt sequitur, sponsam concepisse, summam animi moderationem, prudentiam, constantiam ostendebat: certus enim erat ex sua parte se prorsus inculpatum, suumque non esse fructum; ex altera parte vxoris innocentiam ac sanctitatem ita perspectam habebat, vt dubitare de ea aut sinistrè suspicari non posset. Quid igitur potiùs illi faciendum fuit, quàm quod scriptum est loco citato, *Cùm nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam? Tantam*, inquit Chrysostomus, *in eo philosophiam mentis ostendit*. Et verò toto matrimonij tempore ex tam diuturno conuictu cum beatissima Virgine quantos in omni virtute progressus eum facere oportuit?

D. Chrys. Hom. 4. in Matth

Deinde satis laudatur, dum vir Mariæ prædicatur, *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ*. Quemadmodum cùm Maria mater Dei appellatur, abundè satis hoc ipso commendatur, etsi non alia multa, quæ in laudem eius quadrare possent, in medium proferantur. Certum quippe est de Ioseph, vt communis Patrum fert opinio quos mox citabo, propter summam sanctitatis opinionem à Sacerdotibus templi idoneum fuisse iudicatum, cui B. Virgo committeretur, idque non absque singulari Spiritus sancti inspiratione. Atque in primis sic de eo scribit D. Hieronymus in historia de Ortu Mariæ, quam solidè ac validè commendat Christophorus à Castro in Historia Deiparæ: *Cùm iam definitum esset oportere matrimonio tradi puellam; illa quæ decuit animi submissione respondit, nulla ratione id fieri posse: tum quòd parentes se diuino cultui dedicassent, tum quòd vni Deo suam ipsa virginitatem consecrasset. Hic Pontifex in angustia constitutus animi, cùm nec contra Scripturam, quæ dicit, Vouete & reddite, votum infringendum putaret, neque morem genti insuetum introducere auderet, præcipit ad festiuitatem quæ imminebat, omnes ex Ierosolymis ac vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Quod cùm fieret, omnibus in commune placuit Dominum super hac re esse consulendum. Itaque cunctis orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum de more accessit. Nec mora: cunctis audientibus, de oraculo & de propitiatorij loco vox facta est, requirendum esse cui illa virgo commendari ac desponsari deberet: cunctos de domo & familia Dauid nuptui habiles, non coniugatos (qui occasione festiuitatis in vrbem venerant) virgas suas allaturos ad altare: & cuiuscumque virgula florem germinasset, & in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse cui virgo commendari ac desponsari deberet, sic vt eam ne attingere quidem posset, sed custodis tantùm ac patroni munere fungeretur. Hæc sors diuino nutu obtigit Iosepho*. Hactenus Auctor; atque huic narrationi consentanea scribunt D. Gregorius Nyssenus, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Simeon Metaphrastes, Gregorius Cedrenus, & alij nonnulli. Itaque forte diuina omnium dignissimus est iudicatus Iosephus cui virgo nuberet.

Matth. 1.

Hieron. l. de Ortu Mariæ.

Quin & omnium itidem optimus ac sanctissimus à Deo iudicatus est, qui esset pater & custos & quasi pædagogus Filij Dei: quæ dignitas longè profectò excellentissima censenda est. Si namque Reges huius mundi suis liberis pædagogos optimos ac præstantissimos quærunt; quid non fecisse credibile est sapientiam Dei infini-

Gregor. Nyss. Orat. de Christi Natiuit. Germa. Orat. de Virginis oblatione. Metaph. Orat. de Vita & dormit. Deip. Cedr. in Compēd. historiæ. Epiphanius, Niceph. &c.

infinitam? Quantam igitur Iosepho necesse est gratiam à Deo collatam, vt vir Mariæ virginis & pater Filij Dei fieri mereretur? Nam diuina bonitas vnicuique confert sanctitatem & gratiam ei muneri accommodatam in quo illum constituit. vnde &
2.Cor. 2. Apostolus ait: *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Idque fusiùs explicat D. Thomas & alij. Profectò sicut Mariæ Virgini cōuenientem dedit gratiam, vt de congruo mereretur esse mater Dei, Apostolis vt Apostoli, Prophetis vt Prophetæ idonei essent; ita & Iosepho vt officia sanctissima obiret, quæ sunt, esse virum Mariæ, & Christi Domini patrem. Nunc accuratiùs ac distinctiùs videamus quanti momenti vtrumque istud officium sit, quantæ excellentiæ, quantæ sublimitatis.

Vide D.Tho. super Epist ad Rom.c.8 lect.5.

Prima officij prærogatiua, quòd vir Mariæ fuerit.

Ac Primò Iosephus, vt dixi, sponsus fuit & vir Mariæ. Ecquis hoc audito non sentiat cum Ecclesiastico, & dicat, *Mulieris bonæ beatus vir.* Quàm beatus igitur Iosephus, cui optima mulierum in matrimonium est data? itemque alibi dicit: *Mulier bona pars bona, in parte bona timētium Deum, dabitur viro pro factis bonis.* id est, Optimum omnium, quæ domi tuæ habere potes, hoc statuendum, si habueris mulierem bonam, quam Deus solet iis dare qui bonis operibus eam promeruerūt. & in Prouerbiis Sapiens ait, *A Domino vxor prudens.* Itaque Maria virgo, optima profectò pars Iosephi. Multæ quidem fuêre mulieres malæ, quæ viris suis perniciem atque exitium inuexêre: sicuti Eua perdidit Adamum, Iezabel Achab, Bersabee Dauidem. & deprauatum est cor Salomonis per mulieres: & Samson à Dalila proditus inimicis fuit. Sed è contrario quoque multæ mulieres bonæ multis bonis viros cumulauêre, vt Sara, Rebecca, Rachel, & prudens Abigail, quæ vitam suo viro seruauit. At præ omnibus Maria suo matrimonio virum beauit, in quo natus est Saluator mundi, benedictio omnium gentium, flos generis humani, gaudium omnium hominum & Angelorum. Quantus (ô bone Deus!) Iosephi honor & gloria, virum esse Mariæ, &, excepto vsu generationis, omnia iura & munera habere veri mariti! Meritò hanc dignitatem asserit Damascenus illi concessam esse *singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Certè in ea dignitate continentur pænè omnia quæ dici possunt de viro isto sancto. Etenim si D Gregorio Nazianzeno, ad laudandum vno verbo Gorgoniæ sororis suæ maritum, scribere licuit in hæc verba: *Vultis vno verbo virum describam? Vir Gorgoniæ fuit. nescio quid ampliùs dicere necesse sit.* Quomodo ad laudem S. Iosephi non multò magis nobis dicere sufficiet, *Vir Mariæ fuit?* Quemadmodum sacri Euangelistæ pauca de beatissima Virgine enarrantes, plurima eius encomia vnico verbo conclusere, matrem Dei illam appellantes, *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus:* ita iidem perpauca de Iosephi vita & moribus commemorantes, permulta in eius laudem verbo complexi sunt, *virum Mariæ* vocantes, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.* & ibidem, *Ioseph autem vir eius.* quasi dicatur, Vultis vno verbo mirificam Iosephi sanctitatem describamus? Vir erat Mariæ virginis. Hoc sufficere meritò potest, etsi cetera taceantur.

Eccli. 25.
Eccli. 26.
Prou. 19.
Damasc. Orat. de Natiu. Virginis.
Gregor. Naziāz. Orat. 11.
Matth. 1.
Ibidem.

Magna

Secunda prærogatiua, arctissima coniunctio inter coniuges.

Magna omnino est coniunctio inter virum & vxorem, magna rerum omnium communio. Vnde si vir sit Rex, vxor verò infimæ sortis puella, vt Esther; quia tamen Regi nupserit, fiet Regina, & domina regni. Contrà verò, si Reginam ducat quilibet hominum, Rex continuò efficitur & regni totius dominus, quia Reginæ matrimonio nobilitatus sit. Quòd si ergo felicem eum hominem dixeris, qui Reginæ matrimonium obtinuerit; an non beatissimus ille censendus est, qui Reginam cæli duxit vxorem? Consequens enim est, si Maria Regina cælorum est, si Domina vniuersi, eius virum aliqua ratione Regem cælorum, ac Dominum vniuersi dici posse. Sed non sic loqui solemus, quidquid sit de rei veritate. Certè quidem Iosephus, quod extra controuersiam est, etsi infimus fuisset, summus tamē per matrimonium cum Maria euasisset. Rectè id etiam demonstrari potest elegantissimo illo sacræ Scripturę apologo, tamquam apposito quodam Spiritus sancti symbolo. *Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuā filio meo vxorē. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* (4. Reg. 14) idq; in pœnam videlicet tantæ superbiæ, qua tam inusitata celsitudo per matrimonium ambiebatur. Quid hîc aliud significatur, quàm arctissima coniugum inter se coniunctio, vt hoc ipso quòd coniuges sunt, alter alterius participare debeat dignitatem?

Tertia prærogatiua, morum similitudo.

Hinc porrò sequitur, quæ requiri solet, maxima quoque inter ipsos morum similitudo. Desponsatio siquidem ista Mariæ & Iosephi à Deo facta est, *qui habitare facit vnius moris in domo.* (Psal. 67.) Cùm vos, auditores, quæritis maritum virgini vestræ, quęritis, opinor, ferè æqualem, nequa sit exprobrationis occasio, nequa contumeliæ, ne infaustum matrimonium. Ideò enim monebant veteres:

Siqua voles tutò nubere, nube pari. (Ouidius.)

Si vos igitur ita sapitis; multò magis Deus quæsiuit inter homines maximè similem & æqualem sanctitate & moribus D. Virgini sponsum. Sic enim eùm sponsam dare vellet Adamo, *Faciamus ei,* inquit, *adiutorium simile sibi.* (Genes. 2.) Vt verò significaret, quanta similitudine esse inter se coniuges debeant, quantaque dilectione se inuicem prosequi, non creauit mulierem, sicut alia animalia mares & feminas, sed de viri costa. Voluit nimirum summum esse inter coniuges amorem, ac proinde summam similitudinem; quoniam amoris causa est similitudo. Quapropter inter Ioseph quoque & Mariam similitudo quæsita est, quanta maxima reperiri potuit. Qualis autem fuit, obsecro, Maria? plena gratia iam ante Angeli legationem, dignitate superans Angelos ipsos, & supremos etiam Seraphinos, absq; vlla dubitatione. Qualis igitur Iosephus, qui ei aliquo modo similis esse debuit? Certè hac de causa Gerson, insignis ille Cancellarius Parisiensis, de S. Iosepho loquitur in hunc modum: *Sicut decuit vt Virgo summa puritate niteret; sic decuit vt haberet suo modo parem sponsum, purissimum scilicet, qui cum perpetua virgine virgo permaneret. Sic vterque Regali progenie illustris, vterque sanctificationem in vtero recipiens. Et cum Maria plena gratia fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratia, peccatum quodlibet mortale superāte.* (Serm. de Nat. Virginis.) Huic verò sententiæ de sanctificatione in vtero adstipulatur Iacobus

Iacobus de Valẽt. in Cant. Virg. Eckius Serm. de S.Ioseph.

de Valentia, & vir eruditissimus Eckius: eaque ratio suffragatur, quia si Ieremias ad vaticinandum & prædicandum de Christo, & Ioannes Baptista ad eum baptizandum & digito demonstrandum sanctificati fuêre in vtero materno, non est à ratione alienum, vt qui manibus frequenter per multos annos cõtrectaturus esset sacratissimum Christi corpus, sãctus esse inciperet ab vtero matris suæ. Deniq; hæc est D. Bernardini sententia de S. Ioseph: *Quomodo cogitare potest mens discreta, quòd Spiritus sanctus tanta vnione coniugij vniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi & virtutum operatione simillimam? Vnde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, vt esset adiutorium simile Virgini.* Sed pergo vlteriùs.

Tom. 3. Serm. de S.Ioseph.

Quid quòd Iosephus fuit, vt debuit, quodammodò caput B. Virginis ac Superior? scriptum est enim, *Caput mulieris est vir.* ac rursus, *Mulieres subditæ sint viris suis,* vbi & Saræ affertur exemplum, quæ Abrahæ obediebat, *eumq; dominum suum vocabat.* Porrò sicut aliæ mulieres, ita & D. Virgo Iosephum reuerebatur, & virum suum caputque agnoscebat, ac tamquam capiti obediebat. Imò Deus ipse id agnoscebat ac manifestè satis testabatur, quando tamquam capiti diuinæ reuelationes ei fiebant, vt de fuga in Ægyptum, & de reditu ex Ægypto. In quibus quidem reuelationibus tum eius excellentia & dignitas, tum maximè fides & obedientia declaratur. Tametsi enim mysteria essent altissima, nihilominùs sine vlla hæsitatione promptissimè credidit & obediuit: vt eleganter exaggerat D. Chrysostomus, vbi ait: *Vidisti obedientiam, vidisti animum facilè sacris sermonibus fidem accommodantem: vidisti mentem omnino vigilem, & nulla prorsus corruptione violatam,* &c. Alibi quoque longè vberiùs. Sed sanè hæc interim intelligi debẽt, quia, vt monet D. Thomas, in iis quæ pertinent ad mysteriorum Dei cognitionem, & ad priuilegia gratiæ suscipienda, nequaquam debuit beatissima Virgo pendere à viro, nec sub eius esse potestate. At verò in externis ac domesticis rebus poterat suo modo esse viro subiecta, quandoquidem ad illum familiæ gubernatio pertinebat. Itaque licet officio caput fuerit, gratiâ tamen co[illegible] Deo longè inferior erat. Tantùm asserimus, hanc ipsam insignem esse prærogatiuam Iosephi, eumque proinde excellentissimum quemdam attigisse sanctitatis gradum, vt caput Virginis dignè fieret.

Quarta prærogatiua, vir caput mulieris. 1. Cor. 11. 1. Pet. 3.

Chrys. Hom. 5. in Matt.

Idem Hom. 8.

D. Tho. p. 3. q. 30. a. 2. ad 2.

Neque silendum hîc, quantum gratiæ ac virtutibus adiecerit, dum triginta annorum spatio cum sanctissima coniuge Maria & vnà cum Christo Domino vixit. Nam si felix prædicatur D. Ioannes Euangelista, cui Deipara Virgo tradita est in matrem, & qui paucis annis cum ea viuere meruit: quantò felicior hac in parte Iosephus, qui non paucis sed triginta facilè annis eius præsentia ac suauissimo consortio gauisus est? Quoties illum beatissima Virgo allocuta est, quoties consolata est, quoties instruxit de diuinis mysterijs, quoties ad laudem Dei, atque ad eius voluntatem in omnibus implendam excitauit? Quòd si in terris qui addicti sunt cultui sanctissimæ Virginis, eius interuentu mirificos in pietate progressus faciũt: quãtos eum fecisse putabimus, qui tot annis cum ipsa degere

Quinta prærogatiua, quantum profecerit ex diuturnitate conuictus.

degere, ac familiariter degere meruit? Ita quoque ratiocinatur D. Bernardinus: *Si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu virginis nihil sunt, sæpè tamē proficimus; quid de Iosepho dicemus?* Legimus vel vnam Mariæ salutatione, integram Zachariæ domum repleuisse (tantum ponderis ac virium est in verbis oris eius) quid ergo effecerint tot salutationes, tot colloquia de Deo deque rebus diuinis? Profectò si perditissimus homo Mariam audisset, sanctissimus euasisset: quid ergo fecerit homo sanctissimus? Audeo & illud asseuerare, si in cælum raptus fuisset Ioseph, & per annos triginta choris Angelorum interfuisset, & laudes illas diuinas coràm audiuisset, non tantum fuisset assecutus, neque tantum profecisset, quantum audiens Christum & Mariam. Hinc, teste Augustino, colligi licet, quòd Iosephus virgo fuerit (alioqui, inquit, Virgo virginum ipsi in sponsam tradita non fuisset) imò quòd votum fecerit virginitatis cum Maria coniuge, vt alibi dictum est, postquam intellexit illam huiusmodi votum habere. Talem videlicet patrem sibi adsciuit is *qui pascitur inter lilia*. In quæ verba Rupertus, *Quæ sunt lilia hæc*, inquit, *nisi Ioseph & Maria?* Verè inter lilia pascitur qui Virginem matrem elegit, & patrem Iosephum virginem, & virginem præcursorem, & in morte custodem matris virginem Ioannem.

Serm. de S.Ioseph.

Lib. de Bono cōiugali.

Cant. 6. Ruper. l. 2. in Cant.

Sed vt æmulandi studium excitemus, D. Augustini verba audiamus. *Hoc exemplo magnificè*, inquit, *insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Existimet verò aliquis fortasse, non multos esse imitatos Ioseph & Mariam in hac matrimonij excellentia? Imitati sunt Imperatores, & Reges, & Regum filij & filiæ, vt mittam omnes alios è vulgo. An non in coniugio cælibatum purissimè conseruarunt Valerianus & Cæcilia, insigne par nobilitatis Romanæ? Sic legimus ante annos sexcentos Henricum II. Imperatorem cum vxore Cunegunde perpetuam seruasse virginitatem vsque ad mortem. Cùm autem se morti proximum cerneret, vxorem ac propinquos eius acciuit, eosque intuens, Recipite, inquit, quam mihi tradidistis virginem vestram. Itaque eo vita functo ipsa Religionem continuò ingressa est. In Polonia alia item Cunegundis cum marito Rege Boleslao idem propositum tenuit. In Gallijs Radegundes, in Hispania Teresia cum Alphonso, in Anglia Rex Eduardus, & vxor eius Editha pari sanctitate. Ibidem Etelrada binis Regibus matrimonio iuncta perpetuam cum ijs continentiam seruauit. Cogitate nunc quāta sit frequentia huiusmodi exemplorum inferioris ordinis. De quibus omnibus latiùs egêre DD. Hieronymus, Augustinus, Paulinus, Palladius, Gregorius Turonensis. Quamquam non leuiter interim aut temere hæc studio æmulationis sequenda, sed cùm Spiritus sanctus fortiter ad id impellit. Nunc venio ad secundam Iosephi dignitatem principalem.

Aug. l. 2. de Cōsensu Euangel.

Hieron. epist. 45. ad Arm. Aug epist. ad Rusticum. Paulinus epist. 3. ad Appiū. Pallad. in Histor. Lausiaca. Greg. Tur. de Gloria confess.

Hæc primùm in eo posita est, quòd nutritius, pædagogus, ac custos puero Iesu delectus fuerit. Vos, ô matres, quando sufficere non potestis lactandis infantibus, quæritis nutrices honestas & probas, & vobis similes. Vos autem, Domini mei, soletis filijs vestris doctos atque egregios pædagogos

Secundi officij prærogatiua prima, quòd nutritius, pædagogus & custos pueri fuerit.

gos quærere, etiamsi magno vobis constare debeant. Non enim vultis vili pretio, vt dicitis, emere ignorantiam, id est, rudes magistros, quibus tantò minus stipendium detis. Si igitur vos tam prudentes estis in generatione vestra, quantò magis Deus huic rei inuigilasse credendus est, vt eligeret sibi nutritium in terris, ac pædagogum, seu custodem ac fulcrum infirmitatis quam assumpsit, virum vsquequaque dignissimum? Accedit eòdem, quòd Iosepho tanta pueri Iesu cura diuinitus mandanda erat, vt obsequia ferè ipsi exhiberet, quæ solet Angelus custos homini exhibere. Quæ quidem in Psalmis indicantur
Psal. 90. vbi dicitur: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te,* &c. Nam etsi Christus Dominus non habuerit Angelum custodem, vt alij homines, cùm ipse potiùs sit custos & Rex Angelorum: tamen secundùm infirmitatem carnis quam assumpserat, Iosephi operâ vsus est in omnibus vijs suis, tamquam Angeli custodis.

Secunda prærogatiua, quòd pater Christi fuerit.

At quantò his maius fuit, quòd iusta ratione pater Christi fuerit, pater habitus ac vocatus sit sæpiùs in Euangelio. Vnde illud: *Nónne hic est filius fabri?* & rursus: *Nónne hic est filius Ioseph?*
Matt. 13. 1. Ioan. 6. Nec à Iudæis modò, vt obseruat Augustinus, qui mysterium incarnationis eius ignorabant; sed & à sacro Euangelista Luca sic appellatur, qui ait:
Aug. l. 2. de cōsensu Euang. c. 1. *Erant pater & mater eius mirantes super his quæ dicebantur de eo.*
Luc. 2. Quin etiam ibidem à B. Virgine sic vocatur: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Sanè cùm Euangelista & B. Virgo absque speciali Spiritus sancti instinctu locuti non sint, debuit ei titulus hic & dignitas patris singulari Dei ordinatione conuenire. Nimirum quia gessit officium patris in omnibus quæ patris sunt, excepta generatione. Habuit affectum & sollicitudinem, & (vt ita dicam) auctoritatem patris. Vnde rectè Bernardus dicit fuisse *seruum fidelem & prudentem, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum: vt non immeritò illi accommodari possit quod de alio Ioseph scriptum est: Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Ita D. Bernardus. Bernard. Hom. 3. sup. Missus est.
3. Haud dubiè quemadmodum pater est & pater dici solet qui habet filium adoptiuum, etsi illum non genuit: ita Iosephus fuit pater quasi legalis, & Iesus ab illo quasi adoptatus. Sic sentit D. Augustinus. *Nec enim propterea,* inquit, *non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia illum non genuerat: quandoquidem rectè illius pater esse poterat quem adoptasset.* Aug. l. 2. de Cōsensu Euāg. c. 1.
4. Idem alia quoque ratione explicari potest ex Damasceno. Damasc. Orat. 13. *Sicuti qui solùm electione & non iure sanguinis ad Regiam dignitatem ascendit, non minus a cunctis Rex vocatur, nec minor ei obedientia aut honor defertur, quàm si ex paterna hæreditate regnum obtinuisset: ita etiam licet Ioseph naturâ pater Christi non fuerit, tamen quia ex Christi electione in patrem assumptus est, meritò patris adoptiui nomen sibi vendicare potest.*
5. Neque illud omnino vanū est, quòd patrem vitricum solemus patrem, & nouercam matrem vocare, propter matrimonium quod inter illos est. quare non eadem ratione possit vocari Iosephus pater Christi, ob matrimonium cum vera eius matre?
6. Postremò, sicuti iure matrimonij corpus D. Virginis Iosepho tamquam viro traditum est: ita fructus virgi-

nei

nei corporis fuit etiam Iosephi. nam vt Iura disponunt, siquid in alieno solo nascitur vel ædificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum. Exempli gratiâ, Si arbor aut fons miraculosè nasceretur in horto alicuius, ad dominum horti pertineret. Ergo similiter Iosephus in fructum benedictum Virginis ius similiter habuisse censendus est. Iam porrò quanta hæc dignitas Iosephi? An non *tantò maior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit? Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus, Pater meus es tu?* Quantum igitur honorem tribuit illi Pater æternus, quòd hoc nomen sibi proprium, hunc titulum tam sublimem, cum ipso communicare dignatus est? Exemplo magis illustremus. Christus Dominus morti propinquus de Ioanne Euangelista Virgini matri dixit, *Mulier ecce filius tuus.* Ex qua appellatione colligunt omnes Sancti singularem Christi amorem erga Ioannem, quem tanto honore afficiebat, vt nomen sibi proprium cum illo communicaret, & curam officiumque sibi proprium illi mandaret. atqui multò excellentior est Patris Christi quàm filij Virginis appellatio. nomen quippe patria præ se fert maiorem auctoritatem, & Christus infinitè dignior est quàm Maria.

Instit. De rerum diuisione. § Cùm in suo solo.

Hebr. 1.

Ioan. 19.

Tertia prærogatiua, paterna administrationes.

Iam sicuti pater Christi fuit Iosephus, ita paterna ei officia exhibuit. Nam vt verus pater Christus aluit atque educauit opificio suo, cum illo tam diu vixit, eius colloquio & moribus & exemplis gaudere atque instrui meruit; & tamquam pater nomen imposuit, iubente Domino, *Et vocabis nomen eius Iesum.* Quanta hæc Iosephi excellentia? Concessum est Adamo nomina rebus imponere, & ob hanc causam data est ei omnium rerum perfectissima cognitio, vt nomina rebus conuenirent. Si tantum fuit nomina animantibus imponere, & ob hanc causam data est ei omnium rerum perfecta cognitio; quid erit, Christo nomen dare? Adhæc, quanti illud quoque æstimabimus quod Iosephus illi eidem, cui Regius Propheta dicit: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione: & tu das illis escam in tempore opportuno;* Illi, inquam, eidem manum suam plusquam millies aperuit, vt paterno more cibum porrigeret? Quàm sollicitè enim prouiderit puero, satis patet in omnibus illis itineribus quæ cum illo suscepit, in peregrinationibus, in Bethleem, in Ægypto, in Nazareth. Quoties illum in sinu suo portauit? quoties manibus contrectauit, induit vestibus, exuit, amplexatus, osculatus est? quos interim motus amoris, cùm sciret quis ille paruulus foret, quæ incendia charitatis experiebatur? *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo vt vestimenta illius non ardeant?* Atqui paruulus Iesus verè ignis consumens erat. Ecquos etiam actus contemplationis elicuisse credendus est, non dicam vt pia Magdalena secus pedes Domini in genua procumbens; non vt Ioannes qui supra pectus Domini requiescens cælestia contemplabatur arcana: sed vt Paulus, qui vsque ad tertium cælum raptus, audiuit quæ non licet homini loqui. Nihil mirum, si huiusmodi raptus Iosepho contigerint, cui maiora charismatum munera concedebantur.

Matth. 1.

Psal. 144.

Prou. 6.

Enimuerò quid de laudibus Iosephi sublimius dici potest, quàm dixit

Quarta prærogatiua, auctoritas in puerũ.

Luc. 2. xit Euangelista, *Et erat subditus illis?* Etsi enim vt Deus nemini poterat esse subiectus; tamen vt homo, vt filius Mariæ, quæ verè coniux Iosephi erat, voluit illi esse subiectus, & tamquam patri ac superiori obedientiam honoremque deferre: imò tamquam tutori pupillus, vt scribit Rupertus. (Rup. l. 3. de Diuin. offic.) pupilli siquidem tutoribus parent, eosque patros vocant interdum: sed quantò maius fuit filium Dei Iosepho morem gerere tamquam vero patri? quàm stupendum est cernere Deum Mariæ ac Iosepho obedientem! At quid magis mirandum, tanta Dei submissio, an tanta hominis sublimitas? Dicitis aliquando, Minister mihi est peregregius, Rex ipse meliorem non habet. Multum quidem dicitis, sed longè magis stupendum quod Iosephus dicat, Ministrum ego habeo quo meliorem nec Deus habet, sed nec habere potest. Tradunt enim Doctores multi, estque communis opinio, Iosephum fabrum lignarium fuisse (tametsi nonnulli ferrarium vocent) & Christum Dominum in hoc opificio illum subinde iuuisse. (Vide Iustin. Dial. cum Tryphone. D. Tho. in Matth. 3. & ibid. Lyran. Carthus. &c.)

Quinta prærogatiua, Ex comparatione. O felix Ioseph, & omnium longè longeque felicissimus! Felix quidem Ioseph patriarcha, filius Iacob, meritò dictus Ioseph, hoc est, incrementum Domini, quia plurimis Dei donis auctus ac cumulatus fuit: sed felicior hic Ioseph, cui diuinitus, vt credibile est, tale nomen est datum, cùm tot tantisque à Deo beneficiis auctus fuerit. Atqui, vt fusè prosequitur D. Bernardus, *Non modò nomen sortitus est Iosephi patriarchæ, sed & castimoniam adeptus, innocentiam assecutus & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfigurauit: iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens, Christum in Ægyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri: iste Dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiunt. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atq; participem cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi sed omni populo; iste panem viuum è cælo seruandum accepit tam sibi quàm toti mundo.* (D. Bern. Hom. 2. sup. Missus.) Quæ cùm ita sint, si Christus ipse promisit eum, qui propter nomen eius dederit potum aquæ frigidæ, non perditurum mercedem suam: quantum gratiæ incrementum Iosepho rependit, qui non modò Ægyptum sed etiam Dominum Ægypti, atque adeò mundũ vniuersum aluit ac conseruauit? Ad eumdem modum felix Abraham, quia *exultauit vt videret diem meum*, inquit Saluator: *vidit, & gauisus est*. (Ioan. 8.) *Multi* quoque *Reges & Prophetæ voluerunt videre diem hunc, & non viderunt.* (Luc. 10.) quantò felicior Ioseph, qui vidit Saluatorem, & audiuit, & aluit, & adiuuit vt pater? Felices Apostoli qui videbant eum, & edebant & bibebant cum eo, vti dicitur: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis.* Sed beatior Ioseph qui multò diutiùs cum eo versatus est, eumque tot annis habuit commensalem. Felix denique Ioannes discipulus ille quem diligebat Iesus, Domini sui pectori admotus: sed quoties Dominus ipse Iosepho ad pectus adrepsit?

Sexta prærogatiua, intima familiaritas. Considerate, obsecro, mirabile amoris vinculum in hac familia, inter Iesum, Mariam, & Ioseph. Iesus diligebat Mariam vt matrem, & Iosephum

sephum vt patrem, à quo multis laboribus alebatur & custodiebatur. Quomodo enim non ipsum diligeret singulariter, tam benè meritum, ac tot obsequia præstantem? Nempe paruulus hic dulcissimus Iesus, vt est in Officio Ecclesiastico,

In Offic. de S. Ioseph.

Nunc ad Ioseph tamquam patrem,
Nunc ad sanctam repsit matrem,
Per virgineas ceruices,
Gratas alternando vices.

Iosephus vicissim omnem curam & cogitationem ex intimo affectu illis impendebat. Maria non modò filium sed & virum vnicè diligebat. Ac si viri sæpè ab vxoribus suis ad fidem vel ad insignem vitæ sanctimoniam conuersi sunt, vt innumeris constat experimentis in Vitis Sanctorum (veluti in Vita Cæciliæ & Valeriani, Theodoræ & Siginij, Clothildis & Clodouei;) quanta gratiarum munera, quanta beneficia suo sponso impetrasse credenda est Maria, quæ vt in omnibus perfectissima fuit, ita in hoc etiam amore excelluit? Accedit ratio gratitudinis quæ benefactoribus debetur, & nulla alia re magis quàm amore persoluitur. Quanta insuper morum similitudo, quàm diuturna familiaritas, & cohabitatio, nulla dissidij occasione vel rixæ, nulla offensione intercedente; quanta beneuolẽtia, pax & gaudium in Spiritu sancto? O felix & sancta familia! ô fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam! Familia autẽ Dei est Iesus & Maria. *Si quis mihi ministrauerit*, inquit Iesus, *honorificabit eum pater meus qui est in cælis*. At quis meliùs ipsi ministrauit quàm Ioseph? quis igitur maiores promeruit honorum sublimitates? Ad vltimum hoc addo ex Vita S. Teresiæ Fũdatricis noui Ordinis hîc etiam in Belgio satis noti, numquam eam aliquid à Deo per merita S. Iosephi petiisse frustrà.

Nunc igitur tandem meminisse nostri oportet, memores institutæ breuitatis, vt suspiciamus, & quoad fieri potest, imitemur quæ dicta sunt de Iosepho & Maria. Egregiè Rupertus de hoc connubio loquitur in hunc modum: *O coniugium verum & sanctum, coniugium cæleste, non terrenum! quomodo enim & in quo coniugati fuerunt? nimirum in eo quod vnus spiritus & vna fides erat in eis. sola illic carnis corruptio non fuit*, &c. Meritò huic congruere possit quod D. Gregorius Nazianzenus de suorum parentum coniugio dixit his verbis: *Sic existimo, siquis ab vltimis terrarum finibus, atque ex vniuerso hominum genere, præstantissimum coniugium conciliare studuisset, nullum vmquam hoc præstantius aptiusque reperiri potuisse.* Adhæc illustre testimonium virtutum Iosephi quas imitari possimus, apud S. Brigittam inuenimus in Reuelationibus eius approbatis in Concilio Constantiensi, vbi Deipara ei apparens sic locuta fertur: *Ioseph nullum verbum non bonum proferebat, nec otiosum, nec murmurationis. erat enim patientissimus, diligentissimus in labore & paupertate, mansuetissimus iniuriantibus, obedientissimus obsequiis meis, constans contra meam virginitatem oppugnantes, fidelissimus testis mirabilium Dei, mortuus carni & mundo: non nisi cælestia desiderabat. ideò eius gloria modò magna est.* Itaque matrimonium Mariæ & Ioseph omnis veri matrimonij speculum est perfectissimum, & in genere omniũ animarum salutare documẽtũ. Sed priùs agamus de iis qui in vero ac propriè dicto matrimonio sunt.

Secunda pars, De Imitatione Iosephi & Mariæ in matrimonio.

Rupert. super Matth. 1.

Gregor. Naziãz. Orat. 19.

Lib. 6. Reuelat. c. 59.

1\. In primis Apostolus, vas electionis, multis locis ingentem ac stupendum inter coniuges amorem requirit: vt cùm ait, *Viri diligate vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Hæc porrò dilectio quāta fuit, quàm casta, quàm pura, quàm immensa, quàm infinita? Nihil Christus Dominus charius habebat Ecclesiâ: nihil quoque debet charius esse viro quàm vxor, nihil charius vxori quā vir. Christus amore infinito se pro Ecclesia tradidit, & innumeris quotidie beneficiis illam cumulat. Ecclesia verò vicissim quantum pro sponso sanguinem fudit? quot obsequia, quot laudum cantica, quot gratiarum actiones rependit? Porrò huiusmodi charitatem fuisse inter Ioseph & Mariam, minimè dubitandum est. Maria certè, vtpote quæ perfectissima omnium coniux fuit, Iosephum sponsum suum diligebat intimè supra omnes homines, atque adeò supra omnes Martyres, Confessores, Virgines, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ac cælestes Angelorum hierarchias. At forsitan hoc exemplum sublimius videtur, quàm vt imitatione assequi possimus: at saltem admirandum ac suspiciēdum est, sicut & alia in hoc genere plurima veteris memoriæ exempla. Quot coniuges fuêre, quorum alter pro altero mori non recusarit, aut altero morte extincto viuere non potuerit? Quot exempla eorum qui se occiderunt morte coniugis audita? Stulti quidem illi ac nefarij, sed Christiani non erant vt saperent: Fecerunt hoc amore coniugis: nec imitanda, sed miranda vis amoris. M. Plautius Senator Romanorum, conspecto cadauere vxoris, confodit se ac proiecit super cadauer, & eodē condi sepulchro voluit. Portia quoque M. Catonis filia, cùm apud Philippos victum & interemptum virum suum Brutum cognouisset; quia ferrum non dabatur quod in pectus adigeret, ardentes ore carbones haurire nō dubitauit. Referunt quoque Ælianus ac Solinus, apud Indos adeò vigere hunc amorem, ac maximè vxorum erga maritos, vt siquis duas habens vxores mortem obiret, continuò illæ Iudicem adirent, atque inter se multùm contenderent, vtra virum ardentiùs dilexisset. Quando autem altera litem vicerat, præmium amoris lege statutum erat, vt pariter cum marito sepeliretur: genus verò sepulturæ erat combustio. Mitto Artemisiam Cariæ Reginam: taceo Hypsicratæam Mithridatis vxorem, aliaque Ethnicorum exempla. Stultus quippe hic amor, & ridendus Christianis, qui æternam damnationem nolunt tanto pretio mercari; sed fortis tamen amor & inuictus. Nolumus, ô Christiani, vt nimiùm diligitis viri vxores, aut contrà feminæ viros, sicut Ethnici faciunt, sed vt castè & Christianè, cum timore Dei, & amore honestatis. Audite D. Augustinum: *Multi quidem faciliùs se abstinent*, inquit, *vt non vtantur nuptiis, quàm vt temperanter ac benè vtantur.* Quare id in primis è re coniugum est, vt dilectio sit vtrimque maxima, sed non contra legem aut voluntatem Dei.

Ephes. 5. Coloss. 3. &c.

Vide Valeriū Max. l. 4. cap. 6.

Aelianus de Varia hist. l. 7. Solinus Rerum memorabilium, cap. 65.

August. lib. de Bono cōiugali.

In matrimonio Ioseph & Mariæ nulla erat imperfectio: proinde in communi matrimonio quædam prętereà præstanda, & mutuæ infirmitates tolerandæ sunt. Vir debet infirmiori vasculo aliquantulum deferre, & nihilominùs caput esse mulieris: idque mulier agnoscat necesse est, 2.

est,& virum reuereatur ac toleret, eique, in rebus consentaneis pareat. Vir quoq; quia robustior est & prudentior plerumque, vxoris fragilitatem noscat, eique opportunis rationibus & consiliis occurrat, considerans non ancillam esse, sed vxorem ac sociam. Hinc illa vox Apostoli:
Coloss. 3. *Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas*. vbi postulat non solùm interiorem cordis affectum, sed etiam vt externa significatione eum prodant, omnem displicentiam & amaritudinem vxorum deuitantes. Ecquid amplius?

3. Viri quidem proprium est monere, instruere, cõsolari, hortari ad omne opus bonum: sed vxor hæc etiam cum prudentia & charitate præstare potest, maximè obsecrando, non immodicam vsurpando auctoritatem. viri enim neque volunt neque debent regi ab vxoribus, sed regere. Imò de omnibus hominibus ita monuit
Galat. 6. D. Paulus: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* quantò potiùs erga coniuges id obseruandum?

4. Quærant item pari studio in timore Dei filios educare, instruere, & ornare potiùs scientiâ quàm bonis onerare. Optima enim eorum hereditas est scientia & cognitio Dei. Ac sicuti optimum pignus ac thesaurus illorum sunt filij: ita filiorum præcipuum bonum est timor Domini ac sapientia. testatur id Sapiens vbi ait:
Sap. 8. *Sapientiam præposui regnis ac sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.*

5. Postremò vtrimque semper pax & concordia seruetur, vnum sit velle, vnum nolle, vnum cor, & quasi anima vna, sicuti est vna caro. Scitote, auditores, quòd vxores interdum habeatis morosas ac molestas, hoc vestro vitio fieri. Contrà vos quoq; mulieres, quòd difficiles & amarulentos habeatis maritos, culpa hæret in vobis: quia non satis animos eorum conciliate ac demereri nostris. Hoc porrò certissimum est, si quæ dicta sunt attentiùs considerarent viri æquè ac mulieres, non audirentur tot coniugum rixæ, dissensiones, verbera: dum viri ebriosi nocte ferè media domum redeunt, familiam ac vicinos turbant, sursum deorsum vertunt omnia; crinibus vxores nonnumquam arripiunt, & pedibus crudeliter pulsant tamquam canes. O infausta matrimonia! ô viros nefarios! Vos saltem, ô Domini de Magistratu, siqui tales deprehendantur, nolite parcere: discant in ciuitate vigere iustitiam: plectantur huiusmodi homines nihili: numquam proderunt Reipublicæ: tollite scandala è Rep. vestra, quando aduertitis irrepere. Bone Deus! quantas illi iniurias irrogant Spiritui sancto, qui eis Sacramenti gratiam impertiit? Angelis, coram quibus fœdus societatis & concordię perpetuæ inierunt? Deiparæ Virgini, quam imitari debent, quam sponsã esse voluit Deus, vt omnibus in matrimonio prælucerет? Nolo interim excusare malas mulieres, quæ viris præbent occasionem: sed & ipsæ pœnas merentur. Sed agedum cur non potiùs laboramus, vt inter coniuges vigeat amor, pax, voluntatum ac sensus mutui concordia? Hæc siquidem potissima ratio fuit, cur Deus voluerit Euam educere ex latere Adæ, nẽpe vt vxorem diligeret tamquam partem sui ipsius, imò tamquam carnem suam. *Nemo enim carnem suam odio habuit.* Ephes. 5.
atque idipsum attestatus est Adam

Genes. 2. cùm diceret, *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea.* Eodem fine atque consilio antiquissimus est vsus annuli coniugalis quē vir vxori dare consueuit, vt esset hoc maximæ fidelitatis symbolum. siquidem veteres annulis vtebantur ad obsignandas epistolas, quibus omnia secreta committebantur (teste Blondo & aliis) idque satis probant epistolæ quas Regio annulo consignatas scripsère Iezabel & Aman, vt Sacra eloquia commemorant. ecquod autem maius symbolum fidelitatis quàm sigillum? Deinde eodem significabatur mutuus inter virum & vxorem amor: siquidem locatur annulus in eo digito, ex quo venulæ quædam ad cordis medullam ducuntur, vt Physici docent. Sed de matrimonij legibus satis. Quid ceteri discent, vidui cælibesque omnes? non habent & ipsi matrimonium suum?

Blondus quæst. de Roma triumph. Macrobius, &c.

3 Reg 21 Esther 5.

Habetur c. Feminæ 30. q. 5.

Imò omnes homines aliquod matrimonium habent siue naturale siue supernaturale. Voluntas siquidem maritata est intellectui, qui præfert ei facem, eam mouet, ei præest & imperat. O anima Christiana, intellectus virilis seu virilis animus, quò à peccato recedas, quò te numquam peccato consensuram proponas, vir tuus est. Si hoc viro careas, licet multa alia bona habeas, vidua es, sine auxilio, sine directore, sine solatio. Sicuti olim curauit Pharao omnes occidi viros, femellas autem liberas reliquit: ita curat dæmon vt lacrymæ, quas pro peccatis fundis, & reliqua quæ præstas pœnitentiæ opera, sine hoc viro sint. Quod si fiat, femellæ tibi sunt, nihil masculi roboris in te est, virum non habes, vidua relinqueris: denique Deus in te non nascetur, quia non est matrimonium; nasci autem voluit in matrimonio virginis desponsatæ viro, cui nomen erat Ioseph. Insuper verò supernaturale matrimonium cum Christo habemus duplici ratione. Primùm enim omnes Ecclesiæ filij sumus, quæ sponsa est Christi, vt D. Ioannes ait, *Qui habet sponsam sponsus est.* imò & vxorem eius vocat: *Date,* inquit, *gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.* Quare Ecclesiam diligi conuenit vt matrem, Christum vt patrem. Deinde vir etiam & sponsus animarum singularum Christus est, iuxta illud Apostoli, *Despōdi vos vni viro virginem castā exhibere Christo.* Discamus, obsecro, animāquę hoc viro orbata fuerit, nec concipere, nec parere bonorum operum fructus posse, ipsomet attestante qui ait, *Sine me nihil potestis facere.* Illi ergo in omnibus placere, eius gratiam promereri ante omnia studiosissimè contendamus, cui gloria in perpetuas æternitates, Amen.

Ioan. 3.

Apoc. 19.

2. Cor. 11.

Ioan. 15.

CONCIO XII.
De domo Dauid.

1. *Cur Christus Dominus suam suæq; matris nobilitatem ac genealogiam ab Euangelistis describi voluerit.*

2. *Cur potiùs dicatur in Euangelio filius Dauid, quàm filius Adæ, Abrahæ, Isaac, Iacob.*



IN libro Genesis præclara nobis visio proponitur Patriarchæ Iacob, qui *in somnis vidit scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascēdentes ac descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ.* Qui quidem locus à SS. Patribus atque interpretibus Scripturæ sacræ exponitur de mysterio incarnationis, quod hîc sym-

Gen. 28.

Rupert. Hom. 1. in cap. 1. Matth. Theod. Eustath. super Gen. 28. &c. Matth. 1. & Luc. 3.

symbolicè seu figuratè significari asserunt implendum in generationibus Iacob. Scala, inquiunt, significat genealogiam Saluatoris. Varij scalæ gradus, variæ generationes sűt, à sanctis Euangelistis Matthæo & Luca recensitæ, nempe Patriarcharum, Regum ac Ducum populi Israel. In vniuersum tres leguntur tesseradecades, quarum prima ab Abraham deuoluitur vsq; Dauid (videlicet apud Matthæum;) secunda à Dauid vsque ad transmigrationem, tertia hinc vsque ad Christum. Gemina scalæ latera geminum designãt populum, gentilem atque iudaicum: siquidem non Iudæorum nomina tantùm, sed etiam gentilium ibi reperiuntur, vt Rahab & Ruth. Deinde *stat super terram*, quia facta est incarnatio in terra, videlicet in vtero virginis. *Cacumen eius tangit cælum*, quia qui nascebatur homo, simul etiam in altissimis erat Deus. *Angeli descendunt*, dum hoc mysterium Patriarchis Abrahæ, & Iacob, Dauidi reuelant, aliisque permultis, vt Prophetis, ac postremò Deiparæ Virgini in historia Annuntiationis paranymphus Gabriel. Ascendunt autem illorum ardentia desideria & orationes sursum portantes Deoque offerentes. Vel etiam per Angelos ascendentes ac descendentes intelligi possunt Euangelistæ, qui de hoc mysterio scripsêre. nam D. Ioannes altissimè ascendit, dum ait statim initio, *In principio erat Verbum:* descendit autem dum subiungit, *Et Verbum caro factum est.* Matthæus in descriptione genealogiæ descendit ab Abraham vsq; ad Ioseph, Lucas ascendit à Ioseph vsque ad Adam. *Dominus innixus scalæ* ponitur, quia ad extremum dicitur, *Adam autem Dei.* Porrò cùm hæc vidisset ac considerasset sanctissimus Patriarcha, exclamauit, *Terribilis est locus iste.* Quidni & nobis liceat in hunc locum Euangelij nostri exclamare, Sanctus ac terribilis est locus iste, in quo reperitur scala genealogiæ Saluatoris deductæ *de domo Dauid?* Operæ pretium erit aliquantisper huic immorari, vt opportunam huius scalæ notitiam eruamus. Consideratione dignissimum est quare Christus Dominus, Sapientia increata, tantam sui generis ac maternæ nobilitatis rationem habuerit, vt apud Matthęum in ipsis Euangelij primordiis librum generationis suæ, apud Lucam tum hoc loco strictim, tum capite tertio fusè genealogiam suam describi voluerit. ánne existimandum est hac generis excellentia gloriari voluisse? Atqui apud illum iustissimũ rerum æstimatorem non externa sanguinis nobilitas, sed interna animi virtus in pretio habetur. idcircò eos qui se patrem Abraham habere gloriabantur, dicentes, *Semen Abrahæ sumus*, Ioan. 8. cùm interim vitæ morumque ignobilitate ab Abraham degenerarent, non Abrahæ sed diaboli filios vocauit, cuius opera imitabantur. Vera siquidem nobilitas non alienis virtutibus, sed propriis meritis definitur. Cur igitur voluit Christus Dominus toti orbi proponere ac commendare suam genealogiam? Hoc Primò examinandum. Secundò, cur potiùs dicatur in Euangelio filius Dauid, quàm filius Adæ, Abrahæ, Isaac, Iacob.

AVE MARIA.

Diuus Thomas quæstionem tractans quare Deipara diuino consilio atque inspiratione matrimonium inire debuerit, quo neque vole- 3. p. q. 29. art. 1.

bat neque poterat vti propter votum virginitatis; respondet in hunc modum, Perquàm necessarium ac consentaneum id fuisse virgini matri multis grauissimisque de causis, quarum hæ duæ potissimæ fuêre, vti alias satis explicatum est. Prior, ne adultera putaretur ob prolem extra matrimonium genitam, ac proinde iuxta legẽ Moysis lapidari debuisset: filius verò illegitimus habitus fuisset. Altera erat, quæ nunc proposito nostro inseruit, vt habere posset librum generationis tum sibi tum filio, qui more Iudæorum per virum & parentes viri, non per mulieres describi solebat. Verba eius sunt, *Vt solito more eius genealogia describeretur per virum*. Quid nascitur non per mulieres? congruenter sanè id apud Iudæos consuetudine receptum fuit, vt in hoc genere honoris deferretur viris quàm feminis, videlicet vt viri haberent librum genealogiæ, complectẽtem nomina parentum omnium vsque ad nomen suum proprium, non autem mulieris. Patet hoc partim ex Scriptura, partim ex Hebræorum traditionibus. Verùm etsi mulieres non haberent arborem genealogiæ, satis tamen illa noscebatur ex arbore virorum. Coniuges enim debebant esse eiusdem tribus iuxta legem, quæ sic habet: *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient*. Quorsum hoc? ne transeant patrimonia de tribu in tribum: quod esset contra primam terræ promissæ diuisionem. Duodecim namque tribus æqualiter Terram promissionis diuiserant: si verò connubia in diuersis tribubus permissa essent sine vllo discrimine, iam certa confusio fuisset. Sed vt constet legis ratio, intelligenda est de feminis, quæ vnicæ erant filiæ in familia aliqua, vel saltem quarum esset in paterna hæreditate succedere. Alioquin si superesset proles mascula, poterant pro arbitratu extra tribum nubere: sicut Elisabeth cognata virginis nupserat Zachariæ de tribu Leui: & Dauid duxit Michol ex tribu Beniamin: &, vt legimus in libro Iudicum, decem tribus iurarunt se non daturas filias suas in vxores viris ex tribu Beniamin. Quod argumento est, id inter illos more gentis receptum fuisse. Porrò talis fuit cõditionis beatissima Virgo, vnica heres parentum suorum, vt præter alios docent D. Ioannes Damascenus & Epiphanius, dum asserunt, parentes virginis, vtpote steriles, vnicam hanc prolem à Deo precibus obtinuisse. Itaque hac ratione certum est, virum & vxorem debuisse esse eiusdem tribus. Vnde consequens est Primò, genealogiam vxoris nosci potuisse ex genealogia viri. Deinde, dum in Euangelio describitur liber generationis per Iosephum virum Mariæ, etiam describi genus Mariæ & filij eius: & si Ioseph describitur filius Abrahæ, Iuda, Dauid, etiam Mariam æquè describi filiam Abrahæ, Iuda, Dauid. Quapropter ita canit Ecclesia, *Ex semine Abraha, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid*. Ita de beatissimæ Virginis genealogia scripserunt D. Anselmus, Bernardus, & alij. Quæ cùm ita sint, eaque ratione Deiparæ nubendum fuerit, vt eius genealogia texeretur per virum; graues profectò rationes exstitisse necesse est, ob quas hanc genealogiam matris ac filij ab Euangelistis describi oportuerit. Istæ nimirum nunc sunt nobis inquirendæ, ac paulò fusiùs exponendæ.

Num. 36

Iud. 21.

Damasc. l. 4 de Fide c. 15. Epipha. hæresi 79

In Offic. Eccles. Ansel. in Matt. c. 1. Bernard. Hom. 2. sup. *Missus*. Hieron. Chrys. super Euang.

Prima ratio fuit, quia veri Messiæ plu-

Prima ratio. Ex parte Christi. plurimùm intererat in promptu habere suam genealogiam, vt à Iudæis faciliùs reciperetur, qui è Regia Dauidis stirpe verum Regem ac Saluatorem suum expectabant. Alioquin enim, si ignoratum fuisset genus ipsius, duplici titulo eum reijcere potuissent. 1. Primò; tamquam alienigenam; quandoquidem qui Iudaicæ nationis erant, genealogiam suam accuratè descriptam exhibere poterant, vt dictum est; ipse verò suam monstrare non potuisset. Quamobrem rectè D. Ambrosius hoc vrget, vbi ait: (Ambrof. l. 3. sup. Lucam.) *Qui in sæculum venit, sæculi more debuit describi, maximè cum in Ioseph origine etiam origo sit Mariæ. Consuetudo siquidem nos instruit Scripturarum, quæ semper viri originem quærit.* Reges porrò aut Principes alienigenæ semper exosi populo suo esse solent, sicuti contrà qui eiusdem sunt nationis ab omnibus diliguntur. Idcircò qui Dauid in Regem vncturi conuenerant in Hebron, dicebant ei, (2. Reg. 5.) *Ecce nos os tuum & caro tua sumus.* Quasi dicerent, Æquum est ac rationi cõsentaneum, vt nos cum amore & beneuolentia gubernes, sicut vicissim nos te amare ac tibi obedire parati sumus, cùm tanta sit inter nos communio sanguinis ac genealogiæ, de eadem tribu Iuda. Itaque sapientissimè Euangelistæ statim initio, vt Hebræorum gentem ad Iesu Christi veri Regis amorem atque obedientiam alliciant, genus eius indicant, *de domo Dauid.* 2. Adhæc, cùm scirẽt ex Scripturis sacris, Messiam suum fore ex semine Abrahæ, de tribu Iuda, & è familia Dauid; nisi Christus genealogiam suam, tamquam nobilitatis suæ tesseram, ostendere potuisset, meritò repudiassent tamquam ignobilem: præsertim cùm externa specie & conditione pauperculus appareret ac plebeius, vtique filius fabri. Vnde etiam reuerà factum est, vt non potuerint, vel potiùs noluerint, adhuc Iudæi credere illum esse tantum, tamque nobilem, vt Messias esse posset, quem expectabant Regem fore magnificum ac gloriosum, instar Dauidis aut Salomonis, qui sua potentia & copijs nixus, populum suum è seruitute Romanorum liberaret. Enimuerò tametsi Iudæi reiecerint, Gentiles tamen sub tam humili habitu Saluatorem suum agnouerunt & receperunt. Idque in Psalmis designatur, vbi dicitur: (Psal. 17.) *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: filij alieni mentiti sunt mihi, & claudicauerunt à semitis suis.* Hoc est, Iudæi filij mei, quibus plura beneficia præstiteram quàm alijs, me repudiarunt, factique sunt filij alieni, noluerunt mihi obedire, & reliquerunt semitas rectas: sed populus quem non cognoui, qui sedebat in tenebris gentilitatis, ad nutum obsequentissimus mihi factus est. Itaque reijciant Iudæi pauperculũ Messiam, cuius muneribus ac meritis indigni sunt: nos Christiani agnoscamus illum esse Regem ac Saluatorem nostrum, quantumuis panniculis inuolutum, & reclinatum in præsepio, & mortuum in cruce.

Documentum de rerum omnium instabilitate. Quin etiam cùm videamus tenuem hanc Iosephi ac Mariæ familiam à Iudæis spretam ac repudiatam, quæ tamen ex nobili sanguine Patriarcharum ac Regum descendebat; discamus, quàm sit variabilis & inconstans & fallax huius mundi fortuna; qua ridente, hodie flores nobilitate, opibus & copijs, summisque honoribus; sed paulò pòst, ea aduersante, redigeris ad summam paupertatem. Nonne cernimus quomodo humi-

humilis ille baculus pastoris Dauidis in regale sceptrum conuersus fuerit, & hoc rursus post aliquot generationes in serram fabri lignarij Ioseph? Verè dixit post Platonem Petrarcha, *omnes Reges ortos ex seruis, itemque seruos ex Regibus.* Verissimè & illud ab Apostolo dictum est, *Mutationi subiecta est omnis creatura.* Ac meritò *omnis creatura*, inquit, siue quatuor elementa consideres, siue animantium ortus atque interitus, siue hominum varios casus ac calamitates, siue cælos ipsos, Solem & Lunam astraque reliqua. Omnia enim suos defectus, mutationes ac rotationes habent. Potissimùm verò id apparet in huius mundi Imperijs aut Regnis: inter quæ nullum Israëlitico stabilius aut firmius videri poterat, cùm Deus ipse peculiarem illius gentis curam gereret, eoque sedem sibi ac domum in medio eius sibi delegisset, quam singulariter diceretur inhabitare. Verumtamen quantæ etiam hîc rerum mutationes ac conuersiones obseruari possunt? Ponamus ob oculos Patriarcham eximium Abraham, quomodo is pauper ac peregrinus & exul patriâ, posteaquam ad Regalem curiam Regis Abimelech accessit, tot tamque fortunatis successibus frui cœpit, vt quinque Reges acerrimè expugnans, gloriosam de illis victoriam reportaret. Hæc tamen eius felicitas posteà ita decreuit, vt non nisi ad paucos eius nepotes deuenerit. Nam cùm genus eius vsque ad Iesse deuolueretur, qui alio nomine Isai nuncupabatur, adeò imminuta est maiorum eius prosperitas, vt filius eius Dauid oues in agro custodiret, vt ipse de se profitetur, *de post fœtantes*, inquit, *accepit eum.* Sed quid tum consecutum est? rota fortunæ (si fas est ita loqui) moueri cœpit, atque ipsum ad Regiæ dignitatis culmen euexit. Quid inde? Eadem rota in diuersa atque aduersa se deuoluens, prosperitatem ac gloriam Regis in fabrile munus Iosephi mutauit, qui, etsi faber, erat tamen *de domo Dauid.* Vt alia multa omnis memoriæ exempla prætermittam, eamdem fortunæ fallaciam sic deplorat apud Senecam Regina Hecuba:

Petrarcha in Prologo.
Rom. 8.
Gen. 12. 20. 26.
Psal 77.
Seneca in Troade.

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Me videat & te Troia.

Videat, inquam, pariter Iosephum, oriundum è domo Dauid, serra atque securi victum sibi tenuem comparantem. Videat ipsam beatissimam Dei Genitricem humili fabro despõsatam, inopemque in hoc mundo vitam traducentem. Videat denique clarissimum paupertatis speculum Mariæ filium, *qui cùm diues esset, pro nobis egenus factus est.* Ecce exempla quibus se solari possunt pauperes, qui aliquando diuitijs floruêre. Siquidem meliores non sunt multis Regibus ac Reginis, qui mutatâ fortunâ ad infima depressi sunt. Non sunt meliores Iosepho, non Maria virgine, non Filio Dei. At parentes nostri, inquiunt, diuites erant ac nobiles, nos ipsi quoque copiosi & locupletes fuimus, iam à Deo relinqui videmur. Quid iuuant huiusmodi querimoniæ? exempla iam dicta ob oculos ponant, diligenterque opificium suum exerceant vt Ioseph & Maria: honestè ac sapienter se gerant in hoc mundo, præferant spirituales diuitias temporalibus, & cælestes in posterum expectent, vt Tobias monet: *Pauperem quidem vitam gerimus*, inquit, *sed multa bona habebimus si timueri-*

2. Cor. 8.
Tob. 4.

rimus Deum,&c. Solent quidem Iurisperiti duplicia bona distinguere, alia mobilia, alia immobilia, quæ nempe radicibus, aut clauis, aut fundo hærent. at si rem altiùs ac veriùs perpendamus, nulla sunt propriè bona immobilia; sed vt Hildebertus Episcopus apud diuum Antoninum cecinit,

Antonin. 2. parte Histor. titul. 16. cap. 9.

Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
Et spondent propria mobilitate fugam.

Cuncta, inquit, humana, temporalia & caduca sunt bona; nec possunt ipsis hominibus mortalibus esse stabiliora. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat*, ait Sapiens. namque mundus iste quasi theatrum est, in quo fabula vitæ peragitur: & sicut in scenam prodeunt subinde nobiles ac magnates, qui paulò pòst mutatis vestibus pauperum personam agunt in vno & eodem loco: ita fit in hoc mundo. Quapropter discamus omnia mundana contemnere, vt soli Deo placeamus. perit siquidem mundanorum memoria, sed iustorum viuet in æternum.

Eccle. 1.

Secunda ratio, ex parte B. Virginis.

Hactenus de persona Filij Dei. iam matris quoque rationem haberi, eiusque nobilitatem generis toti orbi conspicuam commendari expediebat: quandoquidem etsi externa specie pauper & humilis, tamen maiorum sanguine nobilissima, & virtutibus multò nobilior eminebat. Nam cùm in veteri Testamento tres essent stirpes nobilissimæ, Patriarchalis, Prophetalis, & Regalis: Mariam descendisse constat de stirpe Patriarchali, quia ex semine Abrahæ; de prophetali, per Nathan Prophetã; de regali, per Dauidem. Quin immò continet in sua genealogia per Euangelistas descripta quatuordecim præcipuos Patriarchas, itemque quatuordecim potentissimos Reges, totidemque Duces fortissimos, quos inter præcipuè relucet Dauid Rex: Vnde canit Ecclesia: *Regali ex progenie Maria exorta refulget, clara ex stirpe Dauid.* Verùm non hanc modò nobilitatem, ob honorem matris suæ Deus commendare voluit; quin potiùs spectauit nobilitatem virtutum quibus parentes suos non exæquauit modò imitando, sed multis partibus superauit. Nam quemadmodum aqua per auri mineralia defluens salutiferas valdè qualitates ab auro mutuatur: ita B. Virgo per venas illas auri potentissimorum Regum, perque mineralia maiorum suorum transiens, non solùm generis nobilitatem, sed & præclaras eorum dotes atque virtutes cumulatiùs quàm omnes illi participauit. Heres Abrahæ, Isaac, Iacob, in fide; heres Dauidis, in mansuetudine; heres Salomonis, in sapientia; heres Asæ Regis, in fortitudine; heres Iosaphat, in obseruatione legis diuinæ; heres Ezechiæ, in cura ac diligentia quærendi diuinam voluntatem; heres Iosiæ, in innocentia; heres aliorum charismatum, quibus maiores illius conspicui ac insignes fuêre. Hoc est præ omnibus verè laudandum, quòd filij parentes imitentur, iisque quàm simillimi euadere studeant, aut etiam transcendant. At quomodo Maria suos maiores imitata est? quomodo solent proles suos parentes referre? tribus ferè modis, quos paucis describamus.

Tribus modis imitãtur filij parentes

1. Primò, facie & lineamentis, habituq; ac gestu corporis quàm proximè solent accedere: vt D. Basilius

in epistola quadam explicat, quæ sic incipit: Ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολὴν, ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφαινομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος πρὸς τοὺς τεκόντας ἐπιγινώσκουσι id est, *Agnoui tuam epistolam, vt qui amicorum proles ex apparente in eis similitudine parentum agnoscunt.* proles quippe est viua quædam imago & exemplar patris, ἔκτυπον propriè, quia exprimit patrem. Itaque sic Andromache apud Senecam, suum alloquitur Astyanacten, seque in sua viduitate, suum intuens filium, consolatur:

Epist. ad S. Greg. Theologum.

In Troade.

Hos vultus meus
Habebat Hector, talis incessu fuit,
Habituq; talis: sic tulit fortes manus:
Sic celsus humeris, fronte sic torua minax.

2\. Secundò, moribus, indole, affectibus, atque inclinationibus naturalibus assimilari amant, vt Physici testantur, & experientia comprobatur. Vnde & illud Poëtæ:

Horat.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Idem testatur Andromache suprà citata, dum Vlysses filium eius quærit ad necem:

Succede tumulo nate, quid retrò fugis?
Turpésne latebras spernis? agnosco indolem
Magni parentis. spiritus magnos fuge,
Animosque veteres, sume quos casus dedit.

Quare sicut indoles bona in bonis, ita mala consequitur in liberis parentum improborum; verum vt sit quod dici solet, Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν.

Tertiò, virtutum imitatione ac gestorum heroïcorum, præcipua constat similitudo inter liberos & parentes. ob quam S. mater Ecclesia Sanctorum parentes, quorum Festa celebrat, plurimùm honorandos censet; iuxta Scripturæ monita sic hortantis: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Eccli. 44.
vnde & Saluator in Euangelio Iudęos monet, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* vnde & Zachæus filius Abrahæ dicitur, cùm esset gentilis: & verè Israëlita, qui virtute & innocentia Israëlem imitabatur. Ioan. 8. Lucæ 19. Ioan. 1.

Meritò itaque, vt ad institutum reuertar, sicut parentes Virginis à filia, sic & ipsa Virgo laudem à parentibus habet, quorum veteram nobilitatem, quæ in virtute sita est, nō modò æmulata est, sed longè longeque superauit atque illustrauit. namque ab eo traxit in primis excellentissimæ nobilitatis genus, qui ex illa est nouo nascendi genere procreatus; & haud dubiè per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excessit nobilitatem. Clara proauorum titulis filia, sed clarior Regis regum mater. Ex quo certè consequens est, sicut mater à tali filio præcipuam hausit nobilitatem, ita omnes ipsius maiores à tali filia potissimam suam excellentiam ac nobilitatem traxisse. Exempli gratiâ, Tametsi magnus atque illustris fuerit vnus è parentibus Virginis Rex Dauid, præcipuè tamen honoratus atque illustratus fuit ab hac filia sua, vt ceteri omnes. *Dauid filius Iesse fuit, secundùm cor Dei,* vt Deus ipsemet testari dignatur. itemque, *Inueni*, ait, *Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum. manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* Sed de Mariæ Virgine, non tamquam de serua, sed veluti de sorore & sponsa sua sic loquitur: Act. 13. Psal. 88.

Cant.4. quitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum*. Deinde Dauid Rex Psal.50. ait: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Sed Maria longè Luc.1. aliter: *Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen eius*. Denique *multi Reges ac Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt*, Luc. 10. nisi obscurè per fidem, & in ænigmate, id quod Maria gestare meruit in vtero, & in vlnis, in oculis iuxtà & in corde.

Documentum de æmulandi studio. Pierius libro 4. Hierogl. Ad extremum narrat Pierius Valerianus, apud Romanos annulum nobilitatis insigne fuisse; quo admonerentur Nobiles, vt sicut in annulo finis cum principio iungitur, eique persimilis fit; ita & ipsi qui nouissimi sunt in sua prosapia, similes esse contenderent primis suis progenitoribus, qui principium suæ nobilitati dedissent. Annulus certè aureus est genealogia Christi Domini, cuius finis, scilicet Maria, suo principio similis fuit, hoc est, suis progenitoribus, quorum ingenuitatem ac sanctitatem non exprimeret modò, sed etiam longè excederet. Hoc igitur æmulandi studium amplectamur, quicumque veræ nobilitatis decus ac laudem concupiscimus. Deum in primis imitemur, deinde maiores nostros, qui sanctitate conspicui, præclarissima virtutum omnium exempla nobis reliquêre. Eccli.23. *Gloria magna est sequi Dominum*, monet Ecclesiasticus. Ephes.5. & Apostoli vox est, *Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi*, &c. O Christiani, sicuti Maria *de domo Dauid* fuit, digna tali parente filia; sic anima nostra filia nobilis est summi illius Regis Dauid. quare filiam oportet patrem suum imitari. Turpe est terrenam esse, cùm pater sit cælestis: turpe est superbire, cùm pater ita se humiliauerit: turpe est delicijs affluere, cùm pater natus sit in stabulo, & pœnitentiam totâ vitâ suâ durissimam egerit. At verò si Deum ipsum imitari nimis arduum ac difficile ducitis, sanctos Patres saltem, aliosque quorum vitam legimus, virtutesque persæpè commemorari audimus, imitari non pigeat. *Mementote*, inquit ille, *Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*. Hebr.13

Tertia ratio, Ex parte nobilitatis in genere. Postremò pertinebat id quoque ad commendandam veram nobilitatem in genere, quæ nimirum virtute & honestate, vt liberalitate, prudentia, magnificentia, generositate, & fortitudine animi ornatur; sine quibus virtutibus concipi non potest vera nobilitas, quæ laudem mereatur. Experientiâ namque constat, quò quis nobilior est, nisi à maiorum suorum ingenuitate degeneret, eò & ciuiliorem esse moribus, & liberaliorem, & in fide retinenda vel defendenda constantiorem, & ad res magni momenti aggrediendas paratiorem. Vnde quemadmodum fulgens ac pretiosa gemma, quæ annulo inseritur, magis magisque eum decorat & illustrat: sic sanguinis nobilitas cum virtute animi coniuncta, admirabiliorem ac gratiorem eam facit. Atque id liquidò patet in operibus Principum: vt cùm æterna dignus memoria Ludouicus Galliarum Rex mendicos mensæ suæ toties adhiberet, iisque officiosissimè ministraret: itemq; cùm Placilla Theodosij Imperatoris vxor pauperum xenodochia inuiseret, ac suis manibus ægrotis ministraret, eosque curaret. *In Vitis ipsorum.*

raret. Hi profectò aliique huiusmodi longè illustriorem generis sui nobilitatem hac ratione reddebant. Sic etiam cùm Sancti nobilitate sanguinis illustres, quantò sunt altiore gradu eminentes, tantò ad maiora humilitatis opera descendunt, iuxta illud Salomonis consilium, *Quantò maior es, humilia te in omnibus*, &c. an non ingens emolumentum tum in se tum in aliis à sua nobilitate percipiunt? Prudenter itaque dixit Plato: *Consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere, quàm ignobili: ac necesse est vt benè nati, si benè educentur, demum ad virtutem perueniant.* Porrò, sine virtute, constat apud omnes, nihili faciendam esse huiusmodi excellentiam. recteque D. Hieronymus, *Sola*, inquit, *apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Quid nobilius Petro, qui tamen piscator & pauper fuit? Quid B. Maria illustrius, quæ tamen sponsa fabri describitur? Sed illi piscatori & pauperi claues regni cælestis traduntur: & sponsa fabri meruit esse mater illius, à quo ipsi claues traditæ sunt.* Huic adstipulantur alij SS. Patres, atque in primis D. Chrysostomus his verbis: *Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant & nobilitant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quòd Noë fuit filius? quid obfuit Abrahæ quòd patrem habuit Tharam deorum cultorem?*

Eccles. 3.

Plato in Alcibiad.

Hieron. epist. ad Celant.

Chrysostomus super Matth.

His addamus quædam è flore Gentilium. *Nasci Romæ vel Athenis fortuitum est, virtus nobiles facit*, inquit Tacitus. & Seneca Tragœdus: *Genus qui laudat suum, aliena laudat.* Seneca verò Philosophus lōgè vberiùs ita differit inter cetera: *Non facit nobilitatē atrium plenum fumosis imaginibus; quia quod extra nos est, nostrum non est: non enim ad nostram vixerunt gloriam. Cùm autem volueris veram hominis æstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animum intuere qualis quantusque sit, alieno an suo magnus.* Hinc dicebat sapiens ille Vlysses:

Tacitus.

Seneca Tragœd.

Seneca Phil. epist. ad Lucillū.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. —

Ouidius 13. Metamorph.

Hæc nobilitas hodie non magni fit. Pecuniæ seruiunt omnia. Sicubi sit diues quispiam ac benè nummatus, ei debetur filia nobilis. Quid ita?

Et genus & formam regina pecunia donat.

Horat.

Non spectamus veram nobilitatem, id est, genus nobile, simulque coniunctam probitatem ac prudentiam. Sed reuerà cæci in hoc genere sumus. Deus illam magni fecit atque honorauit, quando paupérculam quidem elegit matrem, sed nobilem *de domo Dauid*. Hoc penitiùs considerandum ac ponderandum est hoc loco: quomodo Dei Filius tunc potissimùm cùm despecta & prostrata iaceret familia Dauid, eamdem sublimiùs voluerit erigere. Tyranni aliquot, formidantes nequis ex ea surgeret qui auitum repeteret regnum, illam funditus exstirpare atq; extinguere conati sunt. Sic Herodes audiens ex Magis natum esse Regem Iudæorum, furens occidit Sanhedrim, quod maiori ex parte ex Dauidicis constabat, vt Philo testatur: insuper & quatuordecim millia Innocentum in confinibus Bethleem ciuitatis

Philo in Breuiar. temp.

uitatis Dauid, putans se vnà cum illis Christum posse de medio tollere. Eusebius quoque auctor est, posteà Vespasianum iussisse, vt omnes posteri Dauidis ad necem quærerentur. Hegesippus tantumdem refert de Domitiano Imperatore. Nicephorus denique scribit, Traianum præcepisse vt Simeon Ierosolymorum Episcopus, annos natus centum & triginta, crucifigeretur, eò quòd ad parentelam Christi Domini pertineret. Denique ex illo tempore necesse est valdè oppressam fuisse hanc familiam, cùm Regia puella nupsit Fabro; & vir eius Ioseph, tot Regum sanguine nobilis, laboribus rusticis victum sibi quæritare cogeretur. Sed eam supra omnes familias euexit Christus Dominus, cùm ex ea nasci elegit; atque hoc pacto veram nobilitatem summopere honorauit.

Eusebius l.3.c.11. Histor.

Hegesip. lib.1. de Excid.

Niceph. l.3. Hist. cap.13.

Quid ergo hîc discimus, Christiani? duplicem videlicet esse nobilitatem, vtramq; bonam & magni æstimandam, sed alteram tantò meliorem, quantò præstantius est aurum argēto. Est nobilitas generis honesta quæ in sacris Euangeliis commendatur: sed coniuncta sit oportet cum virtutibus, pietate, fortitudine, prudentia & aliis; alioqui nullius sit pretij. hæc vocatur nobilitas ciuilis, externa, vel naturalis. Altera est Christiana, supernaturalis ac spiritualis, nimirum inter filios Dei recenseri, & à Deo per gratiam prognatum esse, Deum Patrem imitari in diuinis moribus, in puritate, sanctitate, virtutibus, omnique perfectione: sicut filij parentes imitantur, eorumque imagines referunt atque repræsentant. Hæc est verè aurea nobilitas, adeoq; multò excellentior, quàm à Regum vel Imperatorum stirpe descendere.

Documentum de duplici nobilitate.

Quam quidem Euangelista expressit, dum de Christi nobilibus sic ait: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* non enim mores carnalium parentum, à quibus carnem & sanguinem trahunt, sed cælestis Patris, cuius spiritum hauserunt, mores ac vitam referunt. Hanc nobilitatem toti mundo anteferre debemus, & ornare, & curare ne vmquam peccato inficiamus vel amittamus. *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam,* inquit Leo, *& diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Quæramus hac ratione omnes maximi ac nobilissimi censeri, gratiâ nempe ac virtutibus. Quotiescumque diuinum aliquod Sacramentum dignè vsurpamus; quotiescumq; bonis operibus, maximis, minimis Deo cooperantes incumbimus, toties hanc nobilitatem in immensum augemus: minima siquidem Dei gratia, quæ nobis hac ratione confertur, pluris est quàm totus orbis.

Ioan. 1.

Leo Sermone 1. de Nat.

Sed iam tempus monet vt ad secūdam instituti nostri partem transeamus. Ecquid causæ, cur inter omnes progenitores Iosephi, siue Deiparæ coniugis, & Christi Domini, nominatim exprimitur Dauid? Nónne Saluator etiam Abrahæ filius, & Iacob, & Iuda fuit? legimus namque in Genesi, etiam Abrahæ de ipso dictas promissiones, dum ei dicitur à Domino: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* quod Apostolus de Christo exponit, vbi ait: *Abrahæ dicta sunt promissiones & semini eius.* Iudæi quoque suas genealogias incipiebant ab Abraham, non à Dauid. Meritò nihilominùs dicendum est, Euangelistas peculiariter eum de-

Secunda pars. Cur de domo Dauid potissimū.

Gen. 22.

Galat. 3.

Luc. 1. scripsisse *de domo Dauid*, seu filium Dauid. Quin & D. Matthæus sic Euangelium suum auspicatus est: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid* &c. Vulgari quoque appellatione sic noscebatur, vt cæcus ille plebeius & idiota clamaret, *Iesu fili Dauid Miserere mei.* Alij itidem, alio loco, *Miserere nostri fili Dauid.* Et, *Hosanna filio Dauid*, vt ex ore quoque infantium & lactentium pænè testimonium ei perhiberetur. Hostes denique eius Pharisæi interrogati quid ipsis videretur de Christo, cuius filius esset, responderunt, *Dauid.*

Math. 1. Luc. 18. Matt. 9. & 20. 21. 22.

Prima ratio litteralis. Quid hîc potissimùm dicendum? duas assignemus causas, alteram litteralem, alteram moralem. Litteralem suggerit D. Chrysostomus in hunc modum: *Quia*, inquit, *Dauid procul dubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris & gloriæ, ob ipsius quoque temporis iunctiora. Non enim olim defunctus fuerat sicut Abraham. Etsi enim vtrique promiserat Deus; sed tamen illud quasi antiquum reticebatur, hoc verò quasi nouum ac recens ab omnibus celebrabatur. Ipsi namque Iudæi dicunt: Nonne ex semine Dauid, & Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filium Dauid nominabant.* Hactenus Chrysostomus. Vnde liquet ratio, cur se filium Dauid vocari maluerit Christus, quàm Abrahæ vel aliorum: præsertim cùm innotescere iam deberet tempus aduentus Messiæ, de quo notiores ac crebriores promissiones Dauidi erant factæ quàm ceteris, è quibus venisse iam illud tempus cognosci poterat. Ipsemet Propheta in Psalmis non simplex promissum, sed additum etiam iuramentum Domini affirmat, dum ait: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Isaiæ quoque prophetia est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Ieremiæ quoque: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Quando itaque passim Christus vocatus est filius Dauid, constare satis poterat, promissiones huiusmodi Dauidi factas, iam impletas esse.

Chrys. Hom. 2. in c. 1. Matthæi. Psal. 131. Isa. 11. Iere. 23.

Documentum de promissionibus diuinis. Porrò quid nobis hinc emolumenti? Multum per omnem modum hæc ratio, si benè perpendatur, conferet ad fidem nostram confirmandam, ad spem erigendam, ad veram iustorum consolationem, ex diuinæ veritatis consideratione, siue ex diuinæ fidelitatis certitudine in seruandis promissis. Cælum enim potiùs ruere, ac terra incendio deflagrare, quàm diuinarum promissionum veritas vllo modo labefactari possit. *Cælum & terra transibunt*, inquit Saluator, *verba autem mea non præteribunt:* imò *iota vnum aut vnus apex non præteribit.* Ecce promiserat Dominus populo Israëlitico filium suum se daturum: populus autem vicissim pro sua parte se eius præcepta obseruaturum. Iam hoc ita constituto, quamuis Israel fidem suam Deo non seruarit, tamen Deus seruat suam. Sic etiam Dauidi promiserat Messiam ex eius semine: proinde quamuis adulter & homicida fuerit Dauid, tamen Deus implet promissa. At quamdiu ista promissio fuerat protracta? à temporibus fortè Dauidis? imò Abrahæ, atque adeò ipsius primi patris Adæ, per quatuor ferè annorum millia; nec Deus tamen eius obliuiscebatur. Sed *vbi venit*

Matt. 24. Matth. 5. Gal. 4.

nit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Quòd si Deus tam fidelis extitit in promissis suis erga eos qui fidem suam frangunt: quantò magis aderit fidelis cultoribus pijs & electis, etsi tempus opportunum soleat expectare? Ad hoc velut asylum Regius pro-
1. pheta post fœdum illum lapsum con-
Psal. 50. fugiebat, cùm diceret: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam,* &c. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Quasi dicat, Promisisti opem ac misericordiam tuam atque erratorum veniam his, qui supplici ac demisso animo tuam opem implorant: hanc ergo mihi nunc impendi peto, vt te homines iustum atque veracem in promissionibus tuis hoc exemplo ag-
2. noscant. Eamdem in Deum fiduciam concepit Moyses, in illa magna Domini aduersus perfidum populum ira (quem delere volebat ob conflatum vitulum) cùm illum veritatis & promissionis suæ admonuit, qua terram Chananæorum patribus eorum
3. pollicitus fuerat. Eamdem consola-
Vide Platum de Bono stat. rel. l. 3. c. 31. tionem ac fiduciam sentiebat Arnulphus ille Cistertiensis, vir in sæculo quidem nobilissimus, posteà verò in Claræuallensi cœnobio monachus sanctissimus: qui dum viscerum doloribus grauissimè cruciaretur, diúque exanimis ac mutus iacuisset, vt ad se redijt, in eam vocem erupit: *Vera sunt omnia quæ dixisti, Domine Iesu.* eamque identidem repetebat. Causam rogatus, *Quoniam Dominus in Euangelio*, inquit, *testatus est, siquis propter ipsius amorem mundi diuitys & propinquis renuntiauerit, fore vt centuplum accipiat in hac vita; id quod ego nunc reipsa experior. Etenim hæc ipsa tam ingentis cruciatus acerbitas adeò mihi dulcis est, propter spem diuinæ miserationis quam in ea repositam sentio, vt hac molestia caruisse me nolim, non modò pro illis quas reliqui opibus, sed etiamsi centum partibus ampliores fuissent.* Eò-
dem & nos confugere oportet in ad- 4.
uersis atque in omni necessitate nostra, vt aliquid obtineamus à Domino eorum quæ promisit, veridicam illam eius sententiam allegantes, *Amen amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. Quòd si ergo Dei misericordiam ac veniam peccatorum per Christi Filij eius merita postulemus, dabit nobis. Si centuplum in hac vita Religiosis promissum, & post mortem vitam æternam; dabit nobis. Si mercedem gloriæ operarijs vineæ eius addictam, aut eleëmosynas largientibus, aut aliud opus bonum per Dei gratiam exercentibus; haud dubiè dabit nobis. Hæc fiducia nostra, hæc consolatio est.

Altera iam ratio explicanda est, cur Christus Dominus honorificum sibi duxerit quòd vocaretur filius Dauid, in eoque gloriatus sit, quòd descenderet *de domo Dauid*: nempe vt ostenderet affectum suum ac beneuolentiam singularem erga peccatores, qui postquam peccantem imitati sunt Dauidem, sequuntur pariter pœnitentem, & per singulas noctes lauantem lacrymis stratum suum. Scriptura siquidem Abrahamum, Isaac, & Iacob non numerat inter peccatores, imò multis ac debitis cumulat laudibus: sed prolixè recenset atque exaggerat peccata Dauidis, eiusque pœnitentiam. Commendat igitur nobis Christus hoc ipso bonitatem & humilitatem suam, charitatem quoque ac misericordiam erga peccatores, qui

Secunda ratio mystica.

Psal. 6.

qui ad Dominum cõuertuntur, quòd malit dici filius peccatoris, quã iusti ac fidelis Abrahæ, aut aliorum quorum semper honorifica in sacris eloquiis fit mentio. Quasi etiam glorietur hoc titulo, in sua genealogia Dauidem peccatorem omnibus aliis progenitoribus suis anteponit, dum
Matth.1. dicitur: *Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abrahæ*, &c. Itaque benignissimè peccatores omnes ad pœnitentiam inuitantur, qua & veniam peccatorum consequi possunt sicuti Rex Dauid, maiorem quoque honorem ac gloriam sicuti Dauid. Quid ita? accipite similitudinem.

Documentum, de pœnitentia. Accidit interdum pauperes ostiatim eleëmosynam petere: ingredientesq; in atrium aliquod, vident alium pauperem panes aliquot in sacculum recondere, vel pecuniam argenteam in loculos; protinusque dicunt, Hîc oportet nos eleëmosynam petere: accurramus. nam vbi tam opulentam largitionem hic pauper consecutus est, nobis etiam tantundem obtinget; pius aliquis Dominus ac liberalis in hac domo commoretur necesse est. Accurrunt, fiunt & ipsi munificentiæ tantæ participes. Ecce quemadmodum hi qui pauperem viderant ingentem eleëmosynam accepisse, petendi & ipsi fiduciam conceperunt. Sic vt consimilem peccatores fiduciam in Dei misericordiam concipiant, Christus filius Dauid peccatorem aliis Patriarchis Abrahæ, Isaac, Iacob anteponit, & gloriatur se de eius stirpe descendere. Quòd si Dauid pœnitentiâ suâ tantam à Deo gratiam consecutus est, ergo & alij consequi poterunt: siquidem non frustrà Dominus noster, vt Moyses ait, cognominatur
Exod. 34 *misericors & clemens, & patiens, & multæ miserationis, qui aufert iniquitatem & scelera atque peccata*. Quis peccator, quantumuis durus, non mollescat hæc audiens, & tam boni Domini amore non tabescat; qui peccata dimittere, atque in homines beneficia conferre, gloriam. maiestatemque suam esse ducit? Quis non audeat ad huius clementissimi Patris ostium accedere? Nam licet verum sit eum dixisse, *Si auerterit se iustus à* Ezech. 18
iustitia sua, & fecerit iniquitatem; omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur; tamen æquè etiam verum est quod in eodem capite sequitur, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum quas operatus est non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, viuet.* O verba mellíflua in auribus peccatoris!

Idem argumentum paulò vberiùs petitis è communi vita exemplis aliquot illustrari potest, quibus manifestius fiat quàm grata Deo sit pœnitentia peccatoris, quàm iucunda, quàm honorifica, quàm gloriosa.
In primis hanc ob causam Dominus 1.
in Euangelio pastori se comparat, Luc. 15.
qui cùm è centum ouibus vnam perdidisset, eamque multis quæsitam laboribus reperisset, inusitato cum amicis & vicinis gaudio exultauit: ac demum subiungit: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit, in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent*
pœnitentia. Idem iudicium fit de 2.
drachma perdita, vel de filio prodi- 3.
go, vt ibidem sequitur. Sicuti etiam 4.
si piscator aliquis strenuus multos pisces ceperit, non adeò mirandum: sed siquando maximum piscem obtinuerit, vt cetum aut balænam, tum
singularem percipit voluptatem. Vel 5.
siquan-

ſiquando auceps non perdices ali-
quot ſed aquilas capiat, quomodo
6. gloriatur? Vel ſi venator non lepo-
res aut cuniculos, ſed inſignem occi-
derit feram, vt aprum, ceruum, vni-
cornem, elephantum; quantis triumphat gaudiis? Sic quaſi triumphum celebrat Dominus Ieſus, quando magnum aliquem peccatorem in retia compulit pœnitẽtię: & quia talis fuerat Dauid, gaudet vocari filius Dauid.

Sed lubet aliquantiſper immorari poſtremæ parabolæ venatoris. Perſæpè in domibus Magnatum contingit vt arietes aut vituli, ſiue alia domeſtica animalia mactentur: neque, quòd hoc nimis vſitatum ſit, proptereà feſtum agitur, aut magna de eo ratio habetur. Si autem dominus ipſe in venationem ſe conferens immanem interficit beluam, aprum, ceruum inſignem, aut aliam feram magni momenti; tunc omnes domeſtici eius ad ſpectacula ſe effundunt, in equis curſitant, tubis canunt, aprum ramis ac floribus circumdãt, omnes deniq; hilari animorum alacritate & lætis vocibus exclamant, Euge, Dominus noſter prædam venatus eſt, aprum ſuis manibus confecit, euge, euge. Nec mora; conuiuium adornatur, Principes viri inuitantur, infertur hæc præda pro dono honorario ſummis Præſidibus ac Magiſtratibus populi: capita ipſa ferarum, & ceruorum cornua oſtiis poſtibuſque ſpectanda, tamquam ornamenta, præfiguntur. Hæc ita fieri docet experientia. Ceterùm videamus quemadmodum nobis accommodentur. Iuſti ſunt animalia quaſi domeſtica in domo Dei, quorũ mortificatio ac ſpiritualis prouentus, quia nimis vſitatus eſt, non tantæ lætitiæ materia eſt Deo aut Angelis eius.

Hinc Regius Propheta dicebat: *Vt
iumentum factus ſum coram te, & ego* Pſal 72.
ſemper tecum. At quando ſupremus Princeps Dominus Ieſus per concionatores ſuos, aut per ſanctas inſpirationes, venabulo timoris horrifici magnum aliquem peccatorem percuſſit ac proſtrauit, cepitq; quaſi immanem beluam; tunc agitur dies lætitiæ. Peccatores ſunt velut onagri aut feræ ſilueſtres (vt exponit diuus
Gregorius in Moralibus) vagantes Greg. l. 7.
in campo propriæ volũtatis, aut cur- c. 6. Mo-
rentes in ſiluam deſideriorum aut ral.
voluptatum ſuarum. Quando autem in hanc ſiluam ingreditur ſupernus ille venator, pulſatque validis ictibus intellectum, vt ratiocinari incipiat vel de mortis fallacia, vel de æternitate ſuppliciorum inferni, aut gloriæ cæleſtis, vel de iuſtiſſimis Dei iudiciis; tunc demum, teſte Pſalmiſta, *ſagitta potentis acuta (populi
ſub te cadent) in corda inimicorum* Pſal. 44.
Regis. Ecce capitur præda: ecce familia Regis ad commune gaudium excitatur. *Congratulamini*, inquit,
mihi, quia inueni ouem meam quæ per- Luc. 15.
ierat. quid ouem dico? fera capta eſt. Aper ille immanis iam ramis & floribus ornatur. namque peccator, qui priùs ferus atque obſcænus fuerat vt aper, nunc Spiritûs ſancti donis quaſi floribus decoratur: & qui antè deformis, iam formoſus; qui antè probro ac dedecori, iam honori atq; ornamento eſt Deo, Angelis & hominibus. Rectè D. Chryſoſtomus hac de re ita ſcribit: *Neque in Domi-
ni inhonorationem cedit, quòd latrones* Chryſ.
introducantur in cælum; quin potiùs Hom. de
eximia laus eſt eius, quòd cæli Dominus Cruce &
homines contemptibiles & viles, dignos latrone.
efficere valeat ſuperna felicitate. O Deus infinitæ pietatis! ô vtinam ver-

bis nostris conferres efficaciam, vt quasi acutissimæ essent sagittæ, & complurium corda peccatorū transfigerent, qui quasi bruta animantia in huius sæculi pratis sæculares voluptates carpere non cessant! quomodo illis percussi ad pedes tuos aut vicariorum tuorum per veram confessionem prosternerentur; atque ita deinceps per amorem atque obedientiam domestici tui, familiares, ac ciues cæli redderentur? Eia, Christiani, inuitat Christus filius Dauid, id est, peccatoris, omnes peccatores ad pœnitentiam, vt eamdem inuenire misericordiam mereantur, quam
Matt.11. inuenit Dauid. *Venite,* inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos,* &c. Viri illustres omnis memoriæ celebritatem variis titulis consecuti sunt: Moyses maximè ob mansuetudinem, quia scribitur fuis-
Num.12. se *mitissimus hominum qui morabantur super terram:* Rex Dauid simili-
Psal.131. ter, quoniam ausus est dicere, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius:* Salomon ob sapientiam, Iosias ob religionem, Alexander Magnus ob fortitudinem, Cęsar ob clementiam. At quis titulus potissimùm Christi bonitatem ac benignitatem illustrat? iste videlicet, quòd vulgò nominari dignatus sit *filius Dauid.* Ad extremum eòdem nos inuitat hoc tempore Aduentus, imminente Natali Domini, sanctissima mater nostra Ecclesia Catholica,
Luc.1. eiusdem sponsa dilectissima, *per viscera misera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos, oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis,* Cui imperium in sæcula sæculorum, Amen.

CONCIO XIII.

Et nomen Virginis Maria.

1. *Cur Euangelista tam pauca de vita & laudibus D. Virginis attigère.*
2. *De nomine Virginis, Maria, eiusq; inuocatione & cultu.*



QVEMADMODVM æterno suo consilio ac sapientia Deus mundum hunc ab homine perditum, per hominem conuenientissimè liberare decreuit, ipsemet per summam dignationem factus homo: sic etiam matrem sibi ad hoc inter omnes mulieres dignitate principem, virginem scilicet longè longéque excellentissimam ac sanctissimam, deligere decebat. Quippe cùm esset Dei Filius, qui Deo Patre gloriari poterat; oportebat sanè nobilissimam sibi matrem comparare, qua meritò etiam gloriari posset; vt ita demum ex vtroq; parente esset verè nobilis ac gloriosus. Ecquid porrò mirum si ita factum credimus? Quòd si filiis hoc in manu esset, vt matrem eligere aut efficere possent, haud dubium quin eam supra omnes feminas ornatissimam & honestissimam eligerent. Cùm igitur Dei Filius hac tanta potestate præditus esset, qui solus & matrem eligere, & talem facere posset qualem vellet, nec hoc ipsum maioribus impensis quàm sola volūtate efficere posset: quis iam dubitare queat eum matrem supra creaturas omnes excellentissimam & perfectissimam elegisse? Rectè Sapiens, *Corona senum,* inquit, *filij eorum, & gloria filiorum patres eorum.* Tanta videlicet Prou. 17.
tamq; arcta coniunctio est inter parentes & filios, vt commune sit vtrisque decus aut probrum, & filios ex paren-

parentum conditione sæpè laudet Scriptura, & laudare homines soleant parentes cùm volunt laudare filios. Adhæc, vt Deus homo fieret, elegit humanitatem summæ suæ maiestati conuenientem, id est, tanta gratia & sanctitate pollentem, vt diuini Verbi contubernio digna esset. Catholica enim fides tantam gratiarum omnium, cælestiumque donorum abundantiam in hac sacra humanitate esse prædicat, vt quidquid in diuinis thesauris reconditum erat, in illam effusum sit, D. Ioanne Baptista id testante, qui ait, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, videlicet Filio suo. Cur ita? quoniam cùm summa illa maiestas ita nostri gratiâ se demittere voluerit, vt humanam naturam assumere, & verus homo fieri dignaretur; talis debuit esse, vt nullum tantæ maiestati dedecus inureretur, quòd talem sibi naturam in vnitate personæ copulasset. Ita ferè ratiocinari licet de augustissima Dei matre, si arctissimam atq; adeò intimam illam necessitudinem ac coniunctionem spectemus, quæ inter matrem filiumq; intercedit. Dici profectò necesse est, tantam Deiparæ gratiam diuinitus collatam, totque diuinæ liberalitatis muneribus cumulatam fuisse, vt digna quodammodò esse posset filio mater. Quæ cùm ita sint, quis non summopere admiretur, cur adeò parum in diuinis litteris de tanta Virginis excellentia, de tot iáq; infinitis laudibus scriptũ reperiatur? Huius rei rationes primũ sedulò nobis intelligendæ. Deinde de admirabili ac verè dulcissimo MARIÆ nomine, prout hic locus planè postulat, vberiùs disserẽdum eiusdem interuentu, cuius honorem amplificandum suscepimus.

Ioan. 3.

AVE MARIA.

MAgno verborum apparatu sacer Euangelista in hac legatione Angeli ad Virginem vtitur, antequam eam nominet: atque in primis indicat eius professionem, dum ait, *ad Virginem:* indicat statum, dum ait, *desponsatam:* indicat generis antiquitatem ac nobilitatem, videlicet, *de domo Dauid:* indicat nomen proprium patriæ eius, nempe *Nazareth*; nomen quoque proprium sponsi, nempe *Ioseph:* deniq; subiungit nomen Virginis, *Maria:* quod, si solum IESV nomen augustissimum excipias, nomen est super omne nomen, cui meritò omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Verumtamen cui non stupendum videatur altum illud silentium in codice diuinorum librorum de reliqua huius sanctissimæ Virginis vita, de parentibus eius, de immaculata Conceptione, de Natiuitate, de Præsentatione, de moribus, de virtutibus admirandis, gestisq; præclarissimis, de morte denique & Adsumptione supra omnes choros Angelorum? Incipiunt verò Euangelista tantummodò ab Annuntiatione Angelicą, per quam effectum est vt Dei mater fieret. Breuissimè hanc perstringit D. Lucas: at D. Mattheus Luc. 1. eiusdem factus encomiastes, longè strictiùs atque vno quasi lineamento illius attingit excellentiam, dum ait: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Math. 1. Quid, nihilne aliud de ea dicere habuit? Nonne vt minimùm addere potuisset, Virum Mariæ, filiæ Ioachim, quam ex Anna vxore, Angelo nuntiante, miraculosè progenuit: quæ fuit virgo sanctissima, speculum omnium virtutum;

charitate ardentissima, Ecclesiæ mater, orbis totius lætitia, &c. Nihil huiusmodi, cùm tamen aliorum complurium laudes ac gesta Scriptura celebret, vt Patriarcharum Abrahæ, Isaac, Iacob, in Genesi; Moysis in Exodo, Iudicum Regumque in ipsorum historijs, Ioannis Baptistæ in nouo Testamento: atque huius quidem ortum, parentum dignitatem, vitæ sanctitatem, ardua & præclara eius gesta, vsque ad martyrium eiusdem. Quid hoc sibi vult? an non credimus

2. Pet. 1. quòd *Spiritu sancto inspirante locuti sint sancti Dei homines*, pariterque à Spiritu sancto prohibiti sint loqui, quando ipsi ita visum fuit? Profectò grauissimas oportuit huius rei rationes fuisse, inter quas præcipuæ quinque sunt à SS. Patribus nobis traditæ, quas recensere nunc atque explanare aggredior.

Prima causa, cur Deipara parum laudetur in Euangelijs. Prima hæc statui potest, quia rerum valdè magnarum & eminentium non est laus, vt aiunt Philosophi, sed admiratio: & ineffabilibus hic debetur honos, vt silentium illis sit laus; ne cùm multa dixeris, omnia putentur dicta quæ poterant dici.

Psal. 64. Hinc illud Psalmistæ, *Te decet hymnis Deus in Sion*, sic vertit D. Hieronymus, *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Quæ translatio sanè inenarrabilem Dei laudem significat: neque meliùs, vt videtur, laudamus id quod vires nostras superat, quàm cùm tacendo obstupemus. Hinc etiam olim Ægyptij in introitu templi Harpocratis imaginem affixerunt, quæ digitum ori appositum haberet. Quasi diceret, Hîc de Deo tacendum, hîc silentio est Deus venerandus. Itaque simile quid fecère in hoc genere Euangelistæ, silentio Mariam venerantes, eiusque laudes hac ratione exaggerantes. Sicuti Regina Saba considerauit domum Salomonis, & ordinem eius, amplitudinem ac magnitudinem, & non habuit vltrà spiritum, sed animo defecit: ita Euangelistæ hanc Dei domum contemplantes, ineffabilia in ea viderunt, & ideò defecit eorum spiritus, lingua & calamus. 3. Reg. 10

Vnde inciperent, vbi desinerent, si virtutes eius celebrare instituerent? Adde his etiam, quòd ab initio primaria Euangelistarum & Apostolorum intentio in Christum ferebatur, cuius diuinitatem per miracula & gesta Euangelica populo persuadere conati sunt. Sufficiebat illis veram fidem in Saluatorem, eamque prorsus ad salutem necessariam, hominibus proposuisse, certisque argumentis ac notis eam stabiliuisse. Quocircà in hoc toti erant, atque ita diuinæ sapientiæ, non fortiter modò, sed & suauiter omnia disponenti, visum est paulatim Euangelij sancti mysteria pandere, & in principio quædam præcipua Christianæ fidei fundamenta iacere, alijs omissis. Quamquam & de Christo pauca videri possunt scripsisse Euangelistæ, & breuiter, pro dignitate & varietate rerum ab eo gestarum. *Mundus* enim *libros* Ioan. c.

non caperet, inquit D. Ioannes, *si omnia* vlt.

scribi oportuisset. Sic quoque accipiendum illud D. Pauli: *Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.* Rom. 9.

Secunda causa. Secundò, si pro dignitate de augustissima hac Virgine locuti fuissent Euangelistæ, aut alij, siue Apostoli, siue Apostolici viri; periculum haud exiguum erat, ne occasionem neophyti Christiani arriperent cultum ei diuinum tribuendi, cum manifesta supremi Numinis iniuria; quemadmodum in Actis Apostolorum D. Paulum & Barnabam tamquam Act. 14.

Deos

Deos adorare Lycaones voluêre, cùm miracula vidissent quæ patrabant, dicentes: *Dijssimiles facti hominibus descenderunt ad nos. & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.* Ac nisi summa vi prohibuissent Apostoli, ipse Iouis sacerdos cum populis tauros & coronas afferens ijs sacrificasset. Hac quoque de causa corpus Moysis non apparuit, ne vt Numen coleretur à Iudæis, ad omnem idololatriam procliuibus. Eadem de causa serpentem æneum confringi oportuit, ne cultum latriæ vulgus Hebræorum ei deferre pergeret, sicuti vsque ad tempora Ezechiæ Regis detulerat. *Siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum*, inquit Scriptura. Adeò pronum erat ad huiusmodi cultum genus illud hominum. Quin etiam, vt clariùs pateat quantum periculi ex hac parte imminere potuerit, legimus in primitiua Ecclesia errorem iam tum irrepsisse quorumdam, qui Mariam tamquam Deum adorabant, eique sacrificia panis offerebant: tametsi hic error citò euanuit, vt Epiphanius auctor est. Qui item explicans illa verba Christi in cruce pendentis, *Mulier ecce filius tuus*, hæret in verbo illo *mulier*, & cur non potiùs mater, inquit, vocatur, maximè eo tempore quo consolatione indigebat? Respondet autem, consultò id fecisse Dominum, ne si matrem vocasset, non-nemo eam ob id, simulque ob eximiam eius sanctitatem & perfectionem, Deitatem aliquam esse putasset, aut Seraphinum aliquem carne velatum. Adhæc Petrus Cluniacensis, quem D. Bernardus valdè prædicat, non suo tantùm sed totius Ecclesiæ Catholicæ nomine, quam defendit, de ea scripsit in hunc modum: *Damnat Eclesia Collyridianos, Mariam pro Deo colentes, & loco numinis adorandam putantes.* Quid amplius? multorum auctoritate corroboratur, atque adeò indubitatum est, quòd hic omitti non debet; D. Dionysium Areopagitam, ad Christi fidem ab Apostolo adiunctum, posteaquam intellexit ipsam Dei matrem etiamnum superesse, eius visendæ studio Ierosolymam contendisse. Cumque à D. Ioanne Euangelista in eius conspectum perductus fuisset, eamque loquentem audiuisset, & cinctam vndique Angelis vidisset, subitò quasi solaribus percussum radijs in ecstasin raptum fuisse: nec multò pòst ad se reuersum dixisse, *Nisi profectò firmissimè crederem vnum esse Deum, de quo me Paulus docuit, hanc omnino diuinum Numen esse mihi persuasissem.* Idem ipsemet testatur scripta ad D. Paulum epistola, quæ adhuc extat apud Ferreolum. Itaque cùm de Christo Domino, vero Deo & homine, loqui Euangelistæ instituissent, vt officij Euangelici ratio postulabat, quòd id solum esset necessarium ad salutem animarum; parciùs diuinissimas Mariæ matris eius perfectiones attingere voluerunt: vt erroris omnis occasio præuerteretur ac præcideretur.

Tertiò, ex ijs quæ in Scripturis sacris de ea commemorantur, facilè ab intelligentibus colligi infinita propemodum eius dignitas ac præstantia potest, quantumuis perpauca sint, vt Doctores monent: ne iure optimo in nos illud dici conueniat, *Adhuc & vos sine intellectu estis?* In primis, vt cetera taceam, asserunt sacri Euangelistæ, electam ab æterno esse in matrem Dei: ac tametsi Euangelistæ animalia sint plena oculis, nihil in Maria

Marginal notes: Deut. vlt. Vide Theodor. & Procop. &c. ibidem. — 4 Reg. 18 — Epiph. lib. contra Antidicomaritas. — Petr. Clun. Hær. 79. contra Collyridian. — Dionys. Richel. super D. Dion. c. 3. de Diuin. nominib. Vbertin. l. 4. de Vita Saluatoris. Metaphrast. in Vita S. Dionysij. — Ferreol. l. 5. c. 6. — *Tertia causa.* — Vide Pomer. Sermon. de D. Virg. Matt. 15.

maius aut sublimius inueniunt, quàm vt dicant, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ceteras porrò eius laudes quis non inde colligat? quis non ex vngue cognoscat leonem? Quomodo autem Spiritus sancti operâ effecta sit mater Dei, hoc nostro Euangelio à S. Luca, etsi breuiter ac neruosè, tamen perquam honorificè enarratur. Archangelus quoque Gabriel profundissima cum reuerentia ac submissione Dominam suam salutat; plenam quidem gratiâ, & benedictam iam tum inter mulieres, sed mox superueniente Spiritu sancto longè sublimiora cælitus munera consecuturam. Quid inde? ipsa Deo plena Virgo & mater paulò pòst in Zachariæ domum Spiritus sancti charismata largissimè diffundit, & beata rursus prædicatur, & mellifluum laudis ac gratiarum actionis canticum componit ac Deo canit; quod quotidie deinceps celebrauit Ecclesia Christi, nec celebrare desinet, quoad stabit hic orbis. Iam in verbis eius quanta sapientia, quanta efficacia, quantæ relucent virtutes? Septies in vniuersum locuta describitur (vti & filius eius in cruce pendens septem protulit verba) sed tanto pondere ac spiritu, meritò vt diuinis plena mysterijs totidem oracula dixeris. Denique, vt finiam, satis constat Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginem, ab ipso summa arte ac singulari prouidentia depictam; eamque ob causam cùm de ea hæc atque huiusmodi alia audimus, reliqua ex ijs colligi perfacile est. Sicuti enim cùm homo debita membrorum proportione constet; si eius manum dumtaxat videas, ex illa colligere poteris vniuersi corporis magnitudinem, propter debitam proportionem quam inter se membra seruare debent: ita cùm audis Mariam esse Dei matrem, gratiâ plenam, benedictam inter mulieres, imò inter omnes generationes; alia omnia laudum ornamenta tacitè de ea prædicantur. Siquidem summa proportione vniuersa in ea posuit cælestis artifex: ideoque reliqua dona huic dignitati commensuranda erant, vt nulla deformitas existeret.

Math. 1.

Sed nihilne interim in veteri quoque lege ac Prophetis extat de Mariæ laudibus? imò verò quàm plurima, sed obscurè, velut in vmbris ac figuris. Quemadmodum etiam de Christo loquitur Apostolus, in capite libri scriptum est de ipsa: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum.* Ita namque cum Vulgata nostra de B. Virgine hoc accipiunt quatuor Ecclesiæ Doctores, & alij multi Patrum. Deinde D. Hieronymus non veretur eam appellare *vaticinium Prophetarum*, atque his verbis in eius laudes fertur: *Diuinis & Angelicis excellentiùs est prædicata & laudata præconijs, à Prophetis prænuntiata, à Patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata, ab Euangelistis exhibita & monstrata, ab Angelo denique venerabiliter atq; officiosissimè salutata.* In eandem quoque sententiam ita scribit D. Bernardus: *Longè antè patribus est cælitus repromissa, mysticis præfigurata miraculis, oraculis annuntiata propheticis.* Andreas verò Cretensis eam vocat *summam diuinorum oraculorum.* Quin etiam magna pars Cantici canticorum de ipsa est, vt affirmant Rupertus alijque, qui illud interpretantur. & Aponius vir doctissimus dicit infelicem illum, qui hoc non credit. Denique, vt fateamur adhuc pauca esse quæ in laudem Virginis eloquia sacra proferunt; at non exiguæ sunt efficaciæ

Hebr. 10. Gen. 3. Chrysost. Hom 17. in Genes. Aug. de Genesi contra Manich. l. 2. c. 8. Ambros. l. de Fuga sæculi. c. 7. Gregor. l. 1. Mor. c. 38. Hieron. Serm. de Assūpt. Bernard. in Serm. sup. *Signum magnum.* Andr. Cret. Orat. de Laud. Virginis. Ruper. l. 7. de Process. Spiritus sācti c. 13 Apon. super Cant.

efficaciæ neque modici vigoris, & si benè perpendantur, consummatæ virtutis, ac maximi momenti. Sed nunc ad lineam.

Quarta causa. Quarta sit causa, quoniam tanta fuit sanctissimæ Virginis humilitas, vt parcissima esset in iis explicandis quæ aliquo modo cum sui commendatione coniuncta erant: atque adeò de tota infantia Christi paucissima, de pueritia factum vnicum, de adolescentia deinceps vsque ad annum trigesimum nihil omnino exposuit:
Prou. 27. iuxta illud Sapientis cōsilium, *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua.* Adeò certè humilitate fundata fuit, vt ipsamet fateatur in Cantico suo, sese hac potissimùm virtute Deo vt placeret impetrasse, dum ait; *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, &c. Hanc ergo humilitatem satis perspectam habebant Euangelistæ & Apostoli Domini: eaque ratione maluerunt eius desiderio satisfacere, quàm multa in eius laudem sacris monumentis consignare. Quin & in hoc ipso Euangelio Annuntiationis præcipuè hanc animi modestiam ac submissionem commendauit S. Lucas, vbi turbatam describit tam honorifica Angeli salutatione, ac demum ad postulata eius in hæc verba respondisse, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Aliorum quippe Sanctorum humilitas extollitur quoque nonnumquam in Scriptura sacra, vt Abrahæ, Moysis, Dauidis: semperque in hominum admiratione erit illud
Gen. 18. Abrahæ, *Loquar ad Dominum meum, cùm sim cinis & puluis.* Sed laudatur eorum humilitas loquendo, Mariæ autem tacendo. Qua de re æternâ digna memoriâ atque obseruatione est D. Gregorij Magni doctrina, dum ait: *Intus sunt seruanda bona quæ agimus, si ab interno arbitro mercedem recipere nostri operis expectamus. Occultanda sunt quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incautè portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus.* Et alibi: *Laus sua iustos cruciat,* inquit, *iniquos exaltat. sed iustos, dum cruciat, purgat; iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. isti enim sua laude pascuntur, quia auctoris sui gloriam non requirunt.*

Luc. 1. (margin, at "impetrasse"); Luc. 1. (margin, at "commendauit S. Lucas"); Gregor. l. 8. Moralium c. 27 vet. 30. nou.; Lib. 26. Moral. c. 30. vet. 23. nou.

Quinta causa. Quinta ac postrema causa est, quia pauca de D. Virgine loquendo Scriptura diuina nos exstimulat vt hæc ipsa saltē ponderemus, & magni faciamus vt par est, & plura longè de ea inquiramus. Inter quæ, vt in hocce Euangelio sistamus, quāti hoc in primis æstimandum, quòd negotium redemptionis nostræ noluerit Deus peragere, nisi petito illius consensu? quòd tam honorificam legationem cælitus ad eam decreuerit? quòd toti mundo patefecerit eam & virginem esse, & in matrimonio, & matrem simul? &c. Sanè quamuis non esset alius de ea locus in Sacris voluminibus, satis hic omnes homines incitare possit ad eam studiosissimè colendam & collaudandam, si non verbis propriis, saltem Angelicis, quæ profecta supernè ex altissimo SS. Trinitatis concilio credimus. D. Bernardum hîc audiamus. *Libenter*, inquit, *vbi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quò vel ex vasculorū pulchritudine gratiora fiant, quæ in his lectori apposuerim.* Sic nos, vbi facultatem nobis deesse sentimus edicendi aut prædicandi vt vellemus, libenter vsurpemus Angeli verba, eiusque salutationem crebrò Deiparæ recitemus, in qua quot verba, tot sunt Virginis præconia. Diuus
Bernard. Serm. 3. sup. Missus est.

quoq;

quoque Bernardinus Mariæ cultor eximius, de glorioso eius nomine sic scribit: *Non est facultatis humanæ, dilectissimi fratres, quamdiu in hoc mortali corpore viuitur, plenè pertingere ad laudem Virginis gloriosæ, Dei matris, quæ omnium hominum & voces excedit, & superat intellectum. Quis enim non timeat hanc pollutis labiis nominare, quam matrem misericordiarum Deus ante sæcula prædestinauit in virginem dignissimam, Filius praelegit in matrem, Spiritus sanctus noua gratia domicilium præparauit? Quibus laudibus seruitus hominum, Reginam efferet Angelorum? quæ præconia dilatet mortalis angustia, vel officia subministret, cui cælestia parent & famulantur obsequia?* Itaque cùm hæc omnia quæ de ea in Scripturis ad manum sunt, attentissimis animis perscrutanda sunt ac deprædicanda; tum maximè quòd vocetur Maria, sicut Euangelista ponderat dicens, *Et nomen Virginis Maria.*

Bernardinus Ser. 2 c. 3 de Nomine Mariæ.

Secunda pars de nomine Mariæ.

Vt igitur incipiamus, quod secundo loco proposueramus, de laudibus augustissimi huius nominis verba facere: primùm nullo modo credendum est id casu aliquo beatissimæ Virgini inditum fuisse. Quin verò D. Thomas, Doctor Angelicus, omnia nomina quæ ratione & consilio rebus imponuntur, conuenienter explicare docet munera ac proprietates rerũ. Vnde cùm Adamo Deus indidisset notitiam proprietatũ omnium rerum, iussit eis congrua nomina imponi: *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius*, inquit Moyses. quasi diceret, Ita sapienter Adam nomina rebus posuit, vt earum naturis optimè congruerent. Sic vxorem suam vocauit Euam, quia futura erat *mater viuentium:* & primum filium vocauit Cain, *quia possedi*, inquit, *hominem per Deum*, &c. Atqui multò id magis seruatur cùm diuinitus nomen aliquod datur. Sic enim legimus Abrahæ, sic Saræ, sic Israëli, sic Ioanni Baptistæ, sic Petro noua nomina diuino consilio designata, quæ eorum dignitatem & officium explicarent. Itaque Abrahæ, qui priùs Abram vocabatur, dictum est à Domino: *Vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* & *Sarai*, hoc est, *domina mea*, vocata est *Sara* (litterâ vnâ ablatâ) quasi absolutè *Domina*; vtpote in cuius semine omnes gentes benedicendæ essent. In noua lege principi Apostolorum dicitur, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* alibi Angelus nuntiat Iosepho, *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Ad eum modum quis hîc ambigere queat, quin similiter congruentissimum D. Virgini nomen diuinitus sit positum? nomen, inquam, *Mariæ quod os Domini nominauit*, nomen *de cælo delapsum*, vt SS. Patres testantur, Ambrosius, Bernardus, Anselmus: quando videlicet Angelus de cælo nuntiauit Ioachimo eius conceptionem. tũc enim dicta est Maria, quoniam optimè eius laudibus ac virtutibus designandis hoc nomen quadrabat, vti è mysteriis atque interpretationibus eius etymologicis mox demonstrabitur. Imò etiam ab æterno hoc nomen proprium matri Dei adscriptum esse in libro vitæ, & primo quidem loco post nomen Iesu, nemo fidelium est qui inficiari possit. Nam si in hoc gaudere iubentur Apostoli, *quòd nomina eorum scripta sunt in cælo:* quantò magis ab æterno scriptum

D. Tho. 3. p. q. 37. ar. 2.

Gen. 2.

Gen. 3.

Gen. 4.

Gen. 17.

Matt. 16.

Matth. 1.

Ambrof. Serm. de Natiuit. Virginis. Bern. sup. *Missus.* Anselm. l. de Conceptione Virgin. c. 2.

Matt. 3.

scriptum est nomen Mariæ? nisi fortè, Reginâ cælorum prætéritâ, seruorum eius dumtaxat ratio habenda fuit. Quòd porrò ipsius nomen esset satis cognitum in cælo, Archangelus Gabriel satis significat quando ait, *Ne timeas Maria*, familiariter appellando tamquam notam, & sæpè anteà nominatam.

Prima cõgruentia seu interpretatio nominis Mariæ.

Iam quibus de causis hoc nomen Mariæ Virgini congruentissimè inditum fuisse asserimus? Nimirum propter mysteria & interpretationes eius etymologicas: inter quas, vt præcipuas explanemus, prima dici potest, quòd hoc nomen *Maria* deducatur à mari, non Latinè (vt apparet) sed Hebraicè: quoniam nomen est Hebraicum. Ita tradunt diuus Hieronymus lib. de Nominibus Hebraicis, Bonauentura, Beda, Petrus Chrysologus, &c. *Iam* enim Hebraicè *mare*, & *mare* siue *morah* Syriacè *dominam* significat. vnde integrum nomen *Mar-jam dominam maris* sonat. Rectè igitur Maria nomen à mari trahit, vt gratiarum eius affluentia designetur. Sicut namque omnia flumina intrant in mare, ita quodammodò omnia cęlestium gratiarum munera atque charismata in beatam gloriosæ Virginis animam effusa sunt. atque ita etiam de eo disserit Albertus Magnus: *Congregationes aquarum vocauit Deus maria. locus autem omnium gratiarum*, inquit, *vocatur Maria.* Nimirũ sicuti Deus initio mundi aquas omnes, quæ sub cælo erant, vnum in locum congregari iussit, quas congregationes appellauit *maria:* ita modò omnium virtutum ac cælestium charismatum flumina in vnam hanc Virginem confluere voluit, similique illam nomine appellauit. verè vt ipsamet dicat, *In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ ac virtutis.* Hinc Petrus Chrysologus nomen Mariæ vocat *collegium sanctitatis*, id est, compendium quoddam atque aggregationem omnis sanctitatis: D. Ioannes Damascenus, *abyssum gratiæ.* addam & verba D. Bonauenturæ in eamdem sententiam. *Scriptum est*, inquit, *Omnia flumina intrant in mare. Flumina sunt charismata Spiritus sãcti; vnde ait Christus apud Ioannem: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chrismata Sanctorum intrant in Mariam.* Quibus adde, vt habet Ecclesiastes, *vt iterùm fluant.* Fõtes enim & flumina vti in mare feruntur, ita & è mari originem habent vt iterùm fluant: sic etiam è Maria quot fontes misericordiæ, liberalitatis, charitatis in totam Ecclesiam redundarunt? D. Bernardus vnus instar omnium aliorum hac de re loquatur. *Omnibus*, inquit, *misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam.* Nempe non sibi solùm sed nobis etiam omnibus diues est Maria, quam cælestis Pater in filiam, Filius in matrem, Spiritus sanctus in amantissimam sponsam, Angeli verò in Reginam acceperũt. Finxerunt olim ethnici poëtæ (diuinum fortè aliquid præsagientes) fuisse virginem quamdam diis omnibus gratissimam, quam singuli eorum suis quisque muneribus ornarunt: quam propterea Pandoram, hoc est, Deorum omnium muneribus ornatam, nuncuparunt. Hæc quidem fabula est, sed appositissimè

Margin notes: D. Bonauent. in Speculo Virg. Beda l. 1. in Luc. c. 3. Petr. Chrysol. Ser. 142. *Maria cur à maris.* 1. Albert. Mag. sup. *Missus est.* Eccli. 24. Petr. Chrysol. Ser. 146. Ioan. Damasc. Serm. de Assumpt. Bonau. in Speculo Virg. c. 1. 2. Eccle. 1. D. Bern. Serm. de verbis Apoc. *Signum mag.* &c.

Virginis nostræ dignitatem explicat. ipsa enim est vera Pandora, quam beatissima Trinitas cælestibus donis atque virtutibus mirificè decorauit. Pater illam virtutis robore confirmauit, Filius clarissimo sapientiæ splendore illuminauit, Spiritus sanctus flagrantissimo charitatis ardore incendit. talibus enim donis Regis æterni palatium ornari, talibusq; virtutum odoribus eius cubile aspergi debuit. Quisquis igitur vult aquam haurire, vnde meliùs quàm ex mari hauriet? Accurrite inopes omnes, qui ditescere desideratis: ad mare di-
5. uitiarum spiritualium festinate. His nō absimilem interpretationis istius rationem tangit Ecclesiastes, dum
Eccles. 1. ait: *Arenam maris & guttas pluuiæ quis dinumerabit?* quasi dicat, Nemo nisi solus Deus. Omnis arithmetica præter diuinam hîc deficit: ita videlicet in præclaris Mariæ dotibus ac diuinis muneribus recensendis omnis humana deficit facultas. Confirmatur id verbis Dionysij Richelij,
Dionys. Carthu. l. 3. de Laud. Virgin. ar. 30. qui sic habet: *Maria interpretatur Mare: quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere.* Sicut ma-
4. re interdum tempestatibus inhorrescit; ita Seraphicus Ecclesiæ Doctor explicat Mariæ fremitus & indignationes contra vitia. *Plenum,* inquit,
Bonau. in Specul. Virginis c. 7. *mare audiamus cōtra vitia tonare. Tonet ergo mare & plenitudo eius: tonet plenum mare, tonet plena Maria. Tonet contra luxuriam, castitatem proponendo hoc modo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Tonet etiam contra superbiam, humilitatem cōmendando: Ecce ancilla Domini,* &c. *Tonet item contra ingratitudinem: Magnificat anima mea Dominū,* &c.
Sicuti etiam per mare ab India O- 5.
rientali & Occidentali, vbi magna auri & argenti & margaritarum copia est, naues diuitiis onustæ singulis annis ad Hispaniæ portus appellunt, quibus non parum locupletatur: haud aliter Deipara mare quoddam est, per quod è cælestibus Indiis diuitiæ summæ descendunt in Ecclesiam, quibus mirificè ditatur. nam, vt sentit D. Bernardus, *Nihil voluit nos habere Deus, quod per manus Mariæ non transiret.* Bernard. Serm. de Natiuit. Mariæ. Antequam esset Maria, Deus quidē liberalis erat erga suam Ecclesiam in terris: sed sicuti per mare longè maior rerum copia, & breuiori tempore ex Indiis huc deportatur: ita per Mariam posteà longè vberiores gratias & copiosiora Spiritus sancti dona Ecclesia à Deo percipere meruit. Adhæc ma- 6.
re profundum est ac vastum: ita Maria *gratiæ abyssus* à Damasceno dicitur; & *gratiam eius immensam, ac mare spirituale* Epiphanius appellat. Damasc. Or. 2. de Assump. Epiph. de Laudib. Virgin. Sed vberiùs hoc infrà docebitur, cùm *gratiâ plenam* in Angelica salutatione demonstrabimus. An non etiam sic- 7.
ut in mari gemmæ sunt, ita & in Maria Christus gemma cælestis instar omnium gemmarum inuenitur?
An non denique, vt in mari multi la- 8.
tent thesauri, ita & D. Virgo meritò vocatur *omnis sanctitatis thesaurus?* Andreas Cret. Orat. de Dormit. Virgin. Sed alia nunc eiusdem nominis mysteria eruamus.

Secundò, Mariæ nomen etiam amaritudinem designat; à radice מור *Mor*, id est *myrrha* seu *amaritudo*, & ים *Iam*, id est *mare*. *Secunda interpretatio.* Ita D. Hieronymus & Epiphanius. Hieron. l. de Nō. Hebraic. Epiph. Serm. de Laud. Vir quæ interpretatio cum altera optimè consentit, vt quæ *gratiarum mare*, eadem etiam *amaritudinum mare* dicatur. neutiquam enim diuina sapientia inerti

otio

otio munera sua atque talenta nobis concredita latere patitur; sed in eos vult vsus expendi, ad quos nobis ab eo donata sunt. Omnia verò cælestia dona aut ad bona opera facienda, aut ad mala perferenda data sunt: quandoquidem, vt Bernardus ait, *Christiani hominis vita in bonis operibus exequendis, & incommodis perferendis sita est*. Quare pro magnitudine gratiæ collatæ, onera quoque & labores piis hominibus à Domino ita distribuuntur, vt quò quis maiora perceperit dona, eò maiora perferre onera teneatur. Hinc videmus viros sanctissimos magnis sæpè laboribus & incommodis iactatos fuisse. Quis enim beati Iob, quis Pauli, quis sanctorum Prophetarum, Apostolorũ & Martyrum labores & agones enumerare queat, qui spectaculum facti dicuntur mundo, Angelis & hominibus? Nec ab hac communi Sanctorum lege liberam esse matrem suam Dei Filius voluit, sed illud potiùs decreuit, vt quantum omnes alios Sanctos dignitate, tantum malorum patiẽtiâ superaret: rectè vt illud SS. Patres applicent D. Virgini, *Magna est velut mare contritio tua*. In primis quanta fuit contritio seu amaritudo, cùm videret populi sui excæcationem ac reprobationem? Si enim diuus Paulus tantam contritionem & compassionem concepit vt diceret, *Tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem*: certè D. Virgo erat maiori charitate & compassione prædita.

Ber. Ser. de SS. Petro & Paulo.

Thren. 2.

1.

Rom. 9.

2. Deinde, quantopere filio suo per omnem vitam & maximè in fine compatiebatur? Non immeritò D. Hieronymus propter ingentes istos dolores quos in passione filij sui sensit, vocare audet *plusquam martyrem*: tanti certè hi fuêre, tamque inusitati, vt triginta tribus annis antè Simeon eos præuiderit ac vaticinatus fuerit dicens: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. in quæ verba D. Bernardus, *O verè*, inquit, *beata mater, tuam pertransiuit animam vis doloris, vt meritò te plusquam martyrem prædicare possimus, in qua nimirum corporea sensum passionis affectus excessit compassionis*. Idem sentit D. Bonauentura his verbis: *Maria mare est gratiâ affluendo, & amara filio compatiendo, & amarum mare est diabolum submergendo: quemadmodum mare Rubrum amarum fuit Ægyptiis in ipso submersis. O quàm amarum ac timendum est hoc mare Ægyptiis! ô quàm amara ac timenda est Maria dæmonibus! non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, sollicitam imitationem*. Quomodo etiam afflictum fuit cor maternũ tam diuturnâ filij subtractione? *Quantis putas B. Virgo filij doloribus afficiebatur*, inquit D. Hieronymus, *quo amore cruciabatur, dum animo cuncta quæ viderat & audierat reuoluebat?* nimirum quantò ardentior eius erga filium amor, tantò maior fuit ex absentia eius dolor. Ac proinde illud Noëmi attribuitur illi, *Non vocetis me Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde repleuit me Omnipotẽs.* Interim tamen cùm videret filium suum tam graues ærumnas atque incommoda omni vita sua perpessum;

Hieron. Serm. de Assumpt.

Lucæ 2.

Bonau. in Specu. c. 1

3.

Hieron. Serm. de Assumpt.

Ruth. 1.

viciſſim omnem quoq; vitam ſuam ad varias afflictiones præparabat. quibus adeò gaudebat in Domino, vt numquam eas vel penitùs auferri, vel minui ſaltem poſtularit. Vnde liquidò conſtat, quanto errore teneantur, qui ideò ſe à Deo derelictos putant, quòd variis laboribus ac moleſtiis conflictentur, cùm hoc tamen non ſemper derelictionis & iræ, ſed multò magis probationis ac miſerationis diuinæ argumentum ſit. Hinc in Vitis SS. Patrum quidam ex eis adoleſcenti ægroto ſalutem à ſe poſcenti reſpondit: *Rem tibi neceſſariam cupis auferri. Si enim aurum es, per ignem probaris; ſi ferrum, rubiginem deponis.* Quod autem huic vni dictum eſt, omnibus nobis dictum putemus; cùm nemo noſtrûm extra has duas hominum claſſes poni aut velit aut poſſit.

Vide apud P. Herib. lib. 2.

Tertia interpretatio.

Adhæc Maria alia originatione vertitur *illuminata*, vel *illuminans*, ſiue *illuminatrix*. Ita D. Hieronymus, Bonauentura, Iſidorus, Bernard. &c. Qualiter autem illuminata, quantoque prædita lumine fuerit, ſatis oſtenditur in Apocalypſi cap. 12. vbi vocatur *mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens.* Nam hîc deſignari matrem hanc virginem ſancti * Patres aſſerunt, & omnium optimè Bernardus. Illuminata igitur vndique eſt, supernè, infernè, circumſecus, atque intrinſecus vſquequaque. *Supernè*, quia habet in capite coronam ſtellarum duodecim; id eſt, gloriã multiplicem omnigenarum virtutum meritis reſpondentem. *Infernè*, quia luna ſub pedibus eſt, id eſt, militans Eccleſia, quæ mutationi adhuc obnoxia eſt: ei ſiquidem præſidet Maria tamquam Regina; vel, vt Bernardus ait; *Quia defectus omnis ſub ea; & quidquid fragilitatis ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit & ſupergreditur creaturis. In circuitu* quoque, quia amicta ſole, id eſt, corpore glorioſo, quod inſtar ſolis ſplendoribus cælum replet. Denique *intrinſecè*, quia *in vtero habens*, videlicet ſplendorem diuinum, ſiue Dei Filium, qui *ſplendor paternæ gloriæ* vocatur. Porrò illuminata potiſſimùm fuit lumine fidei ſupra omnes creaturas, teſte diuo Ambroſio, Bernardo, Epiphanio. Vnde ſcribit Abulenſis, propter excellentiam huius fidei B. Virginem ab Auguſtino & Bernardo *matrem credentium* appellatam. Sanè cùm plena fuerit gratiâ, quando ab Angelo ſalutabatur; non poterat non plena eſſe fide, cùm tantum creuerit in ea fides, quantum gratia. Idem ſentiendum de dono ſapientiæ, & rerum omnium diuinarum humanarumq; intelligentia, de qua ſic ait Albertus Magnus: *B. Virginem perfectiùs quàm Adamum in ſopore, quàm Ioannem ſuper pectus Domini, quàm Paulum in raptu, cognouiſſe omnia myſteria ſupernaturalia.* & D. Bernardus, *Iure*, inquit, *Maria ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyſſum: vt quantùm ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.*

Hieron. in Epiſt. ad Rom. Bonau. in Speculo Vir. c. 3. Iſidor. l. 7. Etymolo. Bernard. Serm. de Natiuit. Mariæ. Beda in Lucæ 1. Eucherius l. de Alterc. Synagogæ & Eccleſiæ. * Ambro. Areta, Bern Ser. de Verbis Apocal.

Ber. ibid. Hebr. 1. Ambroſ. l. 2. de Virginib. Bernard. Ser. 35. in Cantica. Epiph. Serm. de Laudib. Virg. Abulenſ. par. 1. c. 31. Albet. Mag l. de B. Virg. c. 96. Ber Ser. ſuper *Signum magnum.*

Iam illuminans eidem dicitur ſiue illuminatrix, quia mater eius qui eſt *lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Legimus Deum initio creaſſe *duo luminaria magna: luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti.* Eadem prouidentia idem Dominus ad Eccle-

Ioan. 1. Gen. 1.

Ecclesiæ suæ gubernationem vsus est, cui Solem iustitiæ Christum, tanquam luminare maius vt diei præesset, contulit: Deiparam verò tamquam luminare minus, vt præesset nocti. Certè nocti præfuit cùm viueret, & iam adhuc præesse non desistit: siquidem veram pariens lucem, nempe Saluatorem, dispulit tenebras orbis, tenebras ignorantiæ, tenebras peccatorum. Post ascensionem quoque filij constat ipsam instruxisse ipsosmet Apostolos & Euangelistas, totamque Ecclesiam. Vnde SS. Patres cùm de Virginis laudibus sermonem instituunt, Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolorum principum illius doctricem ac sapientissimam magistram extitisse vno ore contestantur: præsertim D. Ignatius martyr, Bernardus, Anselmus. Quin & D. Ambrosius de Ioanne Euangelista asserit, *mirum non esse præ ceteris locutum fuisse mysteria, cùm ei præsto esset aula cælestium sacramētorum.* Ecclesia quoque orthodoxa vocat illam hæresum omnium interemptricem. *Cunctas hæreses,* inquit, *sola interemisti in vniuerso mundo.* Nimirum quòd exemplo fidei suæ & doctrinâ, qua Apostolis variè instruxit, & in dubijs confirmauit, singulari modo cooperata est ad extirpandos omnes errores. Ita sentiunt D. Athanasius, Hieronymus, Bernardus. Quāquam fatendum est, id alia etiā ratione explicari de ea posse: nempe quia genuit illum qui cùm sit Sol iustitiæ, lucem intulit mundo ad extinguendas omnes hæreses futuras. Deinde, quia ipsa principem tenebrarum conculcauit, qui omnium hæresum est auctor. Denique, quia speciali suo fauore adiuuat fidei defensores, ad omnes hæreses & falsa dogmata confutanda. Ipsa itaque

Ignat. epist. 1. Bernard. Hom 4. super *Missus.* Anselm. de Excel. Virg. c. 7. Ambrof. lib 1. de Institut. virg c. 7. In Offic. Eccles. Athanaf. Serm. de S. Deipara. Hieron. Serm. de Assump. Ber. sup. *Signum magnum &c.*

dum vera fide mundum collustrauit, candelam accendit quam extinxerat Eua mater, quæ densissimas tenebras noctis huic mundo inuexerat. Rectè etiam significatur per candelam illam quæ in Officio tenebrarum Septimanæ sanctæ seruatur accensa, omnibus alijs extinctis. Quæ cùm ita sint, quæcumque vos tenebræ obruāt, Christiani, confugite ad Mariam, petite ab ea lucem gaudij, veritatis, consolationis.

Iam Mariam *dominam* quoque significare, ex Syriaca radice suprà dictum est, & docent D. Hieronymus, Epiphanius, Bonauentura, alijque complures. Itaque salutatur ab Ecclesia *Domina mundi:*

O gloriosa Domina,
Excelsa super sidera. &c:
Aue Regina cælorum, aue Domina Angelorum.

Ita & appellant SS. Patres suprà citati, applicantes eidem illud Ecclesiastici, *In omni populo & in omni gente primatum tenui: & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui.* Hinc nos quoque Belgæ eam amātissimam ac dulcissimam Dominam nostram vocare consueuimus: quin etiā omnibus linguis Christianorum *Dominā nostra* nominatur. Atque optimo iure illa *domina* ab omnibus nuncupari potest: quippe vbi filius est Dominus ac Rex, mater etiam iure gentium Domina sit necesse est, ac Regina. Verba referam diui Ioannis Damasceni. *Maria nomen,* inquit; *Dominam indicat: nam reuera Domina facta est omnium creaturarum, cùm conditoris omnium effecta est mater.* Verba item D. Athanasij, qui sic ait: *Decet te Dominā appellari, quia ex te prodijt Dominus noster.* Sic loquuntur & alij, vt Anselmus, Beda, & Rupertus,

Quarta interpretatio. Hieron. suprà. Epiph. Serm. de Laud. Virgin. Bonau. in Speculo, c. 3. Anselm. de Excel. Virg. c. 7. Eucher. l. 2. Instr. Chrysol. Ser. 146. Eccles. in Offic. Eccli. 24. Damasc. l. 4. de Fide c. 15. Athanaf. Homil. de S. Deipara, prope fin. Anselm. lib. de Excellentia Virg. c. 7. Beda sup. Lucæ 1. Ruper. in Cant. 4.

pertus, cuius hæc est sententia: *Ita coronaberis, ô Virgo, vt in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum. Prædicabitur de te quod sis mater Christi, ac proinde Regina cælorum, totum iure possidens filij regnum.*

At quid hinc discimus, Christiani, nisi venerari studiosissimè Dominam nostram, eiq; seruire ex animo, promptè, fideliter, atque deuotè? præsertim cùm ipse Deus ac Dominus noster tantopere eam veneratus sit eique seruierit. Miratur vehementer D. Bernardus sublimitatem huius Dominæ, quæ maternum ius habeat in Filium Dei, de quo dicit Euangelium, *Et erat subditus illis. Quis quibus*, inquit? *Deus hominibus: Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ.* Miratur similiter S. Bernardinus, *quomodo non omnes aliter genua flectant D. Virgini, cùm ipse Deus omnium cōditor ei subditus fuerit & seruierit, cui tamen seruiunt omnia; Angeli etiam, Cherubini, Seraphini, & vniuersa curia cælestis.* Rectè sibi constat hæc illorum argumentatio: Christus Dominus Mariæ subditus erat: at Christo subdita sunt omnia regna mundi tum cælestia, tum terrestria; ergo Mariæ subdita sunt omnia regna mundi. Anne agnoscimus nostram erga ipsam obligationem? Audeo certò dicere, si fideles atque obsequentes fuerimus, ipsa quoque vicissim, sicut magnæ Reginæ solent, aut Dominæ huius mundi, ingentia nobis dona largietur, quæ magnitudinem eius deceant, & (quod de Rege Assuero scriptum est) *secundùm magnificentiam principalem.* Ipsa nempe est Regina Saba, quæ pretiosa aromata, id est, virtutum ac cælestium charismatum munera, affert in Ierusalem, hoc est, sanctam Christi Ecclesiam: *Et non sunt allata tam multa tamque pretiosa aromata, sicut illa quæ dedit regina Saba.* Ipsa est Regina Esther, cui Rex obtulit dimidiam regni sui partem. Nam, vt exponit Gerson, Deus Opt. Max. regnum potentiæ suæ sibi reseruans, regnum misericordiæ concessit matri, vt diuisum quasi imperium cum ea obtineret. Ac veluti Esther Reginam comitabantur ancillæ duæ, quarum vni innitebatur, altera ponè vestimenta defluentia colligebat: ita Reginæ nostræ famulari debent duplices creaturæ, Angelica & humana, vt explicat Bonauētura. Humana sequitur Dominam suam colligens vestimenta, id est, virtutes & exempla beatissimæ Mariæ: Angelica verò naturæ excellentia præit, sed in gloria eam colit ac veneratur, vt Dominam cælestium, terrestrium & infernorum.

Denique omnium communissima atque illustrissima huius nominis interpretatio est, vt Maria vertatur *Stella maris*; eoque hanc vltimo loco reseruaui. Auctores sunt D. Hieronymus, Bonauentura, Philo, Beda, Eucherius, Isidorus, atque omnium vberrimè & elegantissimè D. Bernardus his verbis: *Loquamur pauca super hoc nomine quod interpretatum Maris stella dicitur, & Matri virgini valdè conuenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicuti sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virginis filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam* per-

Marginalia: Bernard. Hom. 1. sup. Missus est. Luc. 1. — Bernard. Ser. 3. de Nomine Virg. — Esther 2. — 3. Reg. 10 — Gerson. Serm. de Assumpt. — Esther 15 — Bonau. in Speculo. — Quinta interpretatio. — Hier. su. Ps. 18. & l. de Nō. Hebr. — Bonau. in Spec. Vir. — Philo de Nomine Mariæ. — Beda l. 1. in Luc. 3. — Euch. l. 2. Instruct. — Isid. l. 7. Ety. c. 10. — Bernard. Hō 2. su. Missus. — Cur Maria stella maris. 1.

perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.

2. Sicuti etiam stella in altissimo loco constituta est supra omnes planetas; ita beatissima Maria de se ait, *In altissimis habito.* Semper, quoad vixit inter nos, in cælestibus conuersatio eius fuit: & nunc supra omnes Angelorum choros euecta, Deoq; proxima est; nihil vt supra eam sit nisi Deus, infraque sit quidquid non est Deus. Eccli. 24.

3. Hæc quoque est nobilis illa stella matutina, quæ verum nobis Solem adduxit. Nam sicut lucifer solem manè antecedit, & sub vesperam solem consequitur; ita Maria ante incarnationem Solem iustitiæ præcessit, ascendentem verò in cælum sua assumptione subsecuta est.

4. Deinde, quemadmodum stella lucem suam à sole mutuatur, eamque benignissimè hominibus impertitur: ita Maria lumen omne suum à Sole iustitiæ accepit, nobisque illud communicat, vt ipsamet agnoscit in suo Cantico: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* Luc. 1.

5. Stellæ adhæc distinguunt tempora, Scripturâ sic asserente, vt *sint in signa & tempora, & dies & annos.* ita B. Mariæ ortus signum fuit aduentus plenitudinis temporis, & gratiæ nouæ legis. Genes. 1.

6. Ac veluti stellæ tenebris noctis intermicant, ita Mariæ nomen caliginosum hunc mundum, ac tenebris peccatorum inuolutum, fulgoribus suis illustrauit, *quasi stella matutina in medio nebulæ.* De quo sic D. Bernardus, *Tolle,* inquit, *Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni & spatiosi; quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissima tenebræ relinquentur?* Eccli. 50. Bernard. Ser. 2. de Natiuit. Mar.

Maria denique stella est, quæ ductu suo variis huius mundi tempestatibus iactatos gubernat, & ad æternæ felicitatis portum perducit. quod venustè explicat idem mellifluus Præsul, vbi ait: *Ipsa est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis.* quibus videlicet nos ad Christũ ducit. Ac deinde omnes miseros cohortatur, vt in omni ęrumna ac calamitate ad illius opem cõfugiãt, his verbis: *O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbia vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis; respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequẽs non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis: & sic in temetipso experiris quàm meritò dictum sit, Et nomen Virginis Maria.* Hactenus Bernardus. 7. Bernard. Hom. 2. super Missus.

nardus. Ad eumdem modum diuus Bonauentura ex Innocentio III. hanc deducit comparationem. *Quibus auxiliis*, inquit, *possunt naues inter tot pericula pertransire vsque ad litus patriæ? certè per duo, scilicet per lignum & stellam, id est, per fidem crucis & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria maris stella. Tale enim officium est Mariæ, quæ nauigantes per mare mundi in naui innocentiæ vel pœnitentiæ, dirigit ad litus cælestis patriæ.* O quãta igitur huic, quàm latè patet, orbi terrarum lætitia exorta est, cùm tale sidus Mariæ nobis affulsit? Anteà enim sub lege veteri sedebant homines in tenebris & in vmbra mortis: ortâ verò hac stellâ, caligo omnis euanuit. Et sicuti quondam stella Magos perduxit ad Christi præsepe; sic ducit nunc Maria maris stella homines ad portum salutis.

Bonau. in Speculo Virg. c. 3.

Quæ cùm ita sint, nomen Mariæ nomen est salutiferum, nomen mellifluum, nomen sanctum, nomen venerandum omnibus, atque idemtidem inuocandum: nomen quod dæmones terret, lætificat Angelos, recreat peccatores, accendit iustos: gratiosissimum idem atque efficacissimum, vt mũdum exhilaret vniuersum. De hoc alibi D. Bonauentura: *O Maria, quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam deuotè nominari non potest sine nominantis vtilitate? testatur tuus Bernardus dicens: O magna, ô pia, ô multùm laudabilis Maria! Tu nec nominari potes quin accendas, nec cogitari quidem quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine diuinitus insita præmemoria portas ingrederis.* Sic Bonauentura. Sanctus quoque Pater & sapiens, qui se Idiotam nominat, sic eam alloquitur: *Dedit tibi, ô Maria, tota Trinitas hoc nomen, vt in nomine tuo omne genuflectatur. Hoc nomen super omnia nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agonistas, iugum diaboli excutit; tanta denique virtutis est & excellentiæ, vt cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant.* Quanti porrò momenti sit, quantique meriti, piè colere atque inuocare dulcissimum hoc nomen Mariæ (vt alia taceam) patet exemplo Iescionis monachi S. Bertini, cuius epitaphium nuper legi Audomaropoli in tabella basi affixa, ex aduerso sacelli B. Mariæ Virginis, post summum altare. Accidit autem temporibus Theodorici Flandriæ Comitis, sub Leone abbate Cœnobij S. Bertini, anno 1163. Referam breuissimè, quia apud varios Auctores satis est obuium. Consueuerat Iescio ad quinque litteras nominis Mariæ totidem recitare Psalmos quotidie, nempe *Magnificat, Ad Dominum, Retribue, In conuertendo, Ad te leuaui.* quod pietatis obsequium ita Deiparæ gratum accidit, vt post obitum inuenta sit facies eius quinque rosis insignita, quarum vna ex ore, binæ ex oculis auribusq; existebant. Res ad stuporem in propatulo omnibus proposita, & maximi ad spectaculum concursus vndique facti. Conuenêre tres viciniores Episcopi, qui miraculum legitimè examinarunt atque approbarunt, ad laudem & gloriam augustissimi nominis Mariæ, quod elegantissimè insculptum cernebatur rosæ quæ ex ore prodibat. Itaque cuius tam gloriosum cernimus exitum, eius in hoc genere pietatis insistemur exemplum: eius opitulante gratia, qui est Deus super omnia benedictus in sæcula, Amen.

Bonau. ibid. c. 8.

Refertur Tom. 3. Bibliothecæ SS. Patrum.

Vincent. l. 8 Specul. hist. c. 116. Pelbar. l. 7. Stel. p. 1. ar. 3. Petrus Vener. de Miraculis c. vl. Specul. exemp. dist. 9. exẽp. 119 Daueron to. 1. c. 2. ut. 7. parte 3. Anton. in Chronic. Molan. in Natal. SS. Belgi.

CON-

CONCIO XIV.

Et ingressus Angelus.

1. Describitur persona Angeli, qualiter & qua forma sit ingressus ad Virginem.

2. Quale, quamq; efficax nobis exemplum honorandæ Virginis præbuerit.



CHRISTI Opt. Max. in hunc mundum aduentus vsquequaq; amabilis est, ac periucundus: vnde ait Propheta Zacharias: *Lauda & lætare filia Sion: ecce ego venio, & habitabo in medio tui.* & Ioël: *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & fluent colles lac & mel.* Quid mirum si hoc mysterium & dulciter ab Angelo nuntiari, & dulciter magnaque animorum consolatione debeat à nobis commemorari? Missus est itaq; Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, à Rege gloriæ ad cæli terrarumq; Reginam, à cælesti paradiso in terrestrẽ; vt officiosissimè salutaret Mariam, & Regi mox venturo diuersorium designaret. Magni siquidem Principes legatos suos habent, & hospitiorum suorum designatores: neq; hospitantur libenter in paruis tuguriis & casis pauperum: quia non satis loci est Regi & comitatui Regali: & verò vt sat loci sit, nequaquam certè pro dignitate Rex cum suis illic excipi ac tractari possit: quapropter magnificas & spatiosas ædes eligere soliti sunt, aut palatia Nobilium ac Principum virorum, vbi dignè hospitentur. soliti quoque hospitibus suis pro Regia magnificentia xenium dare, aut dona honoraria vel priuilegia conferre. Ita videlicet Rex Regum & Dominus dominantium, aduentum suum in hunc orbem celebraturus, elegit hospitium totius mundi amplissimum ac nobilissimum, nempe Mariæ Virginis vterum, quæ hospita illi fuit adeò gratiosa, nobilis, ac diues, vt cum aliis nullo modo sit conferenda. *Non fuit in terris*, inquit D. Bernardus, *locus vllus dignior virginalis vteri templo, in quo Dei Filium Maria suscepit.* Huc destinauit legatum seu designatorem hospitij sui Deus, vt soli Regi reseruaretur: omnes enim aliæ hominum mansiones nimis paruæ & exiles & rerum omnium egenæ erant, quòd primi parentes nos omnes ad miserandam redegerint paupertatem, excepta sola Virgine gloriosa. Porrò, quando hoc hospitium ingressus est, singularia dona ei contulit, maternitatem cum virginitate, summam dignitatem cum perfectissima humilitate, fecunditatem cum integritate, hoc est, quasi annulum cum gemma pretiosa peritissimè inclusa. Nunc vt ad rem veniamus, & rectè atque ordine in hac sacrosancta incarnationis historia progrediamur, duæ personæ nobis hoc loco atque in his verbis Euangelij considerandæ sunt, altera Gabrielis Archangeli, qui ingressus scribitur ad Virginem; altera ipsius Virginis, quam reperit domi clausam in cubiculo. Ac de Virgine quidem clausa, quid tunc egerit, dixerit, cogitarit in articulo tanti mysterij, commodiùs dicemus proxima Concione: iam quomodo & qua forma sit Angelus ingressus, exequamur. Hoc primùm. Deinde videndum est, quale quamque eximium nobis dederit honorãdæ Virginis exemplũ.

Zachar. 2
Ioël. 3.
Bernard. Ser. 1. in Assumpt.

AVE MARIA.

QVò meliùs percipere possimus modum admirandæ huius annuntiationis per Angelum, sciendum est, Angelorum naturam tantæ esse vir-

De promptitudine & agilitate Angelorum.

virtutis, vt nulla corporea mole aut obice impediri possint, quò minùs seipsos vbicumque voluerint ilicò præsentes exhibeant. Ita legimus, quamprimùm Deus præcepit, Angelum astitisse Agari in deserto, Abrahamo in monte, Moysi in via, tribus pueris in medio fornacis, Danieli in lacu leonum, ad quem Habacuc momento temporis, apprehēso capitis capillo, transtulit: ita etiam rapuisse Philippum è deserto in Azotum, ita liberasse Apostolos Domini è vinculis, ita Petrum solum custoditum insuper à quatuor quaternionibus militum duxisse è carcere & ciuitate. Eadem igitur vi ac celeritate Angelica mox vt Angelus Gabriel in Consistorio sanctissimæ Trinitatis intellexit mandatum, credimus momento temporis aduolasse in Galilæam, ad Virginem abditam in cubiculo, & ingressus ad eam scribitur & locutus. Verùm enimuerò cùm omnes aliæ circumstantiæ, quæ in hac Euangelica narratione attinguntur, & à nobis hactenus sunt explanatæ, satis veritati congruere noscantur; hanc postremam quomodo assequemur de ingressu & locutione Gabrielis, cùm Angeli non habeant corpora, vt videtur? M. Tullius, alijq; docent *primam historiæ legem esse veritatem:* fieri enim alioqui non potest vt *sit testis temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vita, nuntia vetustatis*, si veritate non nitatur. Hinc Poëtarum narrationes de diis & antiquis temporibus, non historiæ propriè sed fabulæ sunt. Propriè, inquam; quia si etymon spectes, historia ab ἱστορεῖν ducta, cognitionem quamuis seu narrationem significat; sed propriè & verè historia non est, si desit lex veritatis. Quid mirum si Poëtæ fabulas suas vel acroamata mirabili venustate conuestiunt & ornant, vt probabilis, vera, vel certè verisimilis narratio videatur? Veritatem hanc historiæ propriam cupiunt fingere & ostentare, quam reipsa non habent. Contrà verò historia hæc ornamenta & phaleras non quærit. nuda & simplex veritas fucum nō amat. vnde illud Euripidis: Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, *simplex est sermo veritatis*, mendacium verò multiplex. & illud D. Augustini: *Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorū, quam Helena Græcorum.* Historia denique est quasi matrona venerabilis, & suapte naturâ formosa, quæ fucum, cerussam & stibium non requirat, neque odoramenta musci, neque vlla pigmenta. Quærant ea feminæ, quæ naturalem pulchritudinem non habent: historia satis venusta est si vera; sin autem, iam historia non est. Quæ cùm ita sint, vt ad propositum veniamus, quomodo constabit huius historiæ veritas, si Angelus verè ingressus sit ad Virginem, & ab ea discesserit, & locutus fuerit aliquoties? nam ingressus, & egressus, & locutio, corporei sunt motus: Angelis autem vnde corpora?

Gen. 16. Gen. 22. Exod. 4. Dan. 3. Dan. 14. Act. 8. Act. 5.

Prima lex historiæ veritas. Cicer. 1. de Legib. idem l. 2. de Orat.

Vide Ambros. Marcell. lib. 14. Aug. in epist. ad Hieron.

Credimus certè quidem Angelos esse spiritus quosdam sempiternos & immortales, cælestes, propè diuinos. Eorum locus est cælum empyreum, vbi tamquam præsides orbis ab Imperatore Deo collocati sunt. Eorum diuitiæ thesaurus quidam est sapientiæ infinitæ. Eorum officium est perpetuò amore Creatoris ardere, eius pulchritudinem & magnitudinem admirari, & laudare, & semper cum stupore clamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth,*

De excellentia Angelorum.

Isa. 6.

baoth, &c. Adhæc naturâ præstantissimi sunt & pulcherrimi, vt meritò homines cùm aliquem à pulchritudine laudare volunt, eum Angelicam faciem habere dicant. Meritò quoque D. Ambrosius Angelos florem vniuersitatis appellandos putauit. Potentiâ verò tantâ sunt, vt vnus eorum pænè in púcto temporis centum & octoginta quinque millia interfecisse legatur. Tales deniq; oratores sunt, vt cùm volumus magnú oratorem nominare, dicamus illum habere linguam Angelicam. His ita suppositis, dicimus vnum ex Angelis huiusmodi missum ad Virginem, vt ei reuelaret altissimum Dominicæ incarnationis arcanum. At quomodo facta est hæc reuelatio, ánne corporaliter? D. Augustinus tradit, Angelos tribus modis solere hominibus reuelationes diuinas offerre: Primò, mentis oculis siue intellectualiter, vt quando Iosepho reuertenti ex Ægypto indicauit Angelus ne rediret in Iudæam; quod intellectualiter factum interpretatur Toletus. Secundò, per imaginationem ac phantasmata, vt in somnis fieri solent apparitiones. Tertiò, corporaliter ac sensibiliter, vt in hoc Euangelio *Missus est:* ac tum Visio appellari solet. quæ quidem visio rursum fit multipliciter. Primò, per solas voces in aëre formatas, sicut Angelus apparuit Abrahæ, quando clamauit, *Abraham, Abraham, ne extendas manus super puerum.* Deinde, quando pars aliqua corporis apparet, vt accidit Baltassari, quando vidit extrema digitorum humanorum scribentium in pariete, Mane, Thecel, Phares. Tertiò, quando apparet in specie animalis alicuius, & corporis non humani, vt apud Ezechielem apparuit in specie leonis, vituli & aquilæ; & alibi in specie ignis. Quartò, quando apparet in figura humana integra, sicut Raphaël multis diebus apparuit Tobiæ, & locutus est cum illo in via. Talis videlicet, corporalis ac perfecta, fuit apparitio quæ facta núc est beatissimæ Virgini: quia ingressus dicitur Angelus ad eam, & locutus, ac denique discessit ab ea. Quàm mirabilis Dominus Deus noster, qui tales ac tam potentes habet suæ voluntatis administros! O beatos nos, quando exuta omni mortalitate ista, & immortalitate induti rapiemur obuiàm Christo in aëra, & similes erimus his beatis Angelis in cælo! Sed iam vlteriùs nobis inquirendum est, an igitur habeant Angeli corpora, eaque an à natura sint, an arte & solertiâ Angelica formentur?

Fuerunt grauissimi sanè Doctores, qui affirmarent Angelos habere propria quædam subtilissima corpora, vt Origenes, Tertullianus, Basilius, Lactantius. D. Bernardus vult à se non quæri, mauultque ignorantiam suam fateri, quàm temerè in re difficili quippiam diffinire. Sed & hoc ingenij sui vires excedere putat D. Augustinus, vt qui tam bonos quàm malos spiritus subtilia corpora, & quæ magis ad agendum quàm patiendum sint apta, dicat habere, Philonem secutus, & alios iam citatos Auctores. Verùm contraria sententia communis est, omni corpore Angelos exuentium, vt in primis D. Dionysij, Chrysostomi, Cyrilli, & omnium pænè aliorum tum Philosophorum tum Theologorum. Et manifestè probatur Primò, ex Scriptura sacra: *Qui facis Angelos tuos spiritus*, inquit Psalmista. Id est, ex spiritibus tuis innumeris, Angelos facis

Marginalia (left): Apud Bellar. Conc. 1. sup. *Missus est.* — 4. Reg. 19 — *Quomodo fiant reuelationes.* — Aug. l. 2. de Genes. ad lit. c. 7. — Matth. 2. — Gen. 22. — Dan. 5. — Ezech. 1.

Marginalia (right): Exod. 3. — Tob. 5. — *An Angeli habeant corpora.* — Orig. l. 2. Per c. 2. 3 — Tert. l. de Carne Christi. — Basil. l. de Spiritu s. — Lact. l. 2. Diuin. instit. c. 15. — Bernard. Ser. 5. in Cant. — Aug. l. 3. de Trin. c. 1. & l. 2. de Gen. ad lit. c. 7. — Philo. l. de Opif. 6 dierú. — Dionys. Cælest. hier. c. 1. — Chrysost. Hom. 22. in Genes. — Cyr. l. 4. in Ioan. c. 10. &c. — Psal. 103

Ioan.4. facis tibi & ministros. Sic D. Ioannes Euangelista, *Deus spiritus est*. Atqui Deus vt Deus corpus non habet: ergo neque spiritus habent corpora.

Marc.5. Sic apud Marcum, in terra Gerasenorum occurrit Christo dæmoniacus, qui tamquam alter Samson omnia vincula rumpebat quibus sæpè vinctus fuerat, omnes catenas & compedes: & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat clamans. *Videns autem Iesum, encurrit & dixit: Quid mihi & tibi, Iesu fili Altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei, Legio mihi nomen est quia multi sumus.* Legio verò, vt veteres tradunt, continebat sex millia, sexcentos, sexaginta sex milites. Quomodo, si corpora essent, tot poterant dæmones in vno corpore commorari?

Varro lib. 4. de Lingua Latina.

Rationibus idem demonstratur.

1. Primò, quia neque subsistendi, neque intelligendi, neque seipsos mouendi gratiâ vllo corpore indigent: proinde frustrà iis corpus attribuitur.

2. Adhæc, constat Dei perfecta esse opera: non esset autem vsquequaque perfectio vniuersi, si non essent aliqua spiritualia.

3. Denique, cùm mundi opifex Deus rebus corporeis similitudinem sui indiderit in substantia siue in esse, rebus aliis spiritualibus communicari oportuit substantiam siue esse spirituale, quandoquidem ipse spiritus est. Itaque ad institutam quæstionem breuiter respondemus, Angelos à natura non habere corpora, sed assumere & formare sibi, vt legatione aliqua fungantur. Ita quippe apparuerunt Abrahæ, promittentes ei filium, & cum eo accumbentes, quibus ipse pedes lauit, qui & comederunt & biberunt in ædibus ipsius. Ita & Lot apparuerunt, volentes apud eum diuersari. Ita & Tobiæ in tam longo itinere, comedendo & bibendo, & quaquauersus ambulando & colloquendo. Vt verò hæc munia præstarent, nónne oportuit corpora sumpsisse? Iacob etiam cum vno luctatus est, & neruus ei vnus emarcuit. quod vtique fieri non potuisset, si corpus non habuisset Angelus quo apprehenderetur. Neque potuerunt hæc esse mera phantasmata: facilè ex certis illis actionibus deprehendi potuissent. In nouo Testamento cùm diabolus Christum tentauit, cùm ei Angeli posteà ministrarunt, cùm Angelus in horto Dominum suum consolatus est, an non corpora habebant? Quòd si vana specie & illusionibus erga Christum Dominum vsi fuissent, nónne statim agnouisset, sibique fictionem displicere ostendisset? Quare hac quoque ratione Archangelus Gabriel suam legationem adornauit, & Reginam suam salutaturus, quanta potuit obsequij congruentia eam veneratus est. Summa profectò tam felicium ac cælestium spirituum in nos beneuolentia, qua nos vilissima mortis ac pulueris mancipia tam humaniter inuisere, & ad nostrum captum seipsos demittere non dedignantur. Erubescant aliqui nobiles qui rusticos, & diuites qui pauperculos, velut pedum suorum puluerem aspernantur. Summa quoque & gratissimis animis prosequenda Dei bonitas ac prouidentia, qui tales ad nos ministros è cælesti curia destinat; atque vt hominibus, quoad fieri potest, se accommodet, iubet eos quasi corporatos & carne tectos hominibus apparere; atque ita conuenientiùs diuina

Gen. 18. Gen. 19. Tob. 5. Gen. 32. Matth. 4. Luc. 22.

uina

uina negotia cum illis pertractare.

Vnde corpora sibi forment Angeli. Si iam quæras, vnde & quomodo sua corpora Angeli assumant: respõdetur, Ex elementis inferioribus: plerumque tamen non ex aqua & terra; quia non ita subitò possent ex hominum sensibus se subducere, vti solent Angeli se nostris oculis subtrahere: neque ex igne; quia circumquaque cuncta depascerent: sed ex aëre, quem sua virtute condensant, & ad quascumque volunt formas componunt, vti docet D. Thomas & alij. *D. Tho. 1.p.q.51. ar.2.ad 3.* Quid ni enim ex aëre & vaporibus vnà cum exhalationibus breuissimo tempore corpora pulcherrima possint Angeli effingere? Quomodo nix aut grando in illa frigida regione formatur? Factis namq; corporibus, facile quoque ipsis est adhibere colores, & lumē & optimam proportionem, id est, summam pulchritudinem (nihil quippe aliud est pulchritudo, quàm huiusmodi colorũ proportio) atq; ita mortalibus apparere & mira facere, perinde quasi corporei essent. Vbi verò semel assumpta corpora fuerunt, non perpetuis temporibus retinentur, sed statim postquam munia sua expleuerunt deponuntur, & in priorem formam, non iam Angelorum aut Dei virtute, sed naturali prorsus, redeunt, non secùs atque calefacta aqua infrigescit.

Cur Angeli formas corporales assumant. Porrò si causas indagare velimus, ob quas Angeli in peregrinis se corporibus exhibent, illæ certæ & magnæ & multæ sunt. Et primò quidem propter se his corporibus non indigent: quia feliciores non sunt cùm habent, nec deterioris conditionis sunt dum carent. Deinde, non quia hac ratione faciliùs vel Dei consilia hominibus innotescunt, vel ipsius decreta finem suum commodiùs consequuntur. Omnis igitur ex hominibus quibus apparent petenda ratio est, cur his vel illis formis appareant. Itaque Primò diuo Augustino, ac D. Thomæ placet, vt veteris legis apparitiones quoddam indicium esse dicamus assumendæ olim per Dei Filium naturæ humanæ: quasi his tamquã obscuris signis antiquitas illa fuerit instruenda, vt de Filio Dei faciliùs crederet, quod Angelici spiritus quodam modo effingerent ac demonstrarent. *Aug. l. 3. de Trin. Thom. 1.p.q.51. ar.2.ad 1.* 1. Sed & futuræ societatis quæ nobis in illa vita communis esse debet cum Angelis, non leuia fuerunt argumenta; ne impossibile iudicaremus, quòd cum Angelis communem quandoque vitam acturi essemus in cælo; quando & ipsi cum hominibus eamdem quasi vitæ conditionem in hoc infelici rerum statu subire voluerũt. 2. Quid, quòd naturæ nostræ conditio id postulare videbatur, vt mens nostra corpori quasi carceri inclusa, corporeis etiam argumentis promoueretur, eoque duceretur & assurgeret externo Angelorum ministerio, quò per se vix penetrare posset? 3. Accedit, quòd & religionem & sinceram pietatem hæc ratio apparendi non parum promoueat, diuinamque clementiam, & erga genus humanum liberalitatem egregiè commonstret; quando naturæ ordo quasi interturbatur, vt rebus nostris commodiùs consulatur. 4. Vt pauca de multis exempla tangam è sacris voluminibus, sic visi memorantur spiritus illi, quasi corpora quædam, vt afflictos erigerent & consolarentur, *Gen. 22.* vel vt itineris se duces & comites præberent, *Tob. 6.* vel vt vim elementorum, ne piis obessent, frangerent; *Daniel. 3* vel vt 5. im-

4.Reg.19 impiorum conatus retardarent, & peccata vlciscerentur; vel denique (alijs causis prætermissis) vt Dei voluntatem hominibus reuelarent, sicuti in hoc Euangelio nostro deinceps perspicuum fiet. His igitur quæstionibus ita prælibatis, ad personam Archangeli Gabrielis propiùs intuendam accedamus.

Luc.1.

Angelus Gabriel in specie lucida ac iuuenili ingressus est.

Aug.l.12. de Gen. ad litt.c.7 & seq.

Assumpto in hunc modum corpore describitur à D. Augustino Angelus ad Virginem ingressus *specie pulchra, facie grauitatem præferente, comitate conditam, maiestatem humilitate temperatam, lætitiam sine insolentia.* Quid ita? rectè in omnibus quod decorum & honorificum esset personæ suæ, virginisque exequi debuit. Itaque effecit vt primò claritas magna refulserit in cubiculo, vt Angelus lucis à Deo missus significaretur, & ad verba Angeli suscipienda magis Virgo disponeretur. Sicuti de Angelo Natiuitatis scribit D. Lucas, *Et claritas Dei circumfulsit illos.* Et in Actis Apostolorum Angelo ad Petrum veniente *lumen refulsit in habitaculo carceris.* Deinde cogitandus est Gabriel cubiculum ingressus motu gressuque corporali, specie iuuenili & coruscanti. Ita enim describit D. Bernardus: *Clauserat suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis: cui in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia,* &c. Vbi obseruandum quòd ait, *non Angelis.* Nam licet Andreas Ierosolymitanus scribat Angelum modestè ostium aperuisse, hoc certè non erat necessarium, inquit Bernardus: quia Angelis nihil clausum est. Ita & D. Augustinus beatissimam Virginem loquentem inducit: *Venit ad me Archangelus Gabriel, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis.*

Luc.2.
Act.12.

Bernard. Hom.3. sup. *Missus est.*

Andr.Ierosol.Ser. de Ann.

Augast. Serm.14. de Nat. Domini.

Idem tradunt Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Eusebius Emissenus Chrysologus, Laurentius denique Iustinianus, cuius hæc sunt verba: *Insolito fulgore vestitus Angelus in humana effigie descendit ad Virginem.* Ex quibus omnibus asseritur in primis venisse Angelus in corpore humano; Deinde, in specie iuuenis pulcherrimi; quia hæc ætas florida est, atque in ea solent Angeli depingi; tertiò, in habitu splendido, ob lætitiam, Virginisque reuerentiam.

Orig. Hom.4. in Luc. Amb.l.1. de Of.c.8 Hieron. epist. 7. ad Lætã. Euseb. Emiss. Hom. su. *Missus.* Chrysol. Ser.140. Laur. Iust. Ser. de Ann.

At hîc dubium cuipiam esse possit, an B. Virgo etiam pulcherrimam Angeli substantiam viderit intellectuali visione seu oculis mentis? Nam D. Thomas id negat, Quia hoc, inquit, non patiebatur status hominis viatoris, vt Angelum per essentiam videret. Vbi indicat, non solùm non vidisse Angeli essentiam, sed neque videre ordinaria lege potuisse. Verùm ex priuilegio quis dubitet hominem non essentiam solùm Angeli sed etiam Dei posse cernere? Hoc itaque priuilegium Virgini concessum verisimiliter concedit Albertus Magnus, ac D. Athanasius siue quisquis auctor est Quæstionum ad Antiochum. Verba Alberti sunt. *Fuit*, inquit, *in Virgine anima sua & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositiue per naturam, completiuè per gratiam; & secundùm hanc vidit Angelos, & animas, & dæmones.*

An diua Virgo viderit Angeli essentiam.

D. Tho. 3.p.q.30. ar.3.ad 1.

Albertus Mag sup. *Missus est* c. 149. Athanas. q. 12.

Qua re sic constituta, quærere hîc etiam possumus, præsertim si Virgo essentiam Angeli cernebat, quid opus erat assumpto corpore humano, iuuenili, splendido? Quia nimirum cùm omnis apparitio debeat vel intellectualiter, vel imaginatiè, vel corporaliter inuisibile illud declarare quod annunciatur, vtique necessarium erat, vt

Cur decuerit Angelum apparere in corpore humano.

vt hæc præstantissima visionum optimè rebus corporeis & personis, de quibus fiebat, congrueret. Ita sentit D. Thomas, alijque Doctores. Ac primò quidem optimè id personæ conueniebat quam Angelus annuntiabat, nempe Christo Deo & homini, qui non rectiùs quàm humana specie repræsentari potuisset. Sicuti enim Deus inuisibilis carnem visibilem assumpturus erat, sic ad huius rei declarationem Angelus inuisibilis debuit formam assumere in qua visibilis appareret. Vnde & D. Matthæo Euangelistæ, qui ceteris plura de incarnatione scripsit, ab eaque Euangelium suum orsus est, inter Euangelistarum symbola facies hominis attribuitur.

D.Tho. 3.p.q.30. ar. 3.

1.

2. Erat etiam hic modus reuelationis suauior & humanæ naturæ accommodatior, quoad personam Virginis ad quam mittebatur; vt illam pulcherrima & suauissima visione non solùm in mente, sed etiam corporeis sensibus recreare & corroborare posset; vtpote quæ non in mente solùm sed in vtero corporeo Filium Dei erat conceptura. Quin & hoc Gabrieli familiare fuisse erga B. Virginem, D. Ambrosius insinuat his verbis: *Hac ad ipsos Angeli ingressus inuenta domi in penetralibus: & Gabriel eam vbi reuisere solebat inuenit: & Angelum Maria quasi non incognitum audito nomine recognouit.*

Amb.l.2. de Virg.

3. Consentaneum item personæ Angeli fuit, cùm & aliæ Angelorum apparitiones in veteri Testamento, vt dictum est, in specie humana sint factæ.

4. Adhæc, mysterium annuntiationis hac ratione certiùs ac perfectiùs D. Virgini innotescere debuit: *Quia quæ sunt oculis subiecta, certiùs apprehendimus, quàm ea quæ imaginamur*, Vt ait D. Thomas suprà. Adde, quòd quæ sensibilia sunt, manifestiora sint, minusque in ijs decipimur. Quare vti res erat maximi momenti, & ad credendum difficillima quæ nuntiabatur; ita reuelatio efficax & sensibus patens erat quàm aptissima.

Denique etsi intellectus & imaginatio potentiæ altiores sint quàm sensus exterior; tamen *excellentior est prophetia*, teste D. Augustino, *quæ habet simul intellectualem & imaginariam visionem, quàm illa quæ habet alteram tantùm:* Beatissima autem Virgo non solùm percepit visionem corporalem, sed etiam superioris ordinis intellectualem. Quare hæc & nobilissima & congruentissima reuelatio fuit. 5.

Aug.l.12. sup.Gen. c.9.

Sed addamus ad extremum cur in habitu splendido apparere oportuerit. Primò quidem, quia maximus splendor eam decebat legationem, ex qua totius orbis splendor est ortus.

Cur in habitu splendido. 1.

De Angelis resurrectionis Dominicæ testibus scribit D. Lucas: *Duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti.* Quòd si feminis illis fulgentes apparuerint Angeli, cur non augustissimæ Virgini? 2.

Luc.24.

Legati, reuerentiæ causâ, pretiosissimas induunt vestes, cùm Regem ad quem mittuntur sunt allocuturi: ita noster cælicus Orator ad mundi Reginam venerandam atque alloquendam destinatus, radianti sese amictu exornauit. Forsitan etiam tam admirandæ legationis ministrum Gabrielem multi alij comitabantur absque corporibus Angeli: quorum omniũ substantias Virgo sanctissima, incredibili cum lætitia vidit. Quin etiam D. Chrysostomus hîc monet, volitantem illum à pictoribus delineari, nobis-

Chrysost. Hom. de Incomp. Dei nat.

nobisque repræsentari, non quòd reuerà pennatus fuerit, sed vt illum è supremo domicilio, & cælesti collegio ad terram nostri causâ delapsum, gratis animis recolamus. vnde & Chrysologus: *Ad Virginem Deus aligerum portitorem mittit.*

Chrysol. Ser. 142.

Secunda pars de imitando Angeli exemplo.

Vt iam ad secundam propositi nostri partē veniamus, discamus hinc maximam Virgini matri reuerentiam, exemplo Archangeli Gabrielis, exhibere, & summa cum submissionis ac deuotionis significatione ad eam salutandam atque inuocandam accedere. Discamus multa bona opera ad honorem eius perficere, Festa eius officiosissimè colere, nullum denique diem prætermittere, quo non certum aliquod obsequij genus illi deferamus. Discamus, iuxta D. Bernardi monita, *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc venerari, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Vt autem nonnihil ponderemus hæc vltima eius verba, quid est, obsecro, illud totum quod nos voluit habere per Mariā? Anne quòd ex ea nobis nato Saluatore, omnia quæ Saluatoris sunt ab ea accepimus? Anne, quòd eius interuentu omne bonum ad nos cælitus descendit? Profectò qui in Regis aula matrem haberet tantæ auctoritatis, vt nullam ab eo vereretur repulsam; maximis insuper diuitiis circumfluentem, suiq; amantissimam: nónne is certum auxilium in suis negotiis spondere sibi audeat? nónne quiduis impetraturum se confidat? Talem videlicet matrem habemus in cælis, de qua D. Bernardus ait: *Totum nos habere voluit per Mariam.* quasi reuerà ipsa sit Reginā & rerum omnium administratrix, vti est, tali honore tantaque auctoritate in illa curia, vt Rex subditis seu amicis suis nihil donet nisi per manus Mariæ. Discamus ergo frequēter ac suppliciter fusis ad eam precibus recurrere: profiteamur libenter eius potestatem, optimamq; voluntatem seu pietatem, qua nobis gaudet succurrere: hoc enim inter cetera non exiguæ venerationis indicium erit, ac summæ opinionis, quam de eius potentia ac liberalitate cōcipere possumus. Maximè verò ei Rosarium quotidie, id est, Angelica salutatio cum Angelo Gabriele paranympho eius offerenda; vtpote longè longeque gratissima, tum quia à sanctissima Trinitate profecta, tum quia maximas eius laudes complectitur, quibus iam delectatur, tametsi tunc *turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio:* tum denique quòd per illam diuinitus in Dei matrem est prouecta. Quàm gratus solet esse Regi aut Reginæ nuntius, qui primus nuntiat illorum electionem? Ita scilicet auribus Deiparæ iucunda accidit Gabrielis gratulatio. Quàm gratæ solent esse litteræ quibus Rex aut Regina declaratur summo totius populi applausu? Talis epistola est Angelica salutatio; tantopere hæc eadem ratione Reginæ placet. Placet hæc eadem præpotenti Deo, cuius incarnatio hîc commemoratur, & redemptio generis humani, & sæculi renouatio. Nobis denique etiam supra modum placere, & frequens in ore, frequens in corde versari debet: siquidem Angelici muneris est eam recitare. Hoc pacto item honoramus matrem nostram; Deumque ipsum, cui de beneficio incarnationis seu redemptionis mundi gratias debitas rependimus.

Bernard. Serm de Natiuit. Virgin.

Queris

Qualiter Angelica Salutatio recitãda.

Quæris fortè, quomodo ad eam recitandam te accinges, qualiter proferenda est. Angelum imitare: attentè, piè, magno cum sensu, feruenter ac frequenter: denique profundissima cum reuerentia & humilitate alloquenda & obsecranda est Regina cælorum, de rebus videlicet maximi momenti quæ in hac salutatione tractantur; eiusque auxilium efficaciter implorandum nunc & in hora mortis. Quomodo non sit nobis cordi talis oratio? Præcipuè verò puritate cordis opus est, siue conscientia pura & pacata. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, vt in sacris eloquiis est. Et: *Cùm extenderitis manus vestras*, inquit Dominus, *auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, id est, peccato. Deinde: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. quiescite agere peruersè, discite benefacere*, &c. Denique, cùm sit Angelicum officium D. Virginem salutare, Angelis puritate similes sint necesse est, qui munus eorum congruenter velint obire. Contrà verò siquis ferculum pretiosum ac delicatum Reginæ offerat, sed in lance fœtida & sordida, erit ille gratus? Apage hinc cum tuo cibo, dicet Regina. quãtumuis enim bonus sit, nequaquam in tali disco offerendus est. Hac quidem ratione adolescentem quemdam perditum ad meliorem frugem à beatissima Virgine quondam reuocatum auctor est Albertus Castellanus, ac post eum Guilelmus Baldesanus. siquidem oblatum sibi per quietem à Deipara huiusmodi ferculũ cùm asperraretur, Ad eumdem modum, ô fili, inquit illa, preces Rosarij tui, quod quotidie percurris, mihi gratissimæ sunt: sed animus impurus cùm sit à quo proferuntur, auersioni mihi sunt atque horrori. Quibus verbis ita permotus est adolescens, vt continuò nouam & meliorem viuendi rationem iniuerit.

Eccli. 15.

Isa. 1.

Albert. l. de Rosario.

Baldes. lib. 3. de Virt. adol. c. 12.

Quando recitãda.

Quæris etiam quo tempore potissimùm sit hæc Salutatio Angelica recitanda. Respondeo, Inprimis manè circa horam sextam, & circa duodecimam meridie, & circa sextam vesperi, signo campani æris audito, vetus esse Ecclesiæ institutum salutare Mariam Virginem, vt renouati per incarnationem sæculi memoria sæpiùs refricetur. Incertum enim qua hora præcisè illa contigerit; etsi vno ex tribus illis temporibus contigisse meritò credendum est. Parum certè pius sit, qui non soleat tunc caput aperire, procumbere etiam in genua (nisi sit foris in plateis) venerando optimam hanc matrem, eiq; summum omnium beneficiorum in memoriam reuocando his verbis: *Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu sancto. Aue Maria*, &c. Qui profectò mos ita iam inter Christianos corroboratus est, sonante dictis temporibus cymbalo, vt vbique locorum & gentium à sinceris fidei cultoribus trina vt minimum salutatione Deipara honoretur. Adhæc parentes nostri crebrò, vt par est, salutantur, ad omnem occursum & congressum; sed præsertim diluculò, nec nõ exacto iam die, cùm ad somnum concedimus. Ita æquissimum est salutari à nobis dulcissimam hanc parentem, nominatim manè ac vesperi, in sacro Missæ Officio quotidie, Dominicis verò festisque & præcipuè D. Virginis solemnibus Feriis, ratio postulat vt libera-

X

beraliter atque effusè id officij præstetur. Omnes denique in vniuersum qui Christi nomine censentur, summi, medij, infimi, senes ac iuuenes, viri pariter ac mulieres, hanc partheniam Salutationem in Rosario multiplicare quacumque occasione studiosissimè contendant. Neque verò pudeat viros Rosaria circumferre: quia qui hanc matrem erubuerit (dicam fidenter) non habebit Deum patrem. At quemadmodũ qui torques aureas è collo gestant, signa nobilitatis gestant: ita qui Rosariis insigniri amant, nobiles Deiparæ censendi sunt. Sanè ipsa in suo Cantico de semetipsa vaticinatur, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* quæ prophetia si implenda est, vt æquum est; necesse est omnes homines eam venerari ac laudare. Cœpit quidem Angelorum generatio in paranympho Virginis Gabriele: secuta est mulierum in Elisabetha, dum ibidem ait, *Beata quæ credidisti, benedicta tu inter mulieres*; & in altera muliere quæ dixit, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Sequi debent omnes generationes, etiam virorum, non dico Iudæorum, Turcarum, Gentium, hæreticorum, hypocritarum (qui summa potiùs ignominia & blasphemiis eam afficiunt) sed omnium orthodoxorũ.

Luc. 1.

Luc. 11.

Quocircà peruersè agunt qui præ nimia sapientiæ aut sanctimoniæ specie, præ nobilitate aut magnificentia status sui, vel ipsi non recitant, vel recitantes rident. Quantò meliùs de ea re sensêre viri sanctissimi, ac præclarissima Ecclesiæ lumina, diuus Augustinus, Athanasius, Bernardus, Franciscus, Dominicus, aliique innumeri, qui laudatissimam hanc salutandæ Virginis consuetudinẽ tantopere celebrarunt; ac proinde frequenter in periculis aut calamitatibus præsentẽ D. Virginis opem sunt experti? Vnde & illud S. Bernardi, *Oportet vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus.* Thomas à Kempis, eximia vir pietate, ac sapientia, de seipso commemorat, quemadmodum dæmon de nocte orantem terrere consueuerit ac varia spectra obiicere: sed cùm Angelicam Salutationem tremula voce ei opponeret, horrendo cum murmure in fugam sit conuersus. Denique Anselmum audiamus, ceteris Virginis miraculis periucundam hanc narrationem inserentem. Peregrinus quidam, quòd sanctissimam Christi matrem ardentiùs amabat, Gabrielis illud Aue, & quæ sequuntur, assiduè repetebat, ac sine fastidio. Cumque viam faceret, prædones in siluis eum adorti sunt ac trucidarunt, pecuniæ cupiditate, quam habere suspicabantur; ibidem corpus humo raptim obruentes, baculum illius, memoriæ causâ defigunt in tumulum. Hic paulò pòst, Deiparæ meritis germinans, ramos frondesque profert; ac missa in os defuncti radice fit ingens arbor ac speciosa, sub qua postmodũ dum quiescit viator nescio quis, aduertit cum stupore foliis arboris insculptum Mariæ nomen, atque Angelicæ salutationis initium. Confert cum vicinis loci. comperit interfectum ibi quondam peregrinum Virgini addictum, cuius baculus humi fixus in arborem excreuisset. Itaque humo altiùs effossa cadauer adhuc integrum reperiunt, & radicem arboris ad os ipsius pertingentem. Agnita est & palàm deprædicata hęc pietas, & salutãdæ Virginis studium. Quare actis Deo gratiis, locus ille reli-

Bernard. Ser. 1. su. *Salue Regina.*

Thom. Kemp. Par. 3. Serm. ad Nouitios

Anselm. lib. Miracul. c. 17.

reli-

religiosissimè deinceps frequentari cœpit, plurimis etiam miraculis clarus. Mirabilis Deus in omnibus operibus suis, ac nominatim in cultu ac veneratione matris suæ, cui sit honos, & potestas, & gloria in sæcula sempiterna, Amen.

CONCIO XV.

Ingressus Angelus ad eã dixit.

1. *Captandam solitudinem, animiq́; collectionem exemplo Deiparæ.*

2. *Studium orationis, lectionis sacræ, meditationis exemplo eiusdem frequentandum.*



AVDIVIMVS hactenus, quo tempore diuinissima hæc legatio sit instituta, *In mense autem sexto.* Deinde, quare debuerit mysterium hoc annuntiari, *Missus est.* Tertiò, cur per Angelum. Quartò, cur per Gabrielem. Quintò, à quo & quare missus hic incarnationis nuntius, *à Deo.* Sextò, quò & ad quam legatio destinata, *ad Virginem*, &c. Septimò, vidimus etiam Concione proxima, id quod in posterum prosequendum est, quemadmodum cælestis paranymphus officio suo fungi cœperit, honoris causâ formato corpore humano, iuuenili, splendido: *Et ingressus Angelus ad eam dixit.* Duæ namque personæ hoc loco nobis describendæ erant, Angeli ingredientis, & Virginis in cubiculo orantis: vtriusq; item actiones & mores & verba. Ac de Angeli quidem persona satis dictum opinor Concione V. VI. XIV. Multa quoque circa personam Virginis explicata sunt; tametsi dicenda restent multò plura. Quid mirum? *Hoc non aliud esse reor* (vt Bernardi verbis vtar) *nisi quòd Sapientia seu mulier illa fortis manum misit ad co-* Bernard. Ser. 15. in Cantica. Prou. 31. *lum, & digiti eius apprehenderunt fusum. Nouit enim lanam modicam vel linum in longum producere filum, atque in tela extendere latitudinem, & sic omnes domesticos suos vestire duplicibus.* ita Bernardus. Itaque deinceps oculos coniiciamus in hanc sanctam & gloriosam Virginem, & quid egerit videamus illâ ipsâ horâ qua ingressus est in conclaue Angelus. Sicuti enim per omnem vitam speculum virtutum omnium fuit; ita sine dubio ac multò potiùs hoc tempore, quo ad tantam à Deo dignitatem extollitur. SS. Patres hoc loco duo nobis exemplo eius commendant atque imitanda proponunt. Primò, solitudinem eius ac recollectionem, quòd inuenta sit in cubiculo sola, nõ foris, non in plateis, non in vicinia. dicitur enim Angelus *ingressus*: quòd si vagantem deprehendisset in plateis, dicendum erat *occurrit*; si colloquentem cum aliis, dicendum *aggressus*. Deinde prædicant orationis studium, quia in oratione, meditatione, lectione Scripturarum tum temporis occupabatur. ita diuus Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Bernardus, aliiq; mox citandi. Verba Bernardi sunt: *Clauserat suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis: cui in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia.* (en solitudo.) Bernard. Hom. 3. sup. Missus est. *Iuxta doctrinam Euangelicam, clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli astare orantibus & delectari in his quos vidẽt leuare puras manus in oratione. holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se offerre Deo in odorem suauitatis* (en studium orationis.) Matth. 6. Eapropter de his duobus vberiùs dicendum hodie, eius interuentuq; tale nobis reliquit exemplum.

AVE MARIA.

Solitudinis ac secreti amor.

QVotiescumque arcana sua consilia, seu diuina mysteria Deus cum homine transigere constituit, reperimus passim in sacra vtriusque Testamenti pagina solitudinem deligere consueuisse. Sic Patriarcha Abraham filium immolaturus, & promissionem recepturus de semine in quo benedicendæ erant omnes gentes, mittitur itinere trium dierum ad montem Moria. Sic ad Agar in solitudinem Angelus destinatur. Sic Iacob Angelos videt, & mysteria scalæ ad cælos erectæ percipit in monte Bethel solus, atque in silentio noctis. Sic Angelus ad Moysem mittitur, in solitudine pascentem pecora Iethro, & loquitur ei in rubo: familiariùs item in monte Sinai, procul à castris, nemini vt appropinquare monti liceret. Ipse etiam Dominus noster ac Saluator in nouo Testamento an nõ solitudinem crebrò in montibus captare solitus est, non modò ad pernoctandum in oratione, sed etiam ad ingentia mysteria ritè peragenda; vt patet in monte Oliueti, monte Thabor, monte Caluariæ, aliisque montibus ac locis desertis? Ratio porrò in promptu est, quia homines ibi rerum diuinarum capaciores sunt, remoti à turba, tranquillis animis & collectis, & attentis ad lucis diuinæ radium penitùs admittendum. Strepitus enim huius mundi negotiorum plurimùm impedit ne Dei vocem audiamus, qui plerumque cùm ad cor loqui dignatur, solus ad solum, sine arbitris, sine impedimentis loquitur. *Ducam eam in solitudinem*, inquit, *& ibi loquar ad cor eius.* Quod cùm intelligeret Propheta Dauid, *media nocte surgebat ad confitendum Domino*; tantus interim Rex, tot regni negotiis districtus, tot vndiq; deliciis circumfluens. At quamobrem media nocte surgebat, nisi vt solitudinem quæreret ac silentium, quò posset solus cum Deo familiariùs agere? Sic Elias & Eliseus filijque Prophetarum in montibus orabant. Sic Petrus & Cornelius loco à turba domestica semoto. Sic alij plurimi dicentes cum Isaia, *Anima mea desiderauit te in nocte.* D. Antonius tota nocte in oratione ac solitudine transacta, manè surgente aurora solem increpabat, quòd impedimentum afferret Solem iustitiæ contemplanti. Inter feminas nobilis illa, sancta ac pudica vidua Iudith in penetralibus ædium suarum habebat conclaue sacris meditationibus precibusque assiduis dicatum. de quo sacra narrat historia: *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculũ, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat ferè omnibus diebus vitæ suæ.* atque ita pudicitiam tuebatur, quam tantopere posteà extollit Scriptura his verbis: *Benedicta filia tu à Domino, eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris.* Sic quoq; Sara Tobiæ iunioris vxor in supremas domus suæ partes ascẽdens, tribus diebus ac noctibus Dominum orabat cum lacrymis, vt eam ab omni angustia liberaret. Sic denique sancti innumeri vtriusque sexus, intelligentes quanti momenti solitudo sit, istiusmodi cõsuetudinem studiosè vsurparunt. At verò quantò magis id intellexisse, atque opere expressisse censenda est Domina nostra filia Sion, sapiẽtiâ & intelligẽtiâ omnes homines longè antecellens, Deo coniunctissima, plena charitate, plena gratiâ? quantò libentiùs illa captabat

[Marginal references: Gen. 22. — Gen. 16. & 28. — Exod. 3. & 19. — Osee 2. — Psal. 118. — 3. Reg. 19 &c. — Act. 10. — Isa. 26. — Iudith 8. — Tobi. 8.]

ptabat solitudinem ac recollectionẽ sui? Nam ad se pertinere non ignorabat vocem illam Spiritus sancti
Psal.44. per os Prophetæ, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Sciebat nominari Reginam, quæ staret *à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Sciebat arbores siluestres atque infructuosas in campis apertis aut siluis nasci, sed frugiferas ac bonas in pomariis hortisque conclusis. Sciebat denique sponsam esse dulcissimam, de qua
Cant.4. dicitur in Canticis, *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Itaque promptè ac libenter conclusa domi suæ se continebat, & viuebat multùm recollecta. In publicum, nisi pro re nata, non prodibat, aut vbi maiori Dei cultui aut gloriæ locus esset: atque etiam tum diligentissimè ad suum exoptatæ quietis locum se recipiebat. Id Sacræ litteræ nobis declarant per Isaiam
Isa.7. dicentem, *Ecce virgo concipiet*; & eam vocabulo Hebræo nominan-
Hieron. ibid. tem, quod, vt B. Hieronymus, aliique in Lingua sacra exercitati obseruarunt, non significat quamuis virginem, sed *Ahalma,* id est, secretam & absconditam, quæ solemniter esset conclusa, & recollectionis ac solitudinis magnã duceret rationem. Angelus ipse ad eam accedens, nuntium cælestem allaturus, solam offendit, & in loco inclusam, vbi communiter in oratione persistebat. Idẽ
Luc.1. B. Lucas obseruauit dicens, cùm ad visendam Elisabetham abiret, id factum esse cum festinatione. Et quãuis festinatio illa qua Domina nostra in hoc itinere conficiundo vsa esse dicitur, nos erudiat vt feruentes simus & diligentes in bonis operibus; eadem tamen docet, nobis quàm possumus minimum in publico esse permanendum, & quàm citissimè redeundum, & sensus recolligendos. Sed quàm disertè hoc loco solitudinis amorem in sanctissima Virgine deprædicent SS. Patres, paulisper expendamus, eosque loquentes audiamus. Bernardi quidem verba citauimus in exordio: iam prodeat in primis diuus Ambrosius. *Hæc,* inquit, *ad ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus, ne quis intentionem eius abrumperet, ne quis obstreperet. Nec enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tunc sibi minùs sola videbatur, cùm sola esset: nam quemadmodum sola, cui adessent tot libri, tot Archangeli, tot Prophetæ? Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit.* Alibi quoque virginem instruens, *Attende,* ait, *Virgo sacræ professioni, ab hominis irreuerentis oculis caue. Nullus sit tuus sine matre progressus, quæ sit anxia tui custos pudoris. Considera quanta fuerit Maria, & tamen nusquam alibi quàm in cubiculo reperitur cùm quæritur. Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris, secretum est. Quid enim tibi vel ad proximam facile accedere? Pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est, verecundatur. Inde nascuntur fabulæ,* &c. His adde D. Hieronymi admonita in eamdem sententiam, ad Lætam de Institutione filiæ: *Imitetur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, & ideò forsan timore perterrita est, quia virum quem non solebat aspexit. Æmuletur eam de qua dicitur, Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Loquatur & ipsa dilecto, charitatis iaculo vulnerata: Introduxit*

[Right margin notes: Ambros. lib. 2. de Virginib. — In Exhort. ad virgines. — S. Hiero. ad Lætam epist. 7. — Psal.44. — Cant.1.]

duxit me Rex in cubiculum suum. Numquam exeat foras, ne inueniant eam qui circumeunt ciuitatem, ne percutiant & vulnerent, & auferant theristrum pudicitiæ: quin potiùs, cùm aliquis ostium eius pulsauerit, dicat: Ego murus, & vbera mea turris: laui pedes meos, non possum inquinare eos. Hæc Hieronymus, qui & plura præcipit in epist. ad Eustochium. Similia habet D. Gregorius Nyssenus de exemplo beatissimæ Virginis, quod hîc præbuit. *Non*, inquit, *in plateis erat Virgo, non in publico morabatur: intus erat, in penetralibus sola sedebat; nec tamen sola, tanto virtutum exercitu circumscripta,* &c. O prudens Virgo! ô dignum Deo sacrarium, qui in anima quietis ac pacis, solitudinis ac silentij studiosa hospitari amat! ô Virgo propositi tenax, & secreti semper amantissima: quæ siquando foras digrediendum, & cum hominibus agẽdum esset, antequam loqueretur, in seipsam intrans maturè expendebat, quid, quomodo, & quo fine loquendum esset: vtpote quæ omnibus in rebus solam Dei gloriam propositam sibi ante oculos haberet. Quantis proinde laudibus à SS. Patribus exornari meruit?

Cant. 5. & 6.

Gregor. Nyss. Serm. de Annunt.

Mulieribus, præsertim virginibus, imitandum exemplū.

Imitari profectò hoc exemplum omnes mulieres ac maximè virgines oportet, quòd sexus ille maiorem honestatem atque extrinsecam reuerentiam secum comitem habere debeat. Sint igitur modestæ, sint pudibundæ, sint verecundæ, solitudinis ac secreti amantes: domi libenter se contineant clausæ, atque à turba remotæ: nisi sit necessitas aut iusta exeundi ratio: ac tum modestiæ ac verecundiæ memores, oculos continere, curiositatem omnem reprimere, & leuitatem refrænare condiscant. Hoc consilij B. Augustinus quibusdam matronis dedit, quas commonefaciebat & in pectore gestare, & exteriore habitu præferre istiusmodi modestiam. *Obseruate*, inquit, *oculos, neque vmquam in virum vllum defixos habete: neque mihi dicite, satis vobis esse cor habere castum: vobis namque prætereà necessarium est, vt oculos cum modestia contineatis: quòd oculus liber & in respiciendo parum honestus, indicium sit & nota veram honestatem in corde non inesse.* Idem alibi quoque præcipit: *Dominica virgo publicos debet vitare conspectus, & platearum frequentiam deuitare, atque in domo posita operi lanifico insistere, vel lectioni diuinæ.* Hactenus Augustinus. Quid D. Hieronymus? quomodo is seruandam virginitatem præscribit Eustochio? *Rarò*, ait, *sit egressus in publicum. Esto sicut passer in solitudine. Semper te cubiculi tui secreta custodiant. Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso tuo.* Quid hîc Ethnicorum præcepta commemorem? Plutarchus morum formandorum egregius artifex mulieres docet, vbicumque sint, secum ferre domos suas, quasi domiportas. Quod moraliter intelligendum opinor, vt videlicet domi sint assiduæ, atque ita semper illarum humeris domus incumbat. Hinc etiam illud Grecorum Sapientum, Ἐ'ις κοινὸν ἐλθεῖν, παρθένοισιν οὐ καλόν. Hoc est, *in publicum prodire, virgini haud bonum est.* Quare haud bonum? rationes huius rei ad duo capita reuocari possunt. Primò propter honestatem ac verecundiam, quæ maximè sexum illum decet. *Idcircò enim*, vt D. Ioannes Damascenus scribit, *Maria virgo honestissima ita se comparauit, vt nullis viris ad eam pateret accessus: ideoque trepidauit, cùm Angelus ad illam ingressus*

Augus. epist. 109

Augus. l. ad Sacr. virg.

Hieron. epist. ad Eustoch.

Plutar. de Virtut. mulierū.

Eurip. Menand.

Prima ratio, propter honestatē.

Damasc. Orat. de Natiuit. Virgin.

greßus colloqui cœpisset: verecundata est, erubuit quòd sola non esset cùm putaret se solam esse. Extimuit & expauit cùm videret se à viro salutari. Etsi enim assueuerat Angelorum consortio, fortè tamen non forma virili, vel saltem non tam illustri, non etiam tali salutationis forma.

Ambros. sup. Luc. lib. 2. Idem obseruat D. Ambrosius in hunc locum: *Discant mulieres,* inquit, *propositum pudoris imitari in B. V. Maria. Solam in penetralibus, quam nullus virorum videret, solus Angelus reperit: sola sine comite, sola sine teste, nequo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo salutatur.*

Ambros. l. 8. epist. 64. Et in epistola ad Syagrium: *Quid præstantius præsertim virgini, cuius præcipuum opus verecundia, quàm secretum? Quid tutius secreto, & ad omnes actus expeditius? Munia enim pudoris induit, non concursationes.*

Psal 127. Eòdem collimat illud Dauidis in Psalmis: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ:* vel, vt Hebraicè est, *in penetralibus domus tuæ.* Impudicæ verò pro foribus domus & in publico prostant, vt in Prouerbijs meretrix à Salomone

Prou. 7. describitur: *Est garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis: nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidias struens.* Sed de his satis.

Secunda ratio, propter incommoda. Altera est ratio haud paulò robustior, ob multa eaque ingentia incommoda quæ ex curiositate ac leuitate puellarum oriri solent, vt est ipsarum infamia, & interdum familiarum imò ciuitatum integrarum subuersio. Exemplo sic Dina filia Iacobi Patriarchæ, de qua sic in Sacris litte-

Gen. 34. ris legimus: *Egressa est Dina filia Liæ vt videret mulieres regionis illius, &c. Quam cùm vidisset Sichem Princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Ecce quantumuis honestatis amans nollet consentire, vim sibi illatam reprimere non potuit, quia priùs curiositatem non represserat. Vnde excitati fratres eius talem excogitarunt praxim, vt ceperint ciuitatem, & omnes occiderint in ore gladij (nempe masculos) & ciuitatem depopulati filios & vxores captiuas duxerint: *Quid fecistis?* ait Iacob. *turbatis me, & odiosum fecistis me Chananeis.* Sed causa malorum fuerat curiositas Dinæ: quare illam non meliùs seruarat? Egregiè hoc exemplum tractat D. Hieronymus ad Eustochium scribens: *Caue,* inquit, *ne domo exeas, & ne velis videre filias regionis alienæ, quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israël parente læteris. nam Dina domum egressa corrumpitur. Nolo igitur te sponsum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis. Zelotypus est Iesus, non vult ab aliis videri faciem tuam.* Hieron. epist. 22. ad Eustoch. Possent quidem his adiungi exempla Bersabee & Susannæ, quæ hominum oculis expositæ innumeris miseriis initia dedêre: sed exemplis istiusmodi plena est antiquitas, plena quoque hæc vita communis.

1. In primis, qui vitrum habet pretiosum ac fragile, cautè illud custodit ne frangatur: ita virgines quasi vitra fragilia sunt; seruentur domi, abscondantur.

2. Sicuti etiam ciuitas, quam multi hostis circumsident, nisi benè clausa & custodita sit, perit: ad eumdem modum tot sunt hostes virginitatis, quot sunt oculi spectatium.

3. Deinde, castitas quasi lilium est inter spinas: nisi autem sepiatur hortus spinis, ac benè muniatur, irrumpent porci ac feræ siluestres, & omnia pedibus proterent.

4. Adhæc, pudicitia pretiosi instar thesauri est: imò *omnis ponderatio non est digna cōtinentis animæ,* Eccli. 26.

ma, vt asserit Spiritus sanctus. igitur palàm exponi non debet, sed multis clauibus ac seris custodiri. Postremò, quamdiu ceruа se intra specus suum continet, vel intra nemora, canes illam non insectantur: sed dum egreditur, & hac illac vagatur, incurrit pericula venatorum, & quantumuis fugiat, à canibus comprehenditur ac dilaceratur. Idem dicendum de muliere: quamdiu in ædibus suis vel parentum suorum se abscondit, in tuto est eius pudicitia; sed si, vt Dina, egreditur & videre expedit mundi vanitates, & videri simul ab hostibus castitatis, actum est de pudicitia ipsius. Quare imitandum beatissimæ Virginis exemplum, quæ non, vt Dina, foris solita est vagari; neque vt filia Iephthe extra ciuitatem cum sodalibus ad saltus & nemora cursitabat: neque ambulabat *vt filiæ illæ Sion*, apud Isaiam, *eleuatæ, extento collo, & nutibus oculorum, ibant & plaudebant: ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant*. Non sic sanctissima hæc filia Sion, non sic: *sed sera in domo, festina in publico* (verbis vtar D. Ambrosij) virginali verecundia in publico videri erubescebat; vt discant virgines in publico non commorari, omnesque occasiones videndi, colloquendi & versandi cum viris, quatenus id charitas permittit, declinare B. Brigitta, vti diuina reuelatione edocta, scribit etiam eo tempore quo Domina nostra in templo est commorata, ipsam fugisse consuetudinem notorum, imò & propriorum parentum, quoad eius facere poterat: postquam verò S. Iosepho enupsisset, pari hanc in partem studio est vsa, quatenus nouus vitæ status, quem erat amplexa, sineret. Atque hoc præter cetera in causa fuit, cur viso auditoque Angelo turbaretur, vt suo loco dicemus.

5. | Iud. 11. | Isa. 3. | Ambros. l. 2. super Luc. 2. | Brigit. l. 1. Reuel. c. 10. & l. 3. c. 8.

Atque hæc vniuersim de mulieribus virginibusque dicta sufficiant: sed viris pariter omnibus, maximè iuuenibus, hoc tempore accommodari meritò debent. Morale consilium est Senecæ Philosophi: *A turba, inquit, quãtum potes te separa. Crede mihi qui nihil agere videntur, maiora agunt; humana diuinaque simul tractant. Non igitur inuenio cum quo te malim esse quam tecum. Fuge ergo multitudinem fuge paucitatem, fuge etiam vnum. & quidquid facias, citò redi à corpore ad animum: illum noctibus atque diebus exerce: omniaque impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. nemo enim ad illam peruenit occupatus.* Quid melius aut verius aut magis Christianum dici potest? Sic apud Plutarchum, quidam adolescentem instruens dicebat, *Numquam in publicum prodeo, quin peior redeam*. At quantò grauiùs atque efficaciùs mouent SS. Patres, quàm ethnici Philosophi? Audiamus obsecro D. Bernardum in Sermone quodam ita exhortantem: *O anima sancta, sola esto, vt soli omnium Domino serues teipsam, quẽ tibi ex omnibus elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos. Secede ab amicis & intimis, mente, intentione & spiritu. Nihil tibi & turbis: nihil cum multitudine ceterorum. Ipsum obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet Rex decorem tuum. An nescis te verecundum habere sponsum, qui tibi nequaquam suam velit præsentiam indulgere præsentibus ceteris? Ita videlicet Deus & Angeli te visitabunt, & Dei voluntatem percipere merêberis.* sic Bernardus. Consentanea his & D. Hieronymus scribit ad Præsidiũ: *Habebis cellulam quæ te solum capiat: imò*

Viris, maximè iuuenibus, idem exemplum proponitur. | Senec. ad Lucil. | Plutar. in Apophth. | Bernard. Ser. 40. in Cant. | Hier. ad Præsidiũ. Cant. 1.

imò non eris solus, Angelica tecum turba versabitur. Tot tibi erunt socij, quot Sancti. Fabulabitur tecum Iesus; numquid poteris talem alium tuis sermonibus habere cōsortem? Idem alibi: *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire aut vincere? quis vmquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat.* Et alibi, *Ne sinito,* inquit, *te à feminis domi tuæ inuisi, neque cum iis eodem in loco vmquam commorare. Noli fidere castitate præterita: neque enim sanctior es Dauide, neque sapientior Salomone, qui pari in casu perierunt.* quasi diceret: Si nimiùm de tua virtute confidis, & eiusmodi periculis te exponis, non minùs, quàm illi, laberis. Quæ pectora tam dura quæ his monitis non moueantur? Sacra Scriptura non semel grauissimis verbis idē periculum exaggerat; Sapiens in primis hoc pacto: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam.* Ecclesiasticus item, *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, ne fortè declinet cor tuum in illam.* Nec colloquium modò mulieris, *quod quasi ignis exardescit*, sed & aspectus vetatur. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* iterùm; *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.* Quandoquidem ergo æterna Dei Sapientia, cui infirmitas nostra est perspectissima, tam sedulò nos hac de re commonefecit; Mariæ solitudinem imitari conuenit, vt vel domi nos contineamus, vel prodire si pietas aut necessitas aliqua suaserit, diligentem oculis custodiam adhibeamus.

Idem epist. 47.

Epist. ad Nepotia.

Prou. 6.

Eccli. 9.

Eccli. 9.

De custodia oculorum in publico.

Fieri quidem commodè non potest, vt à permultis vltrò citroque commeationibus, quæ iustis de caussis fiunt, aut ab hominum consortiis omnino expediamur: nihilominùs etiam cautio hæc facilè adhiberi potest, neque sensibus, vt quò lubet euagentur, laxandæ sunt habenæ. Quamuis enim corpus hoc nostrum non possit assiduè in vno eodemque loco conclusum permanere; fugienda tamen curiositas. Obseruentur oculi & aures: namque species visu percepta per oculos quidem ingreditur, penetrat autem vsque in animam: & si id quod oculis obiicitur sit illecebrosum, vti venustas formæ mulierum, excitat in animo permultas cogitationes prauas, ac desideria carnis penitùs accendit atq; inflammat. Vsqueadeò postquam hominis natura peccato est corrupta, res creatæ illi verterunt in laqueos & pedicas, quoad hanc vitiositatem. Qua in re tam debilis est & tener, vt vel solo aspectu impeditus teneatur. Quoties, obsecro, per has oculorum fenestras ingressa est mors in domos nostras? neque enim temerè Ecclesiasticus ait: *Nequius oculo quid creatum est?* quid, inquit, nequius? Quòd si anatomen consulas, nihil oculo pulchrius aut mirabiliùs in humani corporis fabrica Deus condidit: at hic ait, nihil eo nequius esse creatum. qua sanè oratione non creaturam Dei, sed abusum hominum damnat, qui pulcherrimo oculorum organo, imò magno Dei munere ad conditoris iniuriam abutuntur. Putatis fortè rem esse leuem coniectus oculorum curiosos & impudicos? Estne res parua, quam de perditis quibusdam homi-

Eccli. 31.

minibus S.Petrus affert, quòd habeant *oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti?* vix enim alio sensu plus peccatur, vt præstaret multis esse captos oculis, quàm eorum laqueis irretiri. Neque in animas solùm nostras, sed in vniuersum mundum per has fenestras mors ingressa est. *Vidit* enim *mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuque delectabile; tulitque & comedit.* Videtis ergo quonam modo mater omnium viuentium per hunc aditum peccatum, & mortem peccati contubernalem in mundum inuexit? similiter quisquis hunc aditum obstruere non curat, idem periculum salutis animæ suæ quotidie incurrit. 2. Pet. 2. Gen. 3.

Siquis porrò est qui dicere audeat, se istiusmodi periculum in mulierũ aspectu non animaduertere, tametsi cum illis quotidie quàm familiarissimè versetur; fidenter ego illi confirmo, rem esse incredibilem. Si namque B. Paulus, qui ad tertium vsque cælum raptus fuerat, stimulos tamen carnis persenserit, eamque castigarit vt subiiceret, & morigeram rationi efficeret: si alij sanctimonia præstantes viri idem fecerint, atque etiamnum faciant, noctes totas precibus exigentes, corpus ieiuniis macerantes, saccis & ciliciis, aliisq; eius generis austeritatibus edomantes; & nihilominùs non sine graui labore concupiscentiæ furorem possint refrænare: quî fieri potest, vt quis cibo potuque benè curatus, molliter acceptus & vestitus, qui deliciis aliisq; temporariis laxamentis diffluat; qui se orationis aut pœnitentiæ armis nõ protegat, sed liberè aspiciat & contẽpletur mulieres, familiariter cum illis versetur & colludat; nec tamen prauum aliquod desiderium percipiat, non pungatur ac superetur concupiscentia? Homo non sit, sed saxo quouis durior. Quem non terreat exemplum Iobi, de se agentis in hũc modum: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Iob. 31. quam quidem loquendi rationem demiretur quispiam, cur pro eo quod est, *Decreui oculis vigilem custodiam adhibere* dicere maluerit, *Pepigi fœdus cum oculis meis*. Oratores certè non modò significandi, sed etiam ornandi gratiâ sæpè Metaphoris vtuntur: at Sacræ litteræ, quibus exigua ornatûs cura est, non tam ornandi quàm plus aliquid significandi causâ tropis vti solent. Cùm ergo vir sanctus cum oculis suis fœdus pepigisse ait, primò significat, quòd quemadmodum qui fœdus ineunt, pacem ita inter se componunt, vt neuter alteri noceat (quemadmodum fœdus iniit Abimelech cum Abraham;) ita huius Gen. 21. viri sancti anima cum oculis suis fœdus pepigit, ne ab illis læderetur vmquam, sicuti neque eos ipse vmquam læserat. quod perinde est ac si diceceret: Ego vobis, oculi mei, nulla vmquam in re nocui, imò verò vitam & speciem & lucem ipsam, qua omnia cernimus, donaui: quamobrem, quæso, ne vos mihi noceatis, néve puritatem meam fœdis imaginibus inquinetis. hoc sit ergo fœdus inter nos, vt neuter alteri detrimentum inferat. Hæc prior huius loci interpretatio est; altera huic similis. Quemadmodum in pactis & conuentis leges semper aliquæ intercedere solent, quibus vterque paciscẽtium aliquid sui iuris amittit, & aliquid sibi vindicat, ita vt lucrum ex damno reportet: sic etiam vir sanctus cum oculis suis pactum inierat, vt illi quidem voluptatem amitterent videndi

dendi quæ vellēt; sed pro ea lucrum ac beneficium reportarent, ne posteà lacrymis & luctu perceptam ex videndi voluptate maculam eluere tenerentur. quod planè Dauidi contigit: qui quoniam oculos suos continere noluit, sed inconsideratiùs iis feminam aspexit, eiusque cupiditate exarsit, eos diuturno posteà luctu & lacrymis cruciauit. *Lauabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*. Quia enim paucas illas noctes inter falsa & flagitiosa gaudia consumpsit: pollicetur se per singulas noctes, id est, per totam vitam fusis lacrymis præteritam lasciuiam luiturum. Videtis ergo quo beneficio afficiantur oculi, qui videndi licentiam comprimunt, & huic natiuæ voluptati renuntiant; vt videlicet à perpetuo luctu & lacrymis immunes sint. Hanc ergo disciplinam ideò se seruasse dicit, *vt ne cogitaret quidem de virgine*, hoc est, vt nō corpus modò, sed animum quoque purum integrumque seruaret. *Quam enim partem*, inquit, *haberet in me Deus desuper?* quasi diceret: Nisi me ita continuissem, facilè in aliquam prauam cupiditatem fuissem prolapsus, qua corrupissem animam meam, & ruinæ exposuissē. Quæ cùm ita sint, hunc hodie fructū ex iis omnibus quæ de hoc argumēto hactenus dicta sūt, colligamus, vt quando in publicū necessariò prodeundum est, & innata nobis curiositas oculorum ad videndum incitauerit, sic vnusquisque secum agere assuescat, Nolo, nolo his delectari: displicent mihi: auertam oculos: mallem oculos perdere & vitam ipsam, Domine Iesu, quàm te offendere. An non constat satis, difficilius esse animum, vbi aliquid pulchrum visu conceperit, purum & integrum conseruare, quàm illum à videndo cohibere? Si ergo modò priusquam illud videam continere me non possum ne videam; quomodo vbi iam videro, & pulchritudine illa me illaqueauero, hærentem animo voluptatem excutere potero? Si hostem infirmum ac debilem, & adhuc foris agentem repellere non valeo; quomodo natiuæ titillationis viribus armatum, & ipsis visceribus hærentem expellere potero? Væ, væ omnibus qui non sentiunt in quantis periculis sæpè versentur, dum neque pugnant cum oculis suis, neque se mali quidpiam facere in istis rebus dicunt; imò die noctuque quærunt quod cum salutis suæ periculo videant. Agnoscant huiusmodi periculosum statum suum, intueantur exempla Sanctorum, imitentur solitudinem diuæ Virginis, constituant Deum ante oculos, qui minimas etiam cogitationes, renes & corda scrutatur. Sed de his hactenus.

Psal. 6.

Iam quòd secundo loco propositum erat de occupatione Virginis, disquirendum est, quid tum agebat, ecquod eius studium aut exercitatio mentem occupabat. Sancti Patres initio citati, aliiq; grauissimi Auctores asserunt, eo tempore intentam fuisse orationi, lectioni diuinorum voluminum, meditationi, siue rerum diuinarum contemplationi. Ita nominatim D. Augustinus, Bernardus, Hieronymus, Ambrosius, &c. Verba D. Augustini sunt: *Mater Domini orans, verbo Angeli annuntiantis sine vllo incredulitatis aut inobedientiæ obiecto consensit*. D. Bernardus sic dicit: *Clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito*, &c. At quomodo eam probant his deuotionis exercitiis

Secunda pars, de occupatione Virginis, siue de oratione.

Aug. l. 3. de Mirab. sacræ Scr. Bernard. Hom. 3. sup. Missus Hieron. Amb &c. sup. Luc.

citiis tum institisse? *Certè,* inquiunt, *hoc agebat quod numquam non agebat: tota quippe eius vita velut iuge quoddam sacrificium spiritus, & perpetua oratio extitit, vtpote quæ numquam à Dei conspectu oculos dimoueret.* Ab ipso conceptionis momento Deus in animam ipsius copiosissimam infudit gratiam, qua eam sibi totam consecrauit, eamque ad omne opus bonum, præsertim verò ad orandum, maximè idoneam effecit: & annum vix explerat ætatis tertium, cùm SS. Ioachim & Anna, vt voto sese exsoluerent, in templum eam apportarunt, ac sacerdotibus, & sub eorum persona Deo obtulerunt, vt ei in domo ipsius sancta, quibuscumque posset in rebus, inseruiret. Hìc inter virgines, loco quodam secreto & remoto, instar monasterij templo adhærentis, morabatur, donec ætas nuptiis matura accessisset, eratque veluti viuum quoddam & animatum templum Dei. Numquam cor eius neque die neque nocte à Deo recedebat: eum contemplabatur, & semper inenarrabili quadam cum dulcedine diligebat. Immò etiam dum manuariis operibus intenta esset, anima eius à precibus non desistebat; versans assiduè ante oculos Deum, bonũ suum infinitum quod amabat. Neque pauxillo quidem eo tempore, quod ad aliquantas corpori suo dandas somno capiendo inducias sumebat, quæ vigilans legerat, memoriâ repetere & ruminare secum desinebat, & corpore licet consopito, anima vigilabat, & familiariter cum Deo colloquebatur. Posteaquam verò aut reuelatione, aut sacræ Scripturæ lectione sublime incarnationis mysterium cognouit; quanta attentione, quanto ardore sigillatim considerabat, quo pacto maiestas illa infinita, quam tantopere amabat, futurus esset homo, vt hominem qui per peccatum perierat redimeret? Quàm acri meditatione comprehẽdebat inenarrabile hoc beneficium; & amorem vnde illud proficisceretur? Cupidissimè sine dubio desiderabat huius mysterij perfectionem videre, & famulari Virgini illi, quæ conceptura & paritura esset Messiam mundi Seruatorem. Hi & eius generis aliis actus deuotionis in sancta Virgine quouis tempore fuerunt perfectissimi, & perpetuò mirãdum incrementum acceperunt: sed ipso tempore Annuntiationis, quo digna fuit tale mysterium cælitus percipere, absque vlla controuersia sublimius aliquid atque diuinius eam animo agitasse credendum est: clarissima enim Dei dona orantibus, & mente diuina tractantibus sæpiùs conferuntur. Sic videlicet homo fit aptior & dignior vt à Deo illustretur, propter statum vitæ contemplatiuæ, qui perfectior est statu vitæ actiuæ. Et Sacræ litteræ aliquàntum nobis huius rei testimonium perhibent. Nam Cornelius centurio hora nona in oratione persistens, Angelum Dei candida veste amictum vidit, qui illi cognoscendæ veritatis & adipiscendæ salutis viam ostendit. Petrus verò hora sexta orans, cælum apertum & vocationem gẽtium mirabili specie atque reuelatione præuidit. Sic orante Daniele venisse ad eum legimus Angelum Dei. Zachariæ quoq; iuxta altare incensi oranti & sacrificiis intento Gabriel Angelus lætissimum salutis humanæ & nasciture prolis nuntium attulit. Quis non similiter credat Christi conceptum tunc temporis Virgini esse patefactum,

Act. 10.

Ibidem.

Daniel. 8 & 10.

Lucæ 1.

ctum, cùm suauissimæ orationis thymiama Deo adolebat? Iam verò ipse gratiarum omnium fons (*in quo diuinitatis plenitudo corporaliter habitabat,*) cùm claritatis ac gloriæ suæ speciem quamdam discipulis exhibere vellet, orare in monte cœpit, ibique facta est species vultus eius altera, & vestis alba atque refulgens. Idem igitur beatissimam Virginem fecisse credendum est, cùm in ea Spiritus sanctus opus illud sanctissimum incarnationis perfecturus esset. Albertus Magnus etiam situm corporis eius his verbis describit: *Credimus*, inquit, *B. Virginem in aduentu Angeli inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus, erectisque in cælum oculis extitisse.* Id sanè perquàm credibile est, cùm Deus illam penitùs formauerit atque elegerit in matrem cunctasque eius actiones mirabili prouidentia disponeret, omnes eius molitiones tali tempore conuenientissimas fuisse. Quare minimè etiam dubitandum est, in tantæ rei articulo, mentem quoque sacræ Virginis sublimi aliqua contemplatione suspensam fuisse, & amore diuino singulariter exarsisse, cùm eam cælestis nuntius inuisit, & diuini consilij arcanum reuelauit. Feruentissimè nimirum orabat, suspirabat, lacrymabatur etiam fortè magno sensu ac teneritudine amoris. Hæc generatim.

Coloss. 2.

Albert. Mag. sup. Lucæ 1. c. 36.

Quid orabat.

Nunc vlteriùs vt progrediamur ad ipsissimam Virginis occupationem, discutiendum est quid potissimùm contemplabatur, quis orabat, circa quid sensisse credibile est tales affectus. Vtique & hoc SS. Patres non improbabiliter indagarunt. Primò igitur petebat vt honor Dei & gloria perfectè in cælo & in terra, nominatim autem in se sancta eius voluntas impleretur. Quis dubitat? nullam certè B. Virgo orationem fudit in qua non esset hoc thus, id est, ardens desiderium gloriæ Dei & voluntatis eius implendæ. Sic etiam nos Christus orare docuit, *Sanctificetur nomen tuum: Fiat voluntas tua.* Quæ duæ sunt primæ petitiones in oratione Dominica. Deinde ardentissimis votis exposcebat generis humani liberationem. Nam, vt valdè credibile est, cùm id temporis peruolueret vaticinia Prophetarum; & intelligeret, vt erat sapientiâ & diuino spiritu plena, tempus adesse quo aperiendi essent cæli, & in mundum descensurus desideratus cunctis gentibus, quomodo non moueretur intimis sensibus? Legebat fortè inter cetera illud apud Isaiam, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* vti sentit D. Augustinus. Cùm ergo cogitaret hoc tempus ferè adesse, quia sceptrum de Iuda ablatum erat, & hebdomadæ Danielis impletæ: sancto zelo flagrans, oculis mentis & corporis in cælum coniectis, in has propheticas voces erumpebat: Egredere tandem, ô sponse desideratissime, è Thalamo tuo cælesti: ostende aliquando nobis faciem tuam, ô Rex gloriæ: sonet vox tua in auribus meis. Quibus verbis amore tota liquefacta, iterùm dicebat vt Moyses, *Mitte Domine quem missurus es. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinori plebis tuæ Israël. Fortè & illud meditabatur quomodo Sancti orauerint, vt apud Prophetam legimus, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Tu illa, O summe Deus,

1.

Matth. 6.

2.

Isa. 7.

August. Ser. 9. de Tēpore.

Exod. 4.
Psal. 84.

Isa. 45.

en aspicis quàm sit tellus arida & sterilis, sentibus dumisque horrida: rorem mitte salutiferum: pluuiam mitte illam *voluntariam, quam segregasti hereditati tuæ. Vtinam dirumperes cælos, & descenderes! à facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni.* Ad hunc modum cùm oraret, ô quàm exoptabat in illud tempus felicissimum incidere posse, quo in lucem edenda erat Virgo illa beatissima, electa in Dei matrem, & Saluatorem mundi paritura! O quàm felicem se reputabat, si oculis suis Dei Filium carnem factum posset videre, si lingua sua prædicare, si manibus suis illi ancillari, si fimbriam vestium eius attingere, ac denique genua sua ante eum flectere, & adorare Deum suum! Tametsi è contrario non rarò oculos reflectebat ad considerandam paruitatem & indignitatem suam: & quantò magis eleuabatur per contemplationem, tantò magis descendebat per humilitatem. Vnde & accidit quod ait Ecclesiasticus: *Oratio humiliantis se penetrat nubes:* quia oratione eius ac desiderijs, quasi manibus quibusdam, Dei Filius tractus est in terras. Maria, inquam, quasi manibus suis arripuit margaritam quæ in Patris pectore erat, & sibi vsurpauit, Verbum scilicet diuinum. Omnes quidem ante eam fideles quæsiuerunt illam margaritam, cucurrerunt cursum suum, anhelarunt ad illam; sed accipere non potuerunt, quia non erant digni. *Abraham exultauit vt videret diem meum,* inquit Dominus, *vidit, & gauisus est* (per fidem scilicet) *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt.* Sed Maria tam altè volauit, quasi aquila magna, vt ad Patrem cælestem perueniret, & margaritam ex eius pectore caperet: quam ei Pater dedit, quando in vtero eius illam posuit.

Psal. 64.
Eccli. 35.
Ioan. 8.
Luce 10.

Quæres fortasse, Quamobrem sic orabat, aut quid opus erat omnino eius oratione? Anne ignorabat Deum decreuisse certo tempore mundi redemptionem, siue, vt Apostolus loquitur, *quando venit plenitudo temporis,* &c? Deinde, An non mera sua gratia Deus volebat mundum redimere, nullo propriè id merente? nam cùm incarnatio sit fons & origo omnis meriti, ipsa sub meritum cadere non potest. Et *si gratia, iam non ex operibus,* ait D. Paulus. Vt claram huius rei intelligentiam consequamur, sciẽdum est, præpotentem Deum, tametsi ex mera gratia decreuerit in mundum venire factus homo, voluisse tamen mundum certis dispositionibus ad eum dignè suscipiendum præparari; & non quidem de condigno, sed de congruo mereri eius aduentum; quò citiùs autem id fieret, eò citiùs etiam venire statuisse. Quæ doctrina colligitur ex D. Thoma, Bonauentura, alijsque Doctoribus. Itaque Sancti veteris Testamẽti meritis suis & assiduis orationibus obtinuerunt vt Deus descenderet, non quidem id exigente iustitia, sed quia æquum ac conueniens erat, vt Deus posita tali conditione homo fieret, præcurrentibus nimirum, & eius accelerationem postulantibus tot Sanctorum meritis atque orationibus magno desiderio fusis. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus:* quod Glossa exponit, vt propterea Dei Filius suam accelerarit incarnationem. Porrò hoc meritum de congruo impletum non fuit, quoad Maria Virgo in mundum veniret, & suis tandem meri-

Quid necesse erat orare, cùm à Deo id decretum esset.
Gal. 4.
Rom. 11.
D. Tho. 3. p. q. 2. a. 3. ad 3. Bonau. 3. sẽt dist. 4. q. 1.
Psal. 11.

meritis atque oratione Deum è cælis in terram deduceret. Illa vltimam manum huic operi imposuit, & quidem, vt credibile est, eo tempore quo missus est cælitus à sanctissima Trinitate Angelus Gabriel. Quòd autem illa id verè meruerit, sācta Mater Ecclesia ei attribuit, dum ait: *Quia quem meruisti portare, alleluia: Meruisti portare Regem cælorum & Dominum: Qui gloriosæ Virginis corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti,* &c. Quod quomodo intelligendum, explicat D. Thomas loco citato. *Maria,* inquit, *meruit ex gratia sibi illum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse mater Dei.* Hoc igitur meritum consecuta est cùm alijs titulis, tum maximè ardentissimis suis orationibus, quas in vita sua fudit, potissimùm verò tempore Annuntiationis, quo maximè dispositam fuisse cōstat ad tale mysterium.

In Offic. Eccles.

Quæ cùm ita se habeant, ponite nunc ante oculos hanc mirabilem & à sæculo inauditam pugnam, qua Deum vicit Maria; pugnam, inquam, cui similis afferri non potest. In arenam descendunt ex altera parte Deus omnipotens, iustitia incomparabilis, ira furorque peccatis hominū collectus: ex altera verò puella paruula & humilis & suppliciter fundēs preces; & hæc victoriā reportauit. Verè noua bella elegit Dominus, arma quoque noua quibus posset expugnari. At quo modo expugnari? *Vulnerasti,* inquit, *cor meum, soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Oculus erat vnus, intentio vna, amor vnus sanctissimæ Virginis: in omnibus, ac præcipuè in suis orationibus maiorem Dei spectabat gloriam, cumque solum diligebat ex toto corde. Nihil porrò est quod æquè possit Dei voluntatem expugnare, ac cor huiusmodi amore accensum. Nescit enim Deus se tueri à corde quod eum solum diligit, quia non vult se ab illo immunem seruare. Quare & oratio Virginis tali corde concepta & fusa tam efficax fuit, vt cæleste Numen ira inflammatum placaret ac vinceret. Cui, obsecro, non sit admirationi Moysis oratio, cùm diceret: *Si inueni gratiam in oculis tuis, dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Sed multò fuit ardentior, multoque efficacior hæc oratio Mariæ, quæ non obtinuit solùm, sicut Moyses, ne ira Dei in populum Israëliticū deseuiret, sed vt Deus ipse pro homine factus homo, flagella omnia, pœnasque in se susciperet, quas merebatur homo. Verùm ad exitum tandem prosperemus, sic vt imitationem priùs exempli proponamus.

Pugna inter Virginem ac Deum.

Cant. 4.

Exod. 32.

Vtraque certè persona, quam hactenus descripsimus, Angeli scilicet ac Virginis, excitare nos debet, vt frequenti meditatione recolamus beneficium incarnationis, Deoque quantas maximas animi nostri capere possunt gratias impensè agamus. Sed quantumuis omnia membra nostra in linguas verterentur, quomodo huic muneri pares essemus? omnia certè beneficia Dei maxima sunt, sed hoc prorsus incomparabile; quando cetera sine hoc aut esse non possunt aut parum prodesse possunt. Primum siquidem omnium beneficiorum collatorum est creatio; vltimum verò conferendorum est glorificatio. Sed post peccatum, creationis bonū ita viluit, & gloriæ semitam tanta difficultas obsedit, vt nec illud potuerit reparari, nec hæc referari, nisi acce-

accederet beneficium redemptionis. Parum certè fuit nasci, & nasci ad gloriam, nisi datum fuisset renasci. Audiamus ergo Doctorem mellifluum hac de re disserentem, & modum suggerentem quo possimus Deo gratiam referre. *Si totum me debeo*, inquit, *pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quàm factus. Nam qui me semel, & tantùm dicendo, fecit; in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Atque idem etiam alibi de hoc ipso debito, *Cùm ei donauero*, inquit, *quidquid sum, quidquid possum, nónne istud est sicut est stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Diligam te Domine fortitudo mea & refugium meum*, &c. Itaque tunc gratias Deo debitas referimus, cùm Deum redamamus, eique bonis operibus famulari & placere feruentissimè studemus.

Bernard. de Diligendo Deo.

Idem de Quadruplici debito.

Psal. 17.

Potissimùm verò hoc loco beatissima Virgo nobis omnibus exemplum reliquit amandæ solitudinis, atque orationis crebræ ac feruentis.

1. Quantumuis enim Sancti Deo per habitum charitatis coniuncti sint, coniunctiores tamen illi fiunt, cùm ipsa charitas vim suam exerens, Deo illos per amoris opera iungit & copulat. tunc enim pia mens vt purior, Deoque coniunctior atque similior, magis idonea fit, vt micantes claritatis diuinæ radios & cælestia dona intra se recipiat.

2. Vt autem oratio nostra sit efficax, plena charitatis, plena feruoris; coniuncta sit oportet cum integra resignatione in voluntatem Dei, cumque purissima intentione qua cor sponsi vulneratur, nihil vt negare possit.

Lubenter etiam, exemplo B. Virginis, quouis loco, maximè cùm soli sumus; nec in templo solùm, sed & in cubiculis nostris oremus, aut aliquid pij legamus siue in Sacræ scripturæ codicibus, siue libris piis, Festis præsertim diebus, & cùm animo graues occupationes nō incumbunt. *Solent Angeli astare orantibus, & delectari in his quos vident puras manus leuare in oratione*, vt hic asserit diuus Bernardus. 3.

Bernard. Hom. 3. sup. Missus.

Interdum & noctu orandum; manè saltem tempestiuè surgendum & Sacrum Missæ audiendum, aut domi preces statæ persoluendæ. *Consurge*, dicit Dominus, *lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* 4.

Thren. 2.

Ad extremum hæc omnia siue monita siue exempla, licet omnibus proponantur, maximè tamen ad virgines spectant: de quibus loquens Ambrosius sic præcipit: *Oratio quoq; nos crebra commendet Deo. si enim Propheta dicit, Septies in die laudem dixi tibi, qui regni necessitatibus erat occupatus; quid nos facere oportet, qui legimus, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* Et alibi: *Attende tibi virgo, vt insistas orationi, & vultus tuus assidua obsecratione pallescat. Sed ante orationem præpara animam tuam, vt non videaris tentare Deum, cùm deprecaris, vt id quod oras mores tui loquantur, fides adiuuet, opera commendent.* Deus nobis omnibus gratiam vberem impertiat, qua possint hæc præstari: cui soli honor & gloria, & virtus, & fortitudo in sæcula sæculorum, Amen. 5.

Ambros. lib. 3. de Virginib.

Psal. 118.

Matt. 26.

Idem in Exhort. ad virgines.

CON-

CONCIO XVI.

Aue.

1. *Quanta cum reuerentia Deiparam salutarit Angelus Gabriel.*

2. *Qua ratione, eius exemplo, salutanda sit nobis.*



ACTENVS Angelus perduxit nos ad Mariæ Virginis cubiculum, locorum omnium quæ sub sole sunt dignissimum ac sanctissimum, in quo arcana quędam & magni momenti mysteria diuinitus peracta sūt. *Secreta namque*, vt loquitur D. Augustinus, *coniugia fuere celebrata in Mariæ thalamo, quibus Gabriel paranymphus interfuit*. Ibi videlicet tractatum est de redemptione seu reconciliatione totius orbis, per connubium incarnationis, hoc est, duarum naturarum in persona vna: quod sanctissimæ Trinitatis opus sine vlla dubitatione omnium excellentissimum fuit. Eo fine atque consilio mittitur legatus Gabriel à Deo Patre, qui in illo opere infinitam suam potentiam patefacere volebat; à Deo Filio, qui sapiētiam; à Spiritu sancto, qui suam in eo bonitatem demonstrare decreuerat. Gabriel autem vbi ad hominem, pro salute hominis, se tamquā oratorem ac diuinæ voluntatis interpretem de incarnatione Verbi designari intellexit, mox humana specie atque adspectabili Nazarethum descendit, & ad Virginem ingressus dixit, summa reuerentiæ ac submissionis significatione: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Vbi D. Bernardus nos omnes ad spectaculum, seu potiùs miraculum conuocat his verbis: *Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite matres, currite filiæ, currite omnes.* Matres, inquit, quia hæc etiam est mater; virgines, quia & hæc Virgo virginum; viduæ, quia & hæc vidua; coniugatæ, quia & hęc coniugata; omnes denique filij Euæ, quia & hæc mater viuentium. *Accurrite igitur, adite virginalem thalamum: ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nunties ei, si fortè audiatis vnde consolemini.* Rogemus & obsecremus omnes felicissimam illam inter mulieres, vt hodie ad cubiculum suum nos admittat, nec dedignetur concedere vt filij propiùs accedant ad matrem, vt stent saltem ante ostium, vt videant per cancellos, vt eatenus tanti gaudij participes fiant. Nam intus nimia lux coruscat, scio, perstringerentur omnium oculi fulgore. Mereamur saltem verbum vnum haurire, verbum vnum intelligere; nimirum quod primum est in salutatione Angelica, hoc est, *Aue*. Quod vt fiat, indagandum sedulò in primis quanta cum reuerentia ac deuotione salutationem hanc protulerit Angelus. Deinde, de exempli istiusmodi imitatione minimè silendum.

Aug. Serm. de Natiu. & Conc. ad Catech. Tom. 6.

Bernard. Hom. 2. sup. Missus.

AVE MARIA.

QVinque in vniuersum circumstantiæ sunt, quæ legationem aliquam magnam & honorificam efficere solent. Prima, dignitas mittentis: vt si Rex, Imperator, Pontifex is fuerit. Secunda, eius etiam personæ dignitas ad quam mittitur; si v.g. sit Regina, vel Reginæ filia, vel Augusta. Tertia, negotij pro quo mittitur magnitudo; vt si pro communi pace, aut pro matrimonio Re-

gis. Quarta, excellentia personæ quæ mittitur; vt si Cardinalis à latere veniat Româ. Quinta, successus negotij; si videlicet postulata legati concedantur, si pax bona & generalis concludatur, si regnis adhuc dissentibus matrimonium inter Regum proles ineatur. Hæc omnia in hoc diuinissimo negotio Annuntiationis tam magna sunt, vt talem legationem totus orbis numquam viderit, vel audiuerit.
1. Primò, qui mittit, Deus est,
Psal.94. trinus & vnus. Quid est Deus? *Magnus*
75.23. *Dominus & Rex magnus super omnes Deos: terribilis super omnes Reges terræ: Rex regum & Dominus do-*
Apoc.19. *minantium: cuius est terra, & plenitudo eius:* cuius potentia, sapientia, bonitas, & maiestas, & aliæ perfectiones infinitæ & incomprehensibiles.
2. Persona verò ad quam mittitur, est virgo quædã sanctissima, quæ suam quidem à clarissimis Patriarchis, Prophetis, Ducibus, Regibus originem trahit, sed eos longissimè vetæ nobilitatis splendore excedit. neque enim fuit vmquam, neque deinceps est futura talis altera virgo, quam solam iure lumen ac decus orbis terræ, domicilium virtutum, florem ipsum generis humani nominare possumus.
3. Negotium quoque tantum est, vt ab eo pendeat salus vniuersi, neq; negotium admirabilius neque salutarius nobis aut suauius vmquam tractatum est. Hoc enim agitur, vt humana natura Dei Filio matrimonio iungatur, atq; ita nos omnes fiamus fratres Christi, qui sororem no-
Rom.8. stram duxit, & *filij Dei, heredes regni, & coheredes Christi*.
4. Quartò, qui mittitur est Angelus Gabriel, Virgine quidem ad quam mittitur gratiâ minor, sed naturæ præstantiâ maior: vnus de magnis illis spiritibus ac Senatoribus aulæ cælestis, qui ibi omnium Dei consiliorum ac secretorum conscij stant in cõspectu eius. Ille omnium oratorum maximus fuit, qui optimè Virginem ad consensum persuasione perduxit. Cogitate maximos oratores vel concionatores, qui officio suo sunt optimè functi: hic longè adhuc antecellit. Nos quidem populo in concionibus persuadere conamur quod rectum est: sed quoties euenit nobis vt finem non assequamur? Quid ita? defectus partim quidem in auditoribus est, sed partim etiam in nobis, quia non sumus oratores consummati, vt Angelus Gabriel fuit. Quintò denique, 5.
successus optimus fuit: quia secuta est aurea illa & salutaris humani generis cum Deo pax, & naturæ humanæ cum diuina Verbi hypostasi connubium, ad pacem in perpetuum stabiliendam. Nunc ceteris conditionibus vtcumque expensis, veniamus ad exordium tantæ legationis.

Ingressus Angelus ad eam dixit, Aue gratia plena, &c. Quale hoc proœmium! qualis captatio beneuolentiæ! qualis salutatio! quàm noua & inaudita! quàm attentam & attonitam reddidit Virginem! *Turbata est* vtiq; *in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Duplici autem ex capite singularis erat hæc salutatio, & Mariæ competens. Primò, ex Angeli sensu atque affectu, quem externis gestibus ac nutibus honorificis ostendit. quia enim videbat illam virginem adeò gratam Deo, vt eam sibi in matrem eligeret, non poterat non externo habitu etiam sublime aliquid, quod mente concipiebat, significare. Vnde & Græcè dicitur, *καὶ ἰδοῦσα, cùm vidisset, turbata est in sermone eius:* quo insinuatur, viso etiam

Exordiũ legationis, Aue.

iam

iam Angelo turbatam, nòn tantùm audito; idque asseruerunt SS. Patres, quos infra, vbi de turbatione Virginis agendum erit, citabo. Secundò, inusitata fuit salutandi ratio, quia illud κεχαριτωμένη sua significatione singulare quid complectitur. Quoniam enim nihil verè gratiosum & acceptum Deo, nisi iuxta gratiæ ac virtutum magnitudinem; meritò beatissima Virgo, quæ ex omni parte gratiosissima Deo erat, gratia plena, omniumque charismatum genere dicitur referta. Itaque Origenes in primis de hac salutandi forma sic
Orig. scribit: *Id quod ait, κεχαριτωμένη, Aue*
Hom. 6. *gratia plena, vbi in Scripturis alibi le-*
in Luc. *gerim non recordor. soli Mariæ hac*
Ambros. *salutatio seruabatur.* Sic D. Ambro-
Beda sup. sius, & post eum venerabilis Beda,
Luc. nouam hanc insolitamque salutationem admiratur. *Cum prudētia,* inquit Ambrosius, *pauebat, quia benedictionis nouam formā mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquā etiam comperta.* Si profectò in tota Scriptura fuisset audita talis salutatio, vt erat Virgo peritissima Scripturæ, sic turbata non fuisset. Nam quòd Angelus salutet, non est nouum: salutauit etiam benignè Ge-
Iud. 6. deonem: *Dominus tecum, vir fortissi-*
Tob. 5. *me:* salutauit & Tobiam, *Gaudium tibi sit semper:* salutauit & Zachariam,
Luc. 1. *Ne timeas, Zacharia.* Sed, quod mirum, feminas in diuinis Scripturis
Gen. 18. tametsi subinde allocutus sit, vt Sa-
& Iud. 13 ram & vxorem Manue, nusquam tamen obseruamus salutasse, vtpote adhuc Euæ maledictionibus mancipatas. Maria verò non modò salutatur, sed & modo inusitato salutatur. Adhæc salutatur Booz à messo-
Ruth. 2. ribus, *Benedicat tibi Dominus?* Absa-
2. Reg. 16 lom quoque, *Salue Rex, salue Rex.* &
2. Reg. 20. Amasa dux militiæ, *Salue mi frater:*

Nabuchodonosor autem, *Rex in æ-* Dan. 3.
ternum viue. Hebræi denique scri- & 5.
bentes litteras ad amicos, *Salutem &* 2. Ma-
pacem bonam eis precabātur. Huius- chab 1.
modi leguntur variæ quidem sed vsitatæ salutandi formæ: sed ista Gabrielis Archangeli prorsus inusitata est, constatque singularibus & exquisitis titulis, quibus tamquam superiorem inferior, Dominam seruus, Dei sponsam paranymphus, Dei matrem mox futuram minister summa cum reuerentia alloquatur. Multis porrò de causis talem Gabriel vsur-
pat. Primò, vt suum ingressum pa- 1.
cificum & eximij cuiusdā boni causa factum esse significet. Secundò, vt 2.
ipsa ratione salutandi ad magnitudinem mysterij attendendam animum
excitet. Tertiò, Voluit quoque cre- 3.
dibiliora facere quæ dicturus erat. verisimile enim fiebat, eam quæ gratiā plena & benedicta inter mulieres vocabatur, matrem Dei, si quā aliam, futuram esse. sternebatur itaque via ad assensum, vt non peregrinum videretur tam humilem puellam eligi
ad tantam dignitatem. Deinde satis 4.
cognitam ac perspectam habebat mētem sanctissimæ Trinitatis, quam
decēter explicandam susceperat. De- 5.
nique, cognitam similiter habebat dignitatem Virginis, quæ id venerationis merebatur. Itaque meritò verba singula huius salutationis expendenda sunt, quia plena mysterij, atque in primis illud Gabrielis Aue, à quo ducitur initium. Hoc porrò initium accommodatissimum est; quoniam & pacem & salutem & gaudium annuntiat ei quæ conceptura & paritura erat auctorem pacis, & salutis & gaudij, vniuerso generi hu-
mano. de quo sic Augustinus: *A sa-* August.
lutatione incipit, qui salutem in lingua Ser. 17 de Natali
Z 2 *por-* Domini.

portauit. Hoc dictum in genere sufficiat.

Hebraica salutatio, *Salom, lac*, id est, *pax tibi*. Iam Aue vsitata salutandi vox est, quæ phrasi Hebraica effertur, *Salom lac*, שָׁלוֹם לָךְ id est, *Pax tibi*: Syriacè *Salom leci*. Nomine autem pacis omne bonum corporale & spirituale Hebræi complectuntur, vt docet D. Hieronymus. Hieron. in c. 10. Math. Sic Christus Dominus noster Apostolos suos post resurrectionē salutat *Pax vobis*. Lucæ 24. Ioan. 20. Idemque iubet facere domum aliquam ingredientes, dicendo, *Pax huic Domui*. Lucæ 10. Hanc pacem & Angeli Dominicæ Natiuitatis nocte suauissimis illis vocibus decantarunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Luc. 2. Ita & Ioseph salutat fratres, *Pax vobis, nolite timere*. Gen. 43. Porrò etsi dubium est an Angelus Virginem salutarit voce Hebræa, quæ idem pænè significet quod χαῖρε, id est, *aue* vel *gaude*: probabilius tamen videtur, Angelum hac Hebraica salutandi forma vsum, *Salom lac*, eamque à S. Luca versam more Græco in χαῖρε, id est *aue*. Probatur ex Syriaco Euangelio, quod Lucæ χαῖρε conuertit in *Salom leci*, id est, *Pax tibi*. Sed quid causæ est cur Hebræi per pacem omne bonum significabant? Nimirum quia proinde sonat ac si optes alteri omnis desiderij complementum. Hoc tamen in hac vita mortali perfectè obtineri non potest, sed in altera. Quapropter D. Petrus & Iudas Apostoli in Epistolis suis non simpliciter pacem precantur suis, sed pacis augmentum, siue *vt pax Christi adimpleatur*, vel *vt pax multiplicetur*. 1. Petr. 1. 2. Pet. 1. Hoc quippe semper obtineri potest in hoc mundo ab hominibus bonæ voluntatis. Alioquin peccatoribus non est pax, inquit Propheta Isaias, quantumlibet, clament *Pax, pax. Non est pax impijs, dicit Dominus: quia viam pacis non cognouerunt*. Isa. 40. & 57. Quid ita? remorsus conscientiæ ingens carnificina est, & hostis pacis. Fundamentum verò siue origo pacis nostræ est diuina gratia, quæ nos efficit filios Dei, semperque augeri potest; sed absque ea, & fideli eius testimonio, quod habet pacata conscientia, non est pax. Atque hæc est prima huius Aue interpretatio.

Non est etiam improbabile Angelum vsurpasse vocem Hebræam, quæ idem ferè significet quod χαῖρε, id est *aue* vel *gaude*. Χαῖρε id est, *salue*, & *gaude*. sic enim eadem voce alibi Iudas Christum, & Christus feminas salutauit, Marc. 14. Matt. 28. quam apparet voci χαῖρε ad amussim respondisse, aut saltem respondere potuisse.

1. Quapropter cælicus noster Orator, dum ait χαῖρε, id est *aue* aut *salue*, in primis *salutem in lingua portat*, vt loquitur D. Augustinus loco citato. Hanc enim vocem esse salutantis, ipsemet Euangelista mox confirmat, cùm ait, *Cogitabat qualis esset ista salutatio*. omnes quoque hactenus Christiani hanc Annuntiationis partem nuncuparunt Angelicam salutationem.

2. Denique omnibus gentibus familiare est in primo congressu occurrentibus benè precari; quantò magis id faciendum, si quos vltrò adimus de re graui collocuturi. Deinde, χαῖρε significat prætereà *gaude*: & Gabriel more Angelorum bonorum, qui læta nuntiant, exordium auspicatur à gaudio, quòd totum negotium esset plenum gaudij. Sic exponunt inter alios D. Basilius, Gregorius Nyssenus, atque Euthymius. Basil. Homi. de Chri. hū. gener. Nyss. Orat. de Nat. Dñi Euthy. in Luc. 1. χαῖρε, siue *gaude*, inquiunt, *vtpote inter omnes virgines in Dei matrem electa*. Nam si gauisus est Abraham & Sara in natali filij sui Isaac, ideoque nomen ei inditum est quod risum signi- Gen. 21.

significat; quomodo non gaudeat Virgo tanto dignata priuilegio, vt fieret Dei sui & Saluatoris nostri mater? quantum hoc gaudium, quantum beneficium, quantique æstimandum, quòd Angelus nuntiat Virgini, ab æterno electam esse præ cunctis filiabus hominum, vt illæsa virginitate Deum hominem conciperet, pareret, nutriret? Res sanè tanta erat, vt etiam ipsos cælestes spiritus præ gaudio exultantes raperet, dum cunctos in paucis pastoribus mortales ad congratulandum inuitant, dicentes, *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*. De ortu quidem D. Ioannis præcursoris dicitur, *Et multi in natiuitate eius gaudebunt*: sed hoc gaudium verè magnum asseritur, & toti populo, immò & toti humano generi commune. Itaque ipsam beatissimam Virginem in primis ad consortium huius spiritalis gaudij decuit à Gabriele inuitari. atque hoc ipsum experta satis indicauit, cùm lætissimè cecinit, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Luc. 2.

Luc. 1.

3. Quin etiam eadem voce insinuatur præterea, teste Chrysologo, gratulatio, & obsequij significatio, qualem decebat tantæ Reginæ fieri: quemadmodum siquis officium aliquod dignius consequitur, solemus ei hoc pacto benè precari, *Salue & gaude, gratulor tibi, & gaudeo*. Verba Chrysologi sunt, vbi Deum sic loquentem adducit: *Veni Angele, & in graui arcanoque mysterio obsequium tuum exhibe: in hoc miraculo mihi ministra. Equidem misereor Adæ, qui in peccatum lapsus miserè periit, & paradiso exclusus est exul & errabundus in fauces lupi incurrit. Decreui igitur descendere, vt illum quæram, & inimicum eius comprehendam. Hoc arcanum nulli cælestium virtutum pando, nisi tibi. Itaque vade ad Virginem Mariam & annuntia ei secretum, vt mihi in terris præparet habitaculum. Noli autem illi terrorem inferre, sed prima salutationis verba sint quæ gaudium sonent, Aue gratiâ plena.* Hæc Chrysologus.

Chrysol. Serm. de Annunt.

Quando autem vocis Hebraicæ ac Græcæ proprietatem satis expendimus, ratio postulat vt vim quoque Latinæ vocis *Aue* non omnino silentio inuoluamus, cùm & ipsa sit à Spiritu sancto. Nam præter signum pacis, salutis, ac lætitiæ, quod includit; diuino nutu (vt piè sentit Ecclesia, & interpretantur graues Auctores inferiùs citandi) transtulit interpres illud χαῖρε, nō in *salue*, vel *gaude*, sed in *aue*, vt tacitè in primis indicetur Virgo sãctissima ipsum nomen Euæ, ac proinde quas in mundum inuexit calamitates, in perpetuam felicitatem transmutasse. Dum enim inuersis litteris *Eua* migrat in *Aue*, illi primæ feminæ opponitur Maria; quòd illa principium fuerit mortis ac miseriæ, hæc salutis & gaudij. Ac sicuti primum verbum contra Euam prolatum illud fuit, *Multiplicabo ærumnas tuas*: sic primum verbum D. Virgini allatum gaudium nuntiat. Illa denique maledictionis, hæc omnis benedictionis parẽs fuit & origo. De quo sic Fulgẽtius: *Cùm dixit Angelus Aue, ostendit ex integro iram exclusã in prima sententia, & plenæ benedictionis gratiam substitutam*. Quæ quidem obseruatio pijs viris aspernanda non est; quando quidem etiam vniuersa Latina Ecclesia eam approbat ac recipit in Officio diuino, sic canens:

Mysteria in *Aue*.

4.

Gen. 3.

Fulgent. Serm. de Laudib. Virgin.

Aue maris stella,
Dei mater alma,

In Hymnis Eccl.

Atque semper virgo,
Felix cæli porta,
Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.

Item alibi:

Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent vt astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.

Quin etiam hæc pia contemplatio mirabilis commutationis nominum Aue & Eua, & collatio Euæ cum Maria valdè frequens est & familiaris magnis Ecclesiæ Doctoribus ac SS. Patribus: dum explicant quemadmodum Eua sua infidelitate & inobedientia & seipsam & totam posteritatem perdiderit; Maria verò fide & obedientia omnia instaurarit. Sic vir ille eximius & Apostolicus, & martyr Christi Irenæus, facta prioris Adæ cum posteriori, id est Christo, collatione, ipsam quoque Euam cum Maria comparat hoc modo: *Sicut Eua inobediens & sibi & vniuerso generi humano causa facta est mortis: sic Maria Virgo obediens, & sibi & vniuerso generi nostro causa facta est salutis.* Paulò pòst, vt ostendat quantum hæc comparatio sibi cordi esset, exponit quomodo Christus in ligno Crucis peccatum expiauit, quod per fructum ligni vetiti Adam admiserat. Deinde sic rursus Euam componit cum Maria: *Malè seducta est Eua, benè euangelizata est Virgo Maria. Illa per angelicum sermonem seducta est vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: hæc per Angelicum sermonem euangelizata est vt portaret Deum, obediens eius verbo.* Item D. Augustinus his verbis: *Mater generis nostri pœnam intulit mundo: Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia compensatur.* Huiusmodi comparationes siue oppositiones passim occurrũt apud SS. Patres.

Iren. l. 3. c. 33.

August. Ser. 2. de Annunt. qui est 38 de Sanctis.

Secundum mysterium huius Aue à multis quoque obseruatum est, quòd sonet quasi *a*, id est, *sine*, *ve* seu maledicto vllo corporali aut spirituali, sine peccato vel originali vel actuali, sine concupiscentia, sine imperfectione, sine macula vel ante partum, vel in partu, vel post partum; sine ærumnis, sine dolore vel cruciatu alijs mulieribus communi; denique sine corporis corruptione post mortem, cùm non sit more aliorum in puluerem redactum. Credimus enim Deiparam ab his omnibus malis fuisse prorsus immunem. De peccatis quidem etiam leuissimis statuit hoc Concilium Tridentinum, diuus Augustinus, & alij: idemque est Ecclesiæ sensus de alijs malis siue maledictis iam enumeratis. Ita ergo exponunt istud Aue quidam pij Auctores, vt Albertus Magnus, Ægidius Romanus, Bernardinus de Basto, & P. Albertus, ipse etiam D. Bonauentura & D. Antoninus.

Chrysost. Hom. de Interdict. arboris. Iustin. Mart. in colloq. cũ Tryph. Bernard. super *Signum magnum.*

Concil. Trident. sess. 7. c. 23. August. l. de Natura & gra. Albert. sup. *Missus* c 49. Aegid. sup. Salutat. Angelica. Bernardinus, & P. Alb. tit. codẽ. Bonau. in Specul. c. 2. Anton. 4. p. tit. 15. c. 13. §. 4.

Postremò, sicuti serpens antiquus Euam alloquio suo pertraxit in abyssum omnium miseriarum atque ærumnarum, veram ei felicitatem auferendo, veram pacem, verumque gaudium: ita bonus Angelus hoc felicissimo Aue nuntiauit Virgini omnem benedictionem, omne gaudium, præseruationem ab omni malo siue maledicto; famulatum addens obsequij, venerationis submissionem, officiosissimam demum de tanta dignitate

tate gratulationẽ, quòd Dei mater atq; omnium Domina, imò totius mundi lætitia iam esset diuinitus constituta.

Quæstio prima, An sua auctoritate Angelus salutarit.

Quæres, An à se atque auctoritate sua ita salutarit Virginem Angelus, an nomine Dei ac sanctissimæ Trinitatis. Bifariàm enim Angeli in humana forma cum hominibus locuti sunt: Primò, personam Dei gerentes, cuius nomine loquebantur. Gen. 18. sic in Genesi tres viri apparuerunt Abrahæ, & locuti sunt quasi Deus, cùm Angeli essent, quia Dei personã repræsentabant. Sic & Moysi ac Prophetis sæpiùs locutos legimus. Secundo modo Angeli apparuerunt propriam personam agentes, & tamquam Dei ministri seu nuntij atque interpretes diuinæ voluntatis. Sic Dan. 10. Gabriel apparuit & locutus est Tob. 12. Danieli, sic Raphael Tobiæ, &c. Hoc igitur modo loquitur nunc Angelus cum beatissima Virgine, non quidem vt Dei personam repræsentet, sed quasi nuntius Altissimi. Vnde verba omnia quæ pronuntiat sunt à Deo mittente præscripta & ordinata: & ea loquitur quæ in mandatis accepit. Nuntiauit autem maximè noua, & altissima, & honestissima, & vtilissima, & iucundissima. Quid enim æquè nouum, ac Deum fieri hominem, & Virginem matrem? Quid tam excellens ac sublime, quàm hominem Deum esse, & humanitatem diuinitati vniri? Quid sic honestum ac sanctum, vt conceptio Christi Spiritu sancto superueniente, & virtute Altissimi obumbrante facta? Nihil etiam æquè vtile, ac nostræ redemptionis ac salutis æternæ opus. Nihil æquè delectabile, ac concipi nostrum Saluatorem, mortis, diaboli, inferni, peccati victorem.

Secunda quæstio, Cur non expresserit nomen Mariæ.

Quæres etiam, cur Angelus subticuerit nomen proprium Mariæ, dicendo dũtaxat, Aue gratia plena, &c. Respondetur Primò quidem, quia 1. Oratoris munere fungebatur, ideóque τὸ πρέπον spectabat, in quo tradit Cicero dicendi artificium omne Cicer. in consistere. Non decet enim perso- Oratore. nam aliquam dignitate auctam nomine proprio compellare, sed dicimus ei, *Sua Dominatio, Sua Celsitudo, Sua Maiestas, Reuerendissime Domine, Domine Prælate, Domine Gubernator, Domine Consul.* Ad hunc modum non decuit Angelum statim initio compellare Mariam, sed melius visum addere verbis pondus, atque ei titulum attribuere omnium honorificentissimum & gloriosissimum, videlicet Aue *Gratiâ plena*, qui titulus ei propriè conueniebat præ omnibus qui vmquam Dei gratiam habuerũt. Nam etsi sexcenta millia virginum sanctarum ibi fuissent, hæc verba tamen directè ac distinctè ad Mariam referri debuissent κατ᾽ ἐξοχὴν, seu per excellentiam. Sicuti in materia Theologica, cùm nominatur absolutè Sapiens, intelligimus Salomonem; cùm Apostolus, diuum Paulum; cùm Euangelista, D. Ioannem. quare & ipse D. Ioannes non se nominatim, sed *Discipulum* vocat Ioan. 21. *quem diligebat Iesus:* quippe qui delectabatur tali titulo tam dulci tamque amabili. Ita etiam Angelus hîc facit, dum ea quæ à Deo euecta est ad altissimum statum gratiæ, vocat *Gratiâ plenam.* Deinde, recordamini credo eius quod superiùs diximus, 2. quare Angelus sit missus ad Virginem, non homo, ex D. Hieronymo. *Cognata est*, inquit, *Angelis virginitas.* Hieron. Sicuti ergo ad cognatam, ita familia- Serm de riter loquitur Angelus, suppresso no- Assumpt. mine: siue quòd Angelorum con-

sortijs

fortiis assueuisset, siue quòd eam agnosceret quasi verè cognatam Angelorum, creatam in gratia vt sunt Angeli, confirmatam in gratia vt sunt Angeli, immò consummatissimam in gratia, virginem purissimam & totam pulchram, vt sunt Angeli.
3. Postremò seruauit Angelus stylum curiæ cælestis, in qua nulla nominum propriorum necessitas. Sciendum enim, distinctionem nominum propriorum & gentilitiorum seu cognominum inductam esse in hunc mundum, propter imbecillitatem nostræ cognitionis, quia non possemus alioquin ita omnia distinguere & penetrare intelligentiâ nostrâ, essetque quasi chaos in mundo. Sed in cælo vbi alia clarior est & distinctior cognitio, non ita fit. Siqui Angeli propria habent nomina, vt Michaël, Gabriel, Raphael, illa non tam personarum quàm officiorum nomina censentur, vt videlicet illorum munera nobis innotescant. ideoque rarò legimus Angelos in Scriptura homines compellasse propriis nominibus, quia intimam habent illorum notitiam; neque nomina exprimunt nisi in nostrî gratiam. vnde cùm Iacob Patriarcha, & Manue Samsonis pater nomen Angeli sibi apparentis quærerent, noluit indicare, dicens,
Gen. 32. & Iudic. 13. *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?* Itaque in cælo non opus erit nominibus, sed patefaciemus nobis inuicem quæ volemus, & agnoscemus omnes intimè ac distinctissimè sine nominibus. Primus Adam posuit rebus nomina, & è filiis suis alterum vocauit Cain, alterum Abel.
Genes. 5. Lamech vocauit nomen filij Noë, Noë vocauit filiũ Sem, &c. Angelus itaque probè noscens Virginis eminentiam, quæ cælestem in terris vitam degebat, seruauit hîc consuetudinem curiæ suæ, quando Mariam salutans vocauit *gratiâ plenam*, proprio Mariæ nomine prætermisso. Atqui de his hactenus.

Secunda pars, de intentione expli. Audiuimus quanta cum reuerentiæ ac lætitiæ significatione salutarit Angelus Mariam; vtique ex mandato sanctissimæ Trinitatis. Quid hîc B. Virginis cultores facere, quid nos omnes cogitare, quid moliri par est?
Prou. 25. *Aqua frigida animæ sitienti, nuntius bonus de terra longinqua,* vt monet Sapiens: hoc est, quemadmodum frigidæ aquæ potus sitientem recreat, sic nuntius bonus è longinqua regione veniens audientem oblectat. Verè nuntius bonus fuit Gabriel, è longinqua cæli regione missus, verè aquæ frigidæ similis, in summo æstu sitientibus propinatæ: neque solùm D. Virgini, quę sicut desiderat ceruus ad fontes, ita ad Deum fortem, fontemque viuum desiderabat: verùm etiam nobis omnibus, sanè multis grauibusque de causis.
Prima ratio, ab exemplis. Primò fortiter pro rei tantæ dignitate nos exempla multiplicia ad imitationem inuitant. Nam & sanctissima Trinitas Mariam veneratur, & Angelus, seu potiùs Angelorum princeps, veneratur. Elisabeth quoque instinctu Spiritus sancti exclamat, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Similiter D. Ioannes Baptista eam veneratur exultando adhuc in vtero matris, eamque, quoad eius fieri poterat, salutando. Tota denique ex eo tempore Ecclesia Catholica eam venerata est, & salutauit semper, atque ita salutandam traditione nos docuit, addens ad verba Angeli & Elisabet hę clausulam precatoriam, *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in*

hora

hora mortis nostra, *Amen*. Tam ab initio nascentis Ecclesiæ, ac deinceps in Liturgiis D. Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, honorificentissimè appellatur, persalutatur, inuocatur. Atque vt nonnulla veterum, grauissimorum certè ac sanctissimorum Patrum, exempla atque testimonia attingam; sic D. Ioannes Damascenus in primis ad huius Salutationis frequentem recitationem suos cohortatur: *Agedum, Christiani, cum Gabriele Angelorum antesignano exclamemus, Aue gratia plena, Dominus tecum*, &c. Sic Magnus quoq; mirabilium effector Gregorius Neocæsariensis ciues suos his verbis alloquitur: *Agite, charissimi, & nos Angelicam consectantes laudem, debitum pro viribus grati persoluamus, dicentes, Aue & gaude, gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim verè est auere atq; gaudere: quoniam tecum diuina gratia, vt nouit, habitationem delegit; cum ancilla Rex gloria, cum speciosa speciosus formâ pra filiis hominum, cum impolluta qui sanctificat vniuersa*. Ad eumdem modum fortissimus ille SS. Trinitatis propugnator Athanasius continuò quinquies eamdem Salutationem cum variis encomiis repetit, & cunctas cælestium spirituum hierarchias inducit eam verbis Gabrielis, dum in cælum assumeretur, consalutantes. demumque subiicit: *Deinde & nos hierarchia terrestres exaltamus te, magna & canora voce dicentes, Aue gratia plena, intercede Hera ac Domina, & Regina, & mater Dei, pro nobis*. Quid B. Ephræm Syrus, (vt alios mittam) cuius scripta tanti fecerunt Ecclesię Orientis, vt illa publicè post Sacras litteras legere solerent, teste D. Hieronymo: quoties, quàm ardenter, & salutat & inuocat Virginem matrem? maximè Sermone quodam, vbi post plurima eius encomia sic exclamat: *Dignare me seruū tuum humilem laudare te, Virgo sacrata, ac suauiter dicere: Aue praclarum & electum vas Dei. Aue Domina mea Maria, gratiâ plena. Aue inter mulieres Virgo beatissima Aue stella fulgidissima, ex qua Christus processit. Aue lux splendidissima, mater & virgo*, &c. Ita consequenter septies & quadragies eamdem mirificis epithetis exornans, demissè salutat & inuocat. In Occidente, seu Latina Ecclesia, quis feruentior S. Bernardo? quis religiosior D. Augustino, cuius quidem hæc oratio à tota recipitur Ecclesia, & quotidie celebratur: *Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero*, &c. Idem in Meditationibus sic orat: *Sancta & immaculata Virgo, Dei genitrix Maria, mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me digneris apud illum cuius templum effici meruisti*. Quid huiusmodi alia commemorem cultorum Deiparæ exempla, quibus eam salutare, eiusq; opem implorare solemne fuit? Maria talis ac tanta est, vt meritò creaturæ omnes, cælestes, terrestres, & infernales ei genuflectere debeant: & nos patiemur à nobis desiderari officium nostrum, vel obsequium ac venerationem erga communem parentem, ac cæli terræque Reginam?

Damasc. Serm. de Natiuit. Virgin.

Gregor. Thaum. Ser. 1 in Annunt.

Athanas. Serm. in Euangel. de S. Deipara.

Hieron. in Catalogo.

Ephræm Serm. de Laudib. S. Deiparæ.

S. Aug. Ser. 2. de Natiuit.

In Medit. c. 40.

Secunda ratio, ab eius dignitate.

Eódem nos impellit eius dignitas, quæ post Deum penitùs suprema est, adeò vt supra omnes Angelorum hierarchias chorum gloriæ suæ constituat, inter Deum & creaturas, nihilque supra se nisi Deum, cetera omnia sub pedibus habeat. Meretur itaque sublimitas status eius, vt ab omnibus

nibus quotidie summa cum reuerentia salutetur. Adde, quòd non Regina modò cælorum, sed & mater nostra est: Deus autem præcepit matrẽ honorari. Quomodo id efficaciùs præstabimus, quàm piè offerendo Angelicam Salutationem, per quam euecta fuit ad infinitam illam matris Dei dignitatem, & Reginæ cælestis sublimitatem; qua proinde nihil ipsi gratius ab hominibus offerri potest, in tãti beneficij recordationem? Hęc ratio excellentiæ eius ita permouit SS. Patres, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, Bernardum, aliosque, vt quoties de ea verba facere instituunt, tremere videantur præ reuerentia; neque tamen à laudibus eius cessare audeant. Verba quorumdam audite, ac primùm D. Augustini: *Quid nos tantilli*, inquit, *quid in laudibus eius referemus? Etsi omnium nostrûm membra verterẽtur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior cælo est de qua loquimur; abysso profundior cui laudes dicere conamur*. Rursus eodem Sermone: *Quid dicam pauper ingenio, cùm de te quidquid dixero, minor laus sit quàm tua dignitas mereatur? Si matrem gentium dicam, præcedis: si Dominam Angelorum, antecellis*. Sic & D. Hieronymus sese submittit: *De tali tantaq; Virgine me loqui indignum fateor: sed & puto quòd nemo præsumat, nisi qui quanta sint quæ panduntur, penitùs ignorat. Tamen etsi ad hæc nemo idoneus inuenitur, cessare proinde à laudibus non debet*. Quid S. Epiphanius? *Desiderium*, ait, *me trahit vt de Deipara verba faciam; & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret. Cùm ergo ab vtroque detinear, expedit mihi vt sermonem habeam de percelebri & sancta Virgine*. Addamus Petrum Chrysologum, qui sit instar omnium aliorum. *Quantus sit Deus*, inquit, *satis ignorat ille qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit: & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione*.

August. Ser. 2. de Assumpt. Hieron. Serm. de Assumpt. Ambros. lib. 2. de Virgin. Chrysost. Serm. de Natiuit. Virgin. Bernard. Hom. 3. sup. *Missus*. Epipha. Serm. in Assump. Chrysol. Ser. 140. Bonau. in Speculo.

Tertia ratio, ab eius beneficijs.

Adhæc, summa eius beneficentia & charitas maximis & quotidianis beneficiis testata, iure suo à nobis postulat vt gratiam referamus quantam maximam possumus, & quacumque ratione, verbis operibusque iis respondeamus. Hanc porrò beneficentiam maximè iis exhibet, à quibus assiduè salutatur, quia semper solet resalutare. Facit enim id quod prouerbio dici solet, *Salutat libenter, resalutat libentiùs*. Constat autem, ad eius salutationem in domo Zachariæ & Elisabeth totam familiam sancti Spiritus charismatibus redundasse: quid ni ergo eumdem benedictionis eius fructum, si voluerimus, sperare audeamus? *Maria siquidem omnibus sinum misericordiæ aperit* (inquit Bernardus) *vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, denique Filij persona carnis humanæ substantiam; vt non sit qui se abscondat à calore eius. Omnis quidem sufficientia nostra fuit ex Christo. Sed congruum magis erat, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè*

Bernard. de Verbis Apoc. 12.

&

& potens mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Opus erat mediatore ad mediatorem istum: nec alter nobis vtilior quàm Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile: omnibus offert lac & lanam. id est, omnia necessaria. Hactenus Bernardus. Vniuersus propemodum orbis Christianus miraculis eius repletus est: neque est regio vspiam aut terræ angulus Euangelio illustratus, vbi non visantur templa aut loca religiosa, quæ innumera eius beneficia testētur, siue corporum incolumitate, siue animarum salute, & peccatorum venia per eam diuinitus impetrata. Quod vel solum hoc nostrum Belgium perlustranti perspicuum fit: vbi perpetua eius liberalitate locis plurimis hactenus suorū necessitatibus subuenit, afflictos consolatur, ægrotos sanat, peccatores conuertit, omnium preces exaudit, neminem vacuum dimittit. meritò vt ab Ecclesia Catholica quotidie salutetur *vita, dulcedo, & spes nostra, refugium peccatorum, causa nostræ lætitiæ, salus infirmorum, consolatio afflictorum, auxilium Christianorum.*

Quarta ratio, ab egestate nostra.

Accedit quarta ratio, ducta ex consideratione nostræ miseriæ, seu potiùs abyssi miseriarum. Nam cùm tot sint nostræ egestates & ærumnæ vndequaque, nec leuari queant nisi ab ea quæ polleat & charitate qua velit, & potestate qua laborantibus possit opitulari: quantum in vtroque Maria valeat, ex eo quòd præpotentis Dei mater est, manifestò perspicitur. *Regina quippe cælorum est*, inquit Bernardus, *misericors est, denique mater est vnigeniti Filij Dei. Nihil sic potest vel pietatis eius vel potestatis commendare magnitudinem: nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare matrem, aut dubitare quis possit in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus nouem mensibus ipsa quæ ex Deo est charitas corporaliter requieuit.*

Bernard. Ser. 1. de Assumpt.

Quinta ratio, ex prophetia. Luc. 1.

Denique ipsius beatissimæ Virginis prophetia necessario implenda est, quæ ait, *Beatam me dicent omnes generationes*. atqui beatam dicimus, cùm piè verbis Angelicis eam salutamus. At hæretici horrent, nosque, dum hanc Salutationem commendamus, irrident. Quid tum? Rideant & execrentur, quia hostes eius sunt, & hostes veritatis. Vbi, inquiunt, scriptum est eam sic honorandam? Ibidem vbi à S. Luca dicitur vaticinata, *Beatam me dicent omnes generationes.* vbi & Angelus, mandato sanctissimæ Trinitatis, exēplo nos præit. Non licet exemplum huiusmodi sequi? Nónne etiam præceptum est de honorandis parentibus? nónne præceptum itidem de Principibus ac Magistratibus obseruandis? Atqui illa est totius mundi nobilissima heroïna, & Iudicis omnium mater. Adhæc si benè meritis gratia debetur; quis maius beneficium conferre potuit, quàm ea quæ nobis Christum peperit? an non illa omni reuerentia & salutatione digna est? Denique non modò Christianum, sed & humanum officium est obuium quemque salutare, benignè & comiter appellare, etiamsi numquam videris. Hic enim effectus charitatis est, qua præcipimur diligere proximum, sicut nosmetipsos. & mutuæ salutationes breuissimæ preces sunt, quibus vt salua sint omnia benignè comprecamur: atque ita mutuam fouemus amicitiam, & multas frequenter rixas litesque componimus. Itaq; non

impij modò sunt, sed & omnem exuerunt humanitatem, qui colendã & salutandam Deiparam negant. Quasi verò non sit gratior atque efficacior nostra oratio, si Deiparæ patrocinio & intercessione subnixa Deo offeratur, quàm si nos soli immediatè eam ad aures diuinæ maiestatis dirigamus. Melliflui vocem Doctoris attendite: *Cæterùm quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit.* Iterum ibidem: *Modicum illud quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* Quapropter quò magis insaniunt hæretici, hunc salutandi morem vituperando, eò nos feruentiùs ac frequentiùs eum vsurpemus: eique cùm tota Ecclesia dicamus, *Tu cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo: tuum est caput serpentis conterere.* Tu hactenus in Ecclesia id præstitisti, & in posterum præstare non desistes. Ita Sancti de ea sentiunt & loquuntur, nominatim præter ceteros D. Hieronymus, ac D. Bernardus. Idem & nos sentire oportet ac dicere, opitulante filij ipsius Iesu Christi gratia, cui honor & potestas in sæcula, Amen.

Bernard. Serm. de Natiuit. Mariæ.

Gen. 3.

Hieron. Serm. de Assumpt. Bernard. Serm. de Signo magno.

CONCIO XVII.

Gratia plena.

1. *Duodecim plenitudines gratiæ in beatissima Virgine Maria.*

2. *Quemadmodum illius gratiarum participes effici possimus.*

Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.*



DIVVS Bernardus, Mariani nominis cultor ac præco eximius, antequam Salutationis Angelicæ explanatione aggrederetur, sic est præfatus: *Væ mihi, non quia tacui, sed quia locutus sum: quoniam vir pollutus labiis ego sum. Quot vana, quot falsa hoc ore euomui, quo nunc cælestia reuoluere verba præsumo? Quàm vereor ne mihi dicatur illud Psalmistæ, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Hæc & alia plura quæ sequuntur, quàm modestè, quàm timidè profertur? Sed si tantopere tu expauescis, ô Bernarde, si titubas, si erubescis tuis verbis Deiparam exornare, quia maior omni laude est; quomodo nos tenuissimæ fortunæ homines par est contremiscere? quid inueniemus nos tali cælorum Regina dignum? Certè si quid in orbe Christiano ea dignum reperiatur, audeo dicere, dignum maximè censendum est hoc Gabrielis *Aue gratia plena,* cum iis quæ sequuntur. Constat enim, Angelos, qui tam sedulò antiquis Patribus ac Prophetis apparuêre, nusquam vllum ex ipsis tam magnifica salutatione honorasse: quoniam vni illi hæc seruabatur, quæ hominum & Angelorum Dominum esset paritura. Nusquam in Scripturis legitur talis salutatio, vti diximus aliàs, nusquam talis in terris audita est, tam magnifica, tam excellens, tam rara: quia in nullam creaturam tantum est à Deo collatum beneficium atque in Mariam. Sileat laus omnis humana, sileant veteris Scripturæ typi Virginem gloriosissimam adumbrantes, sileant omnes honorum tituli, quos hominum pietas illi omni æuo attribuit, si cum hac Angelica seu potiùs diuinissima Salutatione sint conferendi. Meritò quidem D. Ioannes Damascenus Virginem hanc vocat *abyssum gratiæ.* Meritò Epiphanius appellat *mare spirituale, habens in se gem-*

Psal. 49.

Damasc. Orat. 2. de Assumpt. Epiph de Laudib. Virgin.

gemmã cælestem, quæ Christus est; ideoque gratiam eius immensam fuisse non dubitat affirmare. Andreas Cretensis vocat *omnis sanctitatis sanctissimum thesaurum*. D. Hieronymus, seu quisquis auctor est sermonis illius celeberrimi de Assumptione, *hortum deliciarum, in quo consita sunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum*. Petrus Damianus *hortum voluptatis, quem Deus omnibus gratia delicijs cumulauit*. His enim atque huiusmodi sanctissimæ Virginis encomijs plena est antiquitas, pleni Sanctorum libri. Sed hæc omnia cumulatissimè Gabriel Archangelus primo salutationis suæ titulo complexus est, cùm dixit *Aue gratiâ plena*. Quem vt hodie pro qualicumque nostro captu intelligere atque explicare valeamus, dicendum Primò de multiplici plenitudine gratiæ, quæ D. Virgini diuinitus collata est. Secundò, quem inde fructum consequi possimus.

Andreas Orat. de Dormit. Virgin. Hieron. Serm. de Assumpt.

AVE MARIA.

QVæri in primis potest, quam vim habeat iste titulus *Gratiâ plena?* Nam hæretici multi, vt Caluinus, Beza, Bucerus, Castalion, & alij, conantur hunc imminuere, atque omnem gratiam D. Virgini auferre. Participium, inquiunt, κεχαριτωμένη, nihil aliud est quàm *gratiosa, pulchra, suauis, dulcis, amœna, recepta in gratiam, gratis dilecta, gratiam consecuta, accepta & grata*. Itaque nullo modo admittunt, *Gratiâ plena*: quod tamen hactenus obtinuit, & seruauit orbis Christianus, tanquam legitimè, verè, fideliter ab interprete redditum. Numquam enim aliter beati Patres, Ambrosius, Hieronymus Augustinus, Bernardus, Chylologus, D. Thomas, Albertus Magnus, alijque in Ecclesia Latina: numquam similiter Græci Patres, Athanasius, Epiphanius, alijque plurimi, qui profectò vim Græcæ dictionis probè norant, vel legerunt, vel sunt interpretati, vt postea patebit. Maneat ergo tantorum Patrum fides, floreat doctrina: accipiatur hîc gratia propriè non pro fauore extrinseco, sed pro dono iustitiæ inhærentis, à Spiritu sancto infuso animæ, quo diuinæ fit consors naturæ, quo Deus in anima dicitur habitare, quo denique efficitur homo verè ac propriè gratiosus seu Deo gratus. Quamquam non huius tantùm gratiæ iustificantis plenitudo in Deipara fuit, sed absolutè omnium plenitudo gratiarum, quæ à Deo creaturis vmquam sunt collatæ. Qua re sic constituta, quæritur vlteriùs, quàm congruenter ac verè hic titulus debeatur B. Virgini? non enim videtur distinctè & propriè ad eam pertinere, quãdoquidem & Christus Dominus noster dicitur *plenus gratia & veritate*, & Stephanus *plenus gratia & fortitudine*: idemq; scribitur de D. Ioanne Baptistâ, Zachariâ, Elisabeth; & de Apostolis atque Apostolorum discipulis, qui omnes *repleti sunt Spiritu sancto*. Quid ergo singulare dicitur de beatissima Virgine?

Vide apud Canisium in Mariali, sup. hunc locum. Ambros. sup. Luc. Hieron. Serm. de Assumpt. Aug. in Enchiri. Bernard. passim. sup. *Missus* &c. Chrysol. Ser. 142. D. Tho. 3. p. q. 27. a. 5. Albertus Mag. de Laudib. Virgin. c. 69. 70. 72.

Athanas. su. Euãg. Epiph. Orat. de B. Virg.

Ioan. 1. Act. 6. Luc. 1. Act. 2. & 4. & 13.

Respondeo, à SS. Patribus atque interpretibus Scripturæ sacræ multiplicem statui plenitudinem gratiæ. D. Bonauentura sic distinguit, vt *Christus dicatur plenus plenitudine superabundantiæ, quoniam de eius plenitudine nos omnes accepimus: D. Virgo plenitudine prærogatiuæ, Stephanus ac reliqui Sancti plenitudine sufficientiæ*: quæ videlicet plenitudo Sanctis omnibus communis est, vt gratiam habeant necessariam ad promerendam vitam æternam, vel ad sufficientiam status quem à Deo acceperunt; vti

Prima plenitudo gratiæ, est plenitudo prærogatiuæ. Bonau. in 3. sent. dist. 13. q. 3.

D.Tho. 3.p.q.7. a.10.ad 1 & 2.

etiam tradit ijsdem ferè verbis diuus Thomas. Quemadmodum è triplici genere cultus seu adorationis, nempe latria, hyperdulia, dulia, Deiparæ tribuendus est cultus hyperduliæ; ita hîc plenitudo prærogatiuæ. Quam quidem inter alios explicat his verbis D. Athanasius: *Spiritus sanctus in Virginem descēdit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini principatus adsunt, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset gratiosa, atque idcircò gratiâ plena cognominata est.* Ecquid item grandius dici potuit quàm illud D. Hieronymi? *Vt in comparatione Dei nemo bonus*, inquit, *ita & in comparatione matris Domini nulla inuenitur perfecta, quamuis virtutibus innumeris comprobetur.* Rectè item illud eiusdem argumēti apud Chrysologum: *Aue gratiâ plena*, inquit, *quia in alios gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo.* Quid mirum igitur si à sponso prædicatur *pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* immò ibidem, *Pulchra es*, inquit, *ô amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem*, id est, sicut vniuersitas curiæ cælestis. Nimirum velut luna in cælo perfecta, diuinæ gratiæ lumine, quod à Sole iustitiæ mutuata est, ita plena fuit, vt plenitudinem illam numquam amiserit, sicuti illa solet amittere quam oculis lucentem cernimus. Ac rursus *electa vt sol*, vel vt alibi *amicta sole* describitur, quia singulariter huius sæculi noctem dissipat, terrasque omnes illustrat, præ ceteris omnibus sideribus benignissimo lumine mortales recreans & conseruans. Omnes enim gratiæ sanctorum siue martyrum, siue Apostolorum, quin & ipsorum Cherubinorum aut Seraphinorum, quasi minores stellæ solis lumine obscurantur, ita vt sint quasi non sint, ac videri nō possint, si cum Deipara Virgine comparentur. D. Ephræm disertè id affirmantis sententiam audiamus. *Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, sublimior cælicolis, purior solis radiis & splendoribus, honoratior Cherubim, & multò sanctior Seraphim, & nulla comparatione ceteris omnibus superis exercitatibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona, ob fulgorem inaccessum.* Eadem ratione etiam *terribilis* dicitur *vt castrorum acies ordinata*, & *equitatui similis in curribus Pharaonis.*

Athanas. Serm de Deipara.

Hieron. aut quisquis auctor est Serm. de Assump. tom. 9.

Chrysol. Ser. 1. de Annunt.

Cant. 6.

Similia quatuor.

Apoc. 12.

Ephræm Orat. de Laud. Virgin.

Cant. 1.

Variis modis adhuc plenitudo gratiæ considerari potest, qui omnes aliqua ex parte ad D. Virginis sanctimoniam referri aptissimè possunt. D. Thomas distinguit plenitudinem *aliam ex parte gratiæ, aliam ex parte subiecti* seu possidentis gratiam. Si ex parte gratiæ accipiatur plenitudo, secundùm omnem latitudinem graduum, seu pro tanta gratia quanta dari potest vel à Deo produci lege scilicet ordinaria; sic Christus plenus gratia fuit, quasi fons omnis gratiæ, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Si verò spectetur ex parte subiecti, sic datur vnicuique *secundùm mensuram donationis Christi*, vt Apostolus loquitur. Porrò cùm *diuisiones gratiarum* multæ sint, tanta est hæc mensura, quantam Deo placet elargiri, *qui diuidit singulis prout vult*, seu prout status exigit ad quem nos elegit. Matri autem simulque Virgini Mariæ eximia mensura & incomparabilis debebatur præ omnibus Sanctis, qui sunt eius dumtaxat serui. Sed iuuabit audire verba Angelici Doctoris. *Ex parte quidem ipsius gratiæ*, inquit, *dicitur esse plenitudo gratiæ*

Secunda plenitudo, non ex parte gratiæ, sed ex parte subiecti.

D. Tho. 3.p.q.7. ar. 10.

Ioan. 1.

Ephes. 4.

1. Cor. 12

D. Tho. suprà.

ex

ex eo quòd aliquis pertingit ad summũ gratiæ, & quantum ad essentiam & quantum ad virtutem, quia scilicet habet gratiam & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus: & talis gratiæ plenitudo est propria Christo. Ex parte verò subiecti gratiam habentis esse dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiam secundùm suam conditionem, siue secundùm intensionem, prout in eo est intensa gratia vsque ad terminum præfixum ei à Deo: siue etiam secundùm virtutem; in quantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia quæ pertinent ad suum officium siue statum. & talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum. hæc D. Thomas. Plenitudinem verò gratiæ ex parte subiecti D. Bernardus applicat Deiparæ Virgini in hunc modum: *Legimus in Actis Apostolorum & Stephanum plenum gratia, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto; sed longè dissimiliter à Maria. nec in Stephano habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec Apostoli conceperunt de Spiritu sancto, quomodo Maria*. q. d. Alia debebatur plenitudo matri Dei, alia Sanctis. Eadem distinctio conuenit D. Ioanni Baptistæ, aliisque qui aliquando dicuntur & verè fuerunt pleni gratia, vel Spiritu sancto; quin & ipsis quoque Principibus Angelorum, vt disertè expressit D. Iacobus in sua Liturgia hoc modo: *Dignum est vt te vere beatam dicamus Deiparam honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione Deum genuisti*. Quemadmodum plenus aquâ fons est, plenus fluuius, & pleni riuuli seu vasa quælibet: tametsi plus aquæ in fonte, quàm in fluuio; & plus in fluuio, quàm in riuulis seu vasis: ita Christus plenus gratia est, tamquam fons, in quo & scaturit & stagnat gratia, & in homines omnes sicut ex capite in membra deriuatur. *Vidimus illum*, inquit Ioannes Apostolus, *quasi vnigenitum ex Patre, plenum gratiæ & veritatis. & de plenitudine eius nos omnes accepimus*. & Apostolus Paulus: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Maria autem plena dicitur vt fluuius, & ingens fluuius & amœnus, iuxta illud Psalmistæ, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*. sic enim exponunt SS. Patres de B. Virgine, nominatim D. Augustinus, & Athanasius. Demum pleni & sancti gratia, ceu riuuli, aut vasa plena *aquæ viuæ salientis in vitam æternam*.

Bernard. Hom. 3. sup. *Missus*.
D. Iacob. in Liturg.
A simili.
Ioan. 1.
Coloss. 1.
Psal. 45.
Aug. l. 17. de Ciu. c. 16.
Athanas. Serm de Deipara.
Ioan. 4.

Adhæc D. Thomas in Opusculis triplicem statuit gratiæ plenitudinẽ in B. Virgine, nimirum *Sufficientiæ, quam ab initio vitæ sufficientissimè habuit in ordine ad statum ad quem fuit electa: Abundantiæ, in conceptu filij: singularis denique Excellentiæ, in toto vitæ decursu*. Quod ad primam attinet, est ipsa quidem *Sanctis omnibus communis*, (vt idem alibi tradit) *vt scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendam vitam æternã*, pro cuiusque vocatione, id est, ministerio officij ad quod à Deo electi sunt: & hanc plenitudinem optat Apostolus Ephesiis, cùm dicit, *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*: veruntamen in Deipara Virgine, quòd electa esset ad statum eminentissimum matris Dei, quem promereri aliquo modo oportebat, fuit sanè eminentissima, ac prorsus singularis, longè vt omnem

Tertia plenitudo, sufficientia.
D. Tho. Opusc. 60. a. 6.
D. Tho. 3. p. q. 7. art. 10. ad 2.
Ephes. 4.

nem

nem gratiam creaturarum, ipsosque nobilissimos Seraphinos transcenderet. de quo eleganter ita disserit Cardinalis Petrus Damiani: *Quid grandius Virgine, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris cōclusit arcanum? Attende Cherubim, attende Seraphim, & videbis quidquid maius est, minus esse Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Quòd autem hac plenitudine gratiæ simul cum omnibus virtutibus, donis, fructibusque Spiritus sancti, quibus idonea redderetur, portare meruerit ac parere Filium Dei, manifestè non rarò confitetur Ecclesia, Deique collaudat benignitatem, quòd, *vt dignum filij sui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparavit.* Idque confirmant SS. Patres, Ambrosius, Gregorius, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Bernardus, & alij: non quòd vllus propriè mereri potuerit vt Deus homo fieret, (vt superiùs demōstratum est Concione decimaquinta) sed postquam gratis voluit Deus nostram carnem assumere, tantum effecit collata D. Virgini hac plenitudine gratiæ, vt præ ceteris omnibus dignè eum concipere mereretur. *Quocircà nullus mortalium,* inquit Laurentius Iustinianus, *quantanis donorum cælestium numerositate sit præditus, Virgini vales coæquari. Patriarcharum vtique, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, omniumque Sanctorum merita B. Maria transcendit,* &c. Omnium denique clarissimè D. Anselmus, *Decens erat,* inquit, *vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei Patris & Virginis Filius: & quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat: & de qua Spiritus sanctus volebat & operaturus erat, vt conciperetur & nasceretur ille de quo procedebat.* Hactenus Anselmus.

Petr. Dami. Serm. de Ann.

Ecclesi. in Offic.

Ambr. l. i. de Spiritu s. c. 7. Greg. su. 1. Reg. 1. Aug. l. de Natura & gra. c. 36. Basil. Hom. de Humana Christi gener. Chrysost. Serm. de Hypapāt. Bernard. Ser. 4. de Assumpt. Iustin. mart. q. 186. Laur. Iust. Serm. de Nat. Vir. Ansel. de Cōceptu virginali c. 18.

Sequitur apud D. Thomam loco citato, plenitudo Abundantiæ, qua, præter gratiam, repleta est etiam gratiæ auctore. De qua sic interpretatur hunc titulum D. Ambrosius: *Benè sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratia repleretur auctore.* Et D. Hieronymus: *S. Maria, quia conceperat eum in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.* Sed omnium disertissimè S. Bernardinus: *Ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in B. Virginem descenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus, credo, numquam potuerunt attingere. Quod declarans Gabriel, cùm ab eo quæreret B. Virgo, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? respondit, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. quasi diceret, Quod à me quæris ignoro; sed æterna sapientiæ Doctor, qui tibi soli hoc altissimum mysterium reseruauit, te per illuminatissimam experientiam edocebit.* Hæc ille. Denique hæc plenitudo gratiæ, quæ Virgini competebat, dum mater Dei fieret, ita captum nostrum excedit, vt sit quodammodò infinita, vt auctor est D. Thomas: qui posteaquam quæsiuisset cur præpotens Deus res aliquas tanta præstantia condiderit, vt præstantiores facere non posset potentia sua infinita; respondet, tria huiusmodi à Deo condita esse, quæ sunt *Christus homo, gloria beatorum, & Maria mater Dei.* Hæc enim adeò sunt magna, vt quò vlteriùs

Quarta plenitudo abundantiæ, ob dignitatē maternā.

Amb. su. Lucam l. 2. c. 1.

Hieron. epist. ad Principiā

Bernardinus Serm. 61. de Virgine benedicta.

D. Tho. 1. p. q. 25. ar. 6. ad 4.

vlterius progrediantur non habeant: id est, vt verbis loquar D. Thomæ, *Habent quamdam dignitatem infinitã ex bono infinito quod est Deus.* Atqui, Videbitur igitur Deus non omnipotens. Immò verò quia omnipotens est, ideò meliora facere non potest. Explico in singulis. Beatorum gloria cùm sit summum bonum, & possessio Dei, si posset reperiri melior possessio quàm Dei, aliquid Deo melius esset. Ita cùm Christus homo sit diuinum suppositum, siquid afferas melius, iam erit aliquid melius Deo. Ita & Maria mater cùm sit Dei, si dederis matrem digniorem, iam erit aliquid dignius Deo. siquidem matris dignitas à filij dignitate suam æstimationem trahit.

Quinta plenitudo, singularis excellentia meritorũ. Demum tertio D. Thomæ membro suprà posito tribuitur ei plenitudo singularis Excellentiæ in toto vitæ decursu, excludens omne peccatum, atque incredibilem meritorũ affluentiam adducens. Nam Spiritus sanctus ita domum suam repleuit, & omnia eius cubicula, & omnes angulos (vt sic loquar) nihil vt in ea esset vacuum. Quæ ratio est, cur peccatum siue originale, siue actuale etiam veniale locum in anima illa non inuenerit, quæ in Dei gratia fuit prorsus confirmata. Quando enim vas plenum liquore optimo est, nihil vitiosi capere potest. Itaque Concilium Tridentinum tamquam firmã Ecclesiæ confessionem credendum statuit, B. Virginem nullum actuale, nec veniale quidem peccatum perpetrasse in vita. (Concil. Trident. sess. 6. cap. 23.) ideoque sic etiam de ea loquitur D. Augustinus: *De sanctissima Virgine, propter honorem fily, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit* (August. de Nat. & grat. cap. 36.) *ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Adde, quòd non solùm à peccato libera fuerit, sed etiam ab omni concupiscentia seu lege peccati, de qua agit Apostolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* (Rom. 7.) Hæc enim communis sententia est omnium ferè Doctorum, qui censent illam à peccato originali immunem fuisse; nominatim Alensis, Scoti, Gabrielis, Almaini, Maioris, & aliorum. (Alensis 3. p. q. 9. memb. 2. art. 1. Reliqui dist. 3.) Ratio est, quia fomes peccati effectus quidam est peccati originalis, indecens atque inordinatus; & numquam in adulto reperitur, qui non aliquando & sępè venialiter peccent, vt liquet ex D. Augustino. (August. lib. 5. cõtra Iulianum, c. 9.) Itaque quemadmodum in Adamo & Eua ante peccatum perfectissimè extinctus fuit iste fomes, ita & in gloriosissima Virgine Maria. Quin immò verba D. Bernardi sunt de eodẽ argumento: *Nihil in ea non dico tenebrosum, non obscurum saltem vel minùs lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.* (Bernard. Serm. in Signum magnum.) Similia habent præter alios Damascenus, & Richardus Victorinus. (Damasc. Orat. de Assumpt. Richard. lib. 2. de Emmanuele, c. 28. &c.) Ex quo factum est vt, dum hinc peccati omnis expers, inde charitatis aliarumq; virtutum heroicarum operibus assiduè esset intenta; meritorum cumulos in immensum auxerit, proportione plerumque dupla crescente gratia: quandoquidem secundùm latitudinem habitus, seu ex tota plenitudine charitatis operari solita est vsque ad mortem. In quem sensum explicat D. Gregorius illud Isaiæ cap. 2. *Erit præparatus mons Domini in vertice montium: vt B. Virgo sit ille mons in vertice montium, de quo* (Greg. in 1. Reg. 1. Simile.)

Maria mons in vertice mõtium.

præscindendus erat lapis sine manibus: quia gratia quæ in aliis fuit finis & consummatio, illi fuit initium ac fundamentum: tamque copiosum illa gratiæ munus accepit ab initio, vt instar montis, sanctimoniæ ac meritorum verticem supra omnes Angelos vsque ad solium Deitatis erexerit.

Sexta plenitudo in D. Virgine, pro se & pro nobis.

D. Tho. Opusc. 8.

Sexta gratiæ plenitudo insinuatur apud D. Thomam Opusculo 8. de expositione Angelicæ Salutationis. *Plena*, inquit, *gratia fuit pro se, plena pro nobis.* Ac pro se quidem quoad animam & corpus. namque intellectus eius fuit illustratus fide, & eximia Dei cognitione, & donis sapientiæ, intellectus, consilij, scientiæ: voluntas arsit charitate: tota anima repleta omni benedictione & gratia cælesti. Deus Pater contulit illi quidquid pertinet ad potentiam, & virtus Altissimi obũbrauit illi. Filius plena manu, vt dicitur, largitus est quidquid ad sapientiam spectat. Spiritus sanctus, quidquid ad bonitatem, sanctimoniam, amorem. In corpore verò tanta inerat formæ gratia, teste D. Ambrosio, vt suo aspectu concupiscentiæ motus in aliis extingueret, *& non solum in se virginitatem seruaret, sed etiam his quos viseret, integritatis insigne conferret.* Quæ etiam sententia est D. Bonauenturæ, Alexandri Alensis, & aliorum. Iam plena etiam fuit pro nobis, tum quia nobis Saluatorem omnis gratiæ fontem peperit, tum quia nos iuuat in omnibus periculis, audit preces nostras in quacumque necessitate, promouet quacumque ratione hominum salutem. De quo D. Bernardum audiamus melleum orationis flumen fundentem. *Plenitudinem eius sensit totus mundus*, inquit, *cùm ab ea Saluatorem accepit: sensit infernus, quia per eam spoliatus est: sensit terra, quia mortuos reddidit; sensit cælum quod se aperuit; senserunt Angeli, qui fuerunt reparati; senserunt peccatores, qui fuerunt iustificati; senserunt iusti, qui fuerunt beatificati.* Subiungit tandem: *Quanto ergo deuotionis affectu Mariam a nobis honorari voluit Deus, qui totius boni nostri plenitudinem in ea posuit?* Hæc ille de summis beneficiis B. Virginis.

Ambros. lib. de Institut. virg. c. 7. Bonau. in 3. dist. 3. p. 1. art. 2. quæst. 3. Alensis 3. p. q. 9. memb. 3. art. 1.

Bernard. Serm. de Natiuit. Virg.

Simile.

Maria collum Ecclesiæ est.

Quapropter meritò in corpore mystico Ecclesiæ Christus capiti, Sancti membris aliis, sola Maria collo comparatur. Quid ita? Primò, quia rectè cetera membra conteguntur, caput autem & collum nuda placent. ita cùm omnes omnino Sancti peccato infecti fuerint, ideoque egeant tegumento, vt Adam peccator; Christus Dominus noster dumtaxat, eiusque benedicta mater sine vlla peccati labe vixerũt, ac proinde nulla veste qua se operiant indigent. Deinde, collo monilia, gemmæ, lapides pretiosi, torques appenduntur. ita Christus Dominus omnia virtutum decora, gratię splendorem immensum, perfectiones pænè innumerabiles in hoc Ecclesiæ collo constituit. vt aptè de eo dici possit illud è Canticis, *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* quia nempe virtutes omnes ac gratiæ quæ in D. Virgine excelluerũt, instar fortissimæ armaturæ sunt contra omnes hostes visibiles atq; inuisibiles. Tertiò denique, cùm collum inter caput ac membra medio loco intercedat, omnis virtus capitis, motus, sensus, influxus omnis, è capite ad membra dimanat: ita per Mariam in nos diuina præsidia, & Christi gratiæ transfunduntur; sicuti & ipsemet Christus per eam ad nos descendit.

Cant. 4.

scendit. Et D. Bernardus vniuersè, *Nihil*, inquit, *habere nos Deus voluit, quod per Mariæ manus non transiret. Nullus est qui saluus fiat, nisi per te, ô Virgo sanctissima*, inquit D. Germanus Patriarcha.

Bernard. Serm. de Natiuit. Virg.
German. Serm. de Zona B. Virg.

Septima plenitudo sumitur à diuisionibus seu partibus gratiæ, quas omnes in se Deipara Virgo cumulatissimè complexa est. Ita in primis asserit D. Hieronymus, vel si malis, Sophronius, cui attribuitur: *Ceteris quidem Sanctis gratia præstatur per partes, Mariæ verò tota se infudit gratiæ plenitudo*. Quod certè accipiendum est tum de gratia iustificante, tum de omnibus virtutibus infusis, tum denique de aliis diuinis muneribus ac charismatibus Spiritus sancti. Etenim negotiator quidem Euangelicus inuenta vna pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam; vnam, inquam, pretiosam margaritam dumtaxat emit: at D. Virgo margaritarum plenum thesaurum. Vnde eam compellans Sapiens, *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias*, inquit, *sed tu supergressa es vniuersas*. Quare si olim sub nube veteris Testamenti in Sanctis omnibus eminentia quædam propriæ virtutis effulsit, ac multò magis in luce legis Euangelicæ: si effulsit innocẽtia in Abel, orationis donum in Enoch, fiducia in Noë, fides in Abraham, obedientia in Isaac, longanimitas in Iacob, patientia in Iob, castitas in Ioseph, mansuetudo in Moyse, dilectio inimicorum in Dauide, prudentia in Abigail, modestia in Ruth, pulchritudo in Rachel, fecunditas in Lia, fortitudo in Iahele, magnanimitas in Iudith: hæc omnia & longè maiora munera in B. Virginem contulit diuina munificentia.

Septima plenitudo, à diuisionibus seu partibus gratiæ.
D. Hier. Serm. de Assumpt.
Prou. 31.

Sancti quoque noui Testamenti in certis quidem virtutibus excelluêre, alij in humilitate, vt S. Franciscus; alij in virginitate, vt S. Catharina cum innumeris virginibus; alij in fortitudine, vt D. Laurentius & Stephanus; alij in operibus misericordiæ, vt D. Martinus & Nicolaus; alij in charitate, vt S. Ignatius & S. Maria Magdalena; alij in patientia, vt diuus Paulus; alij in aliis, vt in dono miraculorum, in dono linguarum, in dono prophetiæ, in sapientia, consilio, pietate, vita contemplatiua & actiua: at Maria Virgo in omnibus simul fuit eminentissima. Vnde non dubitauit dicere S. Bernardus: *Nihil est virtutis quod ex te non resplendeat; & quidquid singuli habuere Sancti, tu sola possedisti*. Quàm heroïcè in ea fuerunt virtutes illæ Theologiæ, fides, spes, charitas, principes virtutum omnium? satis elucet vel ex solo hoc Euangelio. Quàm heroïcæ virtutes cardinales, vt alibi admiratur Bernardus: *Fuit*, inquit, *fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione (Quomodo fiet istud?) iusta in confessione (Quoniam virum non cognosco)* Denique virtutes omnes & gratiæ perfectissimæ in ea ac fulgentissimæ fuêre.

Bernard. Serm. 4. sup. *Salue Regina.*
Bernard. Ser. 9. in paruis.

Verùm hîc disputatio non vulgaris est inter Doctores, an verè habuerit Deipara gratias omnes gratis datas, quas enumerat Apostolus in 1. ad Corinthios, vt sunt, donum linguarum, donum prophetiæ, interpretatio sermonum, virtus miraculorum, gratia sanitatum, & aliæ similes, quas Deus non singulis confert, sed distribuit prout vult. Nam D. Thomas non veretur id affirmare: *Quin & excellenter accepisse*, ait, *donum sapientiæ, & gratiam virtutum, & gratiam*

Octaua plenitudo, à gratiis gratis datis.
1. Cor. 12.
D. Tho. 3. p. q. 27. a. 5. ad 3.

 pro-

prophetia: nō ita tamē vt haberet omnes vsus harum & similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundùm quod conueniebat conditioni ipsius. Hæc ille. vbi obserua, non negari à D. Thoma, sed probabilissimum etiam videri, quòd non solùm omnes huiusmodi gratias, sed etiam vsum illarum aliquem habuerit, etsi non omnem vsquequaque. Ita etiam sensisse credendus est D. Athanasius, dum ait: *Idcircò gratia plena cognominata est, quòd adimpletione spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret.* Item Basilius Seleuciæ Archiepiscopus: *Si Christus,* inquit, *seruis suis tantam gratiam contulit, vt solo contactu immò verò sola corporis vmbra ægris præsidium afferre possent, vt Actorum liber habet: neque deerant quo linteo quo Apostolus Paulus corporis sudorem exterserat, infestos dæmones profligarent: qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini matri collatam fuisse putandum est? an non multò maiorem quàm ceteris Christi imperio subiectis? Res clara est.* Eamdem sententiam docent Albertus in Mariali, Antoninus, Rupertus, & alij. Ratio generalis est, quia B. Virgo ita fuit plena gratia, vt quidquid aliis per partes datum est, totum simul in ea fuerit cumulatè perfectū, sicuti dignitatem eius decebat. Idem breui etiam inductione ostendi potest, primùm de dono prophetiæ: quia spiritu prophetico locutam cōstat in Cantico suo, *Magnificat anima mea Dominum.* De quo sic diuus Ambrosius, *Quò maior,* inquit, *est persona, eò plenior est prophetia.* Ita & D. Hieronymus, & Augustinus, & alij plurimi. qui & in hunc sensum exponunt illud Isaiæ, *Accessi ad prophetissam, & in vtero concepit*; vbi S. Virginem prophetissam vocant.

Athan. Hom. de Deipara.
D. Basil. Orat. de Verbo incarnat. tom. 2. Biblioth. Patrum.
Actor. 5.
Quos vide apud Suarez in 3. p. disput. 20. sect. 3.
1. Donū prophetiæ.
Ambros. sup. Luc.
Hier. in Isaiæ 8.
August. de Ciuit. l. 17. c. vl.
Reliquos vide apud Suarez. suprà.

Rupertus etiam *prophetissam Prophetarum, quia & Prophetas docuit, & de ipsa omnes Prophetæ prophetarunt.* Neque verò donum linguarum aut interpretatio sermonum ei negari potest, quæ in festo Pentecostes simul cum Apostolis hoc donum accepit, vt nihil spiritualis gratiæ illi deesset. Etsi enim ad varias gentes itura non erat vt eas doceret, verisimile tamen est, & ex Patribus atque historiis colligitur, fideles ex variis nationibus ad illam confluxisse, tum pietatis causa, tum vt ab ipsa magis instruerentur ac in fide confirmarentur. Oportuit ergo vt & illos intelligeret, & ab illis intelligi posset. Taceo, fuisse magistram Apostolorum & Euangelistarum, quibus hoc donum collatum est quia futuri erant lux mundi: cur non & Virgini, quæ ipsorum lux futura erat? Siquis obijciat muliebri sexui minùs conuenire hoc docendi munus, iuxta illud Apostoli, *Docere autem mulieri non permitto*; respondetur, id intelligendum de vsu docendi publicè & pro concione. Similiter sentiendum de miraculis, & gratia sanitatum, præsertim post Christi ascensionem. Non enim fuit præter statum & conditionem matris Dei vt tali tempore miracula faceret, & insignia beneficia hominibus conferret, quibus eorum fides & deuotio augeretur: immò ad magnum Ecclesiæ bonum & profectum pertinebat, vt agnosceretur & coleretur Dei mater. Vt non immeritò Andreas Cretensis eam vocet *miraculorum effectricem*: D. Ioannes Damascenus *miraculorum abyssum.*

2. Donū linguarū, interpretatio sermonum.
1. Tim. 2.
3. Donū miraculorū, gratia sanitatum.
Andreas Serm. de Assumpt.
Damasc. Serm. 1. de Nat. Virg.

Nona plenitudo deduci potest ex regula generali SS. Patrum, qui concordibus sententiis asserunt, *quidquid aliis Sanctis legitur diuino priuilegio*

Nona plenitudo, ex generali regula SS. Patrum.

legio concessum, non esse Matri Dei vllo modo negandum. Tanta quippe est dignitas matris Dei, moraliter considerata, prout includit omnia quæ quodammodò ex natura rei, & secundùm ordinem diuinæ prouidentiæ illi debentur, vt omnes ferè SS. Patres inde colligant, B. Virginem non modò excellentem gratiæ plenitudinem accepisse, sed etiam omnes gratias, priuilegia, & virtutes, inter alios Sanctos diuisas ac distributas, in vna Virgine gloriosa fuisse simul collectas. Clarissimè in primis D. Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses, *Quod vel paucis*, inquit, *mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* D. Ambrosius quoque hoc dicit *proprium esse Virginis, vt omnibus fecunda sit gratijs.* Et qui propter modestiam Idiotæ sibi nomen imposuit, propter eamdem causam docet omnia spiritualia charismata, perfectissima in B. Virgine fuisse. *Sanctorum omnium priuilegia*, inquit, *Virgo omnia habes in te congesta: nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi Deus.* Ita ille. Sic D. Bonauentura ad hoc confirmandum accommodat illud Ecclesiastæ, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam: & flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in Mariam; & flumen gratiæ Apostolorum, & flumen gratiæ Martyrum, & flumen gratiæ Confessorum, & flumen gratiæ Virginum.* Hanc tuentur sententiam D. Augustinus, Athanasius, Damascenus, & alij Fauent verò etiam atq; adstipulantur Doctores Scholastici cum D. Thoma, Alberto Magno, &c.

Bernard epist. 174. Ambr. apud. Bon. & colligitur ex. li. de Instit. virg. c. 13. 14. Idiota to. 3. Biblioth. de Contemplat. c. 2. Eccle. 1. D. Bona. in Speculo c. 3. *Simile, Maria instar maris.* August. Ser. 17 de Nat. Dñi Athanas. Serm. de sanctissima Deip. Damasc. Ora. 1. de Dormit. Virginis. Chrysol. Ser. 3. de Annunt. Reliquos vide apud Suarez in 3. p. to. 2. disp. 1. sect. 2.

quos citat noster Suarez. Hanc regulam seu normam istorum sequentes, sine periculo erroris, poterimus animo percurrere excellentissimas quasque gratias seu dona, priuilegia, seu reuelationes altissimas alijs Sanctis aliquando diuinitus concessas, atque ob eamdem rationem D. Virgini eas attribuere: quia videlicet æquum est vt matri non negetur quod seruis collatum fuit. Quare in primis hinc sequitur, Deiparam in primo instanti suæ sanctificationis siue conceptionis accepisse perfectum vsum rationis: nam hoc priuilegium concessum etiam fuit S. Ioanni, iuxta illud, *Exultauit infans in gaudio in vtero meo:* vbi SS. Patres exponunt illam exultationem in gaudio sine vsu rationis fieri non potuisse: licet quandoquidem exultare metaphoricè sumatur, vt cùm *montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium* Consentiunt in hoc Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij. Quòd si autem hoc priuilegium fuit alicui puro homini concessum, non est verisimile B. Virgini fuisse negatum. Adhæc si probabilis sententia quorumdam est, Moysem aliquando & Apostolum Paulum raptum ad tertium cælum vidisse diuinam essentiam viuentes in corpore mortali: multò verius est B. Virginem in hac vita interdum eleuatam fuisse ad videndam clarè diuinam essentiam. Estque hæc opinio multorum Doctorum, vt diui Cypriani, Antonini, Dionysij Richelij, Alberti, Gersonis, Castalij, & aliorũ Huiusmodi enim visio magnum bonum spirituale secum affert, non solùm eo tempore quo durat, totam animam Deo vniendo, & singulari eius amore inflammando; sed etiam posteà sola

Lucæ 1.

Psal. 113. Orig. Hom. 7. in Luc. Amb. l. 1. in Luc. Hieron. epist 7. ad Lætã. Aug. l. 2. de Consensu Euang c. 15. Alios vide apud Suarez in 3. p. dis. 3. sect. 7. Quos citat Suarez in 3. p. disp. 17. sect. 4.

eius memoria plurimùm poteſt excitare ad eumdem Dei amorem, & familiaritatem, cordiſque puritatem. Quare ſi vlli vmquam hoc priuilegium conceſſum eſt, certè & matri Dei. Quin & illud credibile eſt, vt in ſtatu innocentiæ primis parentibus collata eſt iuſtitia originalis; ita etiam hanc Deiparæ non defuiſſe; non tamen ſecundùm effectus immortalitatis, impaſſibilitatis, & ſimiles; ſed quoad perfectā ſubordinationem hominis erga Deum, & appetitus ſenſitiui erga rationem; ſimulq; quoad virtutes omnes in gradu heroico, & ſpecialem Dei protectionem atque cuſtodiam. Ita docuerunt grauiſſimi Theologi, Cuſanus, & Card. Durandus, Dionyſ. Carthuſianus, & alij. Idem denique eſto iudicium de beatiſſima Virgine, ex eodem principio, ſi Magdalena ſepties in die eleuata fuit ad concentus Angelorum, ſi alij quoque Sancti Angelis familiares, miras ab eis conſolationes & alimenta & obſequia percipere meruerunt. Eadem quippe & maiora priuilegia matri Dei debebantur.

Quos vide apud Caniſiū lib. 1. de Deip. c. 9

Decima plenitudo, ex cōparatione cū Sanctis ſpeciatim ſumptis.

Decimam plenitudinem colligamus ex collatione Sanctorum præciſè accepta: præeunte inprimis diuo Thoma, vbi ait: *Rationabiliter credimus, quòd illa quæ genuit Vnigenitum, plenum gratia & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit.* Ita quoque exponit Euſebius Emiſſenus: *Quis vmquam tantam gratiam habuit, quantam Mariam Virgo? alijs enim ad menſuram datur, hæc autem gratia plena dicitur.* Quemadmodum celebris ille pictor Zeuxis, teſte Plinio, Agrigentinis facturus pulchram Iunonis effigiem, virgines ſelegit, quas in exemplar ac prototypum ſibi propoſuit, vt quod in ſingulis eſſet laudatiſſimum, ad vnam illius imaginis perfectionem conferret: ita Spiritus ſanctus, pictorum omnium peritiſſimus, volens hanc Virginem virginum varijs virtutum perfectionibus & chariſmatum ornamentis expolire, non vnius aut alterius, ſed omnium Sanctorum perfectiones in eam cumulatiſſimè effudit. D. Bonauentura in Speculo B. Mariæ, recenſitis eius priuilegijs quibus humanam naturam atque omnem creaturam tranſcendit, ita demum concludit: *Glorioſum ſit Maria, quòd quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria eſt, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt.* Et Damaſcenus, *Dei matris, & ſeruorum Dei,* inquit, *infinitum eſt diſcrimen.* Quis ergo Sanctorum in comparationem cum ea deſcendat? quis ad eius prærogatiuas non contremiſcat? quis ita liber ab omni peccato vel peccati fomite, vel ab omni gratiæ impedimento fuit, vt nullum vmquam verbum otioſum, nullam inutilem cogitationem, nedum turpem, ſenſerit, nullam temporis iacturam fecerit, in omnibus operibus augmentum gratiæ incredibile meruerit ab infantia vſque ad ſummam ſenectutem? quis ad omnes actus tam eminentes & arduos adeò fuit promptus & alacer, fortis atque indefeſſus? Quid plura? Sanctorum conſummatio in gratia & virtutibus, profectò principium dumtaxat fuit ſanctitatis Mariæ. Idque Eccleſia ſatis profitetur, cùm de ea canit illius Pſalmi initium: *Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Vt D. Gregorius meritò ipſam interpretetur *montem Domini in vertice montium:* & Anſelmus affirmare audeat: *Hoc*

D. Tho. 3. p. q. 27. a. 1.

Euſeb. in hoc Euangel.

Plin. l. 35 c. 9.

Bonau in Spec.

Damaſc. Orat. de Dormit. Virgin.

Pſal. 86.

Grego. in 1 Reg. 1.

Ansel. de Excell. Virgin. *Hoc solum de D. Virgine prædicari quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest.* Sed pergamus.

Vndecima plenitudo, ex comparatione cum Angelis. Vndecimò instituamus hîc etiam comparationem cum Angelis, maioris distinctionis gratiâ, & vestigijs primùm D. Chrysostomi insistamus qui sic ait: *Magnum reuera hæc Virgo mundi miraculum. Ecquid enim in hac rerum vniuersitate queat maius ac sublimius reperiri? sola hæc cælum & terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique inter res creatas visibiles & inuisibiles, vna hac excellentius reperiri potest.* Ita Chrysostomus. Quin immò Cardinalis Petrus Damiani asserit, Virginis splendorem sanctis spiritibus, vt Solem astris, caliginem offundere. *Sol,* inquit, *lucidiùs incandescens, ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virgo veri preuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum habebat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.* Quid alios commemorem? D. Epiphanius, *Solo Deo excepto,* inquit, *cunctis superior existis,* &c. Andreas Cretensis, Archiepiscopus Ierosolymitanus, *O Virgo,* ait, *Regina omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem, excepto Deo solo tu es omnibus altior.* Denique sic D. Anselmus: *Nihil tibi, Domina, est æquale, nihil comparabile: omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te. Quod supra te est, solus Deus est: quod infra te est, omne quod Deus nō est.* Quid his ampliùs dici aut mente agitari potest? Angelorum videlicet ac cæli Reginę competit, vt sedeat ad dexteram filij vbique regnantis, cui, vtpote tantæ matri, longè subliniorem thronum verus hic Salomon, quàm ille terrenus Bethsabeæ matri pararit. quæ & in diademate aureo, & in vestitu deaurato, ob Regnum & innumeras variasque virtutes fulgentissima, super omnem puram creaturam apparet. Vt de ea dixerit in spiritu Propheta, teste diuo Athanasio, *Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Namque hæc propriè Regina, & quidem *incomparabiliter gloriosior quàm Seraphim,* ait Chrysostomus: omnes verò Angeli & Sancti eius serui.

Chrys. in Hypap. Domini.

Petrus Dam. Serm. de Assumpt. Virgin.

Epiph. Orat. de Laud. b. Virgin.

Andreas Cret. Orat. de Assumpt. Virgin.

Ansel. de Concept. Virgin.

3. Reg. 2.

Maria Regina, Angeli serui:

Athanas. Serm. de S. Deip.

Psal. 44.

Chrys. in Liturgia.

Duodecima plenitudo gratiæ, supra omnes Angelos, omnesque Sanctos collectiuè sumptos. Tandem duodecima plenitudo est, qua Deipara excessit omnes omnium Sanctorum & Angelorum gratias, etiamsi concipiantur tamquam in vnam conflatæ, seu in cumulum redactæ. Tametsi enim hoc non sit æquè certum atque alia modò commemorata, tamen valdè credibile est (quidquid sentiat Abulensis, qui satis à variis Auctoribus confutatur) & clarissimè demonstrari potest, illam plures gratiæ gradus habuisse, quàm simul omnes Angeli & omnes Sancti in cælis & in terris extensiuè habuerint. Atq; hanc sententiam nunc temporis defendunt grauissimi Doctores, atque adeò præcipui ferè quidam inter Theologos, vt P. Franciscus Suarez, Henricus Henriquez, Barradius, Carthagena. Antiquitus autem agitata non fuit. Verùm ab ea non discrepant SS. Patres, & antiqui Scriptores permagnæ in Ecclesia auctoritatis: nonnulli etiam disertis verbis & clarissimis eam expresserunt. Nam inprimis D. Bonauentura in hunc sensum exponit illud Eccle-

Abul. q. 19. in Prolog. Euangel.

Vide Barrad. to. 1. l. 6. c. 10.

Suarez. in 3. p. disp. 18. sec. 4.

Hériquez de Fine hominis c. 10.

Carthag. de Arcanis Deip. l. 5. Hō. 7.

Barrad. suprà.

Bonau. Opusc. de Laudib. Virg. c. 6

Eccli. 14. Ecclesiastici, *In plenitudine Sanctorum detentio mea. Ex doctrina*, inquit, *S. Bernard.*, *ideò in plenitudine Sanctorum Mariæ detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua, plenitudo perfectionis omnium sanctorum illi non defuit.* Quod posteà declarat discurrendo per singulas virtutes, & genera gratiarum. atque hoc pacto possumus omnes gratiæ gradus colligere. Itemque illud afferens Sapientis, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*; *Omnia*, inquit, *flumina sunt omnia gratiarum dona quæ intrauerunt in Mariam, vt sic possit gloriari, In me omnis gratia viæ & veritatis.* Similiter Cardinalis Petrus Damianus, *O Virgo*, inquit, *inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminēs & euecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit.* vbi hoc obseruandū quod dicit *omnium & singulorum.* Et B. Andreas Cretensis inter cetera quę habet eiusdem argumenti, sic eam vocat: *O sancta & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.* Sed omnium clarissimè D. Bernardinus Senensis (quod enim de gloria Virginis asseruit expressè, concedit vtique de gratia) sic scribit in illud Esther, *Posuit diadema regni super caput eius & voluit eam esse reginam: Istud est diadema speciei, & corona gloriæ, qua Virgo super Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit euecta, ac plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, & fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta: de cuius gloria post filium participant vniuersi.* Et ibidem: *Excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est, quantam pura creatura dari possibile esset.* Idem quoque alibi tantam adscribit D. Virgini perfectionem, *vt soli Deo cognoscenda reseruetur.* Et quid aliud volunt D. Epiphanius, D. Anselmus, D Bonauentura, D. Ioannes Damascenus, dum gratiam Virginis *prorsus immensam* vocant, *plenitudinem omnium gratiarum, abyssum gratiæ, infinitum matris & seruorum discrimen?* Sed omissis aliis, rationum momenta ponderemus.

Ibid. Eccle. 1. Ec.li. 24. Petrus Damian. Serm. de Assumpt. Andreas Serm. de Dormit. Virgin. Bernardinus tom. 1. Serm. 61. art. 3 c 3. Esther 1. Ibidem a. 2. c. 10. Ser. 15. de Festiu. Virginis. Epiphan. Orat. de Laudib. Virg. Anselm. lib. de Excellēt. Virg. c. 8. Bonauēt. in Speculo Virg. cap 5. Damasc. Orat. 1. de Dormit. Virginis.

Prima est maximè naturalis, & ad intelligendum perfacilis. Ecquis bonæ indolis filius non magis diligat matrē, quàm omnes famulos suos? Cùm igitur Christus Dominus maiori amore matrem prosecutus sit quàm omnes Sanctos, consequens est, maiorem gratiæ cumulum illi contulisse, quàm reliquis omnibus. Porrò de hoc amore Christi sic scribit D. Bonauentura: *Te ipse Rex Regum vt matrem veram & decoram sponsam præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat.* Et D. Anselmus ostendit amorem hunc esse maiorem erga matrē, quàm erga alias creaturas; *quia quod charius amauit*, inquit, *illi reseruauit.* Vnde concludit, nullum esse posse maiorem. Addamus & S. Bernardinum, qui propter excellentiam huius amoris non dubitauit asserere Christum potiùs venisse pro sola Virgine redimēda, quàm pro ceteris omnibus hominibus.

Bonau. in Speculo, c. 6. Anselm. de Excell. Virg. c. 4. Bernardinus Ser. 15. de Festiuitatibus Mariæ.

Secunda colligitur ex D. Thoma, *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis communicat effectum illius principij.* Quod patet in sole, qui est principium luminis; aut in igne, qui est fons caloris. Nam quò quis propiùs accedit, eò magis illuminatur & calefit. Sic & D. Dionysius in Cælesti hierarchia demonstrat Angelos, qui sunt Deo propinquiores, magis participare de bonitatibus diuinis.

D. Tho. 3. p. q. 37 art. 5. D. Dion. lib. de Cælesti hierar.

nitis. Atqui, vt subiungit ibidem D. Thomas, *B. Virgo tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima auctori gratiæ, atq; adeò Deũ, qui est plenus omni gratia, in se reciperet.* & Dionysius Carthusianus, *Palàm est*, inquit, *Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem obtinuisse: huic autem plenitudini, gratiæque infinitæ Maria vehementer appropinquat.* Manifestè ergo concluditur, incredibilem gratiarum abundantiã Deiparæ præ omnibus attribuendam.

Dionys. Carthus. de Preconio Virg. l. 1. art. 8.

Tertia sumitur ex diuo Dionysio Areopagita, vbi probat, choros Angelorum superiores eminenter continere inferiores, sicut cæli superiores inferiorum magnitudines complectuntur. Sunt quippe Angelorũ chori spiritales quidam cęli. Vnde conficitur, cùm Deipara exaltata sit supra omnes choros Angelorum, suumq; constituat chorum inter Deum & creaturas omnes, vt sancta confitetur Ecclesia; euidens esse quòd in se cõtineat ac superet omnes gratias inferiorum ordinum simul sumptas; sicuti dicimus continens superare contentum. Talis subordinatio & excessus cernitur in rebus naturalibus, ab infimis elementis progrediendo vsque ad supremum cælum, quod Philosophi *primum mobile* vocant, Theologi *cælum empyreum*. Sic etiam omne lumen stellarum errantium atque fixarum in sole est, ac longè amplius. Quid ni etiam in ordine rerum supernaturalium condecens videatur fuisse, vt Deus optimus maximus creaturam aliquam produceret, cui tãtam plenitudinem gratiæ conferret, vt omnium inferiorum gratias non modò exæquaret, sed etiam transcenderet, & quasi sol omnium siderum claritatẽ vinceret?

D. Dion. lib. de Cælesti hierarch.

Quarta. Sic etiam videri possunt locuti Spiritu sancto inspirati sancti Dei homines, cùm Deiparam communi quasi suffragio eximium mundi miraculum sæpiùs appellarunt. Nam veluti miraculum propriè dicitur comparatione operum naturæ, eò quòd naturalem rerum ordinem excedat: ita B. Virgo comparatione operum gratiæ, quia in genere sanctitatis supra communem ordinem gratiæ excelluit, iure optimo miraculum censetur. Itaque S. Ignatius in Epistolis suis eam dum adhuc in viuis ageret, nuncupat *caleste prodigium*, & *sacratissimum spectaculum*. D. Ephræm sic salutat: *Aue præstantissimum totius orbis miraculũ.* Diuus Epiphanius sic: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti, stupendum miraculum in cælis, mulier amicta sole*, &c. repetit deinceps eumdem titulum aliquoties, vt non temerè dixisse videatur. D. Ioannes Damascenus vocat *miraculum omnium miraculorum maximè nouum*. Ita & Chrysostomus & alij, ne frustrà longior sim in iis commemorandis. Secuti sunt verò in hac nomenclatura D. Ioannem Apostolum, qui & ipse cum stupore appellat *signum magnum in cælo, mulierem amictam sole*, &c. hoc est, grande & illustre miraculum: siquidem in sacra Scriptura signum & prodigium sæpè pro miraculo vsurpari constat. An non sanctissimi Patres aliquid sublime & extraordinarium hoc titulo significarunt, quasi ad Dei magnitudinem & ineffabilem diuinæ sapientiæ ordinem spectarit, tale opificium dexteræ suæ supra omnes creaturas erigere?

S. Ignat. epist. ad Ioannẽ.

Ephræm Orat. de Deipara.

Epiphan. Orat. de Deipara.

Damasc. Orat. 1. de Nat.

Chrysostom. in Hypap.

Apoc. 12.

Vide Ps. 134 & Actor. 5.

Quinta. Hic quoque communis est sensus Ecclesiæ, & omnium Do-

ctorum, quòd honor, qui Mariæ Virgini debetur, maioris ſit excellentiæ, & ſuperioris gradus, quàm qui omnibus Sanctis. ille enim hyperdulia vocatur, quia eminentior tamquam Dei matri defertur, propter maternam coniunctionem: hic dulia, quia conſeruis tribuitur.

Sexta. Non eſt etiam abhorrens à ratione, ſed maximoperè decet vt Regina omnium plus opum atq; ornatuum, plus gloriæ & auctoritatis poſſideat, quàm omnes domeſtici eius, & ſerui, ſiue nobiles ſiue alij, ſummi, medij, infimi. Ita par eſt vt Deiparæ, auguſtiſſimæ omnium Reginæ, maior ſit & excellentior gratia quàm omnium ſubditorum.

Septima ratio excellentiæ eius ſupra omnes creaturas ſimul ſumptas eſt D. Auguſtini, qui ſic ait: *Inter hac, fratres, cum toto mentis affectu beatiſſimæ Virginis nos interceſſionibus cõmittamus, vt ipſa nos ſedula prece commendare dignetur in cælis. Neq; enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium.* *Colligimus hinc*, inquit Suarez, *eius interceſſionem eſſe omnium efficaciſſimã. Quin & exiſtimo*, ait, *à B. Virgine in hac poteſtate & efficacia non ſolùm Sanctos ſingulos, ſed omnem etiam cæleſtem curiam ſuperari. Itaque ſi cogitatione fingamus B. Virginem aliquid poſtulare, totamque curiam cæleſtem illi reſiſtere (ſicut apud Danielem vnus Angelus alteri reſiſtebat) potentior eſſet maioriſque efficaciæ apud Deum Virginis, quàm reliquorum Sanctorum omnium oratio.* Et ita quidem ſentiunt ſancti Patres ibidem citati, eſtq; dignitati matris maximè conſentaneum, & perfectiſſimæ gratiæ atque charitati B. Virginis quodammodò debitum. Hinc omni æuo & vbiq; gentium plura per eam miracula patrata ſunt, quàm ab omnibus Sanctis ſimul. Quod euidentiſſimum eſt ex hiſtoriis & locis religioſis ac ſanctis in omnibus regionibus, immò pænè ciuitatibus orbis Chriſtiani, in quibus paſſim maxima miraculorum frequentia & ſcriptis & monumentis variis celebratur.

August. Serm. 35. de Sãctis.

Suarez in 3. p. diſput. 23. ſect. 2.

Octaua. Deinde, tametſi æquiſſimum eſt vt filius Reginæ, qui Princeps regni dicitur, ab omnibus ſubditis ametur: non tamen eſt mirandum ſi à ſola matre Regina magis ametur quàm ab omnibus ſimul. Ita Deiparæ amor erga filium maior atque ardentior fuit, quàm aliorum omnium; vtpote non modò naturalis, ſed & diuinus, procedens ex maxima & clariſſima filij cognitione, qua omnes Sanctos longè ſuperauit. Porrò quis neſcit, præmia gloriæ in patria reſpondere magnitudini amoris in via? vnde D. Bonauentura ſic infert: *Quid mirum ſi præ omnibus diligat, quæ præ omnibus eſt dilecta?* decuit nimirum inter matrem & filium amorem mutuum eſſe perfectiſſimum: præſertim quia tali filio à matre, ac tali matri à filio viciſſim talis amor debebatur.

Bonau. in Speculo cap. 6.

Nona. Quin & conuenit quàm maximam ſimilitudinem ac proportionem ſtatui inter Chriſtum & Virginem matrem, etiam in hac amplitudine gratiæ: non quòd æqualitas concipi poſſit inter gratiam Virginis & Filij: ſed quod optima inter eos ſimilitudo iure poſtulet, vt vtriuſque gratia ſuperet gratias omnium Sanctorum in vnum collectas: & ſit Chriſtus tamquam fons, Maria vt flumen ingens, Sancti vt riuuli, vt explicat D. Bernardus. Adde, quòd ſicuti

Bernard. Serm. de Natiuit. Virgin.

sicuti in Christo dicitur gratia capitis; ita & in B. Virgine dici possit, inferiore licet gradu, quod fusè demonstrat ex Patribus Suarez, qui & *gratiæ inuentricem*, & *genitricem vitæ*, & *mediatricem* & *reconciliatricem* eam ob causam appellant. Suauissimè autem D. Bernardus ostendit, *nullum gratiæ donum communicari hominibus nisi per Mariam*. & alibi, *In te Angeli lætitiam*, inquit, *iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creauit restaurauit.*

Suarez suprà disput. 18. sect. 4.

Bernard. Serm. in *Signum magnum.* & Serm. de Nat. Mariæ. & Ser. 2. de Pētec.

Decima. Diuina sapientia in Ecclesiæ militantis gubernatione hunc seruat ordinem, vt omnes gradus potestatis spiritualis, qui in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Prælatis omnibus, Sacerdotibus & Diaconis, & maximis minimisque Ecclesiæ ministris resident, omnes, inquam, perfectè consistant & emineant in summo Pontifice. Quid ni pariter ad diuinæ bonitatis ac sapientiæ ordinem pertineat, vt omnes gradus gratiæ qui in Angelis & hominibus reperiuntur, in vna Dei matre & Regina cælorum eminentissimè existāt.

Vndecima. Dignitas matris Dei prorsus admirabilis & incomparabilis est, & quodammodò infinita, vt probatum est ex D. Thoma superiùs: nihil vt sub Deo cogitāri possit maius aut sublimius, vt loquuntur sancti Patres, nominatim Anselmus. Ergo non mirum si immensum gratiæ aceruum exigat, vt infra Christi gratiam non possit maior intelligi. Quæ consecutio manifesta est, quia gratia datur à Deo accommodatè ad cuiuslibet statum, officium aut gradum. Atqui dignitas siue status matris Dei, omnium Sanctorum & Angelorum dignitates (etsi in vnam coniungantur) longè superat. Ergo gratia dignitati tantæ respondens, omnes gratias in vnum aceruum quasi congestas longè excedet.

Ansel. de Excellēt. Virg.

Duodecima & vltima ratio ex D. Bonauentura. Satis constat, & demonstrari vtcumque potest, magis Dei gloriam & maiestatem, & reliqua diuina attributa, potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, atque adeò perfectiones omnes nobis innotescere è sola D. Virginis excellentia, & incomparabili opificio, quàm è toto creaturarum cœtu. Disertè hoc asseritur in Reuelationibus S. Brigittæ hoc modo: *Creato mundo*, inquit, *adhuc vnus minor mundus Virgo Maria, coram Deo cum omni vetustate nondum creatus est: à quo maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas, quàm de hoc maiore mundo prouenire debebat.* Porrò huius rei causa esse potest, quia ceteras creaturas propter nos condidit, etiam Angelos suos in ministerium nostrum; sed B Virginem sibi creauit. Quod ponderat Sapiens cùm ait: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Quod de diua Virgine expendit præter alios diuus Bernardus, itemque S. Bonauentura.

Bonauēr. Opusc. de Laud. Virgin.

In Reuelat. S. Brigittæ Ser. Angelico, c. 5.

Prou. 9. Bernard. Serm. 9. ex Patuis.

Ad extremum, ne cuipiam hęc incredibilia videantur, in memoriam reuocet egregia illa verba D. Andreæ Cretensis: *Siquid, quod nos superat, diuina operata est gratia, nemo miretur, intuens ad nouum & ineffabile, quod in ea peractum est, mysterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.* Quæ cùm ita sint, omnemque intelligentiam superet tanta maiestas, meritò eius nomini augustissimo supra

Bonau. in Spec. cap. 6.

Andreas Cretens. Serm. de Dormit. Deiparæ.

omnia eleuato omne genu profundissima veneratione flectendum, cælestium, terrestrium, & infernorum: meritò laus omnis sileat ei, & omnis creatura Mariæ stupeat dignitatem.

Secunda pars strictim pro Epilogo.

Iam, vt quod secundo loco proposueramus, verbo attingamus, & de tanta tamque multiplici plenitudine aliquid emolumenti hauriamus; necesse est recordemur, quod ex diuo Thomæ doctrina superiùs explicatum est, B. Virginem non sibi soli gratiam accepisse, sed & nobis, quibus auctorem salutis ac gratiæ peperit semel, & innumerabilia quotidie suo interuentu atque auctoritate beneficia impetrat; siue dum hominibus cuiuscumque status aut conditionis viam salutis aperit; siue dum à malis aut periculis omnibus liberat. Itaque vt tantæ gratiæ participes fiamus, omni contentione ac studio ad eam seriò conuertamur, & auxilium eius quodcumque in omnibus necessitatibus fidenter imploremus. Exaudiet vtique mater filios, neque se negare poterit aut potestatis aut voluntatis defectu, quandocumque & quacumque tandem occasione ei supplicauerimus. Ad alios quidem Sanctos confugere solemus pro certis auxilijs aut beneficiis corporum aut animorum: in mari, ad S. Nicolaum aut S. Claudium; in peste, ad SS. Sebastianum, Adrianum, Antonium, Rochum; in febribus, ad D. Petrum aut S. Genofeuam; pro doloribus oculorum, ad S. Luciam; pro dêtium, ad S. Apolloniam; pro puerperio, ad S. P. Ignatium; pro rerum perditarum recuperatione, ad S. Antonium Patauinum; pro cancro, ad D. Agatham; pro calculosis & herniosis, ad D. Drogonem; pro angina laborantibus, ad S. Switbertum; pro sterilibus, ad S. Arnoldum siue Arnulphum; pro alijs denique causis ad alios; sed ad Mariam Virginem omni gratiarum plenitudine redundantem, in quauis necessitate, in omnibus periculis, in omnibus angustijs, siue iusti siue peccatores simus, siue magni, siue parui. Vnde vna cùm sit, ob diuersa beneficia quæ largiri solet, diuersis locis diuersa quoque sortitur nomina, vt vulgò notum est in omnibus regionibus: & hîc *Domina gratiæ* nuncupatur, hîc *Domina lætitiæ*, ibi *Domina boni nuntij*, illic *recuperationis, misericordiæ, auxilij, pietatis, virtutum* &c. Vnde hæc suauissima Doctoris Idiotæ verba sunt: *Ceteri sancti iure quodam patrocinij pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in Curia Altissimi, quàm pro alienis. Beatissima autem Virgo Maria, sicut est omnium Regina, ita est & omnium patrona & aduocata, & cura est illi de omnibus.* Propterea omnes ad se benignissimè inuitat dum ait: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ ac virtutis.* Accurrite quicumque de plenitudine mea delibare, quicumque desideratis expleri. Quid moramini? nihil austerum in me, nihil periculosum, nihil iniucundum, sed omnia suauia, mellita, materna. Quæ igitur ignauia est ita tergiuersari? Agedum accurrimus, ô Domina nostra, Aduocata nostra, Mater nostra dulcissima: mater gratiæ, quia plena gratia; Domina potentissima, quia cælorum Regina: opitulari vis, quia misericors; potes, quia Regina. *Sub tuum* ergo *præsidium cõfugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos sem-*

Idiota l. de Contempl. Mar.

Eccli. 24.

Eccles. Offic.

semper, Virgo gloriosa & benedicta. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta. At quid agimus? quid ore pleno tot Mariæ plenitudines extollimus? quid plenam gratia salutamus? quid gratulamur? quid blandimur? quid inuocamus? *Non est speciosa laus in ore peccatoris,* inquit Ecclesiasticus. Quid igitur? iam finio, & verbis finio alienis, optimum D. Bernardi consilium sequens, vt hæc tota materia de plenitudine gratiarum grato & optato fine concludatur. *Lubenter,* inquit, *vbi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quò vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in his apponuntur.* Sic ergo & nos ad extremum, quò faciliùs exaudiamur, verbis sanctissimis ac dulcissimis D. Epiphanij Mariam salutemus atq; inuocemus. *Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, sole splendidiorem. Aue gratia plena, gloria spiritualis. Aue gratia plena, quæ es vrna aurea continens manna cæleste. Aue gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Aue gratia plena, mare spirituale, habens gemmam cælestem Christum. Aue gratia plena, splendidum cælum, quæ in cælis incomprehensum contines Deum. Aue gratia plena, quæ Cherubicum thronum diuinitatis fulgore superas. Aue gratia plena, quæ cæli circulum habes, & Deum incomprehensum potissimo loco in te ipsa contines. Aue gratia plena, nubis columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dico, & quid proloquor? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existit:* cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Eccli. 15.
Bernard. Hom. 3. sup. Missus.
Epiphan. Serm. de Laud. Mariæ.

CONCIO XVIII.

Dominus tecum.

1. *Quemadmodum Dominus cum Maria fuerit.*

2. *Qua ratione efficiemus vt semper nobiscum sit.*



CVM plurimis antiquæ legis typis ac figuris, ceu picturis eximijs, gloriosissima Virgo & mater fuit adumbrata: tum maximè augustissimo illo Salomonis templo, cuius fabrica perquàm accuratè in historia Regum Israël describitur. Vt paucis tangam, septem annorum spatio, incredibili impensarum & operarum numero, illud exædificatum est. Deinde, erant septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum: præpositi ter mille ac trecenti, qui singulis operibus præerant. Tantum verò auri, argenti, æris ac ferri in opere expensum est, vix vt vllo numero comprehendi possit. Quo tamen opere expleto, Rex sapientissimus adeò nihil diuina maiestate dignum se fecisse iudicauit, vt diceret: *Ergóne credibile est quòd verè Deus habitet super terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui?* In templo autem illo, cui simile non erat in mundo, non Dominus, sed arca Domini, quæ ipsius typum gerebat, collocata est. Quando igitur ipse Deus corporali præsentia in mundo voluit habitare verè & non figuratè, quale putamus domicilium exegisse? Templum quidem Salomonis totius orbis nobilissimum ac sanctissimum, non Iudæis modò, sed & Romanis alijsque Gentibus longè latèque admirationi fuit, simulque

3. Reg. 5. 6. 7. &c.
3. Reg. 8.

venerationi; dixitque de eo Dominus: *Sanctificaui mihi locum hunc, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* At longè aliud templum fuit sanctissima Virgo, templum viuum, templum incomparabile, in quo ipsa plenitudo diuinitatis corporaliter habitare dignata est. Illud certè Ierosolymitanum fuisse vmbram tantùm ac figuram Deiparæ, certatim affirmant SS. Patres, & applicant, præter ceteros, D. Augustinus, Cyrillus, Damascenus, & concinit Sedulius:

2.Par.7.

Coloss.2.

August. Tract.10 in Ioan. Cyrill. Hom. de Virgin. Deipara. Damasc. lib.4.de Fide,c.15 & Serm. de Assũpt.

Domus pudici pectoris,
Templum repentè fit Dei:

templum, inquam, omnium opificiorum diuinæ dexteræ longè excellentissimum, cui præpotens Deus Pater suam impendit potentiam, Deus Filius sapientiam, Deus Spiritus sanctus omnem ornatum & elegantiam. Nam si templo illi veteri tanta gloria debebatur, vt in eo veritatis vmbræ quædam honorarentur: quid de beatissima Virgine sentiendum, in qua Deus ipse, carnem assumens humanam, factusque hominibus via, veritas, & vita, nouem mensibus habitaret? Sanè quanta fuerit copia ornamentorum hujus templi, id est, virtutum omnium, donorum Spiritus sancti, & gratiarum vndequaque; ex eo facilè intelligi queat, quòd debuerit esse idonea & conueniens domus Filio Dei, de qua dicit in Psalmis: *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Porrò tantam ornamentorum copiam expressit Angelus titulo superiore, cùm Virginem sic affatus est, *Aue gratia plena.* Iam quantò maior Dominus quàm eius donum, tantò maior & excellentior est titulus iste, quem eidem tribuit, cùm ait, *Dominus tecum.* de quo dicendum hodie Primò, quomodo sit intelligendus. Deinde, quem fructum inde hauriemus, vt semper nobiscum sit Dominus.

Ps.131.

AVE MARIA.

SVblime quid protulerat cælicus Orator in orationis suæ frontispicio, *Aue gratia plena:* q.d. Saluere & gaudere te iubeo, quia gratia plena es. Tu præ humilitate profundissima talem te non reputas: at à summo Deo, qui me misit, & qui falli non potest, hoc nomine digna iudicaris, & ego te hoc nomine salutandi diuinitus mandatum accepi. Ecce quale principium salutationis! sed pergere debebat & adhuc sublimiora dicere, si fieri posset, ne oratio decresceret; quod pręcipit Oratoris artificium. Itaque tribuit ei secundum titulum multò splendidiorem, *Dominus tecum*. vnde D. Thomas existimat hanc D. Virginis commendationem tam sublimem esse, vt vlteriùs non possit quidquam inueniri. Verùm antequam eius expositionem aggrediar, altiùs repetendum videtur artificium dicendi, quod in orationis suæ decursu Gabriel Angelicè seruauit, & de toto genere optimorum Oratorum aliquid delibandum, vt quo loco sit habendus Gabriel cognoscatur.

D.Tho. Opusc.8.

Primò sicuti officium Oratorum est benè dicere; ita finis, persuadere dictione. Hic scopus est quò collimant, tribus pręsertim functionibus, quæ sunt delectare, docere, flectere. Ita tradũt Cicero, Aristoteles, Quintilianus. Eademque concionatorum esse officia & certum per se est, & disertè docet D. Augustinus. In Exordiis delectant ferè, magna proponendo & noua, quæq; viam sternant

De optimo genere Oratorũ.

In libris Rhetoricorum.

August. lib.4. de Doctrina Christ. ad cap.12.

ad ſequentia. In Narratione & Confirmatione docent. illic certas conditiones ac circumſtantias locorum, temporum & perſonarum, & ſemina quaſi Confirmationis ſpargere incipiunt: ſed in Confirmatione cauſas quæ moueant, & robur orationis conſtituunt. in Concluſione mouent præcipuè per anacephaleôſin & vehementem exâggerationem. Excitate aliquantulum, auditores, memoriam eorum quæ audiuiſtis fortè in ſcholis: vel ſi qui non omnia aſſequuntur, non magni refert: quoniam materiæ dumtaxat introductio eſt conueniens potiſſimùm litteratis. Igitur quò quis meliùs his tribus officiis perfungitur, eò certiùs finem aſſequetur. Sed ſingula ſunt admodum difficilia: quantò magis ſimul omnia? Ideò qui vnum aut alterum aſſequerentur inuenti ſunt pauculi apud veteres; qui ſimul omnia, nemo. *Præſtans quidem ars*, inquit Cicero, *immò præſtantiſſima, atque ideò difficillima, adducere quò velis d cendo, & vnde velis deducere*. ac proinde rara auis in terris bonus Orator, qui tales tres officij ſui partes benè præſtet. Conſiderate, num ita ſit. *Delectare*, inquiunt, *ſuauitatis eſt, docere neceſſitatis, flectere verò victoriæ*. Cui ergo in dicendo victoria debetur? vtique qui nouit flectere: huc ſiquidem referendus omnis labor Sic de Concionatoribus item ſenſit D. Bernardus, qui ait: *Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moueat: & ſi perſuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando ſtudeas oportet*. Sic & D. Chryſoſtomus dolere vehementer ſolebat, quòd plauſu ipſo fructus impediretur auditorum. *Vbi*, inquit, *domum redeo, & intelligo plaudentes ſine fructu abiiſſe, & ſi fructum accipere poterant, à plauſu & laudibus periiſſe; ploro & gemo & lacrymor, & quaſi fruſtrà omnia dixerim ſic afficior*. Hæc ille: Pœnitentia videlicet, compunctio, deteſtatio peccatorum, zelus amoris Dei & proximi, commotio denique animorum finis eſt ſemper concionum noſtrarum. Quid enim aliud ſpectemus? quid? vt ſpectent oculi nos mille loquentes? auertat Deus. An vt imitemur magiſtros illos, quos *prurientes auribus* Apoſtolus vocat? Non ſic profectò, non ſic. non humana quærimus ſed homines; non plauſibilia, ſed ſalutaria. At quid igitur cauſæ eſt cur tam raro finem noſtrum aſſequamur? Fatendum ingenuè cauſam præcipuam in populo reſidere. ſiquidem, vt ait princeps eloquentiæ, *Nemo eſt qui non acriùs vitia reprehendat, quàm virtutes in dicente collaudet*. Hoc vitiùm naturæ hominum eſt inſitum, vnum vt geſtum vel vnam circumſtantiam, vel verbulum vnum inconſideratè prolatum magis obſeruent quàm neceſſaria multa quæ ad ſalutem dicuntur animarum. quaſi verò reperiri quis poſſit tam in dicendo conſummatus, vt vitet omnia quæ diſplicere populo ſubinde cõtingit. Græcia quidem perfectos vtcumque fuiſſe iactat Demoſthenem & Æſchinem; Roma Ciceronem & Hortenſium; tamen multa in iis reprehendenda erant. Nos verò hoc aureo tempore gratiæ plurimis quàm optimis Oratoribus gloriari poſſumus; tum Græcis, vt D. Chryſoſtomo, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, &c. tum Latinis, vt D. Ambroſio, Auguſtino, Cypriano, Bernardo, aliiſque permultis, quibus illud Neſtoreum conueniat, Μέλι γλυκίων ῥέεν αὐδή, id eſt, *melle dulcior fluebat*

Cicer. de Orat. ſub perſona Antonij.

Bernard. Serm. 59. ſuper Cant.

Chryſoſtomus Hom. 30 in Acta.

2. Tim. 4.

Cicer. de Orat.

Iliad. α.

fluebat illis oratio. Verùm in facris Euangeliis duo reperiuntur omnibus numeris abſoluti & conſummati Oratores, qui finem ſuum abſolutiſſimo ſtylo, methodo, artificio ſunt conſecuti. Quorum prior Chriſtus Dominus noſter in Oratione ſua, quam idcircò Dominicam vocamus; de cuius ſtylo & artificio & myſteriis omnibus ſi dicendum ſit, & accuratè omnia expendenda, non dicam dies, ſed annus nos deficeret. Secundus eſt Gabriel, ſanctiſſimæ Virginis paranymphus (vnde & eius oratio, vel certè pars orationis, Dominicam Orationem ſubſequi ſolet) qui rectè & ex arte dixit, & dicendo Virgini perſuaſit, dum ad perficiendum opus incarnationis, eius impetrauit conſenſum. Exordio quidem quàm læta, noua & inexpectata profitetur? Deinde quàm facili lapſu ad narrandum deſcendit? quàm breuiter ac dilucidè Narrationem exequitur? *Ne timeas*, inquit, *Maria: inueniſti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies & paries*, &c. Confirmat autem, dubiamq; erigit atq; inſtruit grauiſſimis ac robuſtiſſimis argumentis, dum ait: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, &c. Demum concludit exemplo familiari, vt Virgini ad aſſentiendum propenſæ hoc Perorationis potentiſſimæ pondus incumbat. *Et ecce*, inquit, *Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium*, &c. Quid in tanta breuitate tam efficax, tam neruoſum, tam abſolutum? Ceterùm quia verſamur adhuc in Exordio, progreſſi ad tertium eius membrum; hîc pedem figamus, inquirentes in primis quæ ſit verborum ſententia, quæ mens Angeli dicentis, *Dominus tecum*. ſeduò & ſeriò ex SS. Patribus id petendum.

Duo oratores conſummati. 1. Chriſtus Dominus noſter.

2. Gabriel.

Deus quidem vbiq; eſt, inquiunt, & in omnibus & cum omnibus: ſed aliter atque aliter id intelligendum. Siquidem Deus in beatis eſt per gloriam, in electis per gratiam, in carne aſſumpta per vnionem hypoſtaticã, in omnibus creaturis per prouidentiam: at in beatiſſima Virgine per ſupereminentem quamdam virtutem & operationem, vel, vt dicunt, per ſingularis gratiæ prærogatiuam, vt cum matre filius. Atqui hoc generatim; ſed diffuſiùs explanemus. Credimus Deum ter optimũ max. ſummum eſſe & infinitum bonum, qui ſeipſo beatus ſit & glorioſus ſine termino, fons ac principium omnium bonorum & omnis beatitudinis ac gloriæ. In creaturis autem quæ Deo propinquior eſt, hoc ipſo beatior ac ditior. Hæc propinquitas fieri poteſt vel per gratiam, vel per naturam. Propinquitas verò Mariæ per gratiam ſumma fuit, quia ſumma eius gratia, &, vt Angelus dixit, *gratia plena* fuit: naturalis quoque propinquitas ſumma, quia illius mater fuit, & Chriſtus veluti Mariæ pars: quod ſignificat Angelus, cùm ait, *Dominus tecum:* videlicet in præſenti per gratiam, fauorem, protectionem & aſſiſtentiam particularem, mox etiam per naturam. Primò itaque hoc verbum Angeli intelligimus *affirmatiuè* pronuntiatum, non *optatiuè*, vt ſic loquar. Legimus enim hoc idem & ab aliis ad quoſdam dictum, vtpote Hebræorum more ſalutantibus: ſicuti ad Gedeonem cùm veniret Angelus à Deo miſſus, *Dominus tecum*, inquit, *virorum fortiſſime*. cuius ille verbi virtute percuſſit caſtra Madian. Et alibi Booz ad meſſores, *Dominus vobiſcum*. Sed hoc, inquam, ab iis dictum precando, non enuntiando, ſicut

Vide Franconẽ Abbatẽ tom. 6. de Gratia Dei.

Iudic. 6.

Ruth 2.

sicut ab Archangelo Gabriele, qui quod nuntiabat verè asseuerabat. Estque hæc communis interpretum sententia, vno excepto Caietano. Sed inquirendum nunc quomodo Dominus fuerit cum D. Virgine, cùm hoc Angelus diceret?

Caietanus, &c. super Luc. 1.

Prima expositio August. Serm. 18. de Temp.

Prima expositio sit D. Augustini, qui Angelum sic loquentem introducit: *Dominus tecum, sed plusquam mecum. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, vt sit in vtero tuo, vt adimpleat mentem tuam, vt adimpleat carnem tuam:* scilicet paulò pòst ita facturus. nam Angelus insinuat mysterium incarnationis in Maria mox implendum, etsi nondum illud esset impletum. Ita explicat D. Thomas. Ita videlicet alij quoque Patres intelligendi sunt, quando similiter loquuntur, quasi tunc cum ea esset, & ex ea incarnatus Dominus: quia hoc in proximo erat vt fieret. Ita, inquam, exponi debent; quandoquidem satis notant conceptionem Verbi nondum factam, cùm Angelus hæc diceret. sequitur enim disertis verbis, *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* &, *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.*

D. Tho. 3. p. q. 30 art. 4.

Secunda expositio D. Bern. Hom. 3. super Missus.

Quomodo etiam fuerit Dominus cum B. Virgine, quomodo cum Angelis, quomodo cum omnibus creaturis, hoc pacto exponit D. Bernardus. *Dominus tecum. Non dixit, Dominus in te, sed, Dominus tecum. Deus enim qui vbique aqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis, quàm in ceteris; & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipsis: à rationabilibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis.* &c. Sensus est, Cum omnibus Angelis & hominibus etiam malis Deum esse per cognitionem (nam & gẽtiles Philosophi *Deum cognouerunt, tametsi non glorificauerunt)* sed cum iustis ita esse vt coniungatur illis, non modò intellectu, sed & voluntate, per amorem & concordiam. Iusti enim nihil volunt, nihil amant, nihil quærunt, nisi quod Deus est: Deus vicissim *voluntatem timentium se facit.* Atque ita est summa vtrimq; coniunctio. Quare Dominus nõ solùm est *in ijs* sicut in alijs creaturis, sed etiam propriè loquendo est *cum ijs*, & *apud eos*: vt cùm dicit, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Iam prosequitur Bernardus: *Sed cùm ita sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua vtique tanta ei consensio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret: ac si de sua virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potiùs vnus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei & totus Virginis esset, nec duo filij, sed vnus vtriusque filius.* Hæc Bernardus.

Rom. 1.

Ps. 144.

Ioan. 14.

Idem quoque subiungit: *Dominus tecum. Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem carne tua induis; sed & Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis; & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi seruat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat vterum.* Sic ille.

Tertia expositio eiusdem ibidem.

Ad eumdem modum aliæ congruæ huius tituli interpretationes afferri pos-

Quarta expositio.

D d

possunt, vt hic sit etiam sensus, *Dominus tecum*, q. d. Non mirum si te gratia plenam salutaui, cùm Dominus auctor ac fons omnis gratiæ sit tecum. Similiter enim Patriarcha Iacob benedictionem magnam & incrementum consecutus legitur, *quia Deus erat cum eo*. Sic & Iosepho prospera multa narrantur euenisse, *quia Deus erat cum eo*. Sic Gedeon gloriosam de hostibus victoriam reportauit, *quia Deus erat cum eo*. Sic Ioannes Domini præcursor *crescebat & confortabatur, quia manus Domini erat cum illo*. Denique qui Deum habet, omnia habet, nihilque ad beatitudinem illi deest. quid igitur mirum si gratia plena est, cum qua Dominus est?

Gen. 29 & 30.

Iudic. 7.

Aliæ expositiones.

Iterùm *Dominus tecum*, nempe Deus Pater cum filia quam vigilantissimè custodit: Deus Filius cum matre prædestinata ab omni æternitate, quam sapientiæ suæ splendoribus illustrat: Deus Spiritus sanctus sicuti sponsus cum sponsa, quam vnicè diligit. Eodem modo, *Dominus tecum*, quia tecum est potentia Patris te fecundans, tecum est sapientia Filij te erudiens atque disponens, tecum est munditia Spiritus sancti te inuiolatam conseruans. Ad extremum, *Dominus tecum*, quia Pater æternus ante sæcula te elegit non solùm in viuentium, sed etiam ipsius vitæ matrem: quia Filium nouem mensibus in vtero, deinceps vbere de cælo pleno pasces & lactabis: quia Spiritus sanctus te cælestium charismatum fluentis irrigabit, & per te tamquam per aquæductum partem eorum ad nos deriuabit.

Ex his omnibus Doctorum sententijs operæ pretium erit elicere, quomodo peculiariter cum Deipara Virgine fuerit Dominus: quod vt manifestiùs fiat & distinctiùs colligi possit, generatim modos omnes recenseamus, quibus Deus in creaturis suis, vel cum illis esse dicitur.

Modi omnes quibus Deus dicitur esse cum creaturis.

1. Primò Deus infinitus propter immensitatem suam vbique est *per essentiam*, vt ipsemet affirmat, *Cælum & terram ego impleo*. Et Propheta Regius, *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascẽdero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pēnas meas diluculò, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. De quo etiam sic D. Augustinus: *Immensitas*, inquit, *magnitudinis tua ista est, vt intelligamus te intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum*.

Iere. 23.

Ps. 138.

August. in Meditat. c. 30.

2. Secundò, Deus vbique est *per præsentiam*, qua creaturas omnes concipitur agnoscere & intueri: sicuti Rex præsens in palatio inspicit quæcumque ibi geruntur: ita testante Scriptura, *Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei*. Hebr. 4.

3. Deus etiam cum omnibus creaturis est *per potentiam*, vtpote *omnia portans verbo virtutis suæ*, omnia conseruans ne in nihilum redigantur. Vt enim ait Rex Dauid, *auertente te faciem tuam turbabuntur, auferes spiritum eorum & deficient*. Hos tres modos ita tradunt Theologi cum D. Thoma, tamquam præcipuos ac generalissimos.

Heb. 1.

Ps. 103.

S. Tho. 1 p. q. 8. art. 3.

4. Deinde, qui omnibus hominibus sui communicat præsentiam per notitiam quamdam naturalem, de qua dicitur, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; idem fidelibus quidem omnibus adest per fidem, qua cognoscitur ab illis: iustis autem insuper in hac vita per charitatẽ & gratiam qua diligitur ab illis: beatis

Psal. 4.

in

in altera vita per gloriam, qua videtur.

5. Nobiſcum maximè propriè fuit, tamquam verus *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, per incarnationem, quando per infinitam miſericordiam ſuam *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus.* Baruch 3.

6. Nobiſcum item peculiari aſſiſtentia eſt in templo, nempe ad exaudiendas preces noſtras: quemadmodum olim dicebat ſe habitare in medio populi ſui Iſraël, quia in tabernaculo ſiue in templo habitabat: ibique *oculi eius aperti* erant, *& aures erectæ, & cor* attentum ad orationes fideliũ. 2. Par. 7.

Eſt & nobiſcum ſemper, licet inuiſibilis & abſconditus, Deus noſter in venerabili Sacramento; præſertim verò quando illud dignè percipimus in ſacra Communione. Nam diſertè hoc affirmat ipſemet Dominus noſter, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Matt. 28. Hæc eſt communis ratio apprehendendi & explicandi quomodo ſit Deus vbiq; cum ſuis creaturis, & cum iuſtis & cum iniuſtis. Porrò diſtinctiùs adhuc & ſpecialiùs cum iuſtis eſſe dicitur; idque multifariàm.

Alij ſeptẽ modi, quibus Deus eſt cũ iuſtis. Primò. Potiſſimùm verò cum illis eſt & in illis per gratiam ſuam iuſtificantem, qua ſanctificat illos, in illiſque habitat, vt promiſit his verbis: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus*, &c. Ioan. 14. ibidem: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Beatus certè apud quem manſionem facies, Domine Ieſu*, inquit ſuauiſſimus Bernardus: *beatus in quo Sapientia ædificat ſibi domum, excidens columnas ſeptem. Beata anima quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quænam eſt illa? anima vtique iuſti. meritò planè, quia iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.* Bernard. Serm. 3. de Aduẽt. Pſal. 88. Sic ille. quare optima eſt illa oratio iuſti in libro Sapientiæ, *Mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Denique Deus in iuſtis eſt, veluti ſol in domo quam illuminat & calefacit, veluti Rex in regno, præceptor in ſchola, dux in exercitu, paſtor in grege, paterfamilias in domicilio ſuo.

Secundò. Aliter Deus adeſt iuſtis per auxilium, protectionem, & particularem aſſiſtentiam; per gratias præuenientes, concomitantes, ſubſequentes; excitans, illuminans, adiuuans illos. Sic enim ipſemet ait per Prophetam: *Ne timeas, quia ego tecum ſum.* Iſa. 41. & alibi: *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum ſum, vt eruã te.* Ierem. 1.

Tertiò. Adeſt etiam nobis per directionem inter proſpera & aduerſa, ne à recto ad vitam beatam itinere, noſtraque vocatione deflectamus. Ideò ſic orat Dauid: *Dirige in conſpectu tuo viam meam.* Pſal. 5. id eſt, ita cunctas cogitationes, deſideria, & opera mea, quaſi coram oculis tuis ſemper verſarer, rege ac diſpone. Et alibi: *Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.* Pſ. 118. rurſus: *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* Quod quidem eodem modo nos omnes precari à Deo cõuenit, vt dicat nobis ſicuti Ioſue, *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum:* Ioſue 1. nempe in omni aduerſa æquè ac proſpera fortuna.

Quartò. Quaſi præſens item afflictis ad ſe confugientibus opitulatur per opportunam aliquam liberationem, aut admirabiles conſolationes. Ait enim qui non mẽtitur Deus: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eũ.* Pſal. 90. Iterùm alibi: *Si tranſ-* Iſaiæ 43.

transieris per flumina, non obruent te; si per ignem, flamma non nocebit tibi: quia ego tecum sum. Et ne vanas putent homines esse has promissiones; miraculis, velut æternæ atque immutabilis veritatis suæ sigillis, eas communiit in liberationibus Noë, Israëlis, Dauidis, Ionæ, Danielis, & aliorum absq; numero, vt Sacris litteris consignatum est.

Quintò. Adhæc cum iustis est per amorem mutuum, quem ita explicat Spõsa paucis quidẽ sed efficacissimis
Cant.2. verbis: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Sextò, per concordiam voluntatum. Iusti enim agnoscentes paternam Dei sollicitudinem de filiis suis, ipsi quoque vicissim aliud nihil quęrunt quàm vt Deo placeant, eiusque voluntati satisfaciant, quotidie orantes, vt didicerunt in Oratione Do-
Matth.6. minica: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.*

Septimo & postremò, per mutuam honorationem. Sicuti enim ab illis Deus honoratur, ita vicissim illi
Ps.138. à Deo. *Nimis* enim *honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Iam omnibus his modis tam cõmunibus quã specialibus fuit Dominus cum Maria matre sua dilectissima, & longè insuper aliis & excellentioribus modis, quàm cum ceteris omnibus. Nam vt mittam generales modos, & solùm intimam Dei cum ipsa coniunctionem exequar, fuit cum ea

Decem specialibus modis fuit Dominus cũ Maria Virgine.

1. Primò per gratiam, non modò sicut cum iustis aliis, sed per gratiæ plenitudinem, & quidem, vt superiori Concione audiuimus, per plenitudinem superabundantiæ, adeoque maiorem quàm simul omnes Angeli ac
2. Sancti à Deo sint consecuti. Deinde, per auxilia gratiæ externa, & fauores, seu defensiones diuinas, per libera- 3.
tiones seu cõsolationes, per directio- 4.
nes ac benedictiones seu prærogatiuas, sine comparatione longè aliter fuit cum Virgine Dominus quàm cum aliis iustis. Matri enim longè plura conferre beneficia ac priuilegia debuit, quàm seruis suis. Quan- 5.
ta item coniunctio vtrimque fuit per amorem! Deus enim ex sua parte præ omnibus creaturis in vnum collectis eam, vt par fuit, dilexit: & ipsa vicissim tantopere eum redamauit, vt omnem excedat comparationem; siue naturalem eius charitatem, siue supernaturalem, siue vtramque iunctim spectemus. Neque languida solùm amore, aut vulnerata fuit, aut liquefacta, vt sponsa in Canticis, sed Cant.2. & 5.
penitùs immersa atque absorpta.
Alius fuit modus per concordiam 6.
voluntatum. ipsa siquidem quoad vixit perfectissimè in omnibus Dei voluntatem executa est: sicut Deus omnibus quoque optatis eius annuit; vna vt quodãmodò voluntas vtriusque, vnum cor, & anima vna esset. Ipsa nimirum Deo dedit quod desiderabat, v. g. humanam naturam è Regia prosapia Dauidis, dedit ei lac in nutrimentum, dedit se totam in eius obsequium, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Sed Deus ipsi rependit maternitatem cum summa puritate, profundissimam humilitatem, eximiam obedientiam, vno verbo, charismata inæstimabilia. Quemadmodum Regina Saba multa Salomoni largita est, sed plura maioraque ab eo recepit: ita & Maria; sed, teste diuo Hieronymo, *quod natura non habuit, ignorauit ratio, vsus nesciuit*, hoc Hieron. Serm. de Assumpt.
à Deo recepit. Huc accedit alia con- 7.
iunctio per mutuam honorationem. Ex quo enim dictum est ei, *Dominus*

tecum,

tecum, filij gloriam cum matre non tam communē dicimus quàm eamdem: & quicumque matrem honorat, placet filio; & qui filio, idem placet matri. *Corona senum filij eorum: & gloria filiorum patres eorum*, inquit Sapiens. ex quo loco D. Thomas probat honorem B. Virginis in Christum filium eius maximè redundare: sicut contrà filiorum honor parentes etiam afficit. Hinc cùm Patriarcha Iacob morti proximus bona sua filiis partitus esset, accedens ad Ioseph dixit: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Quia verò numquā legimus Iacob de manu Amorrhæi in glodio & arcu aliquid tulisse, sed potiùs filios eius Simeonem & Leui; euidens est hoc dixisse, quòd cùm bona parentum & filiorum cōmunia sint, communes etiam debeant esse laudes ac victoriæ. Conspirat in eumdem sensum SS. Patrum auctoritas, D. Gregorij, Bernardi, Ildefonsi, cuius verba hęc sūt: *Quod matri impenditur ad filium redundat; & quod in Regis honorem transit, in famulatum Deiparæ transfertur*. totidem ferè verbis idem & alij scribunt. Iam per humanam cōuersationem longè aliter cum Maria fuit Dominus quàm cum aliis: siquidem nouem mēsibus in eius vtero portatus, natus exinde & lactatus ab ea est: & dum inuenitur à pastoribus, adest Maria: dum adoratur à Magis, adest Maria: cùm præsentatur in templo, adest Maria: cùm fugit in Ægyptum, adest Maria: cùm ex Ægypto redit in Iudæam, adest Maria: cùm ascendit in templum, adest Maria: cùm disputat in templo, adest Maria: cùm inuitatur ad nuptias in Cana Galilææ, adest Maria: cùm aquam in vinum conuertit, adest Maria: cùm prædicat, adest Maria: cùm crucem baiulat, adest Maria: cùm in cruce moritur, adest Maria, quam dilecto discipulo suo commendat: cùm resurgit, adest Maria: quæ omnium prima rediuiuum ab inferis cernit: cùm in cælos ascendit, adest Maria. Denique ægrè potuit diuelli ab eius corporali præsentia, quamdiu in terris fuit. Quid, quòd ab æterno in omnem æternitatem semper Dominus fuit cum Maria? Nam *ab æterno ordinata est, & ex antiquis antequam terra fieret*. ante omnem sæculorum memoriam Deus in matrem sibi eam delegit. Deinde in tempore corpus ipsi purissimum, atq; ad omnem sanctitatem aptissimum (instar arcæ fœderis, quæ ex nobilissimo & incorruptibili ligno, intus & foris auro vestita constabat) ex sanctissimis parentibus aptauit. Mox ab incunabulis in dilectam oculos perpetuò conuersos & intentos habuit vsque ad mortem. Morituræ verò præsens adstitit, animam sanctam dulcissimè inuitans, quam & in amplexus suos euocauit, & deliciis affluētem, & super dilectum suum innitentem ęterno Patri obtulit, & iuxta se super omnes creaturas visibiles atque inuisibiles euectam, summa in gloria collocauit. Deinceps verò si ceteræ virgines in cælis *sequuntur Agnum quocumque ierit: & nos semper cum Domino erimus*: quantò magis mater amantissima semper aderit filio? Postremò *Dominus tecum*, scilicet per identitatem quamdam, vt explicat B. Petrus Damianus, *veluti fructus cum arbore, fetus cum matre, caro cum carne, & os cum ossibus eius*. verè vt sanctissima Dei genitrix de Christo dicere

Prou. 17. D. Tho. 3. p. q. 27 ar. 4. Gen. 48. Greg. l. 5. Moral. cap. 5. Bernard. Hom. 4. sup. Missus. Ildefons. lib. de Virginit. Mariæ, cap. 2. 8. Prou. 8. Apoc. 14. 1. Thessalon. 4. 10. Petrus Damian. Serm. de Natiuit. Mariæ.

Ephes. 5. *cere potuerit, Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Tam arcta & perpetua & indissolubilis fuit inter vtrumque coniunctio.

Quæ cùm ita se habeant, quanta exstitit beatissimæ Virginis gloria, quæ corona exultationis ex hac penitissima coniunctione? Lubet ad extremum (vt summam eorum quæ dicta sunt colligamus) rem tãtam tamque inexplicabilem similitudine illustrare, quam suggerit nobis D. Bonauentura hunc locum explanans. D. Bonaueut. in hunc locum. *Discretè dictum est*, inquit, *Dominus tecum: quia excellenti & singulari modo cum ea Dominus, tamquam in proprio tabernaculo fuit. De quo ait Psaltes Regius:* Psal. 10. *Dominus in templo sancto suo.* ac rursus: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Sic ille. *Maria templum Domini admirabile.* Ponite itaque vobis ante oculos tale templum quale hîc videtis, auro, argento, atque omni lapide pretioso ornatum: columnas istas ex adamante: ceteros lapides in muris passim ex iaspide, sapphiro, smaragdo, & pyropo. quanta hinc pulchritudo! tales namque lapillos inueniri ferunt, qui lucidissimi sint, & noctu luceant instar candelæ aut faculæ cuiusdam, ideoque summo in pretio sint. *Illustris similitudo* Deinde, quòd si insuper sol directè radios suos iacularetur in columnas illas adamantinas, ac lapillos fulgentissimos; quomodo templum tunc coruscaret? Verùm (vt fingamus etiam fieri posse quod inusitatum est) si ipsemet sol, quantus quantus est, euulsus è cælo templum intraret, nostro modo intelligendi, cùm tam clarus sit vt totum orbem collustrare valeat, quid tum futurum? Atqui diximus, & initio satis demonstratum est, Deiparam Virginem verum Dei templum esse, templum ornatissimum, templum Salomonis, cui simile orbis non vidit. Hoc templum itaque, cùm *domum Domini deceat sanctitudo*, Psal. 92. ornatum fuisse oportuit omni lapide pretioso: ipsam, dico, animam Virginis virtutibus heroïcis, donisque cælestibus radiantissimam, omnium denique diuinarum benedictionum circumdatam varietate. O! sicui hominum à Deo concederetur animam hanc contemplari, omnesque virtutes oculis perlustrare! quantam cerneret gloriam & diuitias in domo Domini? Et si tanta ornatuum copia in ea refulsit, si tanta claritas impleuit splendoribus animam illam, quid fuit, obsecro, cùm ipse Sol iustitiæ intra eam ingressus est, descendens à sinu Patris in vterum matris? quomodo sua præsentia totam domum illustrauit? An non tota versa est in lumen, & *Signum magnum apparuit mulier amicta sole?* Apoc. 12. Lumen profectò ingens, & miraculum miraculorum facta es, ô diuinissima Virgo, quia *Dominus tecum.* Ad stuporem totus vniuersi tuæ dignitatis gloria omnem superat intelligentiam, quia *Dominus tecum.* Et semper quidem, & in omnibus, & omni modo *Dominus tecum:* sed tum maximè quando is *quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Hunc suauissimum ventris tui fructum nobis offer, ô vita, dulcedo, & spes nostra, per quam peccatores conseruati ab interitu fuimus, & pœnitentes ad Christum reducti, atque in eius gratiæ reconciliationem, spemque gloriæ accepti sumus. Sed cetera videamus.

Secunda pars, de fructu nostro. Tandem, vt ad id veniamus quod secundo loco institueramus, quàm optandum nobis omnibus, vt Dominus noster semper sit nobiscum? Ideò

Ideò videlicet factus homo in terris visus est, & nobiscum conuersatus. Hinc illæ diuinissimæ ac suauissimæ
Ioan. 17. eius voces, *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, Pater*: haud dubium quin per sacramentum communicatæ carnis, vt interpretatur diuus Hilarius: nam hoc modo gloriã & diuinitatem suam nobis impertiit.
Matt. 28. Hinc & illud, *Ego in eis, & tu in me, vt*
Prou. 8. *sint consummati in vnum*. Et, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* & : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Itáne Domine Iesu? tam dulce tibi tamque iucundum est nobis adesse? & nostræ deliciæ non sint esse tecum? Itaque huc omnis animi contentio referatur, huc omnes nostræ curæ & cogitationes euigilẽt, vt Dominus nobiscum sit & nos cum Domino. Nobiscum sit, inquam, veluti cum electis suis & dilectis: non modò communibus illis modis, quibus est cum aliis creaturis, sed specialiter vt cum iustis. Sic enim in Deo bona cuncta possidebimus, quoniam ipse est summum bonum
Prou. 8. in quo sũt omnia bona. *Mecum sunt*, inquit, *diuitiæ, & gloria, opes superbæ & iustitia. Melior est fructus meus auro, & genimina mea argento electo.* Quòd si
Gen. 39. præsentia Ioseph, aut arcæ fœderis tanta benedictione compleuerunt
2. Reg. 6. domos Putipharis, Obed, atque Dauidis, quantò magis omni felicitate cumulabitur, qui Deum secum ha-
Iob 17. bebit? *Pone me iuxta te*, ait Propheta Iob, *vt cuiusuis manus pugnet contra me.* Quin etiam optandum & efficiendum quoque, quoad eius fieri potest, vt nobiscum semper sit Dominus, sicuti cum Maria virgine specialiùs adhuc fuit: tametsi prorsus eodem modo vt sit, fieri non potest. Fuit siquidem cum ea tãquam cum matre filius: quò nemini aspirare fas est. Magna profectò hæc dignitas matris: sed maior, auctore D. Augustino, dignitas fuit, quòd Filius Dei cùm ea fuerit per gratiam, quàm per maternam propinquitatem. *Felicior*, inquit, *Maria, quia concepit Christum mente, quàm ventre.* Itaque possumus in ea æmulari charismata meliora, nempe plenitudines gratiæ, & auxilia specialia, de quibus actum superiùs. Quàm sublimis hæc doctrina, quàm dulcis & grata auditu! Vt verò pleniùs intelligatur quanta sit dignitas animarum, in quibus supremus ille Rex gloriæ, tamquam in palatio suo, habitare, seu veluti in throno suo residere dignatur; præsertim verò augustissimæ illius matris quæ in vtero eum suscipere meruit; conabor rem totam eximia similitudine illustrare.

August. Tract. 10 in Ioan. & lib. de Virginit.

Legimus apud grauissimos ætatis nostræ Scriptores, Sinarum Reges, Regum omnium facilè potentissimos esse, quorum opes ac prouentus annui maiores sunt quàm omnium Regum Europę coniunctè, adde vnà fortè & Africæ; vt testantur, qui rationes vectigalium illius Monarchæ, quæ per omnia sua regna ipse solus indicere atque exigere potest, inspexère. Porrò, in Regia Paquinensi quatuor atria esse longè splendidissima: quorum primum parietes habet ac pauimentum æreis lamellis, eleganti ferarum arborumq; pictura insculptis conuestitum: alterum purissimo elaboratissimeque argento constratum: tertium ceteris quidem forma exteriori persimile, sed circumsecus & in laquearibus, auri encaustici crustis exornatum: quartum ceteris præcellit, musiuo elaboratum opere, & ex materia pretiosissima;

Vide Iarric. to. 2. Thesauri Indici. Maffæ. l. 5. Hist. Indicæ. Ioannem Gonzal. lib. 3. c. 1. part. 1.

Vt Alexander Valignanus.

Regum Sinēsium palatia.

ſima; gemmas varias in parietibus ac pauimento,& velut vnam dumtaxat vbique gemmam conſpicias. Regium hîc ſolium pretij infiniti: gemmis adeò collucet, vt ſub noctem accenſarum facum lumen æmulentur, neque candelis hîc ſit opus. In hiſce atriis externorum Regum legatos pro legantium qualitate ac diſcrimine excipere ſolet: adeò vt ſi legatio à Rege inferiori, minuſq; potenti adornata ſit, in primum legatus atrium introducatur: ſi à potentiori, in ſecundum, atque ita de ceteris. Hæc autem intelligenda ſunt de temporibus elapſis: nunc enim Rex Sinarum quaſi inuiſibilis Dei dignitatem atq; auctoritatem oſtentans, ita ſe continet in Regia, vt nulli legatorum externorum, aut magnatum ſuorum, quicumque illi ſint, ſpectandum ſe præbeat: vt, præterquam à ſpadonibus, vxoribus, & liberis, à nemine videri aut ſalutari poſſit. Quæ cùm ita ſint, tantaque magnificentia ab homuncione aliquo aut cogitatione aut reipſa fingi potuerit: quale palatium aut cubiculum à præpotente Deo præparari debuit non legatis Regum aut Principibus terræ, ſed Filio vnico, in quo ſibi complacuit, vt homo factus dignè reciperetur, & nouem menſibus requieſceret? Quale hoc palatium fuiſſe oportet, quàm auguſtum, quàm venerãdum, quàm ſtupendum? Corporea nimirum ornamenta ſunt quæcumq; iam commemorauimus: & quantum animus corpori, cælum terræ, tantum his omnibus ſpiritualia Deiparæ ornamenta præſtant. Verùm enimuerò ad hanc præſtantiam longo licet interuallo accedunt ceteræ iuſtorum animæ, ad quas venire & manſionẽ in iis facere ſanctiſſima Trinitas amat, vtique per gratiam & peculiarem aſſiſtentiam. Et quidem initio conuerſionis, dum *in via purgatiua*, verſantur, peccata ſeriò deteſtando, & nouiſſima recolendo, æreum quaſi atrium (quod incipientium eſt) præbent Domino ſuo: mox in *via illuminatiua*, dum *iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens creſcit* operibus bonis, & virtutibus, tum argenteum quaſi atrium proficientium exhibent: his deinceps ſuccedunt aureum, & gemmeum, in via illuminatorum & perfectorum.

Similitudo excellens.

Ioan. 14.

Prou. 4.

Quàm præſtans donum gratia.

O quàm excellens & incomparabile donum eſt diuina gratia, ſine qua nulla in pretio eſt dignitas, nullum donum: quæ contrà ſi adſit, *Dominus tecum* eſt, & in te habitat tamquam in palatio, & omnem tranſſcendis altitudinem dignitatis, quæ mente concipi aut fingi poſſit! Da mihi vel Apoſtolum, vel Prophetam, vel Angelum, vel Seraphinum, qui tamen gratia careat: confer cum alio qui illis careat dignitatibus, gratia Dei tamen ſit ornatus; ſine dubio longè longeque inferior erit eo qui gratia ornatur, licet centuplo maiorem dignitatem poſſideret. Sic Apoſtoli dignitate prefulgebat Iudas, qui tamen cùm gratia careret, audit hoc triſte iudicium à Domino, *Melior erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Marc. 14. Lucifer magnus erat, ſed gratia priuatus viliſſimus dæmon efficitur. Par iudicium eſto de dignitate matris Dei. Da matrem Dei, ſed expertem diuinæ gratiæ, iam inferior erit quouis iuſto gratia prædito. Cùm itaque gratia Domini noſtri ſit maxima felicitas, quam in hac vita conſequi poſſumus, omnis noſter conatus eò referendus eſt, vt per gratiã Deus ſemper nobiſcum ſit, & in nobis habitet.

In Deo est omne bonum. bitet. Si hoc bonum habemus, omne bonum habemus: in Deo enim est omne bonum. Quæris opes, honores, delicias? in eo sunt tamquam in fonte. Quæris nobilitatem, sapientiam, virtutem? quæris animi tranquillitatem & gaudium conscientiæ?
Sap.7. in Deo inuenies. *Omnia bona,* inquit ille, *venerunt mihi pariter cum illa,* scilicet Sapientia æterna. Et Regius
Psal.22. Propheta, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Addo etiam quod Nathan dicebat Dauidi Regi, *Quidquid*
2.Reg.7. *in corde tuo est, vade, age, & perfice illud: tecum enim Dominus est.*

Qua ratione efficiemus vt sit Dominus nobiscum. At quæres fortasse, qua ratione ac via obtinebimus vt semper sit Dominus nobiscum? Primò, cùm nolit habitare *in corpore subdito peccatis (odio enim est Deo impius & impietas*
Sap.1. & 14. *eius.)* hæc omnis Sanctorum cura solet esse, vt frequenti examine con-
1. scientiæ & confessione peccatorum cor suum expurgent, dignumq; Deo domicilium siue hospitium præparent. Quamdiu enim cor nostrum non est mundum, quamdiu plenum est vanitate & amoribus vitiosis, & carnalibus cogitationibus, tādiu non est acceptum Deo. Habet Deus manus auro & argento plenas; in sinum nostrum proiicere eumque implere paratus est, si nos plumbum & terram eiicere parati simus. Habet balsamum suauissimum, vinum dulcissimum, eoque cor nostrum replere desiderat, si modò lutum nostrum effundamus. Purgandum ergo in
2. primis cor nostrum. Deinde, omnibus votis necesse est Deum quæramus assiduè, ad eumque ex toto corde anhelemus quasi reliquarum omnium rerum obliti: exemplo eius qui
Psal.72. dicebat: *Quid mihi est in cælo, aut à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*
Idem nos alibi monet: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. Neq; extundit desiderium sanctum felix inuentio, sed extendit,* inquit dulcis Bernardus. *Numquid consummatio gaudij, desiderij consumptio est? non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus: ideoque nec cùm inuentus fuerit, cessabitur à quærendo.* Ps.104. Bernard. Serm.84 in Cant.
Maria Virgo ita quærebat Deum semper, vt curaret omni cogitatione, verbo & opere ei placere. Nihil extra Deum quærebat, vt in rebus omnibus, maximis minimis, inueniret Deum. Quod ille explicat dicens: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa,* Cant.4.
in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. q. d. Vnus oculi tui respectus, vnus capillus, res minima, si me amore vulnerat; quid faciet vniuersa tua pulchritudo? Adhæc os- 3.
tendemus nos Deum quærere, si tentationibus omnibus atque illecebris quibus inimici nostri nos oppugnāt, vt Deum eripiant, viriliter resistamus. Et si quando per tristitiam, ariditatem spiritus, aut difficultates huiusmodi Dei præsentia priuari videmur, non despondeamus animum: quia quamdiu est prompta voluntas ad diuinum obsequium, & ad Dei voluntatem implendam, non perditur Deus. Existimemus esse nubes quasdam, quæ lumen solis subinde obscurant, sed citò transeunt. Po- 4.
stremò ardens orationis studium, efficacissimum instrumentum est quo Deo coniungimur, vt semper & vbique nobiscum sit Dominus. Ita docet diuus Chrysostomus. *Orandus Deus vbique, inquit, quia vbique Deus est, ergo vbique nos exaudiet.* Chryso. Hom.pœnult. ad populum Antioch.
Quoniam tamen certior Dei præsentia in templis est vt nos exaudiat,

quotidie illa frequentanda sunt; atq; inibi augustissimum Eucharistiæ sacramentum, in quo verè ac realiter præsentem Christum Dominum adoramus ac suscipimus, religiosè vsurpandum. Sacrum Missæ Officium pari studio ac pietate audiendum, in quo Sacerdos personam mediatoris agens, nihil salutarius nobis precari potest, quàm vt identidem ad nos conuersus dicat, *Dominus vobiscum*. qua quidem precandi formula omne bonum audientibus exoptat, & virtutem sacrificij applicat. Contrà verò instar omnis mali est, Deum relinquere atque à Deo derelinqui, videlicet per peccatum, dum ei dicitur illud, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarũ nolumus*. O abyssum malorum! *Certè melius est mihi non esse*, inquit D. Augustinus, *quàm sine Iesu esse: melius est nõ viuere, quàm viuere sine vita*. Væ igitur peccatoribus cum quibus Dominus non est, nec erit in æternum nisi resipuerint. Sed velint, nolint, loco Dei diabolus cum illis est, tamquam Dominus & Deus illorum. Ille Dominus vobiscum est, ô impij, ille vobiscum erit in perpetuas æternitates. Cuius rei si manifestissimum quæritis experimentum, non celabo, sed digito vobis diabolum Dominum vestrum ostendam. Anno Domini 1602. Dominica prima Quadragesimæ, in oppido Hollandiæ, quod Edam vocant, milites quidam insolentes nefarium drama exhibuerunt in contemptum Ecclesiæ, creantes Sacerdotem, & ritus sacros palàm irridentes. Comitabantur fictum Eucharistiæ sacramentum ad ægrotum, qui se mori simulabat, & sepeliebatur ritu Ecclesiastico. Passim ad circumfusam populi coronam ore sacrilego vociferabantur, *Dominus vobiscum*, &c. Magistratus interim approbauit, & pro congiario siue donatiuo quatuor illis vasa ceruisiæ assignauit, quæ simul in templo epotarunt. Sed infelix fuit catastrophe: nam paulò pòst in quatuor ædificiis vicinis templo excitatum est incendium: & diabolus in forma ignei draconis complexus est turrim, & se circumuoluit, clamitans vicissim ad populum, *Dominus vobiscum*. Sexaginta insuper domos flamma absumpsit, & tota ciuitas haud dubiè deflagrasset, nisi accurrissent ex vicinis oppidis Horne & Munnekedam, qui opem ferrent. Ecce audistis hîc, vidistis, horruistis, vt par est, auditores, Dominum impiorum, qui hoc modo suis adesse gaudet. Auertat illum procul à nobis Dominus Deus verus, in sæcula benedictus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

Dominus vobiscũ, in Sacro.

Iob 21.

Augúst. in Meditat. c. 39.

Historia recentis memoria.

CONCIO XIX.

Benedicta tu in mulieribus.

1. *Quomodo hic titulus intelligendus, de quintuplici benedictione gloriosissima Virginis.*

2. *Quid in quoque genere discendum, ad salutem animæ, siue ad perfectionẽ nostram.*



CÆLESTIS Deiparæ paranymphus tam sublimes Dominæ suæ titulos detulerat, vt altiùs scandere non valeret. Dixerat gratia plenam, &, quod amplius est, Dominum, auctorem ac fontem gratiæ cum ipsa esse. Iam igitur subiicit id quod consequens est, *benedictam esse in mulieribus*. Etenim quia gratia plena erat, Dominus cum ea esse voluit: & quia Dominus cum ea tum per gratiam, tum per naturam; necessaria consecutio

cutio

eutio erat, vt merito suo benedicta esset supra omnes mulieres. Ratione huius tituli beatissima Virgo salutatur in Ecclesia *rosa inter spinas*, siue, vt in sacrosancto codice legitur, *plantatio rosæ in Iericho:* aliàs *rosa mystica, rosa Ierichuntina.* Iericho autem Hebraicè *Lunam* significat, & in Scriptura sacra passim mutabilem huius vitæ statum, & plenum variis defectibus adumbrat. Referri itaque videtur tamquam mirabile quid, talem rosæ plantationem, qualis Maria est, repertam in Iericho; haud paulò maius ac sublimius est, quòd inter spinas & spinis istiusmodi rosa exorta sit, vt canit Ecclesia, *Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.* Verùm vt nata fuerit de Iudæis, non tamen eorum mores est imitata: sicut rosa nascitur de spinis, neque tamen est spina. Iudæi enim superbi erant, at ipsa humillima: Iudæi infideles, at ipsa fidei plenissima, in eaque constantissima: Iudæi pleni vitiis, at ipsa plena gratia. Iudæi denique terrena appetentes, at ipsa cælestium auidissima. ideò quippe dixit ei pater suus Dauid: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Ipsa namque populum suum & domum patris sui oblita fuit, quia mores eorum non est imitata. Rosa fuit exorta ex Eua spinosa, sed Euę spinas non sensit eius natura. Virga fuit nobilis Iesse, per quam in ramo conualuit, quod perierat in radice. Radix amaritudinis Eua, ramus æternæ dulcedinis Maria: iuxta illud, inter cetera quæ D. Bernardo tribuuntur, *Mira diuinæ sapientiæ dispensatio, quòd nascitur de tam sicca spina tam florens rosa.* Quid horridius spinis? at Eua & omnes filiæ Euæ fuerunt spinæ: sola Maria fuit rosa. Quid pulchrius rosa? colores habet omnium præstantissimos, videlicet candidum & rubrum: odorem quoq; suauissimum: denique facilem præstat variis morbis medicinam. Quid pulchrius Maria? dicit Dauid loco citato: *Concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus.* Odor quoque virtutum eius omnes meritò trahat: quia scriptum est, *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*, hoc est, virtutes tuæ quasi fragrantissimæ vestes tuæ Deo sunt gratum sacrificium, & recreant animum nostrum. Ipsa denique præsentem affert medicinam non corporum morbis, sed animorum. Quocircà valeant omnes gratiosæ mulieres omnium ætatum, omnium locorum, omnium gentium, quia spinæ tantùm fuerunt: Maria verò suauissima rosa inter spinas, quia *benedicta inter mulieres.* De hoc titulo dicendum Primò, quomodo intelligendus, potissimùm de quintuplici benedictione. Secundò, quis inde fructus ad nos deriuari poterit.

Eccli. 24.
In Offic. Eccles.
Psal. 44.
D. Bern. tribuitur.
Cant. 4.

AVE MARIA.

ARdentia huius mundi desideria, Sanctorumque preces, quibus antiquitus aduentum Filij Dei expetebant, aut verbis aut cogitatione consequi nemo possit, quandoquidem totius humanæ felicitatis ac bonorum omnium summa in eo posita cognoscebatur: meritò vt proinde diceretur *desiderium collium æternorum, & desideratus cunctis gentibus.* Sed venire interim detrectabat, quòd hospitium idoneum aut habitatio digna in terris non esset, quæ ipsum exciperet: nō Augusti palatium, non vrbis Romanæ Capitolium, non

Gen. 49.
Aggæi 2.

templum ipsum Salomonis, quod cunctis gentibus præcipuæ venerationi fuit. Nam *quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?* dicebat Dominus. aut *quis est iste locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* q.d. Existimatis mihi dignam habitationem præparari in templo Salomonis, vel alio simili, manibus hominum facto? nequaquam. Requiro templum viuum, & spiritu præditum gratiaque diuina, & ad imaginem ac similitudinem diuinitatis constructum. Huiusmodi autem templa viua, tametsi magno numero in terris apparuerint, non potuerunt tamen adhuc dignam Deo habitationem præbere, quoad nasceretur vna illa mulierum omnium beatissima, quæ idcircò ab Angelo appellata est *benedicta in mulieribus.* & *propterea*, inquit D. Bernardus, *tanto tẽpore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd necdum intercederet is tam desiderabilis aquæductus* (B. Virginem intellige, per quam ad nos cælestium vena gratiarum descenderet.) *Intuere, ô homo, consilium Dei, agnosce sapientiæ, consilium pietatis. Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam. Non miraberis diutiùs expectatum, si recordaris quot annis Noë vir iustus in arcæ fabrica laborarit, in qua paucæ, id est, octo animæ saluæ factæ sunt.* Ita sapienter Bernardus. Quòd si oculos conicimus in omnes æui superioris mulieres, ecquænam illarum fuit concepta sine peccati macula, vel sine culpis enutrita? Vbinam rosa fuit sine spinis? Mulieres intueamur è quibus originem duxit Virgo gloriosa, quæ propterea in eius genealogia recensentur; nónne omnes peccatis obnoxiæ, nónne spinæ fuerunt? Vno aspectu percurrite. *Booz genuit Obed ex Ruth:* ecce ista fuit celebris mulier, & bona; sed ex gentibus orta, gentium aliquando superstitionibus paruit: spina erat. *Dauid genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.* en Bersabea, nónne erat adultera, nónne spina? *Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar.* ecce incestum. Veniant omnes illustres mulieres, quæ Mariam antecesserunt, quę earũ dicere poterit sine spina se esse? nulla prorsus. Sola Maria fuit rosa inter spinas, & de spinis orta, sed sine spinis. Quocircà hanc peculiariter elegit Dominus in habitationem sibi, tamquam *benedictam in mulieribus. Nec enim,* inquit Anselmus, *Dei sapientia vllam in massa creationis humanæ viam inuenit, per quam vt disposuerat, in mundum veniens tam luctuosæ perditioni subueniret, donec ad Virginem ventum esset.* hæc ibi. Nunc huius tituli expositionem aggrediamur, *Benedicta tu in mulieribus.*

Isa. 66.

Matth. 1.

D. Bern. Serm. de Natiuit. Mariæ.

Anselm. l. de Excellent. Virg. c. 9.

Primò hîc obseruandum est, iisdem verbis vsam S. Elisabetham in salutatione sua, cùm eam D. Virgo visitauit, & repleta est Spiritu sancto, & exclamauit voce magna, & dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Quid est causę, cur iisdem verbis eam salutet, quibus Angelus Gabriel? nimirùm vt sciamus, quàm propriè illi hic titulus conueniat, quem ei tribuunt Angelus simul & S. Elisabeth, eodem afflati Spiritu qui ad id eos impellebat, vt in ore duorum vel trium staret omne verbum. Deinde aliam dat rationem D. Ambrosius his verbis: *Eadem voce Maria ab Angelo & ab Elisabeth benedicta*

Cur iisdẽ verbis vsi sunt Elisabeth & Angelus.

Lucę 1.

Ambros. super Luc. 2.

nedicta dicitur, vt Angelis & hominibus simul veneranda monstretur, quia scilicet vtrisque benedictionem attulit.

Atqui dubitari possit, an non potiùs dicendum fuisset, *in omnibus creaturis*, cùm omnes excellat? vel certè hoc modo, *Benedicta tu in omnibus hominibus*; quia transcendit æquè viros ac mulieres. Cur sola benedictio in mulieribus nominatur? Respondet Albertus Magnus: *Ex quo maledictio orta est in omnibus per mulierem, scilicet Euam, ideò congruè Angelus dixit, In mulieribus; vt intelligamus quòd sicut per mulierem maledictio sumpsit originem, ita per mulierem benedictio sumpsit originem.* Hoc ita dilucidè expressum non fuisset, si dixisset, in creaturis omnibus, vel, in omnibus hominibus. Deinde, summus orator cùm esset, comparationem inter similia instituere debuit, comparando mulierem cum mulieribus. q.d. Multæ sunt mulieres ab Eua genitæ, sed tu es singularis. Omnes illæ maledicto obnoxiæ, tu sola benedicta, & tam singulariter benedicta, vt omnium maledictionem tollas. Tertiò, Christus Dominus noster ex ea nasciturus, magis benedictus, quàm illa, futurus erat inter viros: ideoque solùm benedicta salutatur inter mulieres. Adhæc quia suprema dignitas Virgini conferenda, quam spectabat maximè Angelus, erat Dei genitricem fieri, quæ viris competere non poterat: ac proinde solùm nominat mulieres. Denique significare voluit hac ratione singularia priuilegia beatissimæ Virgini collata supra omnes mulieres in quocumque statu: vt ex ijs quæ dicenda sunt liquidò cognoscetur. Deinceps enim ex ordine illa recensebuntur, si priùs communiores etymologias siue acceptiones vocis *Benedicta* distinxerimus.

[Albertus Mag. su. Missus. 1.] [*Cur dictũ est, in mulieribus.*] [2.] [3.] [4.] [5.]

Etenim benedictio quædam est prorsus humana & temporalis inter homines laus & celebritas nominis. Sic Iahel in Scriptura sacra *benedicta* dicitur *inter mulieres*, quòd videlicet laude digna esset ob insigne fortitudinis facinus, duce Sisara interfecto. Cùm autem Iahel figura fuerit Deiparæ, non est etiam ei hæc benedictio deneganda, quantumuis paruula sit: quæ in suo Cantico ita vaticinata scribitur, *Beatam me dicent omnes generationes.* Prætereà benedictio sumitur pro fausta aliqua precatione magni boni. Sic enim omni æuo Sacerdotes populo solent benedicere, & parentes filijs suis, & Simeon D. Virgini, & Iosepho coniugi eius benedixit. Sed huiusmodi duæ omnium celeberrimæ benedictiones in Genesi describuntur, Iacob Patriarchæ, & Iudæ filij eius; quarum prior ita sonat: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini: & seruiant tibi populi, & adorent te tribus: qui maledixerit tibi, sit maledictus,* &c. Atqui hanc benedictionem in B. Virgine, filia Iacob & Iudæ cumulatissimè impletam cernimus, cui Deus dedit rorem illum cæli, ad quem suspirabant qui dicebant, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Ros ille cælestis descendit in vellus Gedeonis, cùm Filius Dei per incarnationis mysterium venit in vterum Virginis. Populi quoque multò veriùs eam adorarunt, & beatissimam prædicauerunt: & maledictus quicumque ei maledixit. Clariùs eam respicit ac filium eius Iudæ benedictio his verbis: *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum:*

[*Primò significat celebritatem nominis.*] [Iud. 5.] [Luc. 1.] [*Secundò signat faustam precationem.*] [Luc. 2.] [Gen. 27. & 49.] [Isa. 45.]

adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, &c. *donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Sed iam verba Angeli penitiùs inuestigemus, vt grauiora eruantur mysteria, seu potiùs illustriores Virginis supra omnes mulieres prærogatiuæ.

Prima benedictio seu prærogatiua Virginis fuit perfecta virginitas. Vide suprà Côc. 9

Prima itaque benedictio eius præ omnibus mulieribus statui potest virginitas perfectissima, & voto consecrata, & prima omnis virginitatis, vt superiùs demonstratum est, & virginitas fecunda, quod caput est in hac prærogatiua. Nam si sacrosanctum Bibliorum codicem consulamus, præcipua quædam benedictio tribuitur castitati in quouis statu, siue coniugali, siue viduali, siue virginali: sed per excellentiam debetur gloriosissimæ Virgini Mariæ. Sic dicitur illustri illi matronæ Ruth: *Benedicta es à Domino filia, quia non es secuta iuuenes pauperes siue diuites.* Et nobilissimæ Iudith: *Benedicta filia tu à Domino Deo excelso, eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris.* Sed si huiusmodi benedictiones competant coniugibus aut viduis; quantò erunt maiores in virginibus, atque adeò in Virgine virginum? Meritò ergo benedicta ab Angelo salutatur præ omnibus mulieribus. Benedicta præ coniugibus; quia licet in coniugio reperiatur bonum prolis, tamen coniungitur cum iactura virginitatis: at Maria coniugata fuit præeminentia singulari,

Ruth. 3.

Iudith. 13 & 15.

Eccles. Offic.

Gaudia matris habens cum virginitatis honore:
Nec primam similem visa est nec habere sequentem.

Benedicta etiam præ viduis; quia licet illæ habeant bonum libertatis animi, tamen illud est coniunctum cum malo solitudinis ac defectu consortij: at Maria pariter habuit & libertatem animi perfectam, & solatium viri. Benedicta denique præ omnibus virginibus fuit; quia quantumuis habeant hæ bonum integritatis, tamen est coniunctum cum malo sterilitatis: at Maria bonum prolis habuit sine opprobrio sterilitatis, saluo interim flore virginitatis. Denique Maria simul habuit omnem benedictionem, veteris Testamenti ac noui: nam in veteri Testamento benedicto feminarum erat fecunditas, sicut maledictio quædam censebatur sterilitas: at in nouo Testamento benedictio maxima est virginitas. Vtramq; benedictionem habuit Deipara, simul offerens dilecto *poma noua & vetera.* Quia de re ita scripsit Pius II. Cant. 7.

Pius II. in Carminib.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Et rectissimè D. Bernardus: *Singularis virginitas quam non temerauit fecunditas: & nihilominùs specialis humilitas, quam non abstulit sed extulit fecunda virginitas: & incomparabilis fecunditas, quam virginitas simul comitatur & humilitas.* Concludamus hoc ipsum verbis B. Petri Chrysologi: *Verè benedicta Virgo, quæ & virginitatis possidet decus, & matris pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & sustulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terrâ, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit: portauit eum qui portat orbem: genuit genitorem suum: nutriuit om-*

Bernard. Hom. 1. sup. Missus.

Chrysol. Ser. 143.

omnium viuentium nutritorem. Fuit olim Patriarcharum benedictio in pinguedine terræ: ecce terra nostra dedit fructum suum. Terra desuper venientem recipiens imbrem, producens tamen spinas & tribulos, maledicta est. Hæc nullo ab homine suscepto semine, sed tantùm Spiritus sancti gratia perfusa suum, ac eiusmodi copiosum edidit fructum, vt quisque in illa cumulatissimam gratiam agnoscat. Hæc ille.

Monitum de præstantia virginitatis. Quæ cùm ita sint, discamus hîc necesse est eximiam virginitatis excellentiam præ omni alio vitæ statu. Quis enim nesciat virgines reliquis feminis semper fuisse prælatas? Apud Romanos quidem, vt D. Hieronymus refert, *Virginibus Vestalibus consul, Imperator, & omnis dignitatis gradus, de via cedere solitus est.* (Hieron. l. 1 in Iouinian.) Easdem curribus suorum triumphantium insedisse, noxios fortè obuios, & ad supplicium condemnatos liberasse, legumque & capitalis sententiæ vim fregisse, sola virginitatis maiestate, ex veterum historijs constat. (Vide Petrarch. l. 2. c. 21. verbo Fortitudo.) Apud Christianos verò in quanto semper honore ac pretio fuerint, SS. Patrum testimonia audiamus. *Virgines serua,* inquit S. martyr Ignatius, *vt pretiosa Christi monilia.* (Ignat. in epist. ad Hieron.) Et rursus: *Eas quæ in perpetua virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi sacerdotes.* Audiamus & D. Cyprianum: *Flos est ille,* inquit, *Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, illustrior portio gregis Domini.* (Cypr. epist. 13. de Hab. virgin.) Addamus & D Hieronymum: *Flos quidam,* inquit, *& pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, virginum chorus est.* (Hieron. epist. ad Marcellam.) Et alibi ad Eustochium: *Nolo habeas consortia matronarum, nolo ad nobilium domos accedas. Disce in hac parte superbiam sanctam: scito te illis esse meliorem.* (Epist. ad Eustoch.)

Secunda benedictio, fecunditas generationis. Secundò. Benedictio in Sacris litteris accipitur non rarò pro fecunditate generationis. Namque in Genesi cùm Deus omnia animantia creasset in terra, & in aquis maris, hominemque insuper; subdit sacer textus: *Benedixitque illis Deus.* & vt appareat quam vim habitura esset benedictio, sic ait: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* (Gen. 1.) Iterùm Abrahæ dicitur à Deo. *Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in litore maris.* (Gen. 22.) Ibidem: *In semine tuo benedicentur omnes gentes:* in illo videlicet semine quod tulit vterus virginis, cui eius vbera lac præbuêre. Item Propheta Dauid, vbi loquitur de benedictionibus viri iusti, *Vxor tua,* inquit, *sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* (Psal. 127.) Et sequitur: *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Et alibi: *Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* (Psal. 44.) id est, multam tibi dedit sobolem filiorum spiritualium in Ecclesia, propter efficaciam & suauiloquentiam Euangelij tui. Contrà verò, maledictio Hebræorum more significat sterilitatem: qualem incurrit Michol, aliæque feminæ complures. (2. Reg. 6.) Nam clarissimè apud S. Marcum Euangelistam legimus: *Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.* (Marc. 11.) Quomodo autem maledixerat? hoc pacto, *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Porrò beatissima Domina nostra hac ratione specialiter benedicta fuit præ omnibus mulieribus, quia vno partu fecundior fuit, quàm omnes aliæ simul, siue vlla comparatione. (*Maria fecunditas.*) Quid ita? Primò, quia concepit sine virili opere aut corruptione, sed de Spiritu sancto: 1.

sicuti

ſicuti prædixerat Angelus de modo conceptionis ambigenti & interroganti; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

2. Deinde, prolem geſtauit abſque onere, faſtidio, laſſitudine: quin potiùs ſummis conſolationibus delibuta fuit, quòd gaudium paradiſi ac totius mundi portare mereretur, hoc eſt, eum qui cælum ac terram ſempiternis gaudijs erat beaturus. Et verò etiamſi ponderis aliquid ſenſiſſet: tamen tanta vis erat amoris erga prolem, vt eſſet pondus quàm dulciſſimum. Vnde ſic ait D. Bernardus: *Iure iſtud moleſtiſſimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noſcuntur, ſola non ſenſit, quæ ſola ſine libidinoſa voluptate conſenſit. Vnde & in ipſo conceptionis ſuæ initio, quando potiſſimùm ceteræ mulieres miſerabiliùs affliguntur, Maria tota alacritate in montana contendit, vt Eliſabeth miniſtraret.* Ibidem rurſus in hunc modum: *Sine grauamine grauida, ſine dolore puerpera, ſola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena.*

Bernard. Ser. ſuper *Signum magnum.*

3. Quid, in partu quoque quid habuit alijs mulieribus ſimile? Illæ ſiquidem ante partum (cùm ſciant ſe de vita periclitari) timorem ſentiunt, in partu dolorem, poſt partum languorem & mærorem. Maria verò ſupra omnes benedicta nihil horum eſt perpeſſa, nihil huiuſmodi ſentire potuit. Nam timere quî poterat, cùm ſciret ſe ab æterno diuinitus electam, ſe præſentem Spiritum ſanctum conſolantem & roborantem habere, filium ſuum Deum eſſe, qui nihil mali pateretur accidere? Dolere etiam in partu non poterat, cùm dolor ſit pœna peccati originalis, à quo libera erat: neque erat rationi conſentaneum vt cum dolore pareret, quæ ſine delectatione carnali conceperat. Peperit ergo Chriſtum, ſicut ſol producit radium, aut planta florem, ſine vlla corruptione aut macula virginei corporis, prorſus intemerati & inuiolati. Vnde ſic eam affatur Euſebius Emiſſenus: *Medicum dolorum noſtrorum ſine dolore paris, ſanatorem deprauati ſæculi ac corrupti ſine vlla corruptione pudoris progeneras. Nec enim decebat vt qui ad hoc venerat vt violata in integrum reſtitueret, aliquid de materna integritate violaret.* Poſt partum denique non incurrit ærumnas muliebres, non fuit animo deiecto, neque languit niſi amore & lætitia; vt ſponſa in Canticis, quæ ait: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Quo enim alio ſenſu languere poterat, cùm audiret Angelos, paſtores, Reges, dulciſſimi filij ſui magnalia extollentes? *Veniunt Magi,* inquit D. Hieronymus, *& inueniunt Mariam non doloribus vexatam, ſed puero obſequentem. Ipſa ſiquidem pannis inuoluit infantem, ipſa reclinauit eum in præſepio.*

Euſeb. Emiſſ. Hom. 1. de Nat. Domini.

Cant. 2.

Hieron. contra Claudiũ.

Atenim ſi Maria benedicta quia filium peperit; ſupra modum vtique benedicta, quoniam illum peperit mater, cuius omnipotens Deus ab æterno fuit pater. Quapropter quoties patrem compellat filius & matrem, Deum videlicet ac ſanctiſſimam Virginem, non alios compellat. 4.

Poſtremò, ſicuti miraculum experta eſt Maria in his omnibus, quæ ad filij talis generationem pertinebant, ita & in eodem lactando vberibus de cælo plenis, vt canit Eccleſia. Sed multa ſuauiſſimè de hac benedictione quodam loco diſſerit D. Bernardus, vbi ait: *Benedicta tu in mulieribus, quæ ſingularem conſecuta es benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum* 5.

Bernard. Hom. 3. ſup. *Miſſus.*

dolore

dolore parturius, &c. Vt autem summatim aliqua perstringam quæ sequuntur; Duæ, inquit, maledictiones erant in lege veteri: altera, *In dolore paries filios*; altera, *Maledicta sterilis in Israel.* Quid fecit Virgo in angustijs deprehensa? Angustiæ mihi sunt vndique, dicebat cum Susanna. Si eligo virginitatem, incurro maledictum sterilitatis; si eligo matrimonium vt aliæ mulieres, incurro maledictionem illarum: sed malo incurrere opprobrium hominum, & eligere virginitatem, vt benedicta sim in mulieribus. Non enim incurram opprobrium Dei, cui virginitas magis placet. Mihi igitur pro minimo est quòd hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Deo. Ita elegit virginitatem, & Deus ei nihilominùs contulit fecunditatem. Hæc ibi.

Monitum pium de fecunditate spirituali. Quod verò ad nos attinet, atque ad nostram ex hoc loco vtilitatem; breuiter inquirendum est, an obtingere etiam nobis aliqua fecunditas Dei munere queat. Non possumus quidem esse benedicti vt illa beatissima Domina nostra, sed sufficit vt aliqua ratione participes simus. Illa benedicta in mulieribus, quia vnum peperit mundo filium, qui longè longeque maior ac melior est omnibus filijs hominum. Sed ille naturalis ei filius ac primogenitus dicitur, quoniam alios habuit præterea filios Maria Virgo per adoptionis quasi gratiam; omnes videlicet electos, qui vt sunt Christi Domini nostri fratres, ita Mariæ filij. Quare illa maiorem in modum est est benedicta, quæ tot liberos suscipere meruit, vt factum sit semen eius quasi stellæ cæli, & quasi arena quæ est in litore maris. Nos tametsi tantùm vnam aut alteram animam parere Christo possemus, quæ alioquin æternis ignibus mancipanda esset, ô quàm benedicti! Verùm quid si animam vnam conuerterimus, num continuò matres Christi aut esse reuerà aut dici merebimur, vt Maria? O quàm benedicti! *Nihil est*, inquit Chrysostomus, *quod animæ possit æquiparari, ne vniuersus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam.* Et D. Gregorius, *Nullum omnipotenti Deo tam gratum sacrificium*, inquit, *quam zelus animarum.* Sed quomodo se matrem Christi probabit qui animas conuerterit? Quia nimirum ipsemet Christus Dominus in Euangelio id asseuerat. Nam cùm aliquando nuntiaretur concionanti, matrem eius foris eum expectare; *Quæ est*, inquit, *mater mea? & extendens manus in discipulos*, (qui verbum Dei audiebant, & postmodùm animas conuersuri erant) *dixit, Hi sunt mater mea.* Quicumque igitur efficit vt Christus vi diuinæ gratiæ in cordibus hominum nascatur, ille Christum parit. Quicumque sic audit verbum Dei vt detestetur peccatum, & sentiat contritionem, Christum parit in semetipso. Quicumque item alteri persuadet *vt conuertatur ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum*, & fiet mater Christi. Hinc Apostolus eos tam fidenter alloquitur, quos Deo semel pepererat, *Filioli mei, quos iterũ parturio in Christo.* Quemadmodum verò hominibus magnum est gaudium in partu, *quia natus est homo in mundum*: ita magnum gaudium est Deo & Angelis, quando nascitur homo in cælum. Testantur id voces illæ diuinissimæ ac plenæ exultationis, *Congratulamini mihi,*

Chrysost. Hom. 4. in primã ad Corinth.

Grego. in Psal. 50. & l. 1. in Ezech. Hom. 12.

Marci 3. Luc. 8.

Iacob. 5.

Gal. 4.

Lucæ 15.

mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia. Hinc etiam ita gloriari audet Apostolus: Philip. 4. *Gaudium meum & corona vos estis.* &: 1. Thess. 2 *Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Alibi quoque in hunc modum: *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* O gaudium inexplebile, quod meritò similem animarum zelum intimis pectoribus accendat!

Tertia benedictio, exemptio ab omni maledicto mulierũ. Iam hic idem titulus, *benedicta tu in mulieribus*, exemptionem quoq; designat ab omni maledicto siue ærumna mulierum, vt interpretantur sancti Patres, quos paulò pòst producam. disertissimè autem D Bernardus in hæc verba: Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.* *Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem euasisti, qua dictum est: In tristitia paries filios. Dura necessitas, & graue iugum super omnes filias Euæ. Si pariunt, cruciantur; si non pariunt, maledicuntur. O Virgo prudens! ô Virgo deuota! quis te docuit Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris vitam Angelicam ducere?* &c. In primis itaque consideremus maledictionem, deinde Virginis exemptionem. Primæ feminæ dictum legimus à Deo: Gen 3. *Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries filios tuos: sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Sensus autem est, interprete D. Ioanne Chrysostomo: Chrysost. Hom. 17. in Gen. 3 Ego quidem volebam te citra dolorem & ærumnam viuere, cum lætitia parere, & viro vt socio vti, cum magna libertate: at quia non vsa es rectè felicitate tua, sed per summam ingratitudinem legem meam infregisti; hæc est tua pœnitentia, vt semper memoriam huius retineas, quantopere mihi displiceat peccatum tuum, & inobedientia tua. Multiplicabo ærumnas tuas, præsertim tempore partus, quia te ipsam præcipitasti, & virum pertraxisti ad peccatum. Ad hunc modum, vt ait Ecclesiasticus, Eccli. 25. *à muliere initium peccati factum est, & per illam omnes morimur.* Hoc etiam deflens D. Ambrosius, Ambros. Ser. 23. *Poterat Adam*, inquit, *inter illas paradisi delicias inconcussus stare, si Eua ibidem cum diabolicis illecebris non fuisset.* Ac D. Hieronymus quodam loco probat exemplo Salomonis Hieron. in c. 7. Eccle. malorum omnium caput esse mulierem, quòd per illam mors in orbem terrarum introierit, ipsáque pretiosas virorum animas capere soleat. Iustè igitur his doloribus mancipata est, qui ne quidem à viris sine cõmiseratione audiri possunt. Quando tot mensibus vterum gestant, quot dolores & cruciatus cum sarcina fetus in corpore perferunt? quot tædia? quot infirmitates? solæ norũt quæ sunt expertæ. Sæpè mulier post menses quos numerat, post noctes insomnes, post dolores continuos, quot pericula vel abortus vel fructus infausti, quot pericula vitæ suæ, antequam pariat, incurrit? quoties etiam fetum enixam simul contingit extingui? Quales verò ærumnæ succedunt in educatione prolis, præsertim si rebellis est, si impia, si regi aut corrigi non potest, si parentibus infamiam ac tristitiam perpetuam

potiùs

potiùs quàm auxilium & consolationem affert? interim diu noctuque vrget parentes sollicitudo sui suarumque prolium honores augendi, opesque accumulandi. Quæ quidem incommoda dumtaxat circa proles obiter animaduertimus. At quales quantæque ærumnæ, lites, dissensiones, suspiciones, labores & dolores in coniugio à plerisque tolerantur? Quid, quòd non rarò inualescunt alienationes animorum, neque coniugum separatio commodè fieri potest, & manere sub vinculo certa crux & perpetua est?

O Eua, quàm graue iugum hominibus imposuisti! sed non beatissimæ Virgini Mariæ: siquidem mulieribus illa maledictio posita est, nō virginibus: minimè autem Virgini virginum, quæ de Spiritu sancto concepit, & peperit cum summis gaudiis, & virgo mansit post partum, libera sēper & immunis omnibus ab incommodis iam dictis. *Nam*, vt ait Petrus Damianus, *Eua sententia in alijs matribus viguit, in Maria verò modum sui iuris amisit. In mulieres fixa perstitit, in virginibus praualere non potuit.* Adstipulatur D. Fulgentius his verbis: *Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti: qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium.* Adstipulatur Albertus Magnus, & mellifluus Pater loco citato, idemq; alibi, *O beata Maria*, inquit, *sola inter mulieres benedicta, sola à generali maledicto libera, & dolore parturientium aliena.* Denique communis hic sensus Ecclesiæ est, quæ sic canit in Officio: *Nesciens virgo virum, peperit sine dolore Saluatorem sæculorum.* Aiunt qui de naturis rerum scripsēre, neque laurum neque aquilam fulminis ictu vmquam tactas fuisse: quod planè huic semper vIrenti lauro, huic aquilæ, *quæ in arduis posuit nidum suum*, accidit. Maria, inquam, nullo maledictionis fulmine tacta est: quia benedictione sua omnes mulierum conditiones transcendit.

Petrus Damian. Serm. 3. de Natiu. Mariæ.

Fulgent. Serm. de Laudib. Virgin.

Albertus sup. *Missus*.

Bernard. Hom. 3. super *Missus*. & Ser. 4. de Nat.

Vide Alexād. ab Alexād. Genial. dier. l. 6. cap. 6. & alios.

Atenim hîc dicat aliquis, quod & obiecerunt Apostoli Magistro ac Domino suo: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* q. d. Rectè dicitis: sed quod verbis dicitis, moribus vtinam præstetis. plus enim aliquantò dixistis, quàm intellexistis. quippe non omnes hoc verbum intelligunt, sed quibus datum est vt intelligant. Donum itaque Dei est continentia. Quod & ingenuè fatetur Sapiens, nosque exemplo suo docet orare & obsecrare Dominum, & omnibus viribus conniti vt illud obtinere valeamus. *Vt sciui*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det (& hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum) adij Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis.* Huiusmodi siquidem donum est, vt facienti quod in se est nequaquam negetur. Eapropter loco Euangelij citato subiunxit Christus: *Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt; & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Vbi illud, *qui seipsos castrauerunt*, Doctores obseruant, significare liberum hominis arbitriū, quod tantarum virium est, vt qui vult, adiuuante Dei gratia possit se continere; quantumuis non sine lucta & repugnantia carnis. *Qui potest capere, capiat*, & euadet omnes istas male-

Monitum de ærūnis matrimonij.

Matt. 19.

Sap. 8.

Matt. 19.

maledictiones siue ærumnas, quæ matrimonium comitari solent. Adhæc colligimus hinc felicitatem virginum, quæ sponsum sibi Christum deligentes, illi se soli subiecêre cuius iugum suaue est, & onus leue, eique soli tota & integra mente placere desiderant, qui speciosus forma est præ filijs hominum; neque diuidunt mentem, neque ex parte cupiunt placere Deo pariter ac viro.

An matrimoniū inire sit consilij. Dicant etiam aliqui fortasse: Credimus felicitatem magnam in perpetua virginitate consistere: sed & status matrimonij suam habet benedictionem. Quid ergo consilij das ijs, quibus adhuc libera & integra est electio status? Consilium petitis? possúmne ego vel quisquam mortalium verius aut diuinius consilium dare, quàm Christus ipse omnibus dat in Euangelio? *Qui potest capere, capiat*, inquit. Inuitat vos omnes, & ostendit præmium dum ait, *Propter regnum cælorum*, & dubitabitis an sit consultum? Deinde possum ego meliùs respondere quàm Apostolus, vas ele-

1. Cor. 7. ctionis? *De virginibus*, inquit, *præceptum non habeo, consilium autem do.* Immò liberè dicam, &, vt ipse ibidem, vociferabor audacter (totus vtinam mundus exaudiat!) *Volo vos omnes esse sicut meipsum.* Hoc certè conabor omni vita efficere, vbi & quando potero, vsque ad mortem. Vtinam, vtinam; inquam, omnes homines me audiant, & de statu vitæ seriam aliquam cogitationem suscipiant!

Quarta benedictio, cumulus donorum. Aliter adhuc sonat vox benedictionis in sacris Voluminibus, vt significet non tantùm laudem & honorem, & venerationem, sed & cumulum donorum ac beneficiorum. Ita

Gen. 33. in Genesi, cùm Iacob in patriam reuertens è Mesopotamia, sciret fratrem suum Esau valdè potentem esse, seque ab eo multa perpessum fuisse; decreuit ei munera offerre, greges nimirum atque armenta, quæ præmisit in occursum eius, vt gratiam inueniret in oculis eius. Itaque post salutationes & amplexus mutuos dicebat fratri: *Suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia. At ille ait, Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. Dixitque Iacob: Noli ita, obsecro: sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis. Vix fratre compellente suscipiens ait: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Ecce vt Iacob munus suum, seu copiam munerum, benedictionem vocat. Itemque eodem libro dicitur, *Benedixitque Dominus* Gen. 39.
domui Ægyptij propter Ioseph. Explicans autem benedictionem subiungit: *Multiplicauitque tam in ædibus quàm in agris omnem eius substantiam.* Rursus alibi: *Dominus autem benedixit* Iob. c. vlt.
nouissimis Iob magis quàm principio eius & facta sunt illi quatuordecim millia 4. Reg. 5.
ouium, &c. Sic & Naaman Syrus alloquitur Eliseum: *Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Offerebat autem liberaliter munera, quantumuis ea Propheta recusaret. Denique Abigail munera offerens Dauidi, scilicet ducentos panes, & duos vini vtres, & quinque arietes, cum magna submissione dicebat ei, *Suscipe bene-* 1 Reg. 25
dictionem hanc quam attulit tibi ancilla tua Domino meo. Ad eúdem igitur modum salutatur Maria *benedicta in mulieribus*, quia omnium mulierum dona seu beneficia & priuilegia transgressa est. Et Abigail quidem vnius viri furorem placauit humilitate ac sapientia sua: Maria verò ipsum Deum nobis iratum, cùm iusto suo iudicio totam generis humani familiam

liam perdere potuisset, oblata ei benedictione sua propitiauit; tantamque inuenit gratiam, vt illum in amorem sui omniumque hominum pertraheret. Benedicta verò fuit amplissimis donis Spiritus sancti, gratia, virtutibus, opibusque & copijs cælestibus, præ omnibus mulieribus simul sumptis. Rectè vt illi conueniat illud Ecclesiastici, *Benedictio illius, quasi fluuius inundauit.* Nam quemadmodum Nilus inundans terram omni ex parte irrigat, & aquis operit: ita diuinæ gratiæ benedictio, munerumque spiritualium affluentia omni ex parte Virginem irrigauêre & operuêre, vt verè esset *benedicta in mulieribus.*

Eccli. 39.

Monitum de patrocinio Virginis quærendo.

Vt porrò tantarum diuitiarum, quibus omnes hominum filias supergressa est, participes fiamus; seriò consideremus oportet, quàm opulentam, quàm potentem, quàm singulariter & eximiè benedictam apud Dominum Aduocatam habeamus in cælis, eamque identidem summo animorum ardore salutemus, veneremur, inuocemus. *O homo,* inquit Bernardus, *securum habes accessum ad Deum; vbi mater stat ante filium, & filius ante patrem. Mater ostendit pectus & vbera: filius autem latus & vulnera. Nulla ergo poterit ibi esse repulsa, vbi tot concurrunt amoris insignia.* O ingens fiduciæ nostræ firmamentum! anne dubium cuiquam esse possit, quàm libenter pectus & vbera pro nobis mater hæc misericordiæ ostentet? Cùm enim recolit propter peccatores Filium Dei carnem nostram induisse; vnde ipsa in Dei matrem electa, tantam adepta est dignitatem; quomodo non permagnam eorum curam gerat, qui huius occasionem gloriæ illi præbuerunt? Quid igitur superest, nisi vt omni ratione huius mediatricis cor & gratiam nobis conciliare studeamus, quò eam in omnibus periculis nostris, & maximè in hora mortis fidelem protectricem experiri mereamur? Nulla profectò in nobis infirmitas, nulla culparum grauitas tanta, quæ fiduciam nostram erga Deiparam labefactare, aut aliqua ex parte debilitare possit. Veniat in mentem quod præter alios Blosius, egregius Virginis cultor, auctoritate non vulgari de ea scriptum reliquit. *Dulcissima Maria,* inquit, *nullum à se repellit: peccatores ad se piè & humiliter confugientes blandè suscipit, fouet, protegit, & filio suo materna fiducia reconciliat. Citiùs cælum cum terra perierit, quàm ipsa aliquem seriò se implorantem sua ope destituat.*

Bernard. Tract. de Laud. Virgin. Tribuitur etiam Arnoldo Carnotensi.

Blos. in Speculo suo c. 12.

Quinta benedictio, summæ dignitatis consecutio.

Ad extremum, hanc quoque emphasim in Scriptura interdum habet vox *benedicta,* vt insinuet prouectionem ad excelsum aliquem dignitatis gradum. Vnde cùm Elisabeth resalutando exclamasset voce magna, *Benedicta tu inter mulieres;* statim subiunxit, *Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Rationem attingendo cur benedicta esset, videlicet quia facta erat mater Domini. Legimus etiam illud de illustri illa Iudith: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* Quid ita? quòd nimirum Holofernem debellasset. At beatissima Virgo longè potiori iure benedicta, quæ diabolum bello vicit, & bello quidem tam atroci, vt à mundi initio præuisum ac prædictum fuerit his verbis: *Ponam inimicitias inter te & mulierem: & ipsa conteret caput tuum.* Itaque potiori iure cum Paranympho Gabriele idem ei dicimus quod Iudith: *Benedicta es tu filia à Domino*

Lucæ 1.

Iud. 13.

Gen. 3.

Deo excelso præ omnibus mulieribus. Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Meritò sanè hæc ei benedictio tribuitur, quæ in cęlorum terræq; Reginam assumpta, summam est adepta dignitatem & gloriam, quę in muliebrem sexum conuenire poterat. Namque cùm duo essent conferenda officia, alterum viro, esse Regem orbis; alterum feminæ, esse orbis Reginam: illud
Matt. 28. datum est Filio, qui ait, *Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra:* istud matri concessum est, quæ redimita coronâ stellarũ duodecim, pro purpura vestita sole, lunam habet sub pedibus suis, vniuersam regens Ecclesiam hominum atque Angelorum: quoniam exaltata super choros Angelorum ad cęlestia regna, assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio,
Rom. 9 *qui est super omnia benedictus in sæcula.*

Recursus ad Virginem benedictam pro benedictione.

Quapropter, ô Regina misericordiæ, omnium omnino, excepto Rege, dignitate princeps; ad te clamamus exules filij Euæ: ad te suspiramus, gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Tibi supplicamus, vt per te aditus fiat nobis ad Filium. Per te rogamus, vt diuina benedictio & Spiritus sancti charismata in corda nostra diuinitus infundantur. Tu mediatrix nostra ad Filium, tu aduocata potentissima, deferens ei preces nostras; refer obsecro nobis ab ipso misericordiam & gratiam, &
Prou. 5. benedictionem. *Deriuentur fontes tui foras*, monet Sapiens. fontes, inquam, gratiarum, auxiliorum, benedictionum, quibus vndequaque circumfluis benedicta præ omnibus creaturis. Etsi enim multæ fuerunt benedictæ à Deo & hominibus virgines, maximè in noua lege, Agnes, Agatha, Lucia, Cæcilia, Barbara, Catharina: sed tu Virgo virginum, & Regina illarum, mente, corpore, professione beatior ac prior. Multę quoque benedictæ mulieres viris traditæ vt matres efficerentur, vt vxores Patriarcharum ac Prophetarum, Moysis, Aaronis, Dauidis: sed tu longè felicior, quæ tradita es viro, vt tuæ virginitatis fidelis testis & custos & imitator esset, prolemque susciperes, quæ pudorem non violaret, sed sanctificaret. Multæ viduæ magnopere commendatæ, vt Anna filia Phanuel, vt Iudith, vt hospita illa & nutrix Eliæ: sed tu omnes etiam in tua viduitate antecellebas. Multæ fuerunt prophetissæ inter Hebræos, vt
Debora, Anna, Olda, quatuor filiæ Act. 21.
Philippi; sed tu donis diuinis vniuersas toto cælo exsuperas. Iactant Romani suas matronas, matres summorum orbis Imperatorum, Græci Sybillas sapientes, Barbari Amazonas suas: tu verò inter omnes & super omnes quæ fuerunt, sunt, vel erunt, etiam iudice ac indice Deo opt. max. felix, beata & benedicta. Meritò ipsamet prophetico spiritu
de te cecinisti, omnes generationes te Luc. 1.
beatam prædicaturas, hoc est, benedictam te fore non modò in mulieribus, sed in omnibus planè generationibus. Quod sanè reipsa nunc completũ cernimus. Generatio enim Angelorum voce Gabrielis, aliorumque in vita & morte & assumptione tua, multiplici laude & benedictione te prosecuta est. Generatio Iudæorum in Elisabetha, Ioanne, Simeone, muliere de turba, & Apostolis ipsis beatam te prædicauit. Generatio Christianorum plurimis diebus Festis, scriptis, concionibus, templis, imaginibus, aliisque innumeris modis

dis

dis te perpetuò coluit. Quin etiam (ô magnam veritatis virtutem!) generatio Turcarum, Persarum, Arabum, Maurorum & Saracenorum, sepulchrum tuum etiam nunc veneratur. Sola fortassis (prô pudor!) hæreticorum nostrorum generatio te despicit, odit, calúniatur, maledictis ac blasphemiis onerat. Lucæ 3. *Genimina viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira?* Inspiret vtinam vobis pro sua misericordia Deus mentem saniorem: nobisque maiorem affectum & pietatem erga matrem nostram: quæ est omnibus modis benedicta in mulieribus, adeoque in omnibus generationibus superbenedicta in sæculorum sæcula, Amen.

CONCIO XX.

Et benedictus fructus ventris tui IESVS.

1. *Nouem benedictiones huius fructus.*
2. *Qua ratione hunc fructum consequi eóque gaudere possimus.*



Bernard. Hom. 3. sup. Missus. DIVVS Bernardus in huius loci expositione perquàm suauis ac copiosus, inter cetera sic ait: *Libet adiungere quod Elisabeth, cuius hæc verba sunt, prosecuta subiunxit: Et benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui; sed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quòque accepisti cum ceteris, etsi differentius à ceteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus: ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est, vt ait Apostolus super* Rom. 9. *omnia benedictus Deus in sæcula.* Ita rectè quidem Bernardus. Maria etenim est quasi aurum obrizum, mirè insuper elaboratum, vt annulus ex eo fieret, in quo lapis infiniti pretij Verbum diuinum clauderetur. Simile primum. Annulus verò pretiosus est non tam propter se vel propter artificium, quàm propter gemmam inclusam. Ita Maria laudabilis ac benedicta, non tam quia virgo, vel plena gratiâ supra omnes mulieres, atque adeò supra omnes creaturas; quàm propter benedictum fructum ventris sui. Sed quid annulo pretioso eam comparamus, cùm eadem ratione vel ipsi cælo conferendam & præferendam SS. Patres contestentur, qui eam *cælum animatum* vocant? Simile secúdum. Damasc. Hom. de Dormit. Deiparæ. *Cælum mihi sedes est*, dicit Dominus: cælum Isaiæ 66. item sua celsitudine & splendoribus, & singulari excellentia rebus omnibus creatis antecellit. Ita sanctissima Domina nostra Deipara, tum quia gloriosissima Dei habitatio fuit, tum quia eximiam adepta est Reginæ dignitatē, omnem excedit altitudinem, omnemque vincit comparationem. Et veluti in cælo Beati Deum clarè vident facie ad faciem, ita in vtero Virginis Christus Dominus, ceu viator simulque comprehensor, vidit essentiam Dei. Sed accipite nunc, si Simile tertium. lubet, aliam similitudinem. Si nunc quispiam peste formidolosissima laborans, & morti proximus, arborem inueniret, ex qua fructum carperet tantæ efficaciæ, vt integræ valetudini eum restituere, atque ab omni deinceps morbo præseruare posset: an non subitò exclamaret præ gaudio, Benedicta est ista arbor, & benedictus fructus eius? Agedum eodem modo quicumque lethali peste peccati infectus est, aut alia necessitate

Labo-

laborat; ad paradisum properet, ad arborem vitæ, inquam, quæ est gloriosissima Virgo mater; & continuò fructum exhibebit nobilissimum, ac præsentissimum aduersus omne peccatum. Nonne ergo mox vocem extollet, eique dicet, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vētris tui Iesus?* Arbor vtiq; bona, quæ fructum bonum profert. Hác arborem ita deprædicemus hodie, vt benedicti fructus eius laudes ac benedictiones potissimùm cōplectamur. Primò itaque eius nouem benedictiones recensendæ. Deinde videndum, quomodo fructus huius participes fieri valeamus.

AVE MARIA.

POstquam diuinus Orator iusserat Virginem ex parte Dei auere & gaudere; tres proferebat gaudij causas: Primam, quòd esset gratia plena; secundam, quia Dominus tecum; tertiam, quia benedicta in mulieribus; quarta iam sequitur, quia benedictus fructus ventris eius Iesus, quam quidem adiunxit Elisabeth. Cùm igitur hæc vltima dumtaxat tractanda restet; sicuti hactenus pro viribus laudata est mater Dei, ita iam præconia quoque adiungamus benedicti fructus eius. Siquidem (teste D. Bernardo, qui fuit optimus Virginis encomiastes) *dubium non est, quidquid in laudem matris proferimus, ad Filium pertinere: & rursum cùm filium honoramus, à gloria matris non recedimus.* Meritò solent Sanctorum imagines pingi cum insignibus rerum gestarum quibus illustres euasère: v. g. D. Laurentius producitur cum craticula, S. Catharina virgo & martyr cum terribili rota, S. Barbara cum turri. At Virgo virginum siue depingenda siue describenda sit, pro insigni suo præfert *benedictum fructum ventris sui.* Hunc gestat in vlnis suis, hunc nobis spondet, hunc offert, hunc cum tota Ecclesia Catholica quotidie nobis donari suppliciter petimus hoc modo: *Eia ergo, aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: & Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Huc pertinet D. Gregorij testimonium, vbi docet eos, qui fidium harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensare, vt plerumque cùm vna tangitur chorda, alia longè ac multis interiacentibus posita quatiatur: sic Iesus & Maria, filius & mater, tamquam harmonicæ chordæ sibi inuicem consonant, atque inter se aptè consentiunt, vt matris laudibus insonantibus, necesse sit filij laudes simul personare. Eadem igitur de causa cælicus Paranymphus, cùm sanctissimam Virginem in salutatione sua eximijs honorum titulis commendasset, mox etiam subiungere voluit encomia filij, dicens: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: & dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius*, &c. Atq; ad eumdem modū Elisabeth pariter vtrumq; coniunxit, dum ait: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* It[illegible] videlicet etiam nobis faciendum hodie: laudandus ac benedicendus filius vnà cum matre, fructus vnà cum arbore: magna voce cum Elisabeth exclamando, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

Bernard. Hom. 4. sup. Missus.

Eccles. in Salue Regina.

Greg. l. 5. Mora. c. 5

Magnum sanè discrimen fuit inter primam arborem generis humani, quæ fuit Eua; & primam arborem generis Christiani, quæ fuit Maria. Illa sublimis ac superba, hęc humilis. Ideoque Deus illam è paradiso expulsam humiliauit, hanc summis honoribus mirificè extulit: vt apud Prophetam

Differentia inter arborem fructūq; vitæ, & arborem fructūq; mortis.

phetam legimus *Ego, ait Dominus, humiliaui lignum sublime* (id est, arborem superbam) *& exaltaui lignum humile*. Ecquæ sublimior arbor Euâ, in terrestri paradiso consitâ, orbis totius Reginâ, originali iustitia atque ingentibus Dei donis exornatâ? hanc igitur ob superbiam Deus ad ima depressit: modestissimam verò Virginem paucisque notam eousque prouexit, vt benedictum nobis fructum
Gen. 22. proferret, *in quo benedicerentur omnes gentes*. O quàm sunt harum duarum arborum fructus diuersi! Eua namque mortem, peccata, morbos, calamitates innumeras produxit: Maria verò fructum vitæ, gratiæ, omnium bonorum. Fructus illius maledictus fuit, seu ipsa maledictio generis humani: huius fructus benedictus, siue totius mundi benedictio. Ille fructus vetitus arcebat omnes: hic omnes in-
Matt. 11. uitat, *Venite ad me omnes, qui laboratis*,
Eccli. 24. &c. ac rursus: *Qui comedunt me, adhuc esurient*. Denique meritò *Maria*, in-
Bernard. Serm. de Verbis Apocal. quit Bernardus, *facta est nouissima prima, quæ prima cùm esset omnium, se nouissimam sponte faciebat*.

De voce Fructus. Porrò hîc obseruandum, hoc verbo *fructus* multos hæreticorum errores profligari, vt Cerdonis, Marcionis, Manichæorum, & aliorum, qui mendacissimè effutiuerũt, Christum Dominum non verè corpus humanum de Virgine sumpsisse, sed apparens dumtaxat & phantasticum, aut materiæ cælestis. Si enim Christus fructus est vteri virginei, ergo eiusdem naturæ eum esse oportuit: siquidem omnis fructus eiusdem est substantiæ cuius est planta siue mater. Idem est SS. Patrum argumentum in expositione illorum verborum Isaiæ,
Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. flos enim & virga & radix eiusdem sunt speciei siue essentiæ. Sic ratiocinantur
D. Ambrosius, D. Leo, Rupertus. Ambros. l. de Benedic. Patriarcharum. c. 4. & l. 2. de Spiritu S. c. 5. D. Leo Ser. 4. de Natiuit. Rupertus in Isa. 6.
Quin etiam non rarò in Psalmis & alibi Filius Dei homo factus eadem ratione fructus appellatur, vt cùm dicitur terra nostra dedisse fructum suum *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Iterùm: *In die illa erit germen Domini in magnificentia* (id est, Ecclesia à Deo plantata florebit) *& fructus terræ sublimis*. hoc est, Messias toto orbe celeberrimus. Propriè autem hic fructus non terræ communis, sed B. Virginis dicendus est, vt Elisabeth loquitur: quia nimirum vera eius mater totam ei naturæ suæ substantiam suppeditauit sine patre. Quamquam rectè interim fructus terræ quoque dicitur: quia & terra & quidquid à Deo creatum est, propter Christum est, tamquam propter finem suum. *Omnia*, inquit Apostolus, *per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, vt sit in omnibus ipse primatum tenens*. Vbi Græca habent, *propter ipsum creata sunt*, videlicet vt sit omnium rerum causa finalis, & exemplaris, & efficiens. Sicut enim & radix in arbore, & rami, & frondes, & flores, & tota arbor est propter fructum: ita omnis creatura propter Christum. Verissimè tandem, ac maximè propriè Iesus ventris illius fructus appellatur, qui eum tot mensibus aluit & portauit, & in lucem produxit. O fructum benedictæ matris super omnia benedictum in sæcula! Verùm enimuerò, quales quantasque fructum hunc benedictiones habuisse credimus? dic nobis, melliflue Pater Bernarde. Educ nobis mel de hac petra, quæ est Christus. *Bene-*

Psal. 66. & 84. Isa. 4. Coloss. 1.

Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.* *dictus*, inquit, *in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.* Hæ namque tres præcipuæ dotes sunt fructuum generosorum, vt malorum aureorum, malogranatorum, &c.

Prima benedictio in odore. Vt autem à prima benedictione ducamus exordium, tantus huius fructus odor fuit, tamque efficax, vt Patrem cælestem suauitate sua vicerit, & cum genere humano reconciliarit, præsertim in cruce oblatus: cuius odor sacrificij, odor suauitatis, ita Deum traxit, vt diceret, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matt. 17. Huius quoque cùm illustrissima figura fuerit Iacob, fragrãtiam odoris eius sentiebat qui dicebat, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27. *An non verè benedictus cui benedixit Dominus?* vt ait in hunc locum D. Bernardus. Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.* Sic etiam exponit Theodoretus his verbis: Theodor. hoc loco. *E Iacob secundùm carnem nasci debebat Saluator, expectatio gentium: ideoque dicitur ei, Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ. Per rorem eius diuinitas, per pinguedinem terræ humanitas signatur. Ipse igitur ager seu terra benedicta, quæ protulit fructum benedictum, Maria fuit benedicta in mulieribus.* *Maria ager plenus cui benedixit Dominus.* O qualis ager! ô qualis odoriferi huius agri fructus! Nam vnde, obsecro, laudatur præcipuè ager, nisi quòd generosi ex eo fructus proueniant? At qui fructus sunt Mariæ Virginis? 1. Primò, fructus meritorum pænè infiniti, vt à momento conceptionis vsque ad mortem nullus in ea actus otiosus, nullum verbum otiosum, nulla cogitatio otiosa fuerit, sed omnia dicta, facta, cogitata ingentis meriti; ac posteriora quidem dupla semper proportione maiora prioribus merita cumularentur. Iterùm, qui fructus agri huius benedicti fuerunt? 2. omnigeni flores virtutum qui in vita Virginis, tamquam in horto voluptatis amœnissimo vernarunt. Denique fructus sunt 3. aromata gratiarum, donorumq; Spiritus sancti affluentia, quibus omnes Angelos, adeoque supremos Seraphinorum principes, adhuc in vtero matris transcendit. Sed præcipuus 4. huius agri fructus, qui omnes alios longo interuallo exsuperat, fuit *benedictus fructus ventris* eius *Iesus Christus:* quem simulatque in spiritu propheta Dauid præuidere atq; odorari meruit, continuò erupit in voces lætitiæ, & Psalmum cecinit huius argumenti: *Confiteãtur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.* Psal. 66. Adhæc tantus odor fuit huius fructus, vt dæmones ipsos perculerit, sicut odor vitis dicitur bufones percellere ac necare. Siquidem de illo fructu legimus in Scriptura, *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Eccli. 24. Itemque: *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est.* Ioan. 15. Denique tantus odor huius fructus fuit, vt omni æuo quàm plurimas animas ad se traxerit, quæ identidem illud sponsæ repeterent, *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1.

Secunda benedictio in sapore. Secunda benedictio, inquit Bernardus, fuit *in sapore.* Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.* Nemo autem scire potest quàm sapidus sit hic fructus, nisi qui gustauit quàm suauis sit Dominus. Eapropter de hoc sapore quidam quod gustauerat, taliter eructabat dicens: *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 33. & 30. Et alibi: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Et Apostolus Petrus, *Si tamen gustastis*, inquit, *quoniam dulcis est Dominus.* 1. Pet. 2. Ipse quidem cum alijs duobus

Apo-

Apostolis in monte Thabor hanc dulcedinem gustauerat, in Domini transfiguratione: vnde & ingenti gaudio delibutus illic manere opta-
Matt.17. bat, dicens: *Domine, bonum est nos hic esse, Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Sed quàm paucis id experiri concessum fuit! itaque diligenter obseruandum quod superiùs dixit Psalmista, Deum abscondisse hanc saporis sui dulcedinem. Quibúsnam verò? timentibus, seu diligentibus se. Nam v.g. dulcedo quæ ex vsu Sacramentorum, ex oratione, ex obsequijs diuinæ maiestati exhibitis percipitur, non mundo conceditur, aut carnalibus hominibus, qui non capiunt ea
1.Cor.2. quæ sunt spiritus Dei: sed dumtaxat timentibus Dominum, templa frequentantibus, precandi studio incumbentibus, ceu specialibus amicis,
Apoc.2. debetur *manna* illud *absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit:* qui labia quasi lingentes cum Sponsa dicunt:
Cant.2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Verumtamen etsi numquam id suauitatis gustassemus, cogitatione tamen & intelligentia vtcumque assequi possumus. In primis tam suauis est hic
1. fructus, vt cùm ceteri satietatem aliquam afferant, hic eò magis excitet appetitum, quò sæpiùs comeditur. Ita enim ipse fructus ad se nos inui-
Eccli.24. tans asserit, *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.*
Bern. loco citato. *Vtique,* ait Bernardus, *propter saporis dulcedinem hoc dicebat; qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium iustitiam & esca & potus est.*
2. Rursus verò tam suauis hic fructus est, vt quæ amara sunt reddat dulcia, & contrà mundi voluptates in tædia vertat animorum. Exempli gratia, quando D. Paulus raptus ad tertium cælum, huius cibi delicias semel gustauerat, omnia aduersa & acerba deinceps pro gaudijs habuit: neque voluit neque potuit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Et *libenter gloriabor,* inquit, *in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* 2.Cor.12 Qui sensus pariter & Apostolorum aliorum, & martyrum omnium fuit. Vicissim quoque omnia quæ mundo dulcia sunt, diligentibus Dominum, & sapientibus quæ sursum sunt, vertuntur in amaritudines. Namque, vt dicit Sapiens, *anima saturata calcabit fauum.* Prou 17. Id est, anima Dei amore ac dulcedine affluens, omnes mundi aut carnis illecebras, & malorum omnium irritamenta facilè despiciet ac repudiabit.

Pergit verò D. Bernardus: *Audisti de odore, audisti de sapore, audi & de specie. Si enim fructus ille mortis non solùm suauis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura, delectabilis aspectu: quantò magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus inquirere, in quem, teste alia Scriptura, desiderant Angeli prospicere?* 1.Pet.1. *Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat: Ex Sion species decoris eius.* Psal.49. *Et ne mediocrem videatur tibi commendasse decorem, recole quod in alio Psalmo legis: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Psal.44. *Benedictus ergo fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum.*

Tertia benedictio in specie. Bern. eodem loco.

Audiamus etiam quæ magnificè de hac pulchritudine disserit D. Augustinus, dum explicat hunc versum, *Speciosus forma, &c. Si aliquid fœdi in eo inuenerimus,* inquit, *non amemus eum: quia & quòd carnem indutus est, quòd miserijs obnoxius, quòd flagellis* D. Aug. in Psa.44 1.

casus. quòd affixus cruci; vt de illo etiam diceretur. Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem; si consideres misericordiam qua factus est talis, etiam ibi pulcher est. Solumne existimet quis pulchrum in forma Dei, in throno Regio, auro & coronis micantem? etiam pulcher est in forma serui, in infirmitate carnis, in ignominia crucis. Pulcher in vtero, pulcher in præsepio, pulcher in manibus parentum, pulcher in miserijs, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.

2\. Idem de semetipso Dominus dixit aliquando discipulis, qui eius præsentia & pulchritudine fruebantur, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: & aures, quæ audiunt quæ vos auditis. Dico enim vobis quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt*, nisi eminus scilicet, per fidem. Ita Abraham *exultauit vt videret diem eius; vidit, & gauisus est*. Ita Iacob eminus & obscurè, tamquam in figura, vidit hanc pulchritudinem, cùm filio suo Ioseph benedictionem impertiret, dicens: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum*, videlicet vt trãseuntem viderent saluatorem Ægypti.

Luc. 10. Ioan. 8. Gen. 49.

3\. Iterùm in Euangelio quàm sit speciosus hac ratione demonstrat Dominus, quòd debeant esse mundissimi ac purissimi oculi, qui illum videant. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. At cur ijdem beati? quoniam *hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*.

Matth. 5. Ioan. 17.

4\. Nimirum, vt sponsa testatur, *dilectus candidus est & rubicundus, electus ex millibus*. Candidus in natura diuina, rubicundus in humana, propter sanguinem passionis. Vel candidus & purus etiam in humana ob sanctitatem & insignem puritatem, vtpote qui non solùm nihil contraxerit maculæ, sed purgationem etiam fecerit peccatorum. *Electus ex millibus*, id est, inter myriades hominum & Angelorum, præ omnibus eminentior in decore: siue, vt Hebraicè est, *qui vexillum portat inter myriades*. Eãdem D. Bernardus causam assignat, cur sponsa decoris eius eminentiam admirata, non semel pulchrum appellet dilectum, sed *pulchrum & decorum*: in vtraque scilicet substantia; in altera exprimes pulchritudinem naturæ, in altera gratiæ. Et subdit: *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ! Quàm mihi quoque decorus es, Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris*, &c. Hæc ille.

Cant. 5. Bernard. Serm. 45. in Cãtica.

Quarta benedictio fructus huius, quia de Spiritu sancto.

Iam alias præterea benedictiones huius pretiosissimi fructus Mariæ Virginis reperire perfacile est: siquidem non solùm dicuntur benedicti fructus terræ, vel arborum, vel herbarum; sed etiam longè magis benedicti fructus ventris, fructus, inquam, mulierum. At præ filijs hominum eminentissimè benedictus fuit fructus beatissimæ Virginis, conceptus de Spiritu sancto. Etenim omnes alij fructus mulierum verè maledicti sunt cùm in lucem eduntur; quia in peccato concipiuntur, & in peccato nascuntur, & filij iræ vocantur, damnati antequam nati: At Christus Dominus plenam habuit veramque benedictionem, quia Sanctus sanctorum fuit, & de Spiritu sancto conceptus: vtpote candor lucis æternæ, & speculum sine macula. O benedictionem æternis benedictionibus celebran-

lebrandam! ô benedictionem vnde omnes benedicuntur, eamdemque omnium fontem benedictionum ac finem!: Non enim ad mensuram dedit Deus filio benedictionem; quia nec ad mensuram dedit spiritum. *Pater*, inquit Baptista, *diligit Filium, & omnia dedit ei in manu eius.* Ex quo enim carnem nostram induere dignatus est, requieuit super eum omnis fons Spiritus sancti: *& omnis plenitudo in illo inhabitauit:* & Rex gloriæ factus est, & Sacerdos summus secundùm ordinem Melchisedech, & caput totius Ecclesiæ, nec hominum modò, sed & Angelorum, vt rectè D. Augustinus describit his verbis: *Omnes qui ab initio sæculi fuerunt iusti, Christum habent: illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse iam credimus: & in eius fide & ipsi saluati sunt, in cuius & nos. Vt esset & ipse totum caput ciuitatis Ierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio vsque in finem, adiunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna ciuitas sub vno Rege, & vna quædam prouincia sub vno Imperatore, felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine.*

Ioan. 5.
Coloss. 1.
August. Côc. 3 in Psal. 36.

Enimuerò multiplicem vberemque benedictonem esse oportuit, quæ sufficeret ipsi & nobis. Ipsi quidem, quia humanitas illa diuinitati vnita in persona Filij Dei, ab ea vt à fonte inexhausto summis atque innumeris donis, gratijs, ac virtutibus exornata & cumulata fuit. Neque frustrà diuus Ioannes ait: *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Nobis itidem prodesse ac sufficere debuit; quia omnis nostra benedictio spiritualis ab ipso & propter ipsum est; teste Apostolo: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo. In ipso enim complacuit reconciliare omnia siue quæ in cælis siue quæ in terris sunt.*

Quinta benedictio Christi, tam pro se quàm pro nobis.
Ioan. 1.
Ephes. 1.
Coloss. 1.

Adhæc fructus iste benedictus, non vt alij fructus seu filij matrum. Nam alij omnes sic sunt matrum, vt pariter sint patrum, à quibus generati sunt: at virgineus Mariæ fructus, totus fuit matris sine patre. In quo magnifica & sublimis est similitudo inter æternam patris, ac temporalem matris Christi generationem. Illa siquidem fuit sine matre, ista sine patre. Illa fuit salua integritate genitoris, sancta & immaculata; ista verò salua integritate virginali genitricis. Per illam genitus est Filius consubstantialis Patri, per hanc filius consubstantialis matri. Per illam à Patre processit Filius tam pulcher, vt vocetur ab Apostolo *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*; per hanc ex vtero matris prodijt speciosus piæ filij hominum, & flos generis humani. Per illam denique processit Rex diademate diuinitatis coronatus: per hanc è thalamo Virginis Rex humanitatis corona redimitus, de qua dicitur in Canticis: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.*

Sexta benedictio fructus, quòd ortus de matre sine patre.
Hebr. 1.
Cant. 3.

Neque verò editus dumtaxat hoc modo filius à beatissima Virgine matre, sed & virgineis eius vberibus supra naturam lactatus est & educatus, nullis adhibitis nutricibus; ne vel affectus naturalis, vel temperamenti conditio aliquantulùm diuideretur. Quod vltimam imitarentur ceteræ matres, quæ non rarò sine iusta necessitate filios suos lactare dedignantur: vnde non leuia subsequi incommoda solent. Prætertquam enim quòd
1. periculum sit ne alantur negligentiùs, ob minorem nutricis affectum:

Septima benedictio, quòd ab eadem Virgine matre altus & educatus fuerit lacte supernaturali.

 inde

inde accidit quandoque vt natus infans, dum lac sugere cogitur naturæ suæ non conueniens, vel non diu viuat, vel debilior viuat. Inde etiam fit, quod notat D. Ambrosius, *vt & mater filium, & filius matrem minùs amet, vtpote generatione tantùm, non etiam lactatione filium se esse cognoscens.* Creditur & in mores lactis permanare contagium, quemadmodum vetus illa seu fabula seu historia docet, de eo qui à nutrice lacte caprino pastus, semper editiora more caprarum petebat: itemque de alio, qui suis lacte nutritus, velut amica luto sus, semper in cœno & sordibus volutabatur. Omittam exempla quàm plurima huius prauæ educationis, vt Socratis, Neronis, & aliorum, vnica Plutarchi obseruatiuncula contentus. *Natura ipsa*, ait, *demonstrat quòd matres filios alere debeant, quæ cunctis animantibus, quæ pariunt, edito fetu, lactis alimenta suppeditauit, & vbera velut fontes scatentes constituit.* Sic Plutarchus.

Amb.l.de Abraham c.7.

3.

Plutar.de Educ.liber.

Octaua benedictio, gratiarum accumulatio.

Gen. 20. & 39.

Præterea benedictus dicitur, qui multis muneribus seu beneficijs locupletatur. Vt de Isaac Scriptura commemorat: *Benedixit ei Dominus, & multiplicatus est*, & de Ioseph: *Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph.* Quis autem hanc virginei fructus benedictionem dignè cogitet? quis gratiam eius infinitam, quis charitatis abyssum, quis scientiarum plenitudinem, quis gratias gratis datas & potestatem miraculorum, quis gratiam capitis, per quam hominum omnium & Angelorum constitutus est caput? quis tremendam illam vnionem hypostaticam, qua vnus & hominis & Dei filius est, cuius splendorem nec Cherubim aut Seraphim intueri valent? Ex hac influxus omnes, ex hac virtutes & merita, & dona, & excellentiā, & coniunctio cum Deo procedit, vt simus vnum: ex hac ipsa Dei visio, & regnum æternum. O benedictionem inexhaustam! Cùm beatissima Dei Genitrix, omnesque Sancti certam gratiæ mensuram acceperint, Christus solus eam habuit sine mensura: vt sufficere possit ad dispertiendum, quantumuis mundi essent infiniti.

Nona benedictio.

Ad extremum benedicitur fructus alicuius si sit pretiosus. Atqui tā pretiosus est Mariæ Virginis fructus, vt dicat D. Petrus: *Nō corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati.* Et D. Paulus: *Empti estis pretio magno*, &c.

1.Petr.1.

1.Cor. 6.

Cant 1.

Totus itaque *desiderabilis*, totus benedictus est fructus ventris tui, ô Maria. Ita enim laudes eius concludere lubet cum sponsa in Canticis. Sed significantius est Hebraicè, *Totus ipse desideria*, siue concupiscentiæ: totus itidem benedictus siue ipsa benedictio non modò in terris sed & in cælis, in perpetuas æternitates. Siquidem à ciuibus cælestis patriæ benedicitur æternis benedictionibus; quia cantant sine fine, inquit D. Ioannes, *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Et *misericordias Domini in æternum* cantabunt. *Quo cantico*, vt ait D. Augustinus, *nihil erit profectò illi iucundius ciuitati*. Nouum est hoc canticum Ioanni, quia mortales numquam simile audierunt: nouum cælestibus spiritibus, quia numquam eo satiantur. Innouant laudes, & benedictiones semper nouas, semper antiquas.

Apoc. 5.

Psal. 88.

Aug. de Ciu.l.vlt. c.vlt.

Secunda pars, quomodo fructus huius participes fieri possimus.

Vt ad secundam partem descendamus: Sicuti dicimus, benedictus vir, bene-

benedicta mulier, benedicta terra, & sic de alis rebus; sed fructus beatissimæ Virginis singulariter *super omnia benedictus Deus in sæcula:* ita nunc dicamus quomodo & nos benedicti esse possimus. Scriptum est enim, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo*, id est, per merita Christi. Quærenda est nobis nostræ benedictionis portio à tot tantisque huius virginei fructus benedictionibus, modò recensitis. Quid facto opus? quid consilij? Siquis in horto suo fructum haberet valdè nobilem ac generosum, fructū saluriferum, fructum vitæ, qualis in terrestri paradiso nascebatur; quo qui vesceretur, felicissimè sine metu vel periculo morborum aut mortis, æuum transigere posset; attamē hactenus ignorasset tantam suam felicitatem; venirem autem ego vel alius aliquis nuntium hunc ipsi allaturus, quibus exiliret gaudiis? quas gratias ageret? quomodo quæreret quaquauersus, & omnes latebras scrutaretur donec inueniret? Simile quid accidit nobis in proposito. Habemus in ciuitate nostra istiusmodi fructū, tam admirabilem, tam efficacem, tam pretiosum, fructum vitæ, fructū salutis: at nescimus eum, aut quasi nesciremus, nequaquam, vt par est, eum æstimamus aut in pretio habemus. In Ecclesia, inquam, in Sacrificio altaris, in Sacramento venerabilis Eucharistię latet hic thesaurus: neque trahimur interim eius amore atque admiratione, neque frui identidem exoptamus. Quid ita? absconditus est, fugit oculos nostros, fallit sensus, teste Propheta: *Verè absconditus est Deus noster.* absconditus, inquam, sub specie panis. Panis videtur, at Deus est. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.* En digito nobis id commonstrat Christus Dominus noster. *Panis*, inquit, *quem ego dabo vobis, caro mea est pro sæculi vita.* En benedictus fructus vētris virginei, fructus eximius, fructus vitalis, fructus immortalitatis; sequitur enim: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quomodo igitur nō aliter hunc fructum sine fine quærimus, vt sine fine eo gaudeamus? Dauidem Regem nos exstimulantem audiamus: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.* Et alibi: *Tibi dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Quid autem est, *quærite & confirmamini*, nisi constanter & sine fatigatione ampliùs & ampliùs quærite? De hac quæsitione sic etiam dulcissimè sanctus Bernardus: *Magnum donum quærere Deum. ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo. primum in bonis, vltimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit? Cui præcedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit nō quærenti Deum, aut quis terminus quærenti Deum? Quærite, inquit, faciem eius semper.*

Vt porrò magis alliciamur ad quærendum, cōsideratione dignissimum est qui sint illi qui nos inuitant ad hoc epulum in quo talis fructus proponitur. Quis ille Rex, quantæ maiestatis est, qui nobis dicit: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum!* quantæ itē suauitatis illa vox: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi!* & illa: *Ecce ego sto ad ostium & pulso. siquis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum,*

&

Rom. 9. — Ephes. 1. — *Simile, de fructu vitæ.* — Isa. 45. — Ioan. 6. — Ps. 104. — Psal. 26. — Bernard. Serm. 84. in Cant. — *Dignitas inuitantium ad hunc fructum.* — 1. Rex inuitat. Luc. 22. & Cāt. 5. — Apoc. 3.

& cœnabo cum illo, & ipse mecum! O dulcedinem! ô vtinam omnes intelligamus quantæ dignitatis ac gloriæ sit ad mensam vocari tanti Regis! quàm cupidè & quàm frequenter accurreremus! Credamus vtique si minùs sentire possumus, vt exempla intueamur, quæ in diuinis eloquiis nobis ante oculos ponuntur. Cùm Rex Dauid ad mensam suam adhiberet Miphiboseth, in gratiam patris eius Ionathæ, dicens: *Tu comedes panem in mensa mea semper; ille adorans ait: Quis ego sum seruus tuus, quia respexisti super canem mortuum similem mei?* Quòd si tanti fecit hanc mensam Miphiboseth, quanti nos æstimabimus honorem mensæ Regalis, ad quam nos Deus noster & Rex quotidie quàm amantissimè inuitat? Inter nouissima quoque verba, quæ Dauid moriens ad Salomonem filium habuit, hoc vnum fuit, vt filij Berzellai Galaaditæ perpetui mensæ eius conuiuæ essent. Sic enim ad filium ait: *Sed & filiis Berzellai reddes gratiam: occurrerũt enim mihi quando fugiebam à facie Absalonis fratris tui.* id est, quo tempore totus pænè Israel, me deserto, Absalonem sequebatur, hic mihi fidus amicus fuit, & copiosum mihi atq; exercitui meo cõmeatum præbuit. Cuius beneficij memor, filiis eius hactenus rependi gratiam, & honorem mensæ meæ: sed nec hac vicissitudine contentus, hoc etiam tibi, fili mi, commendo, vt communem tecum mensam habeant. Quis non miretur, hoc genus honoris illis exhibiti, quod ad talem mensam perpetui conuiuæ sint vocati? Mensa enim Salomonis tam magnifica erat, vt inter cetera quæ Regina Saba ita demirabatur, vt non haberet vltrà spiritum, cibi quoque mensæ eius, & pincernæ, & famulorum seruientium vestes numerentur. Sed miremur adhuc magis magnificentiam Domini nostri, qui filios suos sedere vult in circuitu mensæ suæ, & eo delectatur, & apponit illis præ amore quod habet charissimum, nempe carnem suam, benedictum fructũ gloriosissimæ Virginis Mariæ.

Expla. | 2. Reg. 9. | 3. Reg. 2.

Ipsa quoq; augustissima cæli Regina, quæ fructum hunc viuificum toti mundo produxit, nos vocare dignatur verbis illis Sapientiæ, quæ Ecclesia ei attribuit: *Venite, comedite panem meum, bibite vinum quod miscui vobis.* Ac meritò sanè panem suum vocat, quẽ in vtero suo coxit, quem ex sua substantia confectũ mortalibus apposuit. *Venite,* inquit, *venite:* nihil est quòd timeatis accedere. nam in veteri quidem lege, antequam Deus panis fieret, cùm fulgur & tonitru populo suo intentaret, inter procellas ac tempestates alloquens eum; omnes meritò tremebant ac pauebant ad eius conspectum siue alloquium: at nunc factus homo, mitis & humilis corde, & paruulus natus nobis, & benignissimè exhibitus nobis à dulcissima matre Virgine, nihil habet terribile, nihil austerum: etiam paruulos ad se inuitat. *Sinite paruulos venire ad me,* inquit, *& nolite prohibere eos.* Quid ergo moramini? *Venite, comedite panem meum.* suscipite benedictum fructum ventris mei. Ecquod pactus tam durum quod non his vocibus emolliatur? quis non amet inuitari ad huiusmodi conuiuium Regis ac Reginæ, in quo tale apponitur ferculum? Cùm Aman esset vocatus ad conuiuium Reginæ Esther, tanti illud fecit, vt conuocatis consanguineis & amicis palàm gloriaretur ac diceret: *Regina Esther nullum*

2. Regina inuitat. | Prou. 9. | Matt. 19. | Esther 5.

lum vocauit alium ad conuiuium cum Rege præter me. Quantum ergo beneficium ducemus, vocari à Regina cælorum ad mensam Regalem?

Fides excitanda. Quò libentiùs adhuc accedamus vel accurramus potiùs, fidem nostrã excitari conuenit, vt oculos nobis aperiat, quibus præsentem videamus in sacrosancta Eucharistia pulcherrimum illum infantulum Iesum in specie natiuitatis suæ, qui & aspectũ nostrum & gustum & odoratum mira dulcedine satiat; cùm sit *benedictus in specie, in odore, & sapore,* vt dictũ est. Quòd si & corporeis oculis illum cerni contingeret, quos in nobis amores excitaret sui? quæ gaudia? quas admirationes? Quid sensisse credendum est eos qui diuino munere illum in forma speciosissimi pueri suis oculis latentem in venerabili Sacramento contemplati sunt? Plurimi enim id beneficij à Deo cõsecuti sunt, vt D. Laurentius Iustinianus, S Catharina Senensis, aliiq; sexcenti. Nonnumquam etiam improbi, vt Iudæus ille in Vita S. Basilij, qui hac ratione ad fidem nostram traductus est, quòd cerneret manibus D. Basilij infantulum hunc populo porrigi. Idem legimus apud Albertum Crantzium de Wedekindo Saxoniæ duce, qui ad castra Caroli Magni furtim venerat, nostræ fidei mysteria exploraturus circa Pascha. Posteaquam verò sub sacrificio Missæ vidit speciem elegantis pueruli in manibus Sacerdotis, dum Sacris operatus populo sacrosanctam Eucharistiam ritu Catholico administraret; hoc miraculo commotus Christianam religionem cum vniuersa ditione sua est amplexus. *Crantzius l. 1. c. 9. Hist. Ecclesf.*

Vsurpanda frequens communio. Quæ cùm ita sint, quàm stupendum est, nos fidei lumine instructos, tot miraculis diuinisq; admonitionibus allectos atque excitatos, non aliter ad hunc fructum benedictum anhelare! nõ famelicos imitari! non sicut ceruos ad fontes aquarum cursitare! Quàm auidè ac crebrò par est omnes Christianos hoc tam grande pietatis mysterium in altaris Sacramento vsurpare! Similitudo rem illustrabit. Fingite esse filium vnicè dilectum patri, in cuius salutem atq; incolumitatem necesse sit comparari medicinam pretiosissimam, ex certo genere fructus rarissimi atque carissimi. Hanc medicinam præparet ei pater, atque omne patrimonium exhauriat, vt filio periclitanti vitam tribuat. Itaque præscribatur demum vt hanc medicinam sumat sæpiùs. Quis, obsecro, non libenter pareat? quis tam amens qui recuset? Iam huiusmodi medicamentum nobile ac panchrestum Eucharistia est, fructus verè benedictus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Nisi sumpserimus, diu viuere non possumus, asseuerante Domino: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Et quasi nauseet anima nostra, grauabimur ad hanc mensam sæpiùs accedere? Cumque nutriendis corporibus, vt vita conseruetur, ad quotidianam refectionem accurramus: animam, quæ tantò pretiosior est, esurire & fame emori sinemus? Non sæpiùs accedemus vt vitam habeamus, & abundantiùs habeamus? *Simile.* *Coloss. 2.* *Ioan. 6.*

Comprecatio. Da gratiam, suauissime D. Iesu, te rogamus & gemebundis clamoribus obsecramus; da vt velimus, effice vt possimus, adiuua vt exequamur. Neque enim magnum est tibi omnipotenti & super omnia benedicto, *qui potens es facere superabundan-* *Ephes. 3.*

Galat. 5. *ter quàm petimus aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis: & qui dixisti de tenebris lucem splendescere*; non est magnum tibi, inquam, cæcitatem à nobis auertere, & benedictionem vberem largiri, vt frequenti communione caro nostra mortalis, ne semper sit mortalis, à tua viuifica igniatur & deificetur: nec tacere possimus laudes tuas, cum Damasceno clamantes, *O mysterium tremendum! ô œconomiam indicibilem! ô condescensionem incomprehensibilem! ô visceralem dilectionem!* Laudent te & benedicant te, ô benedicte Iesu, pro hac misericordia omnes Angeli & Sancti tui. Ecce benedictionem tuam omnes creaturæ depromunt, omnes Scripturæ proclamant, omnes iusti siue in aduersis siue in prosperis, & in donorum spiritualium siue copia siue inopia perpetuò resonant. Testes sunt locupletissimi tres pueri tui in camino Babylonico, qui in medio ignis primùm colligati, tum flammarum virtute soluti, non solùm ipsi admirabile benedictionis canticum condiderunt, sed etiā creaturarum omnium linguis te benedixerunt, inuitantes ad laudes tuas, & quasi in adiutorium, etiam in linguas assumentes frigus, pruinam, gelu, ignem, æstum, fontes, maria, terram, denique quidquid creaturarum visibilium enumerare potuerunt. Nam Angelos & inuisibiles potestates, quæ tuas sine cessatione laudes concinunt, initio & ad te benedicendum inuitarunt, & veluti coniunctis cum vocibus illorum vocibus suis, vno te quasi choro collaudarunt & benedixerunt. Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. Plena est omnis terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedicta sit sancta Trinitas, & indiuisa vnitas, cui omnis gloria, honos & imperium in sęcula sęculorū, Amen.

Damasc. de Eucharistia.

Daniel. 3

CONCIO XXI.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.

1. *Hac clausula precatoria meritò Deipara Virgo vocatur à nobis* Sancta.
2. *Meritò item* Mater Dei, *beneuolentiæ conciliandæ causâ.*
3. *Petimus eius opem atque interuentum in articulo maximæ necessitatis.*



FILII huius sæculi tum demum rebus suis optimè consultum existimāt, cùm amicos sibi comparauerint qui gratia & auctoritate polleant in curia Regum aut Principum mundanorum, quorum operâ quiduis se consecuturos sperent: præsertim siquam illic litem habeant maximi momenti, à qua pendeat vita, & honos, & summa omnium bonorū. Siquis autem nuntium illis afferat istiusmodi verbis: Ecce Regina ipsa, Regis mater, vos amore prosequitur, ac fauet causæ vestræ, haud secùs ac si mater vestra esset; proinde si intelligat vos quoque ipsi affectos esse atque obsequium præstare velle, haud grauatè vobis patrocinabitur apud Regem: cumq; sit maxima eius potestas atque auctoritas, dubium non est quin litem vincet, & vos ad magnos insuper honores promouebit. Si quis, inquam, hoc illis asseueraret, quantis exsilirent gaudiis? quas Reginæ gratias agerent? quo vicissim amore

amore exardescerent? quid non cupidissimè in eius gratiam facturi essent? Profectò per aquam & ignem cerneres ad eius obsequia festinare: neque vllo modo per omnem vitam se tantæ Principis beneuolentiæ respondere posse faterentur. Atqui hęc eadem modò nostræ quoque consolationi ac profectui spirituali seruire quàm aptissimè possunt. Nam si tanti æstimetur istud Reginæ patrocinium ad res temporales, aut ad vitam corporalem tuendam: quanti faciemus cælestis Reginæ fauorem ac gratiam ad obtinendam vitam ęternam? Nimirum in curia cælesti Regis Regum, & Domini dominantium maxima nobis lis intentatur, an salui futuri simus in æternum, necne? O quàm debet vnusquisque nostrûm anxius esse, quotiescumque in mentem venit fieri posse vt excidamus? Sancti Patres agnoscunt rem hanc tanti momenti esse, vt si vnus hominum dumtaxat certò damnandus nuntiaretur, meritò omnes exhorrescere oporteret, ne fortè tam funesta sors in eos caderet: quantò magis, cùm multos credamus vocatos, paucos electos? Perpenditis quanti momenti sit ista lis nostra? quocircà quàm felices erimus, si quos patronos & aduocatos è numero cælestiũ aulicorum nobis cooptauerimus ad causæ nostræ defensionem? Sed agedum cõfidite, dico iterùm audacter, confidite: nam ipsa Regina Curiæ, mater Regis, curam gerit vestri, & vos vnicè amat tamquã filios. Quod amplius est, hoc ipsum negotium vestrum ita ipsi cordi est, vt nihil negotiorum habere videatur nisi hoc tantùm. Quòd si volueritis eam redamare, eique obsequi, libenter pro vobis orabit, & haud dubiè, cùm nullam in curia ferat repulsam, facilè litem vincet. Ingreditur quippe ad Regem non ter aut quater in die, non centies, sed assiduè illi adest, & ostendens vbera quibus eum lactauit, non tam impetrat quàm imperat. Deus bone! quomodo non exardescant homines amore talis Reginæ? quis non optet ei seruire tota vita? quis non optet aquã & ignem traijcere aut mori posse pro Regina? O Christiani, qualem habemus in cælis matrem ac Reginam? non vtique similem Reginis huius mundi, quæ cinis & puluis sunt, sed Reginam cęli ac terræ potentissimam, &, quod caput est, nostri amantissimam. Quomodo ergo eam redamabimus, quibus laudibus & honoribus extollemus, vt negotium salutis nostræ suo patrocinio prosequatur? Ecclesia quidem Catholica hîc in terris agnoscit quàm parum possit ad eius honorem amplificandum: & quia nihil gratius ei esse potest, quàm Angelica Salutatio, in qua non ab Angelo solùm sed & à sanctissima Trinitate plurimum honoratur: ideò studet eam illi crebrò & deuotè offerre. Deinde tametsi vix tantulum vel audeat vel possit huic Salutationi adiicere: tamen exemplo Elisabethæ, quæ aliquid addidit, vt audiuimus, Spiritus sancti impulsu; ipsa quoque eodem afflata Spiritu subnectit ei clausulam precatoriam, *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nũc, & in hora mortis nostræ, Amen.* Hæc nobis hodie exponẽda est, antequam historiam Annuntiationis Angelicæ, cui hæc precatio inseritur, repetamus, ac prosequamur. Itaque Primò, vt sibi eius fauorem ac patrocinium conciliet, vocat eam *Sanctam:* deinde *matrem Dei:* tertiò suppli-

Patrocinium B. Virginis quãti momenti sit.

cat & humiliter petitionem paruulam proponit. Præmittamus cum Angelo Gabriele, & Elisabetha, & Ecclesia Catholica.

AVE MARIA.

NOn est periculum ne beatissima & gloriosissima Dei genitrix nimiis ab homine titulis aut honoribus ornetur, cùm sit maior omni laude, &, teste D. Augustino, *Si omnium nostrûm membra verterentur in linguas, eam dignè laudare sufficiat nemo* Item D. Bernardus, *Non est equidem, quod me magis delectet*, inquit, *sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis habere sermonem. Vt enim sileam ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitùs singularem: tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suspiciunt (vt dignum est) vniuersi, vt licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quòd dici potuerit, minùs gratum sit, minùs placeat, minùs acceptetur.* Ita sentiunt tum alij Sancti, tum B. Petrus Damianus, vbi ait: *Quid mirum si hac ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cùm & ipsam humani generis naturam excellentium meritorũ dignitate transcendat? Non excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorũ, non quisquam sequentium Patrum huic beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit?* Hactenus illi. Quæ dum considerat S. mater Ecclesia, simulque Virginem cõspicit à sanctissima Trinitate, ab Archangelo, à sancta Elisabetha, Spiritus sancti instinctu tam magnificè extolli; veretur quodammodò ipsa quoque adiungere verbum suum: adeoque prorsus renueret, nisi nosset eximiæ Virginis excellentiæ parem esse humilitatem ac beneuolentiam. Noluit quidem Alexander Magnus ab alio quàm ab Apelle effigiem suam depingi, sibi persuadens, animi sui dotes, quæ in facie splendebant, ab alio quàm ab Apelle delineari non posse. Atqui superbus ille ac fastu plenus: Maria humilis ac benigna laudes qualescumq; non aspernatur: tamq; libenter recipit parua quàm dat magna. quod sanè magis Regium est, quàm illud Alexandri. Dum illa viueret, laudes refugiebat humanas iuxtà atque Angelicas (vnde turbata est in sermone Angeli) at modò libenter vel à minimis & ab ipsis peccatoribus laudatur. Quare & Ecclesia fiduciam concipit illam suis quoque verbis commendandi, post magnificos illos titulos ab Angelo & Elisabetha ei datos, adiiciens illis hanc precandi formulam, *Sancta Maria, mater Dei, &c.*

August. Serm. 2. in Fest. Assumpt. Bernard. Serm 4. de Assumpt.

Petrus Damian. Serm. de Natiu. Mariæ.

Quam vt explicare aggrediamur, obseruandum in primis, malè nos reprehendi ab hæreticis, quòd Salutationẽ hanc quasi in orationem vertamus, aut loco orationis proponamus. Nam si absit clausula, quam ei Ecclesia apposuit, non dicimus esse petitionem, sed gratiarum actionem, in qua Deus laudatur, quòd sanctissimam Virginem donis præstantissimis cumularit: ipsique Virgini gratulamur verbis Angeli tantam felicitatem, vt mater Dei eligi meruerit. Et certè gratiarum actio pars orationis est, etiamsi nihil petat. Nam precari dicuntur, qui sacros Hymnos & Psal-

Nota primò, cõtra hæreticos.

Psalmos recitant, aut qui spiritualibus canticis vacant, vt Apostolus loquitur. Itemque D.Paulus & Silas *orantes laudabant Deum*. Leprosus etiam orabat, qui dicebat, *Domine, si vis, potes me mundare:* tametsi expressè nihil petat. Similiter orabat illa quæ dicebat, *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Interim Ecclesia vt planior atque apertior esset oratio, de suo addidit hanc formulam, *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis*, &c.

Ephes. 5. Act. 16. Matth. 8. Ioan. 11.

Nota secundò. Secundò obiiciunt, nos hac Salutatione alienum officium vsurpare, quod Deus non nisi Angelo iniunxit. Sed quomodo probare possunt, piam & religiosam imitationem esse vsurpationem alieni officij? Quid ni Angelum imitari conabimur, qui & B.Pauli, & Christi Domini, & Patris eius omnipotentis imitatores esse iubemur? Deinde, nónne solis Angelis iniunctum fuisse videtur, vt nato in Bethleem Christo canerent, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis?* nemo tamen hactenus ausus est dicere, huius doxologiæ repetitionem esse malam aut prohibitam. Idem iudicium est de hoc additamento Angelicæ Salutationis, quo eamdem supplicantium ritu & nobis applicamus, & D.Virgini identidem offerimus. Porrò huius additamenti initium in historia Ecclesiastica reperimus, anno Christi quadringentesimo trigesimo primo, & Cælestini Papæ octauo, posteaquam hæresis Nestorij, qui insignis B.Mariæ hostis fuit, ex sacris diuinæ Scripturæ oraculis Ephesi fuit prostrata & condemnata. Quin & Syri ab ipsis Apostolis primùm instituti non sine inuocatione solent Angeli Salutationem recitare, hunc in modum concludentes, *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis, pro nobis*, inquam, *peccatoribus, Amen*. quod probant S. Seueri Patriarchæ Alexandrini precationes non ita pridem conuersæ. Itaque facessant hæretici, & nos matris nostræ Ecclesiæ vestigiis, tamquam legitimi filij, insistamus.

1.Cor. 6. Ephes. 5. Matt. 6. & Ioã. 13. Luc. 2. Vide Baron. to. 5. an. 431. Vide P.Petrũ Canisiũ, l. 5. c. 30.

Nota tertiò de nomine Iesu & Mariæ. 1. Primùm itaque animaduertimus, inserta huic Salutationi nomina propria *Iesu* & *Mariæ*, mellitissima sanè ac potentissima ad excitandum pietatis ardorem in mentibus fidelium, qui hanc Virgini matri recitant: adeò vt vel extremis labiis delibata sint quasi *lac & mel sub lingua sponsæ*, id est animæ fidelis. Vnde de amabilissimo Iesu nomine canit D. Bernardus: *Mel est in ore, melos in aure, iubilus in corde*. & alibi de suauissimo nomine Mariæ: *O multùm amabilis Maria, tu nec nominari potes, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te*. 2. Deinde ea nomina apposuit, vt paruula nostra petitio tantò magis arrideat Mariæ & filio eius Iesu. Maria quippe libenter audit nomen suum, quod significat, præter cetera, stellam maris, qua duce peccatores ad portum salutis debent appellere: libentiùs etiam nomen Iesu, quod ei in memoriam reducit omnia beneficia quæ ab illo accepit, & dignitatem ad quam ab illo euecta est. Quid ampliùs? Subdit etiam modestam & humilem supplicationem, in qua vocat eam *Sanctam*, & *Matrem Dei*, & nos omnes peccatores, qui eius ope atque præsidio potissimùm indigemus in hora mortis.

Cant. 4. Bernard. in Hymno de nomine Iesu. Apud Bonauẽt. in Specul. Virg. cap. 8.

Sancta Maria. At quare *Sanctam* appellat? Opinor, vt verbis Angeli & Elisabethæ consona dicat & concinat. sicut enim illi honorificos ipsi titulos tribuerãt; ita pro modulo suo ipsa parem ei honorem

1. norem quærit, in primis vocans *Sanctam*; ac propriè sanè & congruenter, vtpote quæ Sanctorum omnium Regina, *& sancta & Sanctis omnibus sanctior fuit, & omnis sanctitatis sanctissimus thesaurus, de cuius plenitudine omnium gratiarum, & abysso sanctitatis* vt
Conc.17. SS. Patres loquuntur, superiùs copiosè disseruimus. Tam *sancta*, vt ab omni peccato originali & actuali libera fuerit, quod illi soli inter homines diuinitus concessum est. Tam *sancta*, vt nihil inter puras creaturas Deo coniunctius, aut arctiori vinculo cum eo copulatum concipi aut cogitari possit. Omnis enim alia rerum coniunctio, siue inter se, vt animæ & corporis; siue cum Deo per gratiam aut gloriam, separari potest, vel reipsa per mortem, aut per diuinam virtutem, vel saltem cogitatione nostra: sed hæc matris ac filij coniunctio nequaquam potest. Tam *sancta* denique, vt mater Dei esse meruerit: quam rationem Ecclesia exprimit, è qua potissimum eius sanctitas colligitur, cùm ait, *Sancta Maria, mater Dei*. nam si mater Dei, quomodo non sancta, & sanctis omnibus eminentior?

2. Etenim hic diuinæ sapientiæ mos est, vt pro ratione munerum, ad quæ homines destinauit, sanctitatem illis ac cælestia dona impertiatur. Sic Prophetas ingẽti rerum diuinarum cognitione illuminauit: sic Apostolos excellentissima charitate accendit: sic martyres, quos fidei suæ testes elegit, insuperabili fortitudine & constantia roborauit. Cùm ergo inter homines nulla maior quàm matris Dei dignitas sit, efficitur sanè vt illius sanctitas aliorum Sanctorum gratiam longè antecellat: hoc est, quas virtutes ac dona cælestis Spiritus in omnes Sanctos dispertijt, longè liberaliùs atque cumulatiùs in hanc Virginem effuderit. Siquidem Sanctorum omnium post filium princeps, ac Domina mundi est, & quidquid alijs concessum, huic multò magis: & omnium merita longè longèque transcendit.

Præterea humanitas Christi, vt fides Catholica docet, tantam habuit sanctitatem, id est, gratiarum ac donorum cælestium abundantiam, vt quidquid in thesauris diuinis reconditum erat, in illam sit collatum: testante D. Ioanne Baptista, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, scilicet Filio. Cur ita? nimirum quia cùm summa illa maiestas ita se nostri gratia humiliauerit, vt naturam nostram assumeret; talis vtique illa natura debebat esse, vt hoc diuini Verbi contubernio digna esset, nullumque tantæ Dei maiestati dedecus inureretur, quòd talem sibi naturam in vnitate personæ copulasset. Debuit ergo illa humanitas summa sanctitate & gratia decorari, nequid in ea esset quod immensam eius maiestatem dedecere posset. Similiter omnino colligendum est de B. Virginis sanctitate. Electa enim erat vt mater Dei esset, hoc est, vt Filius Dei ex ipsa carnem sibi assumeret, in eius vtero nouem mensibus quiesceret, ex ipsa nasceretur. Itaque ad honorem eius pertinebat, vt summis eam donis & summa sanctitate exornaret. 3. Ioan.3.

Insuper hoc quoque verum est quod in Prouerbijs Sapiens monet, *Corona senum filij eorum, & gloria filiorum patres eorum*. Vt ergo Dei Filius suum tueretur honorem, debuit & matris honorem asserere. Tanta est sanè, tamque arcta partis vtriusque necessitudo, vt filiorum laus aut vituperatio sæpenumerò ex parentum conditione sumatur. Exempli gratia: 4. Prou.17.

sic

ſic laudauit Gabelus Tobiam iuniorem, *Benedicat te Deus Iſraël quia filius es optimi viri, & iuſti, & timentis Deum, & eleëmoſynas facientis*. Exiſtimamus Filium Dei hũc honorem reſpuiſſe? & qui tantopere laudabatur cùm vocaretur Dei Patris æterni Filius, non credimus eum honorari cùm filius Mariæ vocatur? nam ſicuti ille eſt pater, ita hæc mater.

Tob.9.

5. Poſtremò ſi filijs in manu eſſet vt matrem eligere aut efficere poſſent, haud dubium quin eam ſupra cunctas feminas honeſtiſſimam & gratioſiſſimam eligerent. Cùm ergo Dei Filius tanta poteſtate prǽditus eſſet, vt ſola voluntate talem efficeret matrem qualẽ vellet, quis iam dubitare poſſit eum matrẽ ſupra creaturas omnes excellentiſſimam & ſanctiſſimã elegiſſe? Grauiſſimè hac de re agit D. Bernardinus, qui dicit: *Sicut diuinæ perfectiones omni intellectui incõprehenſibiles ſunt; ita perfectiones gratiarum, quas Virgo ſuſcepit in conceptione Filij Dei, ſoli intellectui diuino, & Chriſto & ſibi comprehenſibiles extiterunt. Et quidem quòd Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo diſpoſitio, cùm ei ex natura cõueniret vt per intellectum produceret Verbum per omnia ſibi æquale. At quòd femina conciperet ac pareret Dominum, fuit miraculum miraculorum Oportuit enim, vt ſic dicam, feminam eleuari ad quamdam quaſi æqualitatem diuinam, per quamdam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam creatura numquam experta eſt. Vnde, vt credo, ad illam abyſſum imperſcrutabilem omnium chariſmatum Spiritus ſancti, quæ in beatam Virginem deſcenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus numquam potuerunt attingere*. Hæc Bernardinus. Nunc ad ſecundum veniamus.

Bernardinus Serm.61. de B. Vir. c.12.

Cur hìc & alibi paſſim ab Eccleſia tribuitur ei ſolemnis hic titulus *Matris Dei*? Cur hoc Virginis cognomento tantopere delectatur? An quia inter ceteras eius prærogatiuas ac priuilegia, hoc verè præcipuum, & reliquorum quaſi fons, & amplitudine ſua cetera omnia complectitur? Tametſi ex dictis id ſatis manifeſtum ſit, addamus tamen aliquot SS. Patrum teſtimonia. *Hic titulus*, inquit D. Thomas, *vt admirabilis eſt, ita admirabiles ſanctimoniæ vniuerſæ diuitias poſtulat*, quas copioſè adeò diuina munificentia in B. Virginem effudit, vt dubium videatur, vtrùm ipſamet diuino alioqui lumine præ omnibus illuſtrata, plenè dignitatem hanc agnouerit. Nam ita ſentit D. Bernardus, vbi de hac dignitate ſic ait: *Qui poteſt capere capiat. Quis enim (excepta fortaſſis illa, quæ hoc ſola in ſe felicisſimè meruit experiri) id intellectu capere, vel ratione diſcernere poſſit?* Ecce *fortaſſis* ait, quia ſcilicet dubitabat. Verùm D. Auguſtinus abſque vlla hæſitatione affirmat Dei Genitricis dignitatem ab ipſa etiam Dei parente non plenè agnitam fuiſſe. *Audacter*, inquit, *pronuntio, quòd nec ipſa plenè explicare potuit quod capere potuit*. Imò Andreas Cretenſis à ſolo Deo comprehendi, ac dignè laudari hanc dignitatem poſſe teſtatur. Audiamus denique & D. Anſelmum. *Hoc ſolum*, inquit, *de S. Virgine prædicari quòd Dei mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici aut cogitari poteſt: & altiſſimum quid habet ad contemplandum & ruminandum mens humana*. Hæc illi.

Mater Dei.

1.

D.Tho. 3 p.q.27. a.1.ad 1.

Bernard. Hom.4. ſup. Miſſus.

Aug. ſup. Magnificat 10.9.

1.

Andreas Cretenſ. Orat. de Dormit. Virgin.

Anſelm. de Excel. Virg. c.2.

2. Deinde hoc titulo Eccleſia fateri gaudet ſe maximè Deiparæ obſtrictam, ob ſummum beneficium quod per eam accepit: nimirum beneficium

cium humanæ redemptionis. Quod profectò beneficium tam est ingens & inæstimabile, nullum vt dici possit eo maius: imò ne omnia quidē alia simul collectiuè sumpta ei præponderent. *Nihil*, inquit Damascenus, *maius, quàm quòd Deus pro homine homo factus est*. Hoc tam eximium est, vt infinito benefactori, ac ipsi Deo largienti sit æquale. vnde sequitur, nullum donum maius esse posse, quia nullum maius Deo excogitari potest. Ponderat hoc egregiè diuus Bernardus in hunc modum: *Super omnia te mihi reddit amabilem, bone Iesu, calix passionis quem bibisti, opus redemptionis nostræ*, &c. Idem: *In quo magis commendare poterat benignitatem suam, quàm suscipiendo carnem meam? meam, inquam, non carnem Adam, id est, non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret eius misericordiam, quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei Verbum propter nos factum est fœnum? Domine, quid est homo quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Non interroges, ô homo, ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te factus est, agnosce. quantò enim minorem se fecit in humanitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est.* hactenus Bernardus. Hoc sanè titulo quidquid sumus Christo adscribendum est, qui nos à grauissimo seruitutis iugo erutos in libertatem filiorum Dei asseruit. At quis ille qui liberauit? quātæ nobilitatis? quo pretio liberauit? *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis*, inquit D. Petrus, *de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso Sanguine quasi immaculati agni*. Quapropter cùm seipsum hac ratione Deus homini dederit; non potuit, quantumuis omnipotens, amplius ei dare. Quomodo autem Deus seipsum dedit? Agnoscendum est, non potuisse perfectiùs communicare se homini, quàm per hypostaticā vnionem, qua homo Deus factus est, & Deus homo, in vna persona: quæ profectò vnio tam stupenda est, vt etiam patriæ cælestis vnionem superet. Hac ratione collectis infinitis meritis cælestem nobis comparauit hereditatem; & eousque naturam nostram euexit, vt quò ascendat iam non habeat, sedens in altissimis ad dexteram Patris, supra omnes Angelorum choros. Etsi enim homo paulò minùs ab Angelis minoratus est in creatione, iam longè illos transcēdit: iam coniunctior est Deo quàm sint Angeli. Agnoscitis, Christiani, quàm simus Deo coniuncti? Facti sumus hoc Dei munere eius consanguinei, & fratres, & ipse os de ossibus nostris, & caro de carne nostra. Hoc ponderat Apostolus dum ait: *Propter quam causam* (scilicet incarnationis) *non confunditur fratres eos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis. nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. Et in Euangelio dicitur, *Vade ad fratres meos*. Denique Angeli sunt ministri, inquit Dauid, *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignē vrentem.* homines verò sunt fratres; fratres, inquam, Dei, ac Domini Angelorum. Sed quid hoc ad beatissimam Virginem Mariam? Multum, per omnem modum. Agnoscimus enim ac profitemur, Deum opt. max. hoc tantum tamque inexplicabile beneficium conferre nobis noluisse nisi per Mariam.

Damasc. lib. 3. de Fide.

Bernard. Serm. in Epiphan.

Iob 7.

1. Pet. 1.

Hebr. 2.

Ioan. 20.

Ps. 103.

Tertiò

3. Tertiò hoc tam amabili titulo *ma-*
tris Dei Ecclesia spem ac fiduciam
nostram erigit in precibus nostris.
Siquidem ex dictis euidenter conse-
quens est: Maria est mater Domini
nostri: & Christus ipse frater noster
est; ergo Maria est omnium mater,
quorum Christus est frater. Quan-
tam hæc consideratio nobis fiduciam
præbet accedendi ad Iesum, cùm sit
frater noster: accedendi etiam ad Ma-
riam, quæ hoc ipso mater nostra est?
mater, inquam, potentissima & beni-
gnissima, vt velit pariter ac possit no-
bis subuenire tamquam filijs? Adhæc
meritò cum fiducia accedimus ad ta-
lem matrem exorandam; cùm ipsius
intercessio & oratio efficacior sit co-
ram Deo ad impetrandum, quàm sit
oratio totius curiæ cælestis. Quod
August. Serm 3. & 4. de Natiuit. his verbis docuit D. Augustinus: *Nec*
dubium est, quia quæ meruit pro libe-
randis offerre pretium, possit plus omni-
bus impendere suffragium: & sicut apud
Deum est potior, ita & omnibus sanctis
Gregor. Nicom. Orat de Purif. *sit sollicitior.* Hinc & Gregorius Nico-
mediensis vocat D. Virginem omni-
potentem suis orationibus. Et diuus
Bernardinus Ser. 2. de Assumpt. Bernardinus ita eam affatur: *Meritò*
in te respiciunt oculi totius creaturæ:
quia in te, & per te, & de te benigna ma-
nus Omnipotentis quidquid creauit re-
Vide illos apud Suarez in 3.p. disp. 23. sect. 2. *creauit.* Eadem est sententia complu-
rium aliorũ de efficacitate orationum
D. Virginis supra omnes Sanctos si-
mul & collectiuè sumptos. Estq; hæc
auctoritas dignitati & statui matris
Dei maximè consentanea. Quis, ob-
secro, hæc intelligens vereatur ad
eam accedere?

Ora pro nobis peccatoribus, &c. Itaque Ecclesia, considerata eius
potestate & clementia, suppliciter ei
affert suas preces, *Ora pro nobis pecca-*
toribus, nunc, & in hora mortis nostræ,
amen: vt, sicuti mater, semper qui-
dem nostri curam gerat, sed in maio-
ribus periculis maiorem. At quare
potissimùm in hora mortis? An quia 1.
tunc varijs tentationibus & machi-
nationibus præcipuè sæuiunt hostes
nostri? An quia tum maxima est no- 2.
stra imbecillitas, & angustiæ premũt
vndique? An verò quòd experimen- 3.
tis plurimis cognitum & exploratum
sit, Mariam in illo articulo maximè
peccatoribus succurrere, qui eam sin-
gulariter coluêre; & quamuis mul-
tùm aliquando ab instituto aberra-
rint, tamen quoad eius fieri potest, in
viam illos reducere, donec præclarè
vitam finiant? Hoc certè quidem est
omnium maximum beneficiũ quod
ab ea sperare aut petere possumus.
Nam ab illo momento pendet salutis
nostræ æternitas. *Et si ceciderit lignum* Eccl. 11.
ad Austrum, aut ad Aquilonem: in quo-
cumque loco ceciderit, illic erit. Hinc
Ecclesia Catholica sæpè nos excitat
vt ad hanc spei nostræ anchoram re- *In hora*
curramus in hora mortis, & quotidie, *mortis.*
nominatim quotiescúque eam cum
Archangelo Gabriele salutamus. A-
liàs item his verbis, *Maria mater gra-*
tiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste
protege, & hora mortis suscipe. Et in
hymno *Aue maris stella*, ideò vocat *Aue ma-*
eam stellam maris, vt fluctuantes *ris stella.*
animas tunc temporis ad portum sa-
lutis perducat. Denique ibidem sic
orat, *Iter para tutum*, videlicet in hora
mortis, cùm iter nostrum prædones
plurimi obsident, scientes quia mo-
dicum tempus habent. *Iter para tu-*
tum, q.d. Sicut Moyses virgæ percus-
su filijs Israël iter tutum aperuit per
mare Rubrum, vt Terram promissio-
nis intrare possent: ita tu, ô beatissima
Dei Genitrix, quæ per virgam Moy-
sis præsignata es, tuis clientibus *iter*
para tutum. Itaque communis Eccle-

siæ sensus est, Deiparam in hora mortis fidelissimam matrem esse erga cultores suos, eoque beneficio nullum gratius præstari hominibus posse.

Beneficij magnitudo in hora mortis. Certi etenim sumus nos omnes morituros, etsi incerti quando, & quo statu. Vita hominis *quasi vmbra præterit, quasi vapor ad modicum parens, quasi flos qui egreditur & conteritur.* Iob.13. Iacob 4. Sed quando hora migrationis è vita venerit, nisi gratia Dei mitigetur, erit omnium horribilissima. *Omnium enim terribilium terribilissimum est mors*, ait Philosophus. Quin immò & ipsa mortis memoria, vt sentiebat ille qui dicebat, *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua!* Eccli.41. Tunc igitur grauissimis obruemur doloribus, cùm anima à corpore diuellenda est: tunc incredibilis nos inuadet mœror ac tædium, cùm breuì omnibus bonis exuendi, omnibus priuandi gaudijs, honoribus, amicitijs, è vita ipsa, qua nihil est charius, expellemur. Tunc peccatorum omnium recordabimur, & vanitatem mundi agnoscemus, quam anteà non videbamus, & negligentias nostras deplorabimus. Tunc maxima cum anxietate cogitabimus nos breui constituendos ante illud tremendum tribunal, vbi omnium dictorum, factorum, cogitatorum ratio seuerissima reddetur. Tunc denique æternas illas tenebras, vermem conscientiæ, flammas æternas horrebimus, quas nescimus an Dei beneficio euademus; quia nemo scit an amore an odio dignus reperietur. Hæc omnia augebuntur pessimis diaboli suggestionibus & impugnationibus, qui quò minus superrerit temporis, eò solent sæuire atrociùs. Iam quid consilij vt in hoc rerum nostrarum articulo securi esse possimus? Procul dubio si feruenter quotidie beatissimam Virginem coluerimus, eius opem implorremus, eam magno affectu salutemus, piè orantes vt opituletur nobis in hora mortis; certa cum fiducia felicem exitum ab ea sperare possumus: aderit enim nobis vel auxilio & patrocinio suo, vel etiam reuerà ad nos veniet, nosque exhilarabit præsentia sua, & confirmabit:, sicuti ad plurimos venisse scimus, & adhuc venire solitam. D. Gregorius in Dialogis Greg.l.4. Dial.c.11 cùm varias apparitiones enarrasset in hoc mortis articulo, tandem subiungit: *Plerumque contingit iustis vt in morte sua Sanctorum præcellentium visiones aspiciant; ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant: sed dum eorum menti æternorum ciuium societas ostenditur, à carnis suæ copula sine doloris & formidinis fatigatione soluantur.* Enimuerò si alij Sancti, quos homines peculiariter coluerunt, adsint ijs in extremis; quis de gloriosissima Virgine dubitare poterit, quæ & charitate & sollicitudine materna, & benignitate, & humilitate Sanctos omnes longè excedit? Idipsum significat D. Vincentius Ferrariensis, cùm scribit D. Virginem *animas morientium suscipere.* Vincent. Serm. de Assumpt. Idipsum D. Hieronymus, vbi asserit eam *morientibus non tantùm succurrere, sed etiam occurrere.* Hieron. epist. ad Eustoch. Ratio verò est manifestissima, quia ipsa est mater nostra nobis à Christo Domino tradita in persona S. Ioannis, cùm dixit in cruce pendens, *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. 19. Tale enim mysterium in hac commendatione contineri, SS. Patres testantur, qui in Ioanne omnes Adæ filios intelligunt, tam peccatores quàm iustos. Ioan. 1. & Hebr. 2. Nam vt omnes per meritum passionis erant Filij Dei, & fratres Chri-

Christi; ita voluit eos Christus eamdem habere matrem, nempe adoptiuam, ficuti erunt filij Dei & fratres Christi per gratiam adoptionis. Nisi hoc mysterium ante oculos fuisset, cur, inquiunt, tam sollicitus fuisset tali tempore, tantumque matri suæ dolorem verbis huiusmodi infligere voluisset? Nam si consideremus hic tãtùm necessitatem temporalem Virginis; non fuit magna causa tam singulariter & verbis matris & filij eam commendandi Ioanni: quasi & ipse Ioannes & alij Apostoli id non fecissent sponte sua, & magna diligentia. Quin & post resurrectionem potuisset eam commendare siquam inopiam tulisset. Sed haud dubiè aliud insinuabat, constituens eam nobis omnibus matrem, & nobis vicissim commendans officium filiorum erga illam. Quocircà Maria Virgo sicuti Deum habet pro filio suo naturali, ita nos pro adoptiuis, & fauet nobis tamquam filijs, miseretur nostri, amat nos, orat pro nobis, & cęleste Numen propitiat, & merita passionis nobis conciliat. Quòd si autem amicus amico non deest, pręcipuè in summis periculis atque angustijs; quomodo credere possumus matrem nostram, matrem gratiæ, inquam, nobis defuturam in hora mortis? Experientia autem plurimis exemplis atque miraculis id confirmat, quæ longum esset enumerare. Sed inter cetera, præcipua Deiparæ dignatio & misericordia relucet in morte Caroli D. Brigittæ filij, vti in Reuelationibus eius refertur, quæ in Concilio Constantiensi examinatæ atque approbatæ fuerunt: in morte quoque Musæ puellæ apud D. Gregorium: in morte principis latronum prope Tridentum adud Cæsarium. Sufficiat porrò vnicam historiam, eamque recentis memoriæ, & maximi momenti ante oculos ponere: quam paucis abhinc annis ex litteris authenticis Frederici Forneri Episcopi Bambergensis mea manu excerpsi. Erat is cùm scriberet anno 1608. Cathedralis Ecclesiæ in eadem ciuitate Concionator cum pastorali cura: mox anno 1614. fuit Episcopus Consecratus. Litteræ autem scriptæ sunt in hanc sententiam:

Vide Bonauent. in 3. d. 8. q. 2. Simon de Cassia lib. 13. Ruper. in Ioan. Dionys. Richel. l. 2. de Laudib. Virgin. ar. 10.

S. Brigittæ Reuel. l. 7. c. 13. Vide apud Osor. in Silua, Conc. de B. Virg. Greg. l. 4. Dial. c. 17. Cæsar. l. 7. c. 59. Vide & Pelbart. in Stellario l. 12. par. 2. a. 1.

Iuuenis quidam, Martinus Hutrich, locupletibus ortus parentibus, in officio scriba amanuensis seruiebat hic Nobili Catholico, quando tabes eum cum hectica febri inuasit (dubium an ex philtro) & periculum vita à Medicis denuntiatum est: nec ita multò pòst de ea desperatur. Aderant decumbenti Iuueni adhuc haretico eius congerrones, nobilium famuli, complures etiam haretici, pro more vulgi, præsertim in Franconia. Petit ergo anima medicum aduocari, & me nominatim: se diuinitus ad fidem Catholicam impelli, itemque fore vt Natalitia festa cum Sanctis in cælo celebret. Obstant illi, hareticum ministrum VValdorduntem in equo sese propediem de nocte clam adducturos pollicentur, dummodò Papisticum sacrificulum non curet accersiri. Reclamat ille, contradicit omnibus modis, clamoribus & suspirijs alloquium expetit Doctoris Forneri. Miserati vicem eius domestici Catholici, veniunt ipso festo Conceptionis D. Virginis, peracta Concione, & qua gesta fuerant recensent. Accedo, reperio missos à patre eius, qui exheredationis, aliarumq; pœnarum minis absterreant, nomine Ioannis Casimiri Saxoniæ Ducis, ne fiat Papista. At ille intrepidè respondet: Ego parentis mei terrenam non ampliùs curo hereditatem, mox adepturus illam filiorum Dei cælestem. In primo

Litteræ Frederici Forneri Bambergẽ ad nos perscriptæ.

mo ergo eius alloquio quid causæ subsit disquiro, cur tam ardenter fidem Catholicam exoptet. Respondit: Hac ipsa nocte præterita (erat is dies Conceptionis Deiparæ) beatissima Virgo Dei mater, magno circumfusa lumine adstitit mihi, dixitque: Quia me sæpiùs deuotè salutasti, ecce ad te venio, & moneo instare obitum tuum. Aduocato ergo Sacerdote in Ecclesiæ Catholicæ gremium admitti postula, peccata tua integrè confitere, & sacram Synaxim suscipe: nocte enim Natiuitatis filij mei, ipsa hora qua ex vtero meo prodiji natus in mundum, veniam ego & animam tuam mecum abducam ad gaudia festiuitatis cælestis. Interim morbi tui molestias ad peccatorum tuorum expiationem patienter feras. Instò rursum his dictis: cùm ex hæreticorum numero fuisset, quibus Dei matris honor parum sit cordi, quomodo hanc ab ea gratiam promeruisset? Domine, inquiebat, iam ferè duobus annis sum Bambergæ, & sæpè cum Domino meo adij conciones: in quarum prima quæ ex te obtigit mihi, audiui explicari dignitatem matris Dei, & quantopere ab omnibus fidelibus meritò sit honoranda, ingiterque Angelica Salutatione tum salutanda, tum etiam inuocanda, adiuncta oratiuncula, Ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, amen. Ab eo tempore id ego quotidie feci, septies manè, itemque vesperi flexis genibus, & interdiu aliquoties. Aliud nihil recordor me fecisse pro honore Dei matris, & Filij eius. Id quod instat nunc rogo, id est, cupio Deo & Ecclesiæ reconciliari, & sacra Eucharistia alijsque Sacramentis ad exitum ex hac vita communiri. Subiunxi ego, me id quidem non recusare, monere tamen & quidem seriò, nequid eorum quæ dixisset fingeret. Respondit: Domine, docebit euentus vera esse omnia quæ dixi, in nocte & hora Natiuitatis Christi anima mea carne soluta ibit ad cælum. Expecto stupens rei euentum. Absoluo, communione sancta reficio, inuiso sæpius, ingrauescente morbo moneo de sacra Vnctione in dies. At ille, necdum tempus adesse, expectaturum se ad Vigiliam Natiuitatis. In ea sub vesperam mittit ad me cupiens sacro Oleo inungi: accedo, & voluntati eius satisfacio. Nocte intra horam duodecimam & primam, dum ad sacras aras sum, post eleuationem circa communionem, adueniunt nuntiantes hoc ipso momento, læto & hilari vultu decessisse. Certè vultus eius post mortem aliquid singulare indicabat; nam & viuidus planè & longè formosior apparebat quam dum sanus esset. Hæc ex litteris Episcopi. Quòd si huic hæretico, alijsque quos suprà nominaui, sceleratissimis hominibus Mater misericordiæ & opitulata est, & præsentiam suam cum summis consolationibus in morte exhibuit: quid nobis fiet, si studiosissimè & constantissimè eam coluerimus? itaque toti in eo simus vt illorum pietatem imitemur, quorum intuemur exitum conuersationis: & obsequia Virgini maiora præstemus, quoniam maior nobis quàm illis suppetit facultas: quàm parum sit interim quodcumque illi offerimus, intimis sensibus agnoscentes. Sed quænam à nobis potissimùm obsequia requirit? quænam?

Quomodo colenda diua Virgo.

Operæpretium erit id quoq; breuiter insinuare, quomodo hanc augustissimam cæli Reginam, matrem nostram colere, ac deuincire nobis conueniat. Primùm amore feruentissimo & effusis laudibus eam honorabimus, vt solét filij matrem honorare. 1. Dignum profectò homine Christiano negotium, hac ratione Mariæ cor sibi demereri, Mariæ seruire,

uire, Mariæ placere. Neque verò satis est affectus, ac prima seruiēdi voluntas. *Fratres*, ait S. Ioannes, *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*. Multi enim optant eam matrem benignissimam sibi fieri, & ad eam vociferantur, *Monstra te esse matrem*: sed respōdet illa, *Monstrate vos filios*, vt vicissim officia matris rependam. Inter cetera porrò gratissimum Mariæ opus est frequens Sacramentorum vsurpatio: dulcissimisque oculis illum intuetur, qui Corpus Christi suscipit: quoniam ibi est thesaurus eius Christus Dominus noster, ibi cor & oculi Mariæ sunt, imò & Patris æterni, & vniuersæ curiæ cælestis. quod contingere non potest sine maximo fructu eius qui inspicitur. Si enim cælestium Planetarum beneuolus aspectus innumera bona in terris producit, herbas, fructus, lapillos, aurum, metalla omnis generis: quid non efficiet in anima supercælestium planetarum iucundissimus aspectus? Huiusmodi oculis, plenissimis gratiarum respexit quondam D. Bernardinum, qui à puero dicebat se amantem pulcherrimæ Virginis, quam quotidie inuiseret ac salutaret. Cumque hoc pacto aliquam de se suspicionem cōcitasset, obseruatus est à suis, visusq; procumbere in genua quotidie sub vesperam ante imaginem Deiparæ, quæ extabat ad portam ciuitatis. Hoc ardore videlicet, hoc sensu atq; opere colenda & veneranda est Maria. In Vita S. Bernardini.

2. Secundò, sine vlla fatigatione frequentissimè ei offeramus Rosarij nostri Angelicas salutationes, & vt monet Damascenus, *Clamemus totis viribus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum*, &c. Damasc. Hom. de Dormit. Deiparæ.

Id maximopere sibi placere, plurimis miraculis ostendit Maria, quorum pleni sunt libri, plena exemplorum vetustas. Manè quoque & vesperi ac statis horis, cum illo iuuene amatore Virginis Martino Huttrich, de quo superiùs, certum ei pensum orationum persoluamus, neque facilè, quidquid accidat, omittamus: in quo quidem penso etiam acceptissima illi est Angelica salutatio, in qua memoria repetitur illius summæ misericordiæ, qua in matrem Dei electa est. D. Athanasius Angelicas hierarchias in cælo hisce iisdem verbis beatissimam Virginem perpetuò laudare affirmat, omnesque clamare, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*: ab his verò hierarchiis Ecclesiam militātem hunc laudandi ritum didicisse. Quare autem toties idem decantamus? Primò, in memoriam tanti beneficij, quod per Virginem recepimus, cuius fide & consensu factum est, vt mysterium salutis nostræ impleretur. Deinde, in gratiarum actionem: quia dum toties hanc Salutationem repetimus, Deum omnipotentem, qui Filium suum carne nostra indui voluit, collaudamus, ipsiq; & Virgini, quæ se ancillam promptam exhibuit, gratias agimus. Tertiò, gratulamur ei dignitatem matris Dei, aliosque perquàm eximios titulos honorum. Quartò, adiungimus etiam inuocationē eius, & petitionem auxilij, reducentes velut in memoriam verba Angelica, quibus ad eam prouecta est auctoritatem, vt possit nobis quiduis impetrare. Quintò, offerimus hoc quantulumcumq; obsequium, tamquam serui Reginæ cæli, vt saltem impleatur eius prophetia, *Beatam me dicent* Lucæ 1. Athanas. Serm. de Deipara.

 omnes

Obiectio hæretico-rum. *omnes generationes*. Atqui stultum est, inquiunt hæretici, non solùm toties idem decantare, sed absentem etiam ac longissimis disiunctam spatiis quasi præsentem salutare, exemplo & verbis Angeli, præsentem salutantis. Quid est quod vitio nobis dant blaterones isti, id quod nouem Angelorum chori etiamnũ, teste Athanasio, decantant, & quod ab eisdem didicimus, decantare, & iustis de causis, vt audiuimus modò, identidem decantare? Deinde, quid absentem causantur, & obiiciunt quasi nõ posset nos audire quòd sit in cælis? Concludant eadem ratione, nec salutandum nec orandum nobis Christum hominem, quem à nobis tantum abesse confingunt, quantum supremus cælorum apex distat à terra. Est certè quidem corpore & animo in cælis assumpta & recepta beatissima Virgo, vt constanter credimus ac docemus: sed ibi in lucidissimo speculo Trinitatis & nos & preces nostras tam clarè saltem intuetur & *Luc. 15.* considerat, quàm Angeli pœnitentiam nostrã, qui de illa in cælis gaudent ac triumphant, vt suprema ipsa Veritas attestatur. Quid est, obsecro, quod non videt, quæ videntem omnia tam luculenter facie ad faciem videt? Aut quid est quod nescit, quæ scientem omnia scit? immò ipsum omnium scientiarum fontem vberrimum intimè fruendo possidet ac *4. Reg. 5.* comprehendit? Quòd si Eliseus absens corpore, præsens tamen spiritu fuit, quando Giezi munera recipit à *1. Cor. 5.* Naaman Syro: & Paulus alibi degens, spiritu præsens erat in excommunicando Corinthio: & S. Bene-*Vide Greg. in Dialog.* dictus & alij longissimè dissiti, præsentes tamen spiritu fuêre, & mira gessere quasi corpore proximi fuissent: multò magis profectò felicissima Virgo se inuocantibus præsentissima aderit. Multas apparitiones atque illustres visiones, quibus id confirmatur, prætermitto, quas longum esset recensere.

Tertius D. Virginis cultus, sit virtutum imitatio; quandoquidem nihil magis amorem conciliat quàm similitudo. *3. Virtutum imitatione.* Itaque D. Hieronymus, vbi Paulam & Eustochium instituit, *Si placeat vobis, charissimæ, talis ac tanta Virgo*, inquit, *placeat & opus virtutis eius, cuius vita omnium disciplina est, cuius mores instituta sunt Ecclesiarum*. *Hieron. epistol. ad Paulã & Eustoc.* Virtutes autem quatuor in præsenti vobis ante oculos constituo, quæ in ea singulari quadam ratione effulserunt; nempe virginitatem, charitatem, humilitatem, misericordiam. An non singulare & suspiciendum in Virgine, quòd *gaudia matris habet cum virginitatis honore*, vt canit Ecclesia? quòd primitias virginum, & votum, & perfectionem summam huius virtutis Deo consecrarit? Num & hoc eximium in charitate eius, quòd Deum ipsum non solùm vt communem Dominum, sed etiam vt verum filium & gratuito & naturali dilexerit amore? Quantam etiam humilitatem fuisse dicemus, cum tanta charitate coniunctã? sicut enim ignis in cinere, ita charitatis ignis in cinere humilitatis inextinctus & integer adseruatur. Denique vt cum D. Bernardo concludam, *Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem ac profundum queat inuestigare?* explicat hæc deinceps ordine & modo. *Bernard. Ser. 4. de Annunt.* Breuissimè vt perstringam, longitudo in eo est, quòd nos in omni vita, quàm longa est, defendat: latitudo, quòd plurima conferat beneficia: subli-

ſublimitas, quòd perducat ad cęlum: profundum, quòd liberet ab inferno. His quatuor virtutibus, ſi boni ęmulatores fuerimus, inſigniter eam nobis demerebimur: ſimulque quatuor acerbiſſimos noſtræ ſalutis hoſtes debellebimus, ſcilicet impudicitiam, fraternum odium, ſuperbiam, atque auaritiam: quæ vitia ſiquis vicerit, in aliorum victoria non perinde laborabit, cùm ſint quatuor malorum omnium radices. Quiſquis etenim maiora præſtat, facilè quæ minora ſunt præſtabit; opitulante Domina noſtra ac matre miſericordiæ, cui vnà cum filio honor, & gloria, & poteſtas, & gratiarum actio, in ſæcula, Amen.

CONCIO XXII.

Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius.

1. *Qualis fuerit iſta Virginis turbatio, non perturbatio: videlicet timoris.*

2. *Quare & vnde acciderit, nempe à perſona Angeli boni terrentis initiò, à verecundia virginali, à profundiſſima humilitate.*



ILLVSTRISSIMAM orbis Reginam multi veterum Sanctorum, excellentibus ingeniis, ſummaque animi contentione, & pietate laudarunt: ſed nihil vmquam gloriosus, nihil Virgini iucundius dici potuit, quàm id quod Gabriel ei nuntiauit in ſua ſalutatione. Hanc etenim Salutationem etiam ipſa Virgo clariſſimo intellectu prædita mirata eſt, *& turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio* Enimuerò nos quando hunc nuntium ac legationem Angeli audiuimus, nunc tempus eſt vt facta, verbaque Mariæ attendamus, ad quam ſanctiſſima Trinitas cùm cœtu omnium creaturarum præcipuè oculos conuertebāt. Honos ſiquidem ac decorum illius perſonæ, ad quam ſummus deſtinatur Orator, in eo maximè oſtenditur, ſi legatum cum grauitate audiat, prudenterque eum tractet; ſi ſatisfaciat, apteque reſpondeat de mole totius negotij quod conficiendum proponitur. Conſideremus itaque Mariam quem Legatum de cælo ſuſcepit Seraphinum altiſſimum, & negotium quod tractabatur, vtiq; ſummi ponderis, ad felicem exitum perduxit. Videamus quomodo Maria Virgo in tali legatione ſe geſſerit, quídve reſponderit. Mirabimur haud dubiè, quot virtutes nunc in ea ſplendeſcere incipient, velut ſtellæ lucidiſſimæ, quibus ſancta illa anima erat exornata. Parum eſt certè quidquid hactenus de illis inaudiſtis: audietis deinceps, de virginitate ſeruanda quàm ſollicita fuerit, quàm verecunda cùm vidit Angelum in ſpecie iuuenis, quàm prudens & circumſpecta in probandis ſpiritibus an ex Deo ſint, quàm humilis dum ſe ancillam nominat quę in Dei matrem eligitur, quanta fides credentis verbum Angeli tam inuſitatum atque admirabile, quanta quamque prompta obedientia dum ait, *Ecce ancilla Domini*, &c. quanta charitas eam cum Deo tam miris modis coniunxerit. Omnes hæ virtutes emicuerunt in Virgine cæleſte myſterium pertractante: & ſicut examen apum procedere ſolet è paruo ſuo domicilio, ita hic virtutum chorus à Virgine procedens, obuiàm venit Regi virtutum, in ciuitatem ſuam intranti: & vniuerſæ ſupra modum ornatæ ſunt, vt Regem excipiant in decore ſuo. His, inquam, virtutum actibus eò Maria pro-

processit, vt Dei digna mater efficeretur, atque eum mereretur in vtero concipere sic enim inter ceteros asserit D. Hieronymus in epistolis: *Propone tibi B. Mariã, quæ tanta extitit puritatis, vt mater Domini esse mereretur*. Hodie itaque dicendum nobis Primò de constantia eius in turbatione. Secundò, de timore Angeli boni. Tertiò, de verecundia virginali. Quartò, de profundissima eius humilitate, quam hîc ostendit.

Hieron. epist. 22. ad Eustochium.

AVE MARIA.

IN primis repetẽdum hîc est quod suprà attigimus, cùm ingressum Angeli descripsimus: quandocumq; boni Angeli apparuerunt hominibus sub aliqua forma sensibili, semper apparuisse in forma humana. Patet enim ex Scripturis, vbi apparuerunt Abrahamo, Lot, Tobiæ, B. Virgini, Magdalenæ, & aliis. Ratio est, quia venerantur formam humanam propter Christum cuius ministri sunt. Deinde quia homines & Angeli sunt ciues eiusdem patriæ, & sub eodem Principe: ergo æquum est vt eamdem habeant formam externam. Liquet etiam ex Sacris voluminibus, & D. Dionysio Areopagita, bonos Angelos vt plurimùm apparere in forma iuuenili: quia cùm sint immortales, & numquam senescant, non potest hoc meliùs significari quàm per formam iuuenilem. Hinc Tobias *ignorans quòd Angelus Dei esset, salutauit eum & dixit: Vnde te habemus, bone iuuenis?* &, *Mulieres introëuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida*. Nec obstat quòd subinde vocentur viri: quia hoc tantùm distinguit sexum, vt designetur non fuisse mulieres. Adhæc obseruandum est, tametsi Angeli semper appareant in forma humana, non semper tamen eodem modo. Nam aliquando non cupiũt cognosci ab hominibus quòd sint Angeli, & tunc communi hominum forma apparent. Sicuti ad Abraham venerũt, ad Lot, ad Tobiam. Aliquando autem expedit vt Angeli esse cognoscantur, & tunc speciem humana illustriorem præ se ferunt: vt in multis locis noui Testamenti. *Erat autem aspectus eius*, inquit Matthæus, *sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix*. Et ratio est, quia hi Angeli missi fuerant vt cælesti ac diuina auctoritate fidem facerent resurrectionis Christi, & aliorum mysteriorum: ideoque oportebat venire ea specie, vt nemo eos Angelos esse dubitare posset. Denique obseruamus in apparitionibus Angelorum, homines turbari ac timere quando vident bonum Angelum, præsertim in forma illustriori: sicut timuit Daniel, timuit Zacharias & Deipara, timuerunt custodes & mulieres. Ratio est, quia id naturale prorsus videtur, vt quis terreatur, quando subitò videt insolitam, aut humana specie illustriorem formam. Verùm longè aliter boni aliter mali timent ex conspectu Angelorum: quia mala conscientia in malis auget timorem ne iusto Dei iudicio dent pœnas: timent verò boni vt filij, ne coram Angelis minùs reuerentes esse videantur: sicuti describit D. Matthæus viso Angelo timuisse custodes pariter ac mulieres: sed custodes pænè exanimati sunt, mulieres recreatæ. Hoc enim familiare est bonis Angelis, vt quando apparent hominibus, initio quidem incutiant timorem, deinde consolationem & tranquillitatem animi relinquant; vt significat ille qui ait: *Nolite timere; ecce enim euangelizò vobis*

Conc. 15. *Nota primò.* Dionys. de Cælesti hierar. cap. 15. *Nota secundò.* Tob. 5. Marc. 16. *Nota tertiò.* Matt. 28. sic & 16. & Luc. 24 & Act. 1. *Nota quartò.* Dan. 10. Luc. 1. Matt. 28. Matt. 28. Luc. 2.

bis gaudium magnum. & hîc in Euan-
Lucæ 1. gelio nostro: *Turbata est in sermone eius.* & : *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum.*

Hîc igitur penitiùs aliquantò inquirendum est, qualiter & quamobrem turbata sit Maria Virgo? Quòd namque nos aliquando rapiamur in admiratione, quòd turbemur, quòd perceliamur, & quasi impotes mentis fiamus præ nimia admiratione, vel subito aliquo euentu, nō est adeò mirum: quoniam imaginatio ita dominatur in nobis, vt varias producat corporum commotiones & alterationes, quæ ideò vocantur *perturbationes* siue *passiones* à Philosophis. Atque hęc philosophia hîc omni obseruatione dignissima est. Quando enim calor naturalis recipit se ad interiora, partes extimæ frigent, tremunt, debilitantur: fit grauis perturbatio
1. totius hominis. v. g. Apparet hoc primùm clarissimè in morientibus, cùm sanguis, qui est vehiculum animæ, & calor omnis è manibus & pedibus recurrit ad cor, quasi principē suum defensurus vsq; ad extrema mēbraq; exteriora debilitātur, frigēt, deficiunt. Apparet hoc idē cùm quis
2. metu, graui admiratione, vel repētina
3. perturbatione percellitur. Itē quando
Thren. 3. quis contemplatione *leuat se supra se*, vt Ieremias ait, animus eius & sensus omnes animo obsequentes rapiuntur ab istis rebus externis sibi obie-
4. ctis. Deinde quando quis vehemens est in apprehensionibus suis, quantò præsertim nobilius ac viuacius ingenium habet; corpus & partes naturæ molliores & exteriores debilitantur, eo que magis quò natura te-
5. nerior est vitroque fragilior. Cernite etiam manifestam experientiam in studiosis, qui legunt quæ placent, vel profundissimè speculantur. Cer- 6.
nite item in aliis qui aurum & diuitias cogitant, sic vt suæ valetudinis, aut cibi & potus obliuiscantur, & frequenter emoriantur. Cernite po- 7.
strèmo in amantibus vel vsque ad amentiam, vel vsq; ad mortem. Hæc sita sunt ante oculos tam in rebus turpibus subinde quàm honestis: & causa satis euidens est, quoniam hæc est naturæ nostræ infirmitas & quasi vitrea fragilitas, vt vim imaginationis ferre non possit. Itaque hoc in nobis non est mirum. Sed quòd Maria turbetur, sapientissima & constantissima, & quæ *mulier fortis* in sa- Prou. 31.
cro Codice vocatur; id nos meritò etiam admiratione afficere & turbare possit. Nam satis constat, non fuisse in illa talem infirmitatem aut defectum virium corporis, quādo Angelum audiuit, qualis interdum nobis accidit. Quid ita? quando perturbatio oritur ex hac debilitate, non fit sine motione indeliberata, rationē præueniente, sed turbatæ imaginationis vehementia vsum omnem rationis eripit. Hoc autem tribuendum non est gloriosissimæ Virgini, de qua dicitur: *Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* *Quòd turbata est*, inquit Bernardus, Bernard.
verecundiæ fuit virginalis; *quòd non* Hom. 3.
perturbata, *fortitudinis*; *quod tacuit* sup. *Missus.*
& cogitauit, prudentiæ. In nobis itaq; clarissimum est, hos affectus sæpè nō esse in nostra potestate positos, sed necessarios, vt vocant. Vnde, quotiescumque Scriptura sacra narrat hominibus turbationem huiusmodi vehementiorem contigisse, pariter quoque significat perturbationem rationis fuisse. Daniel certè de seip- Dan. 10.
so narrat, quomodo fulgentis Angeli specie non modò turbatus sed pænè

exanimatus sit. *Non remansit in me fortitudo*, inquit, *sed species mea mutata est in me, & emarcui, neque habui quidquam virium.* ita Zacharias Ioannis Baptistæ pater, Angelo ei à dextris altaris apparente, *turbatus est, & timor irruit super eum*, id est, præuenit ac præoccupauit ipsum. Idem de aliis sentiendum quātumuis sanctis. Verùm in Christo Domino ita liberi erant omnes affectus, vt numquam contra rationem aut voluntatem eius insurgerent. v. g. timebat, dolebat, gaudebat, cupiebat, quando, quantum, & quomodo volebat; non aliter. Ac propterea Theologorum schola mauult *propassiones* vocare in Christo quàm *passiones*. Similiter hoc ipsum beatissimę Virgini tribuamus necesse est: videlicet vt omnes affectus voluntatis eius imperio paruerint, sitque mater in hoc similis filio: præsertim cùm libera etiam fuerit ab originali peccato, quod omnis perturbationis affectuum causa in nobis fuit. Quare Mariæ Virgini nihil indeliberatæ perturbationis accidisse scribitur, sed potiùs tanta animi moderatione atq; constantia fuisse turbatam, vt simul cogitaret *qualis esset ista salutatio*. Patet etiam ex sequentibus: quia posteaquam Angelus, qui timorem aduerterat, ei dixit, *Ne timeas Maria*, statim omnem timorem deposuit, totamque illius legationem quieto animo audiuit: & prudenter appositeque respondit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Signum sanè manifestum, non fuisse inuoluntaria quadam affectione commotam: tametsi sanguinis commotionem aliquam & contractionem senserit: sed prudenter ac ratione vigili perstitisse sibi præsentem. Denique, vt paucis concludam, turbata est, hoc est, prudenter timuit, verecundata est, admirata est, ponderans arcana cælestia, quæ sibi ab Angelo pandebantur.

Lucæ 1.

Diximus qualis turbatio hæc Virginis, non perturbatio fuerit: iam dicendum quare seu quibus è causis ortum habuerit. Nam cùm serpens Euæ loqueretur, & mira proponeret, illa non est turbata: quomodo turbatur Maria dum Angelus bonus eam alloquitur? Quod amplius est, numquam Eua cum serpente locuta fuerat, tamen eo viso & audito non turbatur: Maria verò sæpiùs à Gabriele visitata est, & adhuc turbatur. Ecquænam causæ turbationis? Sancti Patres varias afferunt, quarum sufficiat præcipuas explicasse.

Secunda pars. Quare turbata fuerit.

Prima igitur causa sit ex parte Angeli boni, qui solet initio turbare, sed posteà consolatur: quemadmodum angelus malus contrarium facit. Quin etiam S. Bernardus hoc loco D. Virginem arbitratur ab initio salutationis dubitasse an esset Angelus bonus, an malus. *Sciebat*, inquit, *prudens Virgo quòd sæpè angelus satanæ transfigurat se in Angelū lucis.* Deinde quod subiunxit Angelus, *Ne timeas Maria*, sic explicat, q.d. *Nihil hic doli vel fallaciæ, nullas hic insidias suspiceris: non sum homo, sed spiritus, non angelus satanæ, sed Dei nuntius.* Quapropter mirum non est turbatam fuisse Virginem initio legationis, cùm adhuc timeret an angelus malus esset qui tam speciosa proferret. Nam si spiritus boni in principiis percellere animos soleant, quantò magis spiritus mali, si malos esse scimus aut dubitamus? Idem sentit Euthymius in hunc locum: *Turbata est*, inquit, *quia timuit ne fortè dolus esset, & cogitabat vtrùm diuina esset saluta-*

Prima causa, ex parte Angeli.

Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.*

Euthy. super Lucæ 1.

tio

tio an à dæmone. Subscribit & eidem sententiæ Andreas Ierosolymitanus, qui sic loquentem Angelum introducit: *Ne timeas Maria, non fraudulentus hic modus est, aut fallendi animo ad te venio: non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuntius adsum: ex altissimis veni, nuntium afferens non qualecumque sed plenum gaudij*. Sic ille. Enimuerò paulò pòst facilè agnouit gloriosissima Virgo Angelum bonum tum supernaturali lumine quo ad spiritus discernendos diuinitus collustrata erat, tum insigni prudentia sermonem ac mores Angeli obseruans. Quocircà cùm hoc loco euidens exemplum cernamus angelum satanæ ab Angelo lucis discernendi, operæpretium erit generalem regulam, quam hac de re tradunt Doctores, obiter perpendere.

Andreas Ierosol. Serm. de Annunt.

Non difficilis, inquit D. Thomas, *est beatorum spirituum malorumque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium; quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est: si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur*. Hæc D. Thomas. Quam quidem praxim seu discretionem spirituum quò meliùs assequamur,

D. Tho. 3. p. q. 30 art. 3.

Regula discernendi spiritus bonos à malis.

1. obseruandum est primò ex Apostolo, inter dona gratis data numerari ab eo discretionem spirituum, seu diiudicationem, vt legit D. Augustinus.

1. Cor. 12

August. l. 3. cōtra Vincent. cap. 2.

2. Deinde, certissimum esse modum distinguendi spiritus bonos à malis, per diuinam reuelationem, quo olim Antonius Magnus, & Martinus Turonensis, homines sanctissimi, excelluerunt.

3. Tertiò, signa quæ dantur à viris grauibus & doctis, non quidem singula per se sufficere, sed quandocūq; omnia concurrunt, firmissimúque præbere argumentum, quandoq; verò quædam ipsorum sufficientem facere fidem. Taliæ sunt forma in qua apparent, oratio qua vtuntur, causa quæ vt viuorum rebus interesint impulit, symbola quædam Religionis Christianæ, quæ spiritus maligni summopere fugiunt; operatio deniq; ac modus procedendi quem seruāt. In primis si forma alia quàm humana se spiritus exhibeant, meritò suspecti: tum quia bonos non nisi humana visos esse constat: tum quia mali peregrina gaudent, & frequenter ad illam diuina auctoritate coguntur. 1.

Deinde malos prodit oratio, si vel iniqua sit, vel superbi & arrogantis, aut certè turbati & vehementis animi ostentatio: si falsa contineat, si mala suadeat, si sibi nō constet. 2.

Causa quoque malos prodit, si ab hominibus sibi allatam vim simulent, quasi coacti ad nos veniant, aut ad malum vel indecēs quidpiam incitent. 3.

Adhæc symbola Ecclesiæ Catholicæ præcipua sunt quatuor, nempe signum Crucis etiam ab infidelibus formatum, vt patet in Iuliano apostata; inuocatio nominis Iesu & Mariæ, Sanctorum Reliquiæ, ac multò magis Venerabilis Eucharistia, res denique Dei verbo consecratæ, vt sunt aqua lustralis, agnus Dei, panis, sal, oleum, &c. quæ tum apud probatos Auctores variis experimentis atq; exemplis confirmātur, tum maximè apud P. Martinum Delrio in libris Disquisitionum Magicarum. 4.

Vide Gregor. Naziāz. Orat. 1. in Iulian. &c.

Delriode Magia lib. 6. c. 2. quæst. 3. sect. 3.

Postremò, genus operationum, si ex se detestandum sit, nullo modo in bonos cadere potest. 5.

præterea modus agendi malorum plerumque primo suo congressu amicus est; pòst verò turbatum relinquit animum. id magno suo & nostro malo didicit prima omnium mater Eua.

Gen. 3.

Eua. at boni licet primū nōnihil turbent quandoq; etiam horrores incu- Dan. 10. tiant; tandem tamen mira voluptate, aut certè egregia quiete perfundunt; vt patet hoc loco, vbi B. Virgo quæ principiò timuerat, mox confirmata Angelum alloquitur intrepida.

Secunda causa, verecundia virginalis. Secūda ratio turbationis fuit verecundia virginalis ex Angeli aspectu, quem B. Virgo numquā viderat specie tam eximia pulcherrimi iuuenis aut viri. Ita docent grauissimi Auctores, *Conueniens*, inquit D. Thomas, (S.Tho. 3.p. q.30 a.3. ad 3.) *turbatio Virginis fuit verecundia eius virginali.* Amplissimè autem ac suauissimè explicat D. Ambr. variis locis, atq; hîc in primis: (Ambros. super Lucæ 1. lib.2.) *Disce*, inquit, *virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginē oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant ergo mulieres propositum pudoris imitari.* Et in libris Officiorum: (Lib. 1. Offic. cap.18.) *Matrem Domini dignam quæ ad tale munus eligeretur adstruit pudor, quòd in cubiculo inuenta, quòd sola, quod salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu eius: quòd ad virilis sexus speciē peregrinā turbatur aspectus Virginis.* Alibi quoq; indicata obie- (Lib. 2. de Virgin.) ctione cur B. Virgo Angelicis visitationibus assueta, viso Angelo turbata fuerit, sic tacitè respōdet: *Gabriel eam, vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria quasi viri specie mota trepidauit; sed quasi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in viro, quæ nō est peregrinata in Angelo.* Quibus verbis significat, solitam quidem fuisse Virginem Angelicas reuelationes, sed non externas & in sensibili specie viri percipere. Quod idē sensit D. Hieronymus in epistola quadā his (Hieron. epist. 7. ad Lætā.) verbis: *Ideò forsitan timore perterrita est, quia virū quem non solebat adspexit.*

Sed quid ais ô sapientissime Hieronyme? nónne tu idem persuasum habes, sæpiùs illam ab Angelo visitatā, sçpiùs cum eo collocutā? Immò verò probabilis SS. Patrum sententia est, ab Angelo fuisse nutritam in tēplo, vt alibi probauimus. (Vide suprà Conc. 5.) Audiamus ergo respondētem eumdem D. Hieronymum, vbi sic scribit ad Eustochium: (Hieron. epist. ad Eustoch.) *Propone tibi ante oculos exemplum benedictæ Virginis, quæ cùm vidisset Angelum Gabrielem ingressum in cubiculū suum in forma viri, vehementer obstupuit, & consternata respondere non potuit: numquam enim à viro fuerat salutata, & quæ hominē formidabat, cum Angelo loquebatur intrepida.* Respondeat & gloriosus S. Bernardus, qui (Bernard. Hom. 3. super *Missus*.) asserit hanc esse consuetudinem verè virginum, vt viuant in sacro quodam timore, præsertim cùm aliquid nouū & inopinatum obiicitur: & quò euitentur ea in quibus inest periculum, interdum metuant vbi nulla est metuendi occasio. Eadem sententia est D. Ioannis Damasceni, *Quia*, inquit, *licet aliàs ab Angelis fuisset visitata; numquam tamen ea effigie conspexerat, neque eiusmodi sermone vtentes audierat.* (Damasc. Orat. 1. de Dormit. Virgin.) Addi etiam potest fuisse miram Angeli claritatem: vnde ait Ecclesia in Responsorio Annuntiationis, *Expauescit virgo de lumine.* Quēadmodum enim Pastores claritas Dei circumfulsit, vt D. Lucas scribit, cùm (Luc. 2.) Angelum viderunt: ita nocte media circumfulsit & Virginem: itemque mulieres ad sepulchrum Domini venientes, Angelis hoc splendore apparentibus terrore perculsæ sunt, vt (Matt. 28.) contestantur Euangelistæ. (Marc. 16) Denique auctor est D. Augustinus, (August. Ser. 14. de Nat.) *corporis ab Angelo assumpti effigiem adeò lucidam adeò pulchram fuisse, vt omnem humanam pulchritudinem excederet.* Pariterque

Hieron. ad Eust. terque D. Hieronymus, *Excessiuum*, inquit, *lumen, quod repentè irradiauit cubile, timorem incussit.*

Quæ cùm ita sint, quid mirum, purissimam Virginem, cùm esset clausis foribus, adspiceretq; virum subitò astare, splendenti habitu, specie numquam visa, & blandè & magnificè salutantem, rem insolitam, & à sua cogitatione alienam; sacro quodam timore turbatam fuisse, & affectam pudore virginali, qui ex maxima honestate proueniret? Num & ipse sacer textus luculenter fauet? nam Græcè est, ἰδοῦσα δὲ ἐταράχθη ἐν τῷ λόγῳ, id est, *quæ cùm vidisset, turbata est.* atque ita vertit D. Ambrosius, & antiqua quædam exemplaria. Sit itaque hæc secunda ratio grauissimis auctoritatibus confirmata.

Verùm quærat meritò aliquis, Cur Angelus potiùs tum quàm aliàs virili specie apparebat? Respondeo, Diximus alibi inter cetera, id rationi magis consentaneum fuisse, præsertim ex parte mysterij incarnationis, cuius erat nuntius. Instabit fortè, quomodo dictum sit Virginem probabiliter vidisse etiam substantiam Angeli. quod si verum est, quomodo turbata est specie viri? Respondet vir doctissimus Suarez, initio contigisse turbationem; posteà verò colloquio eius illuminatam & eleuatam ad perspiciendam etiam Angelicam substantiam. Nunc ex dictis fructum aliquem nobis colligamus. Suarez in D.Tho. p.3.q.30

Documentum morale. Quòd si perfecta ex omni parte esset castitas nostra, facilè turbaremur vel minimo aspectu, vel mētione de re turpi, vel cogitatione sordida nobis oblata: vitaremus minimas occasiones, solus cum sola numquā versaretur. Ac mulieres præsertim verecundari, timere, erubescere cum viris solis deprehensæ consuescerēt. Pudor quippe virginitatis tutissimus est custos; de quo D. Bernardum audite, insignē moralis vitę magistrum. *Solent virgines*, inquit, *quæ verè virgines sunt, semper pauidæ & numquā esse securæ; & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere: scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum: & nimis arduum esse viuere Angelicè inter homines, & in terris more cælestium conuersari, & in carne cælibem agere vitam. Ac proinde quidquid nouum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se æstimant machinatum. Idcircò & Maria turbata est in sermone Angeli.* Hactenus Bernardus. Quantam igitur verecundia ac modestia tum in omnibus hominibus, tum præcipuè in mulieribus, maximeq; in adolescentibus sui commendationem meretur? Plena auctoritatum in hoc genere est vetustas. *Verecundia*, inquit Valerius Maximus, *parens est omnis honesti, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem proferēs vultum.* At quamobrem fauorabilem ei vultum attribuit? nimirum disputans Aristoteles quisnam è coloribus magis placeat, *Optimus*, inquit, *color est, quem ingenuus gignit pudor.* Plinius verò docet, naturam ipsam non sermone sed opere cunctis feminis verecundiam commendare, dum refert, cadauera virorum in mari natare facie sursum, feminarum autem deorsum conuersa. Tantus naturæ ipsi inditus est verecundiæ instinctus. Sed præ omnibus D. Ambrosium audiamus prudentissimè commonentem his verbis: *In adolescentibus verecundia velut quædam naturæ dos commendatur, & est prima disciplina.* Bernard. Hom. 3. sup. Missus. Valerius Max. de Verecundia. Aristot. in Polit. Plinius l.7.c.17. Ambros. l.1.Offic. cap. 18.

Hæc in ipso corporis motu, gestu, & incessu tenenda est. Habitus enim mentis cernitur in statu corporis, & vox quadam est animi corporis gestus vel motus. In ipso quoque corporis decore verecundia plus eminet. Rursus ibidem: *Verecundia pudicitiæ comes est, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes, qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinit. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, & tamquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur adstruit.* Idem alibi scitè obseruauit insignem verecundiam, quam præ se tulit Rebecca, quando, vt in Genesi legimus, ducta ad nuptias, & admonita quòd vir, qui procul videbatur, Isaac esset sponsus ipsius, confestim velo faciem suam cooperuit. Quod sanè manifestum erat pudicitiæ argumentum. Nam quæ marito mox futuro præ verecundia faciem velabat, longè aberat ab illarum leuitate quæ & videre omnes & ab omnibus videri desiderant. Abimelech quoque Rex pulchritudinem Sacræ eximiam admiratus, ne forsan alijs idem contingeret quod sibi, vt specie eius caperentur, mille argenteos ei donauit vt velum emeret, quo vultus sui venustatem contegeret. *Ecce,* inquit, *mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Ita enim hunc locum interpretantur Tertullianus, & Lipomanus. Ad summam, *Gratia super gratiam*, inquit Ecclesiasticus, *mulier sancta & pudorata.* O igitur verecundissima Dei sponsa, Maria Virgo, speculum omnium virginum, gratia tibi super gratiam! ô vtinam nostros quoque mores informes! ô Virgo singularis, tu non egisti vt nostri æui virgines ac mulieres passim, quæ loquentibus viris alienis, quos certè scire possunt ob lasciuiam sibi blandiri, aures præbent, arrident, laudatæ exultant: ad fenestras, ad ianuas, ad choreas, ad conuiuia frequenter accedunt, inuitant ad miscenda colloquia; vnde vix vmquam sine peccato recedunt. Passim quoque vagantes in plateis, iuuenum vultus inuerecundè aspiciunt, liberè alloquuntur, cum ijs rident, ludunt, actiones familiares exercent, iocantur sine modo, séque interim pudicas gloriari non verentur. O fallacias! ô naufragia pudicitiæ! Sed tu, ô Virgo honestissima, fugiens hominum consortia, demissis oculis incedebas, ita verecundari solita, vt non solùm ad aspectus hominum, sed etiam Angelorum erubesceres. In domo sera, in publico festina, transiens montana cum festinatione. Nulla quidem erat turba aut populi multitudo tanta, quæ interturbare potuisset quietem, & cordis puritatem: voluisti nihilominùs in omnibus, & per omnia, deligere id quod erat maximè conueniens honestati ac pudori virginali. O quàm procul hæc à moribus nostris! Diui Hieronymi ad extremum monita præterire non possum. *O charissima Dei sponsa*, inquit, *hoc hortor, hoc moneo, hoc mando vobis, vt viri cuiuscumque status, etsi eum sanctitas exornet, etiamsi Ioanni Baptistæ æquaretur in meritis, quæratis effugere faciem: nec liceat secum dilectione feruenti adstringi. Credatis experto. Nihil omnino est periculosius viro quàm mulier, & mulieri quàm vir. Vterque palea, vterque ignis. Dicam audacter, prò dolor! Dei templa, & Spiritus sancti vasa, nisi diligentissima seruentur custodia, prostibula fiunt: & aufertur tam pretiosus thesaurus, irrecupera-*

Idem l. 3. de Virginib.

Gen. 24.

Gen. 20.

Tertull. l. de Velandis virgin.

Lipom. in Catena sup. Genes. c. 20.

Eccli. 26.

Hieron. ad Eustoch.

cuperabile decus castitatis. omni igitur custodia seruetur cor. Hæc Hieronymus.

Tertia causa turbationis, humilitas Virginis.

Iam sicuti aspectu Angeli Virgo turbata est propter virginalem verecundiam, ita etiam turbata est auditis eius verbis propter singularem humilitatem: ideoq; scribitur *turbata in sermone eius*. Ita D. Thomas ex quorumdam Patrum sententia. Cùm enim beatissima Virgo eximia humilitate prædita esset, nihilque magnificum de se cogitaret, audiens inusitatum & honorificentissimam salutationis formulam, in magnam admirationem rapta, cogitabat qualis esset ista salutatio. Erat videlicet noua & inaudita, qualis in tota Scriptura non reperiebatur. Ita etiam interpretatur præter ceteros Origenes: *Id quod ait, κεχαριτωμένη, vbi in Scripturis legerim non recordor. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Si enim sciuisset ad alium quempiam similem factum esse sermonem (habebat quippe legis scientiam, & erat sancta, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat) numquam quasi peregrina eam salutatio terruisset*. D. Laurentius Iustinianus eamdem assignat causam his verbis: *Consueuit namque humilitas sicut semper stare sub se, ita difficilè fidem accommodare eis quæ supra eam esse censentur.* Mitto D. Ambrosium, Hieronymum, Bedam, & alios quorum eadem est expositio. Itaque salutatio tam inusitata, sublimes illi tituli, tam nouus & insolens apparatus Virginem humillimam haud mediocriter turbabant. Quapropter Cardinalis Petrus Damiani scribit, duo verba esse orbi nuntiata, qualia in terris nec dicta nec dicenda sunt, quasi duo tonitrua quæ mortalibus horrorem incutiant: alterum Archangeli Gabrielis, *Aue gratia plena, Dominus tecum*; alterum S. Ioannis filij tonitrui, *In principio erat Verbum.*

D.Tho. 3.p.q.30. a.3. in fine.

Orig. Hom.6. in Luc.

Laurent. Iustin. Serm. de Annunt.

Amb. su. Luc.

Hieron. Serm. de Assumpt.

Beda in Lucam.

Petr. Damian. Ser. 1. de Natiuit. Virgin.

Cur tam sublimiter Angelus salutarit.

At dubitabitis fortassis quamobrem Angelus nouo modo tam sublimiter salutarit. Respondeo: Quandoquidem nouus erat homo quem annuntiabat, contrarius veteri Adamo; noua femina cui fiebat annuntiatio, opposita videlicet veteri Euæ; nouam quoque salutationem afferri par erat. Adhæc D. Thomas obseruat Angelum ab illa honorifica salutatione legationem suam inchoasse, vt Virginem ad rem quæ nuntianda erat quàm attentissimam redderet. Nihil enim magis attentionem conciliat quàm admiratio: nihil quoque personam humilem magis in admirationem rapit quàm laudatio. Neque hîc periculum vllum erat inanis gloriæ, sicuti in alijs fuisset. Quippe *omnia flumina intrant in mare*, vt ait Ecclesiastes, *& mare non redundat*: sed flumina pluuialibus aquis redundant facilè. Huiusmodi fluminibus similes ij sunt, qui honorum, aut diuitiarum, aut litterarum quadam quasi pluuia in superbiam redundant. Mari verò similis est Deipara Virgo, quæ quamuis gratiarum omnium flumina exceperit, numquam tamen humilitatis summæ metas excessit. Addamus & alteram similitudinem. Quale prodigium sit, si in fluuium mare totum influeret, ipse autem fluuius non exundaret? En tibi gratiarum omnium fluuium Virginem, de quo Psaltes Regius, *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* In eam omnium bonorum Oceanus, nempe Deus ipse, ingressus est: at fluuius non intumuit; immò humilitate depressus est ac submissus magis. *Vide humilitatem*, inquit Ambrosius: *ancillam*

D.Tho. 3.p.q.30. ar.4.

Eccles.1.

Simile primum.

Simile secundum.

Psal.45.

Amb.l.2. in Luc. *lam se dicit, qua mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* Denique qui verè humiles sunt, satis intelligunt quomodo ista turbatio acciderit propter insignem humilitatem, qua Deus animam matris suæ exornauit. Quemadmodum enim qui excellam turrim erigere parant, altissima eius fundamenta iaciunt, ne magnitudine superstructæ molis ædificium corruat: ita cùm Dominus Deus hanc Virginem supra omnes creaturas euehere decreuisset, altissima in ea fundamenta humilitatis iecit, ne tantarum virtutum atque donorum cælestium occasione vlla ei inanitas subreperet. Qua virtute destitutus Lucifer grauissimè corruit; quia, vt est apud Ezechielem, *eleuauit cor suum in decore suo.* Cùm ergo tam humilis esset Maria, vt sibi locum infra omnes creaturas deligeret, cuperetque esse omnium ancilla, quomodo non turbaretur, tam contraria suis cogitationibus audiens? Si quis sit pastor ouium, qui nihil cogitet quàm de suo grege, contentus habitu suo, pedoque pastorali: repentè autem salutetur à legatis Rex, quia Principes, totaque curia illum in Regem deposcant: quanta erit admiratio, quanta turbatio? Ita legimus in libris Regum, cùm Saul, quærens asinas patris sui, vngeretur subitò à Samuele in Regem, quātæ fuerint admirationes. *Numquid non filius Iemini ego sum,* inquiebat, *de minima tribu Israel, & cognatio mea minima inter omnes familias Beniamin?* Tale quid accidit sanctissimæ Virgini in proposito. Angelus siquidem extraordinaria reuerentia submittit ei genu, speciosam affert legationem, laudat eximiè, blandè influit, plenam gratia nominat, Dominam in qua Deus singulari quodam modo inhabitaret, inter omnes mulieres benedictam. At quid illa? tali honore & laudibus non extollitur, neque pluris propterea sese æstimat, sed verecundatur, timet, admiratur, contremiscit, erubescit. Adeò se agnoscit indignam, vt vehementer crucietur, secumque ita meditetur: Hiccine est Angelus Dei qui sic loquitur? scio equidem beatos spiritus numquam vti assentatione vel dolo, mentiri quoque numquam: verumtamen quæ de me prædicat, maiora sunt quàm vt meæ conueniant tenuitati. Itaque turbabatur quidem, sed non ideò clarissimus eius intellectus obscurabatur, aut pax & tranquillitas cordis immutabatur motu inordinato, qualis in gloriosissimam Virginem non cadebat. Sed hæc satis: ad nos iam veniamus.

Simile tertium.

Ezec.c.29.

Simile quartum.

1.Reg.9.

Vtinam hodie discamus omnes ab augustissima Domina nostra Christianam ac veram humilitatem; maximè autem virgines! *Cùm enim Christianis omnibus,* vt auctor est D. Augustinus, *custodienda est humilitas, tum maximè virtutis huius sectatores & conseruatores esse conuenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent. Iuxta Apostolum, Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Proinde quia perpetua continentia magnum bonum est in Sanctis Dei, vigilantissimè cauendum est ne superbiâ corrumpatur.* Et S. Fulgentius Episcopus, de virginitate & humilitate disserens, *Talis est,* inquit, *vtriusque virtutis copula, vt in præsenti vita ipsa sit perfectio, culmenque omnium virtutum: quia nec in corpore est aliquid integritate melius; nec in anima est aliquid fideli humilitate sublimius.* Copiosissimè autem de hoc argumento agit D. Bernardus, atque inter cetera sic ait:

Doctrina moralis de humilitate.

D. Aug. l.de s. Virginit.

S. Fulgēt. in epist. ad Probā.

Bernard. Hom. 1. sup. Missus. ait: *Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Audis virginem, audis humilem; si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur: ad illā inuitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur,* Matt. 19. *Qui potest capere capiat: de ista,* Matt. 18. *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Itaque sine virginitate potes saluari, sed non sine humilitate. Sine humilitate (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. Vt placeret virginitas, humilitas effecit. Respexit humilitatem ancillæ suæ, inquit ipsa de se. Audis, ò virgo superbe, gloriantem de sua humilitate, & tu glorieris de tua virginitate? expedit tibi virginem non esse, quàm de tua virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas, multò tamen paucciorum est cum virginitate humilitas. Quòd si & virgo & humilis es, verè magnus es. Sed Maria supra omnes, quia & virgo, & humilis, & mater.* Hactenus Bernardus, absolutissimè, nihil vt addi possit. Enimuerò non virginibus dumtaxat humilitas Dominæ nostræ imitanda proponitur, sed & omnibus omnino Christianis maturè ponderanda, & contemplanda, & omni studio amplectenda est.

Non virginibus modò, sed omnibus Christianis imitanda humilitas.

Hinc namque tam est necessaria, vt absque ea solidæ virtutis nihil esse possit: inde tam partu difficilis, vt B. Gregorius Nyssenus dicere ausit, nullā esse quę plus molestiæ facessat, quæque maiori sudore sit paranda. propterea quòd superbia, vitium humilitati aduersarium, naturæ deprauatæ, vti corpori pars, iam quodam modo sit insita, ægrè diuelli vt queat.

Gregor. Nyssen. in 1. Beatit.

Proprium itaque humilium est, exemplo Dominæ nostræ hoc loco, non quęrere laudem etiam ob ingentes titulos & maxima dona, & gratias singulares, quibus eos Deus est impertitus: immò quod amplius est, seipsos contemnere, & vt ab omnibus despicatui habeantur expetere. Hinc ait D. Augustinus: *Quid est esse humilem? non velle laudari, non velle honorari. Contrà qui laudari cupit, satis superbum se esse significat.* Aug. in Ps. 133. Serm. 2. Vis ergo scire an sis superbus? Si laudem quęris, signum est superbiæ. nam humilis tantum abest vt suis laudibus delectetur, vt valdè etiam crucietur & flagelletur, veluti Sancti loquuntur. D. Gregorius Magnus hoc modo: *Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat. sed iustos dum cruciat, purgat; iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Isti enim sua laude pascuntur, quia auctoris sui gloriam non requirunt.* Gregor. lib. 16. Moral. c. 3. vet. 13. nou. Sic Gregorius. Placet igitur audire an sis humilis, an superbus? Quid ait Sapiens: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo in ore laudantis.* Prou. 27. humilis videlicet dum laudatur ostendit se cruciari & ægrè ferre; at *vir vanus,* vt ait Iob, *in superbiam erigitur.* Iob 11. Ratio porrò hæc est, quia quò quis profundiores egit radices humilitatis, eò minoris se æstimat, clariusque videt quantum adhuc sibi desit, ac proinde sibi displicet. Sicuti quò quis sapientior est, eò magis cognoscit suam ignorantiam: quia videt plurima sibi restare quæ sunt difficillima. sed indocti qui vix extremis labris aliquid libare cœperunt, statim se aliis vel anteferunt, vel exæquant. ita prorsus in ratione virtutum contingit. Sanctissimus Patriarcha Abraham quò magis à Deo per Angelos Gen. 18.

honorabatur, eò magis se humilians
2. dicebat, *Ego sum puluis & cinis.* Iacob
cernens se ab exercitibus cælestibus
Gen. 32. seruari, dicebat, *Domine, minor sum*
3. *cunctis miserationibus tuis*. Ioannes
Ioan. 1. Baptista, quo maior non surrexit inter natos mulierum, indignum se reputat qui soluat corrigiam calceamentorum Christi. Centurio tanto-
4. Matth. 8. pere à Domino laudatus, indignum se clamitat qui eum tecto recipiat.
5. Petrus quoque quasi indignus qui
Luc. 5. eum naui contineret, ait, *Exi à me, Domine, quia homo peccator ego sum.* Hic videlicet mos est verè humilium, ac se vilipendentium, vt se Dei cõspectu ac fauore penitùs indignos censeant. Contrà verò, vt Bernar-
Bernard. epist. ad Henricũ Archiep. Senonẽs. dus ait, *Superbia est appetitus propriæ excellentiæ, cuius duæ sunt species, contumacia & vanitas. Contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel esse à se, non in Domino sed in se gloriatur. Vanitas verò est vitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est gloriando, suis magis quàm Dei laudibus delectatur.* Itaque sicuti humiles auditis laudibus suis turbantur; ita superbi, cùm deprimuntur, aut
Matth. 2 de honore suo periclitari se vident.
Esther 3 Ita turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum eo. Ita Aman au-
1. Reg. 18 diens se iam excidisse gratia Regis Assueri. Ita Saul audiens cani laudes
Similitudo. Dauidis, *Saul percussit mille, Dauid autem decem millia.* Denique rem totam similitudo illustrabit. Sicuti architecti qui assueti sunt alta loca cõscendere, non facilè turbantur nec casum timent: qui verò in humili ambulare soliti sunt, si contingat ad altiora ascendere, continuò turbantur, ac de præcipitio cogitant: ita superbi qui aut reuerà aut saltem animo dignitatum culmina transcendere solent, cùm ad illa euehuntur, minimè turbantur, sed potiùs cùm descendere coguntur: at humiles qui semper ad humilia propendent, in seipsis propria cognitione vilescunt: sed si contingat re aut verbis agi de promotione aliqua, turbantur, casumque ac præcipitum timent.

Videor mihi naturam solidæ humilitatis aliquatenus attingere: sed quanta, quamque admirabilis & absoluta virtus hæc fuerit in D. Virgine, quis oratione aut mente assequatur? Solet quidem qui humilis est se nihili putare, quoniam ex se propriè nihilum habet, ex quo Deus illum procreauit. Solet etiam seipsum despicere, quòd non modò quid fuerit agnoscat, sed quantis insuper sceleribus ac flagitiis obstringeretur, si à Deo relinqueretur. Atqui huiusmodi actus humilitatis quàm crebrò quamque perfectè sanctissima Virgo exercebat? Cùm enim extraordinaria quadam claritate cognosceret se ab omni æuo nihilum quid fuisse, & Deum sua omnipotentia ex abysso eius nihili ipsam eruisse: cùm etiam consideraret, se, quatenus meram creaturam, è stirpe Adami eductam, potuisse in multa peccata incidere, non minùs quàm ceteros hominum filios, nisi Deus præcipuo quodam fauore penitùs ab omnibus eam præseruasset: ex istiusmodi rerum cognitione & contemplatione Domina nostra se deterrimam totius mundi creaturam æstimabat, & ex animo seipsa despiciebat, tamquam vile quippiam, aut rem nihili. Quid iam dicam quantopere turbaretur audita sui laudatione, quantopere cruciaretur, vt ex hoc Euangelio Annuntiationis patet? O quàm procul absu-
que

mus ab hac perfectione? quotusquisque enim seipsum verè nouit vilipendere? quotusquisq; laudes auersatur humanas? imò quotusquisque est qui non tectè quærit laudari? quid enim blandius, quid suauius quàm laudari? Si cùm laudes eorum audimus, quos charos habemus, voluptatem capimus; quomodo quisq; laudes suas molestè ferat, cùm se supra alios charissimum habeat? quod cùm facit & seipsum decipit, & humilitati aduersatur: cùm iam non in Deo (cuius bona omnia sunt) sed in seipso glorietur. O quàm procul absumus à te, ô augustissima Virgo? tu veras audiebas laudes, à Deo profectas, ab Angelo recitatas, neque tamen delectata es sed turbata. Nos vmbris dignitatum & inanibus titulis gaudemus, quia ambitiosi sumus, gaudemus falsa nobis tribui, gaudemus decipi. Hinc clamat Isaias: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te seducunt, & semitas gressuum tuorum dissipant.* Neque tantùm ab aliis laudari gaudemus, sed nosipsos cautè etiam laudamus, &, quod mirũ valdè, in operibus sanctis, in orationibus nostris, in eleëmosynis, in pœnitentiis. O quàm delicata est humilitas! quàm facilè læditur! Quid aliud ille Pharisæus in Euangelio faciebat, quàm quòd gratias Deo agebat, quòd illis peccatis careret quæ alij haberent, & virtutum officiis deditus esset? & in ipsa tamen gratiarum actione locum inuenit superbia. In templo, ad altare, in oblationibus sacris, in angulis latet superbia: & nisi viriliter contemnas, & omnes aditus

Isaiæ 3.

obstruas, per rimulam aliquam intrabit si inueniat apertam, & animum spoliabit thesauro humilitatis. O quàm procul absumus à te, ô Maria Virgo! Tu laudes tuas timuisti, erubuisti, exhorruisti, sicut fures: at nos amplectimur vt amicos nostros, vt fratres, vt sorores. Verè interim fures sunt, & vt fures timendæ sunt, ne furentur humilitatem, & omnes meritorum nostrorum thesauros, quos custodit humilitas. Sicut enim auari vehementer timent, cùm circa thesaurorum suorum apothecas fures circumcursare vident: ita nobis timendum esset, quotiescumque inanis gloriæ periculum imminet. Vbi aliquando B Bernardum (cùm adolescens adhuc in sęculo degeret) dormientem impudica femina esset adorta, vt illi violandæ castitatis occasionem præberet: pudicusq; adolescẽs voce magna exclamasse dicitur, Latrones, latrones. Cumque ad hanc vocem excitati famuli lustrata domo non reperissent latrones, illumque frustrà clamasse dicerent; ille contrà, Verè, inquit, latro adfuit, qui irreparabilem castitatis thesaurum furari voluit. Vt ergo impudica femina castitatis, ita humanæ laudes veræ humilitatis insidiosi blandique fures sunt ac prædones. Illumina oculos nostros, Domine Iesu, vt hanc veritatem clariùs intueri valeamus, & te humilitatis magistrum & exemplar imitari, & benedictæ genitricis tuæ vestigiis insistere; cui post te summus honor & gloria, & potestas & imperium in sæcula sempiterna. Amen.

Comparatio.

In Vita eius.

CONCIO XXIII.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio.

1. *Quòd B. Virgo tacuit, silentij opportunitatem commendat.*
2. *Quòd cogitauit, prudentiæ fuit.*
3. *Quidnam cogitauit? Qualis esset ista salutatio.*



SIQVA Princeps seriam aliquam legationem Regis aut Imperatoris de re magni momenti audiat, v.g. de matrimonio, vel electione in Reginam: meritò diu multumque deliberat apud se, quid debeat respõdere, præsertim si consensus eius disertis verbis requiritur. An non id fecisse nuper credibile est Reginam Franciæ, cuius recens memoria est, vel Hispaniæ quondam, nunc Belgij Principem Isabellam, cùm primùm de matrimonio sollicitarentur? Cogitarunt haud dubiè, qualis esset ista postulatio, quis esset qui postularet, & quem exitum res esset habitura. Sic videlicet Deipara Virgo, audito Angelo paranympho suo, sub ipsum legationis auspicium cogitabat qualis esset ista salutatio, quis iste Angelus esse posset, qui tam inusitatum afferret exordium. Non facilè ei credendum erat, quandoquidem, teste Scriptura diuina, *qui citò credit, leuis est corde*. Et vt credas aliquid, non est continuò festinandum. Scriptum est enim à Propheta, *Qui crediderit, non festinet*. Atqui leuis non erat aut præceps Virgo sapientissima; agebatur autem de consensu illius in matrimonium Filij Dei cum humana natura: quare prudenter in eo negotio procedendum erat, mensque erigenda ad maximam attentionem, ac profundas cogitationes. Cernite, obsecro, oppositam Euæ Mariam. Illa cùm audiret dæmonem loquentem sibi per serpentem (quod sanè horrorem nunc induceret) quasi cum serpentibus commorata semper fuisset, & cum dæmonibus conuersata, nihil timet, non turbatur, non cogitat de futuro, imò Deo similis fieri exoptat. At Maria Virgo diuersa ratione prudens ac circumspecta turbatur, & cogitat qualis sit iste Angelus, qualis ista salutatio, quid humili ancillæ cum sublimibus istis titulis. Cernite oppositã Saræ, quæ dum audit ex Angelo parituram se filium, non turbatur, sed ridet. At Domina nostra, matura deliberatione cuncta expendens, in cogitationem altissimam se dedit, atque à Deo illustrari, vt credibile est, postulauit. Quo quidem facto multarum nobis exempla virtutum prodidit: Primò, quòd tacuit, inquit D. Bernardus: secundò, quòd cogitauit: tertiò, quidnam cogitauit? qualis esset ista salutatio. De quibus ordine dicendum, vt multiplici documento mores nostri informentur.

Eccli. 19.

Isaiæ 28.

AVE MARIA.

QVemadmodum, teste D. Augustino, vt sincerè religiosi & affecti esse erga Sanctos censeamur, & eorum intercessionẽ apud Deum, opemque & fauorem demereamur, imitari eos oportet: haud secùs vt sinceri simus Dominæ nostræ cultores, & eius in hac vita operam præsidiumque participemus, imitandæ & consectandæ nobis sunt eius virtutes. Quod quidem inter cæteros B. Bonauentura piè admodum tradit in hanc sententiam: *Curet Dei cultor, vt probus & morigerus filius, imitari in omni-*

August. Ser. 1. de S. Laurentio.

D. Bonauent. in Stimulo diuini amor.

omnibus operibus suis matrem Dei, quantum efficere possit. Proponat sibi tamquam axioma quoddam omni cum puritate consectanda sibi esse vestigia gloriosæ Virginis, si subsidium ab ea accipere expetat quod postulat. Pro certo habeat, si illam imitetur & colat vti matrem, ipsam quoque eum vt filium omni fauore esse prosecuturam, & impetraturam quidquid dignè postularit: sic vt nulla ex parte ipsi defutura sit, quin prouideat quæcumque ad ipsius animæ salutem necessaria sunt, & postremò suæ gloriæ participem faciat. Hæc D. Bonauentura, probè sciens ipsam virtutum omnium lucidissimum speculum esse, nullumque earum imitatione gratiorem ei cultum exhiberi posse. *Erant Mariæ mores incomparabiles*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *& agendæ vitæ ratio composita virtutibus.* Disertissimè autem libro quodam de virginibus D. Ambrosius, vitam virtutesque B. Mariæ tamquam in imagine describens, omnibusque imitandas proponens, has præ ceteris loco Euangelij nostri conuenientes commemorat: *Erat*, inquit, *corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem sed Deum quærere.* Quarum scilicet omnium atque in primis taciturnitatis hoc in loco præbet exemplum. Nam cùm Angelus ab æterno Patre missus ad eam accessisset, & legationem suam honorifica & inaudita salutatione exorsus subsisteret, num quid responsi aut signi ab ea ederetur obseruans; ipsa tacuit, neque resalutans respondit quidquam: neque inquisiuit quid sibi noua ista salutatio vellet, quantumuis dubitaret: sed silens, totum cor suum in Deo defixit, consilium ab eo expetens, & secum cogitans quid dictura aut factura esset: donec Angelus eam ita turbatam aduertens, consolatus est & mysterium ei omne declarauit. Sic exponit Cardinalis Petrus Damiani his verbis: *B. Virgo accepto è cælis nuntio, licet de se ipsa sentire id non posset quod salutatio ista præferret, non tamen ab Angelo quæsiuit; sed solitis silentij rigore seruato tacens audire meruit quod rogare ausa non fuerat.* Posteaquam verò Archangelus ei mysterium patefecisset, & ipsa intellexisset ac credidisset, & tot verba tot mysterijs referta audisset, qualibus eam Archangelus compellabat; non nisi bis locuta est, idque breuiter & magna cum necessitate, & de rebus maximi momenti: quarum vna fuit, vt votum puritatis virginalis testaretur; altera, vt obedientiam declararet, qua se omnino in manus Dei traderet & committeret. Ad eumdem modum D. Bernardus scribens in hunc locum, ponderat hanc gloriosæ Virginis laudem, quòd turbata cùm esset, tacere maluerit, quàm loqui, sicuti, inquit, pater eius Dauid, qui de seipso sic in Psalmis ait: *Turbatus sum & non sum locutus: cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Summa perfectò Virginis laus, nouam atque insolitam salutationem ita secum expendere & examinare, vt neque statim ei obsisteret per incredulitatem, ne Zachariæ duritiam imitaretur; neque statim cederet ex leuitate, vt Euæ temeritatem euitaret. Quemadmodum Propheta Daniel interrogatus de visione Nabuchodonosor, *cæpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi hora vna:* ita se gessit sapientissima Virgo: tacuit, & apud se interim examinauit quæ audiuerat, nempe qualis esset ista salutatio: iuxta

Nazian. in Orat. de Maria oblata in templo.

Amb. l. 2. de Virg.

Petr. Damiani Ser. 3. de B. Virg.

Bernard. Hom. 3. sup. Missus.

Psal. 76.

Dan. 4.

Eccli. 32. ta consilium Ecclesiastici, *Audi tacens simul & quærens*. Inter alia quoque quæ B. Brigitta cælitus fuit edocta, & litteris prodita reliquit de S. Virgine; dicit, ab infantia eam quietis & silentij fuisse studiosam, vt sola cum Deo diu noctuque versaretur: & cauisse sedulò ne lingua verbum vllum inconsideratum proferret, vti etiam numquam vllo vsa est. Cùm tamen occasio offerretur aut promouendi proximi, aut gloriæ Dei, silentium rupisse, & prætulisse eam in sermone modestiam & grauitatem, vt honestatem suam proderet, virtutemque admirationi exponeret omnium eorum qui loquentem audirent. Ita & Epiphanius, referente Nicephoro, ait, pauca admodum, eaque necessaria fuisse locutam.

Brigitt. l. 1. Reuel. c. 10. & l. 3. c. 8.

Niceph. l. 2. c. 23.

Virginibus taciturnitas commendatur.

Hoc exemplum cupidissimè imitemur omnes, at præ ceteris mulieres, cuiuscumque sint conditionis, & speciatim virgines, vt SS. Patres monent; D. Ambrosius cumprimis crebrò & seriò. Virgines enim instituens, *Virginitatis dos quædam est verecundia*, inquit, *quæ commendatur silentio*. Et in Officijs: *Silentium, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est*. Et alibi: *Custodi, virgo, vias tuas, vt non delinquas in lingua tua: etenim bona loqui plerumque crimen est virgini. Bonus est pudor, quem commendat silentium* Denique in expositione huius nostri Euangelij, *Discite*, inquit, *virgines, verborum vitare lasciuiam*. Sic Ambrosius. Itidem S. Basilius Magnus sic hortatur: *Vera virgo ex morum puritate, tamquam ex vitreo fonte, sermonem suum lucidum & purum effundere tranquille debet, qui non modò nihil noxium aut subdolum, & quod sensum ad voluptatem demulceat, importet, verùm ne otiosum quidem & ratione vacuum, atque ideò rationali anima indignum*. Hæc non propriè viris dicuntur, sed mulieribus, quæ plerumque leuiores sunt in loquendo. vnde Aristoteles, *Magnum ornamentum mulierum*, inquit, *silentium est*. Soletque huiusmodi doctrina præcipuè adolescentibus proponi, vt patet in Ecclesiastico: *Adolescens loquere in tua causa vix: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum*. Id est, habeat rei interrogatæ summam, & prudenter atque ordine dicatur. *In multis esto quasi inscius, sed audi tacens simul & quærens*. Atqui non his modò, sed omnibus omnino hominibus silentium commendat beatissima Virgo, in hac Angelica legatione tamdiu silens, quoad vidit necessitatem postulare vt responderet.

Ambr. in Institut. virg. & l. 1. Offic. c. 18. & in Exhort. ad virg. & su. Lucam l. 2.

Basil. l. de Virgin.

Aristot. 1. Polit. c. 8.

Eccli. 32.

Omnibus, inquam, cuiuscumque sint status aut ætatis, hoc imitari conuenit, vt vel taceant quoad eius fieri poterit, vel cogitatè loquantur, si loquendum sit. Lingua non præcurrat cor, sed potiùs de thesauro cordis verba optima proferat & opportuna, quæ quasi poma aurea in lectulis eburneis decorem habeant & gratiam. Cùm Dominus Isaiæ diceret, *Clama, ne cesses*; *respondit ipse*: *Quid clamabo?* ita videlicet cogitemus quid loquendum, si loqui voluerimus; aut quid respondendum, si respondere cogamur. *Sapiens*, inquit D. Ambrosius, *vt loquatur multa, considerat quid dicat, cui dicat, quo in loco & tempore*. Hinc quoque veteres Philosophi dicere solebant, *verba sapientum non in ore nasci, sed in corde*, propterea quòd verba sunt animi signa. Quomodo enim significare possunt quod in animo est, si nascantur in lingua? Hoc patet quàm sit inordinatum ac prauum;

Commendatur generatim omnibus linguæ moderatio.

Isa. 40.

Ambr. l. 1 de Offic.

num; patet insuper, quàm necessarium sit adhibere considerationem & circumspectionem maximam in loquendo: nisi imprudentiæ & stultitiæ notam velimus incurrere. Nam & vasa inania maximè tinniunt; & Democritus rogatus an imperitorum ac stultorum signum sit silentium; respondit: *Stultus certè tacere non potest.* Itaque stultitia sit, cùm quis nobiscum loquitur, priùs ei respondere, quàm vbi diligenter auscultauerimus, & quid alter dicat, & quid responderi expediat, animo complexi fuerimus. quemadmodum S. Spiritus per Sapientem nos commonet:
Prou.18. *Qui priùs respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* In vniuersum denique Dominam nostram imitari nos oportet in linguæ moderatione, cauendo loquacitatem, & declinando quamuis occasionem locorum & personarum, vbi linguæ periculum sit subeundum, aut multiloquio indulgendum. Namque *in multiloquio non deerit pec-*
Prou.11. *catum*, inquit Sapiens. Et, *Qui multis*
Eccli.20. *verbis vtitur, lædet animam suam.* Quis non optet huiusmodi pericula declinare?

Silêtium qua ratione seruandum. Vtinam essemus arctissimè cum Deo coniuncti, & apprimè studio pietatis addicti, vt fuit beatissima Virgo! certè humana colloquia ferè dedignaremur, vel obiter illa, quasi in transitu, tractaremus: nisi charitas proximi vel necessitas vrgeret. Hinc
Thomas Kemp. de Imit. Christi, l.1.c.20. &c. meritò ait Thomas de Kempis: *Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet.* Iterùm: *Bonum sit verbum oportet quod emendat silentium.* Hinc Moy-
Exod.4. ses, ex quo cum Deo sermonem habere cœpit, impeditioris linguæ se factum esse ait. Cur verò tum & non antè querebatur? vtique quòd mutos & elingues eos Dominus efficere soleat, cum quibus versari & tacitè ad cor loqui solet. Hinc quoque sanctus
Sophron. in Prato spirit. ille Abbas Pambus adeò virtutis huius studiosus fuit, vt cùm Theophilus Episcopus eum inuisisset, vt aliquod spiritualis vitæ documentum ab eo audiret, silentium ipse seruarit, nihilque dixerit. Cumque monachi eum arguerent quòd nullum verbum ædificationis Episcopo dixisset, qui huius rei gratia ad illum venisset; respondit: Si meo silentio illum non ædifico, non video quomodo verbis ædificare possim. Hinc eumdem ferunt, cùm morti proximus esset, dixisse, lætum se è vita exire, quòd nullum ei verbum vmquam exciderit, cuius ipsum per id temporis grauiter pœniteret. O verè felix, qui eo tempore tale de se testimonium ferre posset! Sed contrà nos, etiam Religiosi, nulla frequentiùs in re quàm in lingua delinquimus: cetera enim peccata plus negotij habent, neque ita ad manum sunt, vt furtum, homicidium, ebrietas: at linguæ lapsus in promptu est, quia lingua supra modum versatilis & lubrica est. Atque vtinam quàm facilis linguæ lapsus, tam leue esset quod infligit vulnus! *Multi*, inquit Scriptura diui- Eccli 28.
na, *ceciderunt in ore gladij, sed non sic qui interierunt per linguam suam.* Ea-
propter quoque Isaias Propheta Do- Isa.6.
mini ostendit quomodo linguæ lapsus & peccata ipsum cruciauerint. Nam cùm per visionem Seraphicos illos spiritus Domini laudes prædicantes audisset, ipse quoque laudandi Domini desiderio incensus, vehementer angebatur quòd ad diuinas laudes celebrandas mutus & elinguis fuisset. *Væ mihi*, inquit, *quia tacui*, id est, à tuis, Domine, laudibus prædican-

dicandis cessaui. Sed cur, Vates ô sancte, cessasti? ad hoc item respondet: *Quoniam vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Itaque ex omnibus peccatis quæ vel ipse in vita admiserat, vel populus ipse cum quo habitabat, nullius omnino nisi huius tantùm meminit; vt intelligamus, peccatum hoc, quò est ceteris facilius, eò latiùs inter homines dominari. Fugiamus itaque hoc vitium, amore Dei & matris eius dilectissimæ Virginis Mariæ, quæ certè paucissimi sermonis fuit, & cum summa breuitate & pondere locuta est, cùm necessitas postularet.

Secunda pars, de prudentia D. Virginis. Hactenus de taciturnitate: venio nunc ad secundum augustissimæ Virginis exemplum, idemque salutare documentum prudentiæ. Nam *quòd cogitauit, prudentia fuit*, teste D. Bernardo. D. Chrysologus exponit hoc pacto: *Cogitat Virgo, quia citò respondere est facilitatis humanæ; cogitare verò, ponderis est maximi, & iudicij præmaturi*, &c. Nimirum quæ ponderosa sunt, aquarum ima petunt; quæ leuia, fluitant: sic animus grauis & prudens rerum fundum cogitando petit: leuis & inconstans in superficie rerum velut fluitat. Cernite, audito cælesti paranympho, cogitabundam Virginem, & cuncta quæ occurrere possent discrimina mente versantem. Id siquidem illi solemne erat, attestante Euangelista, conseruare omnia verba quæ de paruulo dicebantur, & conferre in corde suo, videlicet cum his quæ scripta erant de eo, vt exponit venerabilis Beda. Hoc prudentiæ exemplum quanam oratione vel comparatione illustrabimus? Maiorem quidem in modum in sacro codice Abigail prudentia celebratur, quæ Dauidem contra Nabal Carmelum

Bernard. Hom. 3. sup. *Missus.*
Chrysol. Ser. 140.
Lucæ 2.
Beda. su. Luc.
1. Reg. 21.

ita percitum salutaribus consilijs placauit; eoque de illa dicitur, *Erat mulier prudentissima.* Laudibus etiam extollitur iudicium Thecuitidis mulieris, quòd Absalonem cum patre suo reconciliauerit. Rebeccæ sapientia in hoc enituit, quòd modum & industriam filio suo Iacob inuenerit, vt benedictionem ac primogenituram à patre suo Isaac obtineret. Laudatur & Bersabee, & Iudith, & aliæ illustres feminæ, ob præclara facinora quæ Scriptura sacra commemorat. Sed nulla harum cum sapientissima Virgine conferenda est, in qua thesauri omnes sapientiæ & scientiæ Dei cum Sapientia increata nouem mensibus quieuerunt; cuius intellectum diuino lumine supra omnes creaturas Spiritus sanctus repleuit. Ita disertè eam prædicat D. Anselmus. *Christus*, inquit, *Apostolo teste, est Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Christus autem est in Maria, ergo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt in Maria.* Itaque non modò influxum aliquem sapientiæ, vt ceteri Sancti, sed ipsam Sapientiam increatam in vtero portare meruit. Pretiosi omnes lapilli seu gemmæ lucidissimæ, propterea quòd solis splendorem imitentur, meritò quidem pretium & æstimationem apud homines merentur: sed mirabilis planè lapillus ille esset, qui non influentiam dumtaxat aut imitationem solis aliquam exhiberet, verùm etiam ipsum solem intra se contineret. Ita iusti omnes Solis iustitiæ radios aliquos suscipere meruérunt, ideoque in pretio & honore sunt supra alios homines: at beatissima Deipara hoc supra omnes Sanctos habuit, vt ipsum iustitiæ Solem intra se contineret, vereque diceretur

2. Reg. 14
Gen. 27.
3. Reg. 1.
Iudith. 13
Anselm. Hom. su. Lucæ 10.
1. Cor. 1.

electa

Cant. 6. Apoc. 12 *electa vt sol*, & *mulier amicta sole*, imò Solem in vtero portans. Itaque iure optimo sancti Patres, inter ceteros D. Bernardus, Bonauentura, Anselmus, docent singulari prorsus Theologicæ sapientiæ lumine diuinitus infuso mirificè illustratam fuisse. Et D. Bernardinus ita disserit: *Quantum ad rationem & intellectum, tanta ei sapientia claritas à Deo superinfusa est, vt perfectè superintelligeret creaturas & Creatorem, & omnia bona amplectenda & mala fugienda*. Addamus his Albertum Magnum, qui perspicuè asseruit in ea prudentiam excellentiorem fuisse, quàm in quouis alio viatore. idque hac ratione demonstrauit. *Vbi humilitas, ibi sapientia. sic enim scriptum est: Sapientiam præstans paruulis. Ergo vbi maior humilitas, ibi maior sapientia: vbi maxima humilitas, ibi maxima quoque sapientia. Atqui infra omnes creaturas se beatissima Virgo demisit per humilitatem; ergo supra omnes ascendit per sapientiam.* Sic Albertus. Porrò in hoc Angelico colloquio possumus quatuor quasi gradus distinguere, quibus D. Virgo ad summam atq; perfectissimam totius mysterij cognitionem peruenit. Primus fuit, vbi cognouit statim initio, Angelum esse eum qui loqueretur, sed bonúsne an malus esset ignorabat. Secundus fuit, quem ascendit cùm Angelus ei dixit, *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum*. tunc enim non modò bonum esse Angelum cognouit, quod indubitatum est, sed essentiam eius etiam vidit, vt cum aliis sentit D. Athanasius. Ad tertium prouecta est, cùm audiuit, *Ecce concipies & paries filium*, &c. tunc enim intellexit concipiendum Messiam, & Dei Filium fore, & se matrem eius; licet modum conceptionis adhuc ignorarit, vt docet D. Thomas. Denique modum etiam apprehendit, dum audiuit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Denique sufficiens eius prudentiæ argumentum est in hoc Euangelio Annuntiationis, *vbi omnia verba eius à sapientia thesauro profecta, & à Spiritu sancto dictata esse videantur*, vt D. Ioannes Damascenus affirmat: vbi & profunda eius consilia & cogitationes describuntur.

Bernard. Hom. 3. sup. *Missus*. D. Bona. lib. de Laudib. Virg. c. 8. Anselm. de Excel. Virg. c. 7.

Albertus sup. *Missus*, c. 83. & 92.

Psal. 18.

1. (Primus) 2. (Secundus)

Athanas. in qq. ad Antiochū q. 12. 3.

D. Tho. 3 p. q. 30. a 4. 4.

Damasc. Orat. 1. de Assumpt.

Imitatio prudentiæ eius. Vt igitur tandem ad imitationem huius prudentiæ descendamus: doceamur hîc magnam cōsiderationem & circumspectionem adhibere in omni negotio, præsertim si magni momenti sit. Ecquid enim est prudentia? sic definit in primis Aristoteles: *Prudentia virtus est qua consistit in cauendis malis & eligendis bonis.* Quod vt fiat, opus est matura deliberatione, priusquam aggrediaris ad agendum. Clariùs etiam Imperator Iustinianus, *Prudentia*, inquit, *est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia*. Eius munus est cogitare: quod tripliciter exequi solet, teste Seneca; videlicet præterita recogitando, præsentia ordinando, & futura prouidēdo. Quare imprudentes ita coarguit Moyses: *Gens absque consilio est, & sine prudentia: vtinam saperent* (hæc prima functio est, maximè circa præterita) *& intelligerent*, (hęc secunda) *& nouissima prouiderent!* Vtinam cùm audis aliquid, aut significatur tibi res alicuius momēti, vtinam diu multumque cogitare adsuefceres, antequam fidem adhibeas aut acquiescas! Noli saltem ad exequendum properare, si decipi nolis: præsertim si res dubia est, obscura, periculosa. Quemadmodum

Aristot. lib. 6. Ethic.

Iustinianus Co. 11. §. 1.

Seneca in lib. de 4. Virtut.

Deut. 32.

Simile primum.

modum, exempligratiâ, Veluti per tenebrosam domum pedetentim iter habendum, parietesque sunt palpandi: ita procedendum cùm obscuritas ac tenebræ sunt in negotiis nostris. tenebrosa nempe domus hic mundus est in quo versamur. Pedetentim igitur, id est, cum consilio ac maturitate rebus in arduis progrediendum, & negotia cogitatione priùs veluti palpanda. An non & nautæ demissa bolide maris profunditatem explorant? ita tu demissa cogitatione rerum tuarum pericula expende. Misit Moyses, antequam Terram promissam ingrederetur, exploratores terræ: mitte & tu, antequam negotium aggrediare, fidissimam exploratricem cogitationem. Vadum priùs fluminis, id est, negotij periculosi tenta, ne si intentato vado temerè pertransire velis, aquis obruaris. Ita præcipit Seneca optimæ philosophiæ magister: *Pauci sunt qui consilio se suaque disponunt: ceteri eorum more qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Tu verò ex paucis illis esto; ne casu ac temerè sed consilio vitam agas.* Sic ille.

Simile secũdum.

Simile tertium.

Simile quartum.

Seneca Epist. 23.

Speciatim ante matrimoniũ, & in matrimonio.

Sed singulari modo filia Sion, Virgo sapiens, omnes filias hominum hodie instruit, quomodo se gerere debeant, cùm de ineundo matrimonio agitur. Res sanè perdifficilis ac magni momenti, quæ cum vitæ curriculo finienda est. Quoties, obsecro, hoc ita fit, vt puellæ miseræ se decipi sinãt! quoties promittitur matrimonium, proponitur voluptas, adhibentur illecebræ, omnia blanda apparent: & ecce post actum grauis dolor & pœnitentia. Nam oderunt subinde grauiùs, quàm antè amauerant: ac proinde fallunt, nolunt ampliùs mentionem fieri de matrimonio: deserunt illas, & interdum execrantur, nec minori odio prosequuntur, quàm anteà amore. Curritur ad Pastores interdum, vel, si res publica est, ad amicos: sed frustrà. Confici matrimonium nulla ratione potest. O miserias! At quare tam temerè dictis iuuenum fidem adhibẽt? quare non accuratiùs expendunt ac trutinant mala quæ ex illo consensu possunt oriri? vt sunt defloratio pudoris, atrox dolor parẽtum, indignatio propinquorum, infamia totius familiæ; &, quod sine comparatione superat omnia, grauissima Dei offensa, & æternæ damnationis periculum, & alia sexcenta. Quare, vt verbo dicam, non adhibent prudentiam in re tanti momenti? Anne ignorare possunt quemadmodum pereat omnis gratia & amoris illecebra post actum? Quid ita? Respondeant mihi, obsecro, qui huius rei intelligentiam vel experientiam vel minimam habent. Quid erat quod anteà virgines amabiles redderet, nisi pudor & honestas virginitatis? Vbi igitur flos ille interiit, in odio esse cœperunt, viles factæ sunt, despicatui habentur, deserũntur, repudiantur: idemque illis accidit quod Thamar Regis Dauidis filiæ, quam frater eius Amnon ante flagitium perditissimè amabat; posteà verò tanto eam odio prosecutus est, vt amorem illum impudicum longè longeque vinceret odij magnitudo, vt historia Regum testatur: *mansitque deinceps Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui.* Videte igitur, virgines, quid agatis: palpebræ præcedant gressus vestros: prouidentia vestros oculos ad anteriora semper conuersos teneat. Æmulamini decus & honestatem illius Virginis gloriosissimæ, quę sic de se loquitur in Scriptura:

2.Reg.13

Prou. 8. ra: *Meum est consilium & aequitas: mea est prudentia & fortitudo.* Quod verò dicimus de matrimonio auspicando, hoc idem de contracto iam & inchoato intelligendum: v.g. siquando vir de vxore inaudit aliquid, vel de prolibus, vel propinquis; cauendum ne statim credat vel acquiescat, néve zelotypiæ locum tribuat, aut suspicionibus vanis, nisi grauissima incõmoda voluerit incurrere. Quantum enim mali inter virum & vxorem, parentes ac liberos hinc emanare soleat, quis verbis consequi possit? Hinc dissidia perpetua, iræ implacabiles, rixæ, verbera, non raro diuortia, parricidia vel cędes hominum nonnumquam. Itáne, ex vanis rumoribus? Atqui aliud, inquies, mihi persuadere non possum, res nimis

Isaiæ 28. manifesta est. Agedum, *qui crediderit, non festinet*, vt Propheta monet. Cogita multum, delibera quid facto sit opus, omnia perpende, aliorum consilia ne respue. Mens quippe turbata functiones legitimas non habet. Quoad aqua turbida est, cernere non potes quod in fundo est: sed exspecta dum quiescat, nihil tum negotij. Hactenus de istis.

Tertia pars, quidnam Virgo cogitarit. Sequitur quod tertio loco nobis propositum est, vt explicemus quidnam beatissima Domina nostra cogitarit. variè enim hac de re differũt SS. Patres. D. Bernardus in primis

Bernard. de Verbis Apoc. 12. Signum magnum. sic exposuit: *Cogitabat fortè quòd benedictam se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat: & cogitabat qualis esset ista benedictio, quòd iam videretur esse suspecta.*

1\. Certè quidẽ cùm esset B. Virgo non ignara sacræ Scripturæ, sciretque benedicere subinde idem valere quod fecundare, seu prolem dare: poterat facilè audiens se benedictam inter mulieres, acumine ingenij sui diuino lumine suffulti, aduertere Angelum de benedictione prolis facere mentionem. Ita etiam sentit D. Augustinus, qui ait: *Post illius benedictionis præsagium, terretur Virgo de nouitate verborum.* Et D. Laurentius Iustinianus, *Turbata est*, inquit, *ob excellentiam tanti præsagij, quod propria merita præcellere videbatur.* Auguft. Serm. de Annunt. Laurent. Iustin. Serm de Annunt.

2\. Alij arbitrantur, Virginem ad Deum mentem eleuasse cum magna humilitate ac reuerentia, lumen & gratiam postulando quid credere, quid facere, quomodo se conformare eius voluntati posset. Nam cùm esset magna nouitas salutationis oblata, negotium verò difficile; profundissima attentione se ad Deum conuertebat, & illum familiariter consulebat. ita quippe faciendum est in omnibus angustiis ac difficultatibus nostris. Chrysol. Ser. 140.

3\. Alij censent, illam indignam se cogitasse tali visione, tamque speciosa & magnifica salutatione Angeli, vt hoc loco D. Bernardus. *Forsitan in mente talia*, inquit, *meditando reuoluebat: Vnde hoc mihi, vt veniat ad me sic salutandam Angelus Domini?* q.d. Prorsus indigna sum: vereor ne subsit dolus: Deus dà mihi certitudinem. Bernard. in hunc locum.

4\. Alij dicunt, cogitasse etiam maiestatem & auctoritatem personæ mittentis nuntium tam inusitatum. Sic D. Petrus Chrysologus: *Quid est quòd personam videt, & de sermone turbatur? quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, & diuina repromittens. Vnde Virginem quam leniter visus sollicitauerat, nimium turbauit auditus: & quam missi præsentia parum mouerat, concussit toto pondere mittentis auctoritas.* Sic ille. Chrysol. Ser. 140.

Postrema explicatio est Euthymij ac Euthym. super Luc. 1.

Bernard. in hunc locum.

Bernardi hoc loco: Cogitabat, inquiunt, vtrùm salutatio illa diuina esset, an illusoria; à Deo, an à dæmone; ab Angelo lucis, an ab angelo satanæ. Bernardum audiamus. *Sciebat prudens Virgo quòd sæpè angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis; & quia nimirum humilis & simplex erat, nihil tale penitùs à sancto Angelo sperabat: & ideò cogitabat qualis esset ista salutatio.* Constat enim D. Virginem habuisse magnam experientiam in rebus spiritualibus; atque insuper ex speciali dono Spiritus sancti magnā prudentiam in spiritibus discernendis. Quam gratiam meritò quis dicere possit debitam fuisse quodam modo summæ Virginis humilitati. Cùm enim B. Antonius totum mundum videns plenum laqueis inter se connexis, exclamasset, *Quis euadet laqueos istos?* responsum ei est diuinitus: *Sola humilitas*. Summæ itaque humilitati Virginis datum est vt omnes dæmonum deceptiones posset agnoscere, & spiritus discernere. In summa, licet initio D. Virgo ex insolito modo salutandi dubitarit an bonus an malus angelus esset, qui tot laudes ei nuntiaret; tamen statim attentiùs perpendens omnia, & audiens quæ Angelus subiungebat, agnouit Angelum bonum esse.

Vide P. Herib. in Vitis Patrum, l. 3. §. 124 & 129.

Sed dicet aliquis, Quomodo Deus in D. Virgine talem dubitationem permisit, in negotio tam arduo, tantique momenti? Respondeo, Quoniam sic assolet Deus ipso initio permittere timorem ac turbationem, ad præparandum hominis animum, vt capax reddatur, & attentior fiat, certiorque paulatim de toto mysterio.

Moralia documenta.

Doctrina hîc moralis est, non omni spiritui credere. *sed probate spiritus si ex Deo sunt*, inquit Apostolus Ioannes. Magna hîc sæpè fraus, magnum periculum: ideoque expedit consulere peritos Confessarios, cùm in hoc genere difficultatem experimur, vt sciamus quid nobis agēdum, v. g. in mutatione status vitæ, in votis nuncupandis, in tentationibus, aut reuelationibus dubiis. Difficile quidem est regulam aliquam generalem tradere, qua possimus discrimen inter spiritus bonos & malos deprehendere, inter cogitationes bonas & malas, inter virtutes & vitia. verumtamen illa non contemnenda est, quam nobis commendauit ac posteritati reliquit S. Antonius apud D. Athanasium, cuius hic est sensus: Hoc discrimen est, inquit, inter spiritus bonos & malos, quòd illi turbēt ac terreant initio; sed in exitu gaudium & consolationem animis inferant: at contrà mali spiritus initio blandiantur, posteà mœrorem ac dolorem accumulent. Quàm blandè diabolus initio agebat, vt Euam deciperet? sed quanto demum horrore ac pudore suffusam reliquit? nihil vt facere honestius potuerit, quā vt quæreret folia ficus, quibus tegeret nuditatem. itaque *concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* At contrarium prorsus accidit in Annuntiatione Angelica, vti dictum est. Eademque prorsus differentia est inter cogitationes bonas & malas, interque virtutes ac vitia. Cuius rei exemplū illustre præbet S. P. N. Ignatius in conuersionis suæ primordiis. Cùm enim ex recenti piorum librorum lectione ad seriam vitæ mutationem generosè animum componeret, varias in sententias contrariarū vicissitudine cogitationum distrahebatur: cùm hinc mundus apud se retinere Ignatium conaretur, illinc verò Chri-

1. Ioan. 4

Athanas. in Vita S. Antonij.

Psal. 7.

Ribadin. in Vita S. P. Ignatij, l. 1. cap. 2.

stus

ſtus illum ad ſe vocaret ac traheret. Erat verò illud in hac cogitationum varietate diſcrimen, quòd fluxæ illæ & vanæ principia habebant læta, exitus amaros: aſt aliæ de Deo, de Ieroſolymitana profectione, de vitę aſperitate ſectanda, de virtutis dignitate complectenda, non ſolùm dum aderant iucunditatis pleniſſimæ erant, verùm etiam abeuntes præclara relinquebant ſuæ lucis & ſuauitatis impreſſa veſtigia. Atque hanc comparationem cogitationum inter ſe, & ſpiritus cum ſpiritu contentionem, primam omnium ratiocinationem fuiſſe perhibebat earum, quas plurimas poſteà de diuinis rebus habuit: ex qua, vſu deinceps vberiore ſpiritualium rerum aucta, omnium, quas in Exercitijs tradidit de ſpirituum diuerſitate, præceptionum riuuli profluxêre. Ad extremum *arcta eſt via quæ ducit ad vitam*, dicit Dominus. Matth.7. Nolite reſpicere ad illud, *arcta eſt via*, nempe ob virtutum difficultates; ſed ad hoc reſpicite, *quæ ducit ad vitam*, id eſt, ad viæ exitum attendite. Quis non vult vitam ſempiternam, vitam beatam, vitam omnium bonorum aggregatione cumulatam? quàm dulce eſt nomen patrię? Quod ſi ita eſt, ſi patriam diligitis quæ in excelſo eſt; quid viam formidatis quæ in humili iacet, nonnullis difficultatibus reſperſa? *Simile primum.* Si agricola conijciat oculos ad hiemis labores, ad tempeſtates ac procellas, iiſque terreatur, quam ſperabit meſſem? *Simile ſecundum.* Sic operarij de mercede magis quàm de labore cogitant: tametſi nàq; labor difficilis eſt, exitus tamen & fructus earum ſemper oculis obuerſatur. *Simile tertium.* Malorum Punicorum cortex aſper ac durus eſt: ſed quis hoc æſtimat, & non potiùs latentem diligit dulcedinem? *Simile quartum.* Cùm cerneret Moyſes ante pedes ſuos ſerpentem, dicebatur ei, *Apprehende caudam eius.* Exod.4. Durum quidem hoc & horrendum videbatur, tamen faciebat: & ecce in manibus inuenit virgam factam. Ad eumdem modum ſi magnis animis difficultatem ſuperamus, opus virtutis virgæ inſtar eſt: cauda ſignificat finem operis. Deniq; ſi dicitur nobis in lege gratiæ, *Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, beati qui perſecutionem patiuntur*: Matth.5. nolite hęc multùm ponderare, ſed quod ſequitur, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: gaudete & exultate in illa die.* Quid plura? tempus monet vt ad Virginem redeamus, & ſiquid ab ea diſcendum reſtet conſideremus.

Qualis ſit iſta ſalutatio. Cogitabat illa ſecum que expendebat ſeriò, qualis eſſet iſta ſalutatio. Quæro item ego à vobis, auditores: quandoquidem iam multa audiuiſtis, multa cogitaſtis de ſalutatione Angelica, qualis videtur vobis iſta ſalutatio? digna profectò hac concione quæſtio. Si dixerimus præclariſſimam, ſanè parum eſt: ſi Angelicam, verè quidem, ſed non ſatis: ſi omnibus retrò ſæculis toto orbe penitùs inauditam & inuſitatam; id etiam verè, ſed parum: ſi verò diuiniſſimam, hoc propriè ex æquo & verè dixerimus. Etenim compoſita & quaſi dictata fuit in Concilio ſanctiſſimæ Trinitatis vt glorioſiſſimæ Virgini nuntiaretur: nobis autem in Euangelio à Spiritu ſancto relicta, vt frequentiſſimè à cunctis Orthodoxis recitaretur: præſertim cùm non ſalutatio dumtaxat ſit, ſed ſimul oratio, præpotenti Deo, ac beatiſſimæ Dei Genitrici quàm gratiſſima. Quamobrem ſolet Eccleſia Catholica orationi

tioni Dominicæ, quam ex ore Christi Domini didicit, hanc Angelicam salutationem subiungere, eamq; identidem repetere. Manè ac vesperi complures eam quinquies, alij septies piè recitatam Deo ac D. Virgini offerunt. Hinc & Leo Pontifex & Paulus Quintus, ad priscam maiorum nostrorum deuotionem renouandam, concessere mille dierum indulgentias, quotiescumque audito horologio eadem Angelica salutatio pronuntiatur. Denique laudabilis ac sancta consuetudo est totius Ecclesiæ Catholicæ in orbiculis precatorijs (quam Coronam seu Rosarium vocant) Deiparæ adnumerare salutationes huiusmodi nunc quinquaginta, nunc centum & quinquaginta, nunc sexaginta tres: mysterio nempe vel annos Iubilei, vel annos vitæ D. Virginis attingente. Porrò primum illud Rosarium quinquaginta salutationum antiquissimum est, cuius origo vix aut ægrè possit repertiri: alterius verò 150. Salutationum vsum præcipuè inuexit, plurimumque celebrauit S. Dominicus, languentem Christianorum pietatem strenuè accendens, & Sodalitatem Rosarij, quę passim adhuc floret, instituens; vt hac ratione Deiparæ opem impetraret contra Albigenses. Conscripti sunt libri non pauci de miraculis illustrioribus quæ vir sanctus tum temporis virtute Rosarij patrauit. Duo dumtaxat excerpam, ne omnino libros illos aut non legisse aut non magni facere censeamur, quos viri non vulgaris doctrinæ aut sanctitatis ediderunt: prius quidem ex Alano Rupensi, alterum ex Alberto de Castello, &c. Quo tempore concionabatur Patriarcha D. Dominicus, inquit ille, cum magno feruore in Regno Franciæ Christianissima Regina, nomine Blancha, suppliciter ab eo petijt, vt vellet sibi orationibus à Deo impetrare filiolum. S. verò Dominicus eam paucis adhortatus est ad Rosarij recitationem, & fidenter dixit: O Regina, auctor tibi sum vt multa tibi Rosaria compares, ijsque liberaliter distribuas qui legere volent. Quod si feceris, haud dubiè D. Virginis interuentu, precibusque eorum qui Rosarium recitabunt, dabit tibi Deus filium sibi charissimum, virumque sanctum. Hoc pacto pia Regina compos voti sui filium peperit, qui fuit Christianissimus Rex Ludouicus, ob virtutes & miracula inter Sanctos relatus. Alterum haud paulò mirabilius Cæsaraugustæ, vbi D. Dominicus de fructibus Rosarij concionabatur, accidit coguato ipsius, viro Principi, nobilitate opibusque pariter ac flagitijs insigni, qui dicebatur Petrus. Hic fortè curiositate ductus, non studio salutis, ad concionem cùm veniret, magno tum nobilium tum clientium comitatu: vidit ex ipso suggestu Dominicus miserum dynatam à tot dæmonibus catenatum pertrahi, quot scelerum genera commisisset. Cumque probè sciret hunc hominem sine ingenti aliquo miraculo conuerti non posse, ad eius introitum ita exclamauit: Domine Iesu, prædulcis ac præpotens, perfice vt auditores mei, eius qui modò in ædem tuam pedem intulit miserum statum periculumque peruideant. Moxque permulti ex illis qui aderant cacodæmones mille viderunt, Petri animam captiuam, ferroque deuinctam vndique raptantes. Ingens hîc ortus est clamor, ac tumultus horribilis, fugientium, perstrepentium, vociferantium, vt ab immani

Indulgētia adhuc valida.

Rosarium triplex.

1. Vide infenùs de Leone

2.

Alanus Rupēsis, B. Iordanus, Constantinus, Hubertus, Theodoricus de Apoldia, Albertus de Castello. F. Ioannes Montanus. Ferdinād. Castelianus.

ni illo monstro omnes cauerent. Famuli ipsi in fugam se dabant, quorum vnus ab eo interrogatus non sine tremore veritatem ei aperuit, teteram eius faciem ac figuram prorsus horribilem asserens. Vxor quoque præsens cum ancillis, re animaduersa, gemitus & vlulatus continere non poterant. Trium horarum spatio formidolosa illa species templum omne turbauerat; Petro ad se reuerso, lamentante, plorante, & se sine modo plangente. Tum Dominicus, spectante populo, Rosarium quod manu tenebat cognato transmisit, vt statim in eius salubri precatione totus occuparetur, & Matrem misericordiæ inuocaret, nisi vellet terra dehiscente mox absorberi. Paruit Petrus, ac paulò pòst vultu cooperto S. Dominicum adiuit, eique totius vitæ scelera, quoad potuit, ritè confessus est. Pœnæ loco iniunctum est ei, admonitu D. Virginis, vt tota vita sua Rosarium recitaret, atque in Sodalitatem Rosarij se adscribendum curaret: atque ita pristinam formam continuò recuperauit, tamque sanctè deinceps vitam instituit, vt dignus fuerit, quem Dei mater indulgentissimè habitum, mortis horæ præmoneret, animamq; postmodum agenti præstò esset, vt ad vitam transferretur æternam. Tertium Rosarij genus, quod 63. salutationes continet, & communi iam vsu approbat Ecclesia, fertur ortum habuisse à Fratribus Minoribus, quos de Obseruantia vocant. Cumque populi feruor, vt fieri assolet, sensim languesceret, tandem à minima Societate Iesu longè lateque propagatum est, vsque ad Orientis & Occidui solis terminos; ac multis miraculis eius vis & efficacitas confirmata atque illustrata, vt

3. Vide Carthagenam to.4.l.18. Hom.12.

patet ex Annalibus eiusdem Societatis Iesu. Inter cetera anno 1593. in Mexico, adolescenti cuidam illud saluti fuit. Hunc dæmon primò oblata eximia mulieris specie illexit, blanditijsque captum extra vrbem in remotissimum ab arbitris locum multa iam nocte seduxit. Ibi hominem magnopere monere, orare, postremò imperare, vt B. Mariæ Coronam, quam circumferebat, statim abijceret, si sua forma frui vellet. Mirari adolescens, quî Corona in veste abdita illi suboluisset: cur tantopere B. Virginis cultus inuisus esset. Demum suspicatus id quod erat, illum diabolum esse; omnino negat se id esse facturum. Hîc satan vbi nihil impetrat, ira furens, abiecta mulieris forma sese in horribilem beluam conuertit, & vnguibus cornibusque attonito rei nouitate iuueni exitium minatur. Sed furor vltra minas progressus non est, B. Maria beluæ impetum prohibente. Mox ille periculo hoc perfunctus, nostrum adijt Sacerdotem, cuius suasu, & Sacramẽtis armatus, & in Rosarij vsurpatione confirmatus, D. Virgini debitas grates persoluit. Similiter alijs multis salutem peperit Rosarium, dæmonesque ex obsessos corporibus eiecit, vt experimentis memorabilibus, nisi longum esset, confirmari posset.

Ex litteris anni 1593 de Prouincia Mexicana.

Reuertor nunc ad vos, auditores, & quæro iterùm à vobis, posteaquam diu apud vos de hac re cogitastis, qualis videatur ista salutatio. Non mirum, si ista quæstio nos sollicitos habet, cùm & beatissima Virgo sollicita secum attentè cogitarit, qualis esset ista salutatio. Mihi quidem super mel dulcis, & pretiosa super aurum & topazium, & rosis omnibus suauior videtur, vt nomen Rosarij

Secunda, Qualis sit ista salutatio in Rosarijs.

rij indicat; quocumque modo in triplici isto genere Rosariorum, de quibus audiuistis, offeratur, Deo sine dubio, ac Virgini virginum acceptissima est in odorem suauitatis. Virgines quippe floribus delectantur, & rosis alijsque floribus earum funera ornantur: atqui hæc virginum Regina nullos sibi gratiores habet flores. Neque frustrà in Scripturis sanctis *plantatio rosæ in Iericho* vocatur. Sicuti enim rosa flos florum est, ob speciem, odorem, variasque vsus ac proprietates: ita & ipsa Virgo virginum. Referunt fide digni Auctores, in Ierichο rosas crescere 150. folia habentes, qui numerus est integræ Coronæ D. Virginis, seu Psalterij eius, vti etiam nominari solet. Tales etiam rosas quotannis in Dominica Lætare Pontificem aiunt sua benedictione impertire Romæ, in Ecclesia B. Virginis Maioris. Omnia itaque Rosariorum genera, vt ex nomine patet, Virgini gratissima & desideratissima sunt: nec ego inani contentione illa inter se compono. Quamquam & commodissimum & in mores Ecclesiæ nunc præcipuè receptum est hoc nostrum sexaginta trium salutationum. Neque antiquum illud quinquaginta salutationum adhuc exoleuit, cuius virtute anno salutis 854 fusos legimus ac profligatos, totaque Italiâ eiectos Saracenos, qui maximis copijs per portum Ostiensem irruptionem fecerant. Iussit enim Leo Quartus Pontifex (cuius ductu atq; auspicijs confectum est hoc bellum) milites omnes arma capere, & altera quidem manu Rosarium D. Virginis, altera gladium gestantes in hostem proficisci. Nec longa interposita mora victoriam reportauit.

Eccli. 24.

Albertus & Ioann. Andreas in Claue prædicā. di l. 1. Vide Corneliū Ser. 19. de Rosario.

Ex historia Eccl. citat Hēricus. Adriani in Legēda Flandrica 14. Sept.

Antequam finiamus, iterùm illa quæstio dissoluenda, qualis videatur ista salutatio? qualis? talis certè, tam eximia, tam salutaris visa est toti Ecclesiæ Catholicæ, vt triplici campanæ pulsu, ter singulis diebus, vespere, manè, & meridie, fideles ad salutandam hoc pacto Deiparam excitandos censuerit. Quando autem cœperit hæc laudabilis consuetudo, & quibus de causis introducta sit, variæ sunt Auctorum sententiæ. Potior pars tenet constitutum esse ab Vrbano IV. in Concilio Claramontano, vt manè & vesperi hoc signum daretur: idque obseruatum fuisse in Ecclesia annis omnino 134. vsque ad Gregoriū IX. qui adiecit pulsum meridianum, vt ter quotidie D. Virgo sic honoraretur, ob triplicia mysteriorum genera, quæ in Rosarij recitatione à pijs recoli solent in honorem D. Virginis. Sunt enim *gaudiosa*, vt vocant, quæ à Christi incarnatione & Angelica annuntiatione cœperunt, ac vespertino pulsu indicantur: sunt *dolorosa*, propter summos dolores in passione Domini sic dicta, quæ pulsu meridiano eos in memoriam reuocant: denique sunt *gloriosa*, quæ à Resurrectione Domini manè facta cœperunt.

Tertia, Qualis sit ista salutatio.

Vide Arnoldum VVioniū l. 5. Ligni vitę c. 20.

Quæ cùm ita se habeant, talē, tam mirabilem, tam diuinam salutationem diu noctuque, sine intermissione, cupidissimis animis, cum Angelo Gabriele Angelorum Reginæ offeramus. Monet Ecclesia, communis omnium mater, monet ratio, monent exempla: hæc denique est voluntas Dei Opt. Max. cui vnà cum gloriosissima Virgine Maria honor & gloria, laus & gratiarum actio in sæculorum sæcula. Amen.

CON-

CONCIO XXIV.

Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

1. *Sententia verborum istorum sigillatim explanatur.*

2. *Quomodo gratiam B. Virgo inuenerit apud Deum, siue, quàm gratiosa fuerit corpore & animo, vt tantopere placere Deo mereretur.*

3. *Quomodo & nos gratiam inuenire possimus in oculis Domini.*

Iudic. 13. PPARVIT quondam Angelus Domini vxori Manue, matri Samsonis, terribili specie, nūtians ei conceptum filij, & dicens: *Sterilis es & absque liberis: sed concipies & paries filium. Quæ cùm venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis.* In quem locum ita scribit Caietanus: (Caietan. in hunc locum.) *Non apparuit sub viri amabilis sed timendi specie hic Angelus, quia mulieri iuuenis apparebat, nec decebat eam trahere ad sui amorem, sed reuerentiam.* At D. Virgini non terribilis, sed amabilis potiùs & hilaris visus est Gabriel, quia non matri Samsonis sed Dei matri mox futuræ apparebat; cuius reuerentiam non ipse captabat, sed maximam illi deferebat. Alibi quoque ad Danielem horrificâ figurâ mittitur Angelus, vt ipsemet describit: (Dan. 10.) *Vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia eius & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum eius vt vox multitudinis.* Angelum hunc Gabrielem fuisse, communi consensu tradunt Interpretes; (Theodoret. Cassian. Collat. 8. Pererius, &c.) qui hac forma tantum Danieli ac sociis eius terrorem incussit, vt de iis quidem sic testetur Daniel, sociis eius terrorem incussit, vt de iis quidem sic testetur Daniel, *Terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.* De se autem, *Non remansit*, inquit, *in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et audiui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.* Deus bone! quantum hîc Gabriel terrorem inferebat. Sed procul à beatissima Domina nostra tam horrifica Angeli species, procul fulgurans facies, oculi ardentes, corpus simile æri candenti, voxque multitudinis. procul huiusmodi terrores. Non est vt Danielis, sic Virginis species immutata; nec emarcuit, nec vires amisit. Turbata est enim, sed non perturbata; non iacuit super faciem, sed erecto corpore & animo cogitauit qualis esset ista salutatio. Quia tamen aliquantulum turbatam animaduertit Angelus, idque iustis de causis, vt vidimus; statim eam solatus est atque animauit dicens: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiā apud Deum.* q.d Noli, ô Maria Virgo, expendere merita tua, atque ea propter salutationis fallaciam metuere: diuini enim fauoris est quod offertur, nō tui meriti. Porrò singularem præ omnibus Dei fauorem consecuta es, quia *ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum* Deus nimirum te præ omnibus rebus ita diligit, ita illi places, vt te vnam elegerit in matrem eius, cuius ipse est Pater. Quid mirum si ego te gratia plenam, & benedictam in mulieribus salutaui,

ui, cùm inueneris gratiam apud Deum? Non adscribo tuis virtutibus aut donis quæ in te ipsa non agnoscis, sed diuinæ liberalitati. Hoc summatim sit argumentum Concionis. Iam fusiùs explicandum, Primò, quanta vis & emphasis in singulis verbis statuenda sit: Secundò, quantam inuenerit gratiam apud Deum B. Virgo, gratiosissima corpore & animo: Tertiò, quomodo & nos gratiā inueniemus apud Deum.

AVE MARIA.

Ne timeas. Angelorum officium est consolari.

OBseruamus in diuinis litteris, beatorum Angelorum opus esse nobis in omni tristitia & afflictione opitulari, mœstos recreare, & cùm opus fuerit, de rebus diuinis erudire. Ita cùm Agar in solitudine cum prole sua in magnis angustiis esset, & amarissimè fleret extremam filij Ismael necessitatem; astuit mòx Angelus, qui eam consolaretur, dicens: *Quid agis Agar? Noli timere. exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est*. Ita de gladio patris liberatus est Isaac; & didicit Abraham per Angelum, sola voluntate immolandi filium Deum contentum esse, nec vltrà pergendum. Ita Zacharias Propheta frequenter meminit Angeli qui loquebatur ei. Daniel plurima didicit à Gabriele: sicut & alter Zacharias, & Ioseph, & pastores, & Magi, vt notum est. Imò ipsemet Dominus in horto ab Angelo consolationem admittere dignatus est. Itaque & Angelus Gabriel eodem modo, ratione officij sui, cùm deprehenderet B. Virginem insusitato legationis suæ exordio turbari & erubescere, timore perculsam simul & admiratione sublimitate titulorum, quos ei tam magnificè attribuerat: statuit pauidam consolari, dubiam confirmare, hæsitantem erigere: ideoq; artificio quodā oratorio passus est orationem suam aliquantulum descēdere, familiariter illam ac nominatim quasi sibi notam compellando, ac dicēdo: *Ne timeas Maria*. q. d. vt loquitur D. Bernardus, *Nihil hic doli, nihil hic fallacia est: nullam circumuentionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo, sed spiritus, & Dei Angelus, non satana. Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. O si scires quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat, Angelico te indignam nec alloquio iudicares nec obsequio. Vt quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ inuenisti gratiā apud Deum?* Sic Bernardus. Iterùm: *Ne timeas ô Maria*, inquit Angelus, *timor enim eorum est qui offenderunt: tu verò gratiam inuenisti apud Deum*. Ita Basilius Episcopus Seleuciæ. Vel sic: *Times non qui inuenit sed qui perdit. tu autem, ô Virgo, inuenisti concipiendo superni germinis gratiam, quæ pariendo non perdidisti virginitatem*. Ita commentatur Chrysologus. Denique, ô Maria, noli timere, noli turbari; attende quis ad te venerit. Noui vtique te & nomen tuum. Non veni ad te, sicut Angelus ad Adam venit in paradisum, cum gladio flammeo ad obserandas paradisi portas; sed potiùs & veriùs ad aperiendas. Non veni ad delendam ciuitatē, vti Angeli quondam ad Sodomam & Gomorrham sulphure & igne absumendam. Non veni sicuti Angelus ad Moysem cum terrore ingenti legem Domini horribilem afferens: sed è contrario legem amabilem annuntio, legem gratiæ, & legislatorem salutis. Non veni sicut Angelus ad percutiendam Ægyptum plagis grauissimis, sed ad orbem

Gen. 21. Gen. 22. Bernard. Hom. 3. sup. Missus. Basilius Seleuciæ Episcop. Orat. de Annunt. Chrysol. Ser. 4. de Annunt. Gen. 3. Gen. 19. Exod. 24 Exod. 12

orbem vniuersum à iugo seruitutis æternæ liberandum. Nec velut alius
1. Par. 21 quidam ad Dauidem, offerens vel pestem, vel famem, vel bellum. Ne-
Iud. 13. que vt ille qui ad matrem Samsonis,
Dan. 10. aut ad Danielem terribili specie missus est. Non denique sicuti ipsemet
Lucæ 1. veni ad Zachariam paulò antè, eumque loquelæ vsibus priuaui, quòd nollet credere. Ne timeas igitur, Maria, nihil denuntio nisi lætum, nihil nisi faustum ac beatum. Hactenus Angelus.

Maria. Cur Angelus hic proprium nomen Virginis expresserit.

Atenim non vna ratio est cur *Mariam* proprio nomine appellarit, si SS. Patribus adhæremus. Primò enim fecisse id videtur, vt gratiæ Dei magnitudinem commendaret, ad eamque contemplandam animum erigeret, auditura cùm esset maximã
1. Athanas. epist. ad Marcell. mysterij altitudinem, vt D. Athanasius docet. Deinde, vt illam exhilararet, insinuando nomen illud esse
2. Luc. 10. Bonauent. in hunc locum. notum & scriptum in cælo, iuxta illud Christi Domini, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Ita sentit D. Bonauentura. Tertiò, Ma-
3. riam nominat, vt significet se non errasse in persona ad quam missus erat, cùm eius nomen optimè nosset. nam quia tam sublimia protulerat initio, potuisset B. Virgo cogitare se non esse, ad quam talis legatus dirigeretur.
4. Prætereà, vt omnes homines deuotè ac reuerenter Mariam nominent, quandoquidem ipse Angelus semel tantùm cum summa veneratione, post salutationem, illud nomen vsur-
5. pauit. Postremò, sic tamquam sibi anteà notam & familiarem alloqui-
Hieron. Serm. de Assumpt. tur; quoniam, vt aliàs audistis, *semper est Angelis cognata virginitas:* adeoque mirum non est, si Maria similis Angelis eorum gaudeat familiari alloquio & contubernio.

Sequitur id quod rectè etiam ponderat Albertus Magnus, nempe, *Inuenisti gratiam apud Deum. Ac si dicat Angelus: Inuenisti gratiam, non creasti vt Deus, non rapuisti vt Angelus, non perdidisti vt Adam, non emisti vt Simon Magus, non abscondisti vt infidelis Doctor: sed restituisti potius hominibus quam perdiderant, gratiam dico increatam, & cum illa omnem creatam spiritualem vt corporalem.* Sic etiam D. Bernardus in hæc verba, & varijs locis hanc vocis emphasim extollit. *Rectè, ait, inuenisti, quod nempe quærebas; inuenisti quod ante te nemo potuit inuenire. Inuenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem.* Alibi verò disertis verbis asserit hîc significari, *Mariam pro vniuerso genere humano fuisse sollicitam, dum dicitur, Inuenisti gratiam, vtique quam quærebas.* & addit: *Hæc est quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit.* Itaque significat, ipsam quotidie pro ea re orasse vt Deus accelerarer redemptionem, adeoque id impetrasse. Atque alio loco longè vberiùs ac suauiùs idem tractat argumentum. Nos sensum eius explicemus. *Inuenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Prudens virgo non sapientiã sicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua saluamur.* Vbi sanè quàm sapientissimè docet quid quærere debeamus, vt felicitatem & salutem inueniamus. Virgo prudens non sapientiam requirebat sicut Salomon, inquit; non 3. Reg. 3.
vltionem de inimicis, sicut Samson: Iudic. 6.
non plenam victoriam de hostibus, sicut Iosue: non confusionem eorum Iosue 10.
qui persequebantur, vt Ieremias: non Iere. 17.
vt Deus auerteret retrorsum, & con- Psal. 34.

Inuenisti gratiam apud Deum. Albertus Magnus Ser. 3. de Annunt.

Bernard. Hom. 3. super Missus.

Ser. 4. de Assumpt.

Serm. de Natiuit. Mariæ.

funderet cogitantes sibi mala, sicut Dauid: non gratiam huius mundi, non opes, non honores, non gloriam, vt maior pars hominum. Quid ergo? *gratiam apud Deum.* Proinde feliciter quæsiuit, feliciter inuenit. *Sola est enim gratia qua egemus, sola est qua saluamur. Quid nos alia concupiscimus, fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit inuenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alij meritum, nos inuenire gratiam studeamus. Quid enim? nonne gratiæ est quod hic sumus? profectò misericordiæ Domini est, quòd nos non sumus consumpti. Qui nos? nos periuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta vtique mundi huius. Consulite conscientias vestras, fratres, & videte.* Non enim mentiuntur qui dicunt: *In multis offendimus omnes.* &: *Omnes peccauerunt, & indigent gloria Dei.* Quocircà nos hortatur Apostolus, vt *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Cetera nimirum omnia vana sunt, imò vanitas, & vanitas vanitatum. Id luculenter exemplo suo nos condocefaciunt duo illi aulici Imperatoris in ciuitate Treuirensi, quos D. Augustinus commemorat, & æmulatur: qui spatiatum egressi ex vrbe, & eremitæ tugurium ingressi, lectâ ibi obiter Vitâ D. Antonij, alter alteri dixerunt: *Quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei causa militamus? maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei, si voluero ecce nunc fio. Ego iam certè Deo seruire statuo, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior: te si piget imitari, noli aduersari. Respondit alter, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Itaque ambo ædificabant ibi turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia sua, & sequendi Christum. Et affigentes cor in cælo, manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas: quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem Deo.* Hæc ibi.

[Margin: Iacob. 3. Rom. 3. Hebr. 4. August. l. 8. Confess. c. 6.]

Porrò gratia apud Deum cùm sit multiplex & varia, magis distinguenda est, & quænam huic loco conueniat, magis indagandum. Non enim de gratijs gratis datis intelligenda sunt verba Angeli, quas Apostolus enumerat in priore ad Corinthios: neque de benedictionibus omnibus quas præ alijs mulieribus diuinitus consecuta est: sed rectè in primis de gratiæ illa plenitudine, quam ei primo loco tribuerat Angelus; vt gratia hîc, sicut & alibi sæpè, quælibet dona & beneficia Dei significet, sed præcipuè donũ illud singulare, quo iusti ex iniustis efficimur, partim quòd detur gratis, partim quòd gratiam, id est, beneuolentiam ac fauorem Dei cõsequatur. Sic D. Bernardus exponit his verbis: *Maria apud Deum gratiam singularem inuenit ac generalem: singularem, quòd sola hanc inueneri plenitudinem; generalem, quòd de ipsa plenitudine* (id est, Christi meritis) *accipiant vniuersi.* Sic & Chrysologus D. Augustini discipulus, *Beata*, inquit, *quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus, inuenisti gratiam. Quantam? quantam superius dixerat, plenam.* Secundò intelligi potest de gratia incarnationis, de qua mox sequitur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium.*

[Margin: *Gratia apud Deũ multiplex & varia.* 1. Cor. 12. 1. Bernard. Ser. 3. de Annunt. Chrysol. Ser. 142. 2.]

Id

Bernard. Hom. 3. sup. Missus. Id etiam apertè indicat D. Bernardus his verbis: *Inuenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est gratia quam inuenisti, & hoc tibi signum: Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Et Richardus de S. Victore: *Inuenisti gratiam apud Deum; scilicet quam quærebas. Omnium enim salutem desiderauit, quæsiuit & obtinuit: imò salus omnium per ipsam facta est: vnde & Mundi salus dicta est.* (Richar. Tract. 26 in Cant.)

3. Postremò, quàm aptissimè fauorem ac beneuolentiam Dei intelligimus, perinde ac si Angelus dicat: Inuenisti gratiam apud Deum, hoc est, gratissima Deo es, ac summopere ei placuisti, vt te eligeret in matrem. Optima interpretatio: siquidem sæpè diuina Scriptura sic loqui consueuit. Vt ibi: *Noë inuenit gratiam coram Domino,* id est, Deo placuit, Deique fauorem in omnibus expertus est. Et eodem modo: *Ioseph inuenit gratiam coram domino suo,* quia gratiosus fuit apud herum suum. *Esther tradita est Enucho, vt seruaretur in numero feminarum; quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Dauid ad Achis Regem veniens ita eum affatur: *Si inueni gratiam in oculis tuis.* Abraham ad Angelos qui ad eum diuerterant ait: *Si inueni gratiam coram oculis vestris.* Moyses denique ad Dominum: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Phrasis videlicet Hebraica est: & quia fauor maximè oculis insinuatur, hinc dicitur quis in oculis Dei vel in oculis Regis gratiam inuenire. (Gen. 9. Gen. 39. Esther 2. 1. Reg. 27 Gen. 18. Exod. 33.)

Fauor Dei efficax & fecundus, non fauor hominũ. Iam videamus iuxta hunc sensum, quemadmodum Deipara tribus hisce modis gratiam vberrimam actu inuenerit apud Dominum, & in se susceperit. Immensum namque discrimen est inter amorem gratiamque Dei, & inter gratiam beneuolentiamque hominum. Amor Dei efficacissimus ac fecundissimus est: hominum beneuolentia inanis ac sterilis. Deus quippe diligendo ac beneuolendo confert ipsum bonum quod vult; & idcircò ea maxima sunt bona quæ Deus maximè diligit; parua autem, quæ Deus parùm diligit. Nulla denique bona sunt quæ Deus penitùs non diligit. At verò fauor ac beneuolentia hominum, si nihil aliud quàm fauor ac beneuolentia sit, nihil penitùs gignit. Nec enim ex eo quòd alij alijs ingenium, opes, sanitatem optant, ideò sunt illi vel ingenio meliores, vel magnis opibus aut sanitate gaudent. Secùs itaque id fit à Deo, qui hoc ipso quòd nos amet ac faueat nobis, bona sua & quamlibet gratiam nobis confert. Ex quo efficitur, omnem gratiæ plenitudinem, & omnem affluentiam donorum, omnesque prærogatiuas Virginis gloriosissimæ ab hoc fonte profluxisse.

B. Virgo gratiosissima fuit corpore & animo. Enimuerò quid illud fuisse dicemus, quod Deum impulit, siue quod in illa spectauit Deus, vt tantis eam fauoribus ac gratijs cumularet, vnde meritò gratiam apud Deum inuenisse ab Angelo asseratur? Certò persuasum habeo, à veritate minimè exorbitaturum, qui dixerit fuisse summam corporis animique in omnibus functionibus perfectionem, venustatem ac gratiam, qua in omni vita sua cor cælestis illius sponsi vulnerauit. Etenim inter præcipuas dotes, quas in sponsa solet sponsus considerare vt placeat, est pulchritudo cum honestate morum & virtutum gratia coniuncta; siue, vt planiùs loquamur, magna corporis animæque pulchritudo & excellentia. Tales maximè

sponsæ, formosæ, honestæ, gratiosæ solent inuenire gratiam in oculis sponsi. In hunc modum gratiosissima cùm fuerit Maria Virgo, & toti Trinitati gratissima; Pater eam adamauit ab æterno vt filiam, Filius vt matrem Spiritus sanctus vt sponsam: tota sanctissima Trinitas decreuit in ea & per eam matrimonio iungere humanam naturam cum Filio Dei. Cuius rei typus ac figura perquàm illustris fuit Regina Esther in lege veteri, quæ & pulcherrima fuisse describitur, & Regi Assuero hoc titulo maximopere placuisse, vt in Reginam eueheretur.

Esther 2 Sic enim scriptum est: *Esther virgo è captiuitate populi Israëlitici erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis. Et adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi.* Verùm longè aliter gratiam inuenit in oculis Regis supremi Maria, quia facta est gratiosissima eius sponsa simul & mater. Gratiosissima, inquam, corpore & animo, & præclarissimis corporis animique dotibus! Quod vt demonstretur, ad secundam partem transeamus, & dicamus primùm de summa corporis venustate, morumque excellentia: mox de animi perfectionibus acturi. Quamquam enim non illam Deus maximè spectat; tamen est egregium quoque Dei donum, quando cum animæ pulchritudine coniungitur, vt testari possunt SS. Patres, nominatim D. Augustinus & Chrysostomus.

Secunda pars, de perfecta Deiparæ pulchritudine. Primò de corporali.

Aug. l. 5. de Ciuit. c. 22. Chrysost. in Ps. 50.

Sensus igitur Ecclesiæ Catholicæ, & consensus omnium in eo est, quòd B. Maria Virgo corpus habuerit in ea naturæ perfectione, quam naturaliter in sua specie & sexu maximam habere potuit: neque id quisquam sine maxima temeritate negare possit. Ratio prima est, quoniam ex illo corpore formandum erat Christi Domini corpus, qui speciosus formâ præ filijs hominum, id est, præ omnibus viris exstitit. Pertinebat autem ad suauem Dei prouidētiam accommodare medium fini: eratque hoc Deo præpotenti facillimum, qui in B. Virgine volebat summum manus suæ opificium & miraculum edere, nempe humanæ naturæ tunicam ex aurea illa tela sibi conficiendo, & assumendo. 1.

Deinde maximam decebat similitudinem intercedere inter Christum & beatissimam eius genitricem, non solùm in sanctitate & moribus, verùm etiam in corpore & affectibus naturalibus, quibus liberi parentes suos referre solent. Atque hanc etiam diuinitus patefactam fuisse legimus S. Brigittæ, cuius Reuelationes in Concilio Constantiensi examinatæ & approbatæ sunt: & S. Mechtildi in libris qui de ea conscripti sunt. 2.

S. Brigitt. Reuel. l. 1. c. 50. & 51. Mechthil. l. 1.

Eòdem accedit, quòd laudabilior sit castitas & virtus omnis in pulchris corporibus quàm in deformibus: ideoque virgines ac feminę sanctę veteris Testamenti, typi nimirum Deiparæ Virginis, hinc in Scripturis sanctis laudem mutuantur: nominatim Sara, Rebecca, Rachel, Esther, filiæ Iob. De Iudith dicitur: *Erat in oculis eorum qui videbant stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. Et dicebant Duces Holofernis: Non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Hinc etiam exclamatio illa in libro Sapientiæ: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* 3.

Gratiæ spiritualis.

Gen. 20. 24. 29. Esther 1. Iob. 42. Iudith. 10 & 11. Sap. 14.

Porrò ex naturali D. Virginis perfectio-

In quo consistat pulchritudo. fectione, optimaque corporis constitutione inferunt Doctores, debitum illi fuisse corpus pulcherrimum ac gratiosissimum, vt latè persequitur D. Antoninus, & Nicephorus ex Epiphanio. Pulchritudo enim exterior hominis tum in conuenientissima corporis magnitudine, tum in eleganti membrorum despositione & proportione, tum denique in coloris venustate consistit, vt est doctrina communis. Statura itaque Virginis, inquiunt, erat satis grandis ac venerabilis, maiestatem præferens suauitate condîtam. Proportio membrorum mirabilis & composita ad reuerentiam. Facies satis magna, oculi demissi, status, incessus & locutio plena modestiæ. Color denique erat venustus & virginalis, fuscus, sed elegans, vt ipsa ait: *Nigra sum sed formosa*. Richardus Victorinus scribit illā fuisse vultu Angelico, & gratia Angelica præditam in omnibus, eique illud accommodat ex Cantico amoris: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Tota, inquam, pulchra: pulchra corpore, pulchrior mente. Angelicè nimirum vixit in corpore, nulla in eo concupiscentia regnauit, nulla rebellio membrorum, omnia dicta, facta, cogitata, rationis parebant imperio. Albertus quoque Magnus apud Dionysium, tanta fuisse ornatam pulchritudine asserit, *quanta operante natura inesse potest in mortali corpore*. Andreas item Ierosolymitanus vocat B. Virginem *à Deo sculptam statuam summo artificio, & eximia pulchritudine*. Quid D. Gregorius Nazianzenus? omnibus iam dictis quomodo accinit?

Anton. 4. par. Theol. tit. 15. c. 10. §. 2. Niceph. l. 2. c. 23. Cant. 1. Richar. Victor. c. 26. in Cant. Cant. 4. Albert. apud Dionys. l. de Laudib. Virg. ar. 34. Andr. Ierosol. Serm. de Assumpt. Gregor. Nazian. Orat. de Christo patiente. Damasc. Orat 1. de Nat. Mariæ.

O Virgo, forma qua nitore ceteras praeis!

Quid accinit D. Ioannes Damascenus? *O Deo digna filia, humanæ naturæ venustas, mulierum ornamentum!* Ad summam, sicut Christus Dominus præ filijs hominum speciosus, ita Maria præ filiabus hominum speciosa, & lætitia quasi totius orbis, *vas admirabile, opus Excelsi*. Nequaquam videatur nobis incredibile quidquid de ea SS. Patres aut Doctores Ecclesiæ scriptis consignarunt, quia quantaquanta fuit, opus Excelsi fuit. Deus, inquam, omnipotens & sapientissimus matri suæ dulcissimæ corpus fecit. & dubitabimus an illud vndequaque perfectum sit & pulcherrimum? Dicite mihi, Christiani, siquis ex vobis posset efformare illā quam sibi vellet eligere in sponsam, imò in matrem; nônne ipsam omni decore & forma relucētem perficeret? Deus igitur omnipotens, qui puellam istam pulcherrimam ante sæcula sibi in sponsam pariter ac parentem elegit, non debuit omni opere eam exornasse? Ideò toties eius formæ præstantiam prædicat, in Canticis potissimùm clamans *totam pulchram, pulcherrimam inter mulieres, pulchras genas eius, pulchros oculos quasi columbarum. Pulchra es amica mea, suauis*, inquit, *& decora*, &c. Non potest expleri laudibus eius, vt apparet. Porrò Cantica non modò de Ecclesia, sed de ipsa quoque tamquam nobilissima eius parte intelligi nemo ignorat.

Prou. 8. Cant. 2. 3. 6. 7. Vide Ruper. l. 7. de Processu Spiritus sancti, c. 13. & Aponium in Cant. &c.

Sed dicat aliquis, Quomodo matrem Deus eligere voluit tali forma, tamque periculosa, vt videtur? nam prouerbij instar est quod veteres aiunt,

——— *rara est concordia formæ,*
Atque pudicitiæ ———
Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Iuuenal. Saty. 4. Ouidius.

Respondeo, certum esse id quod grauissimi Auctores contestantur, illam nemi-

nemini vmquam, quantumuis flagitioso, extitisse illecebram peccati, sed exstimulasse potiùs omnes qui eam videbāt, ad virtutem, ad pudicitiam, ad decus & honestatem. Ita docet D.Thomas, & cum eo schola Theologorum. Atque illud rectè addit Angelicus Doctor, id fuisse gratiæ singularis, cùm sola forma naturalis hoc præstare non possit: quod liquet ex forma S.Catharinę, Agnetis, Agathæ, Susannæ, aliarumque complurium, quæ etsi sanctissimæ & castissimæ, tamen impudicos oculos sua pulchritudine in sui concupiscentiam pertraxêre. Immò, quod amplius est, pudicissima Domina nostra suo aspectu concupiscentiæ motus in aliis extinguebat, & remorsu conscientiæ, vi quadam supernaturali refrenabat ac reprimebat. Hoc tradunt inter ceteros D. Bonauentura, Gabriel, Bernardinus. Clarissima sunt verba D. Ambrosij de eadem re, vbi ait: *Tanta erat eius gratia, vt non solùm in se virginitatem seruaret, sed etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret.* Hinc Ioseph eius sponsus, vt aiunt, quantò amplius loquebatur, & cum ea versabatur, tantò magis confirmabatur in proposito virginitatis.

D.Tho. in 3.d.3. q.1.a.2.

Pulchritudo diuæ Virginis non modò incitamentum pudicitiæ non fuit, sed concupiscentiæ motus etiam in aliis extinguebat.

Bonau. in 3.d.3. p.2.a.2. q.3. Gab.ibid. q.2 a 3. Bernardinus de B. Virg. Ser.4.a.2 Amb.de Institut. virgin. cap.2.

Hoccíne cuipiam videatur mirum & incredibile? quamobrem obsecro? An non supernaturalem gratiā fuisse dicimus, siue donum aliquod extraordinarium virtute diuina corpori illi impertitum, vno verbo, miraculum? Deinde, si, vt volunt, sapphirus, chalcedonius, iaspis, similesque lapides, vim quamdam habent naturalem propter cælestes influentias, sistendi aliquousque, siue temperandi motus carnales: quis credat hoc Deiparæ Virgini à Deo Filio suo fuisse negatum, quod ligno aut lapidi cernimus fuisse donatum? Præterea, si mulier formâ præstans propter aliquod delictum quod viro non mediocriter displiceat, nō potest ei deinceps gratiosa vel amabilis videri, vt sæpè contingit: imò subinde cùm nulla illius culpa intercedit, vt accidit inter Amnon & Thamar filiam Regis Dauidis: quare vi diuinæ gratiæ hoc non potuit habere cælitus Maria? Adhæc, morum eius maturitas, & conuersatio honestissima, & vitæ ratio composita, ad grauitatem omnes homines ad sui reuerentiam excitabant. Sicut igitur homo ipse vultu & habitu suo præ se fert excellentiam, qua terret muta animalia, vt eum reuereantur: ita in Mariæ vultu videtur Deus constituisse maiestatem quamdam cælestem, quam homines timebant ac reuerebantur. Adde, quod & D.Hilarius, Dionysius Carthusianus, & alij tenent, radios quosdam puritatis & honestatis in vultu ita emicuisse, vt nullus in eam fixis oculis posset intendere. Ad eum ferè modum quo D Hieronymus existimat è facie Christi, quando eiecit scuticâ vendentes & ementes, claritatem quamdam emanasse, qua omnes terreret. Quomodo enim alioquin homines illi rudes ac duri passi fuissent tantam sibi infamiam irrogari, nisi faciem eius huiusmodi radios præter morem euibrantem conspexissent? Vel sicuti etiam Moyses è Domini consortio lucis radios emittebat, adeò vt cornuta facies eius videretur. Quin & illud hîc silentio prætereundum non esset, nisi alibi commemorassemus, quod oculatus testis de hac tam inusitata pulchritudine scriptum reliquit D.Dionysius Areopagita, qui propterea Deam

Ratio prima.

Ratio secunda.

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Ratio quinta.

Hilarius super Matt 15. Dionys. Carthus. lib.1. de Virginit. art.36. Hieron. in Euāg.

Ratio sexta.

Vide sup. Conc.13.

Deam illam credidisset, nisi de summo atque infinito Numine vera fide imbutus fuisset.

De pulchritudine animæ. Satis hactenus de eximia pulchritudine corporis: quæ si tanta fuit, vti fuit; quantam fuisse dicemus animæ excellentiam atque pulchritudinem? *Argumentum primum à comparatione.* an non æqua proportione quantò præstantior est animus corpore, tantò illius quoq; speciem illustriorem ac præclariorem dici oportet? An non *omnis gloria filia Regis ab intus?* Psal. 44 & quidem tanta gloria, vt mox subdatur, *Concupiuit Rex decorem tuum?* O B. Dionysi, inspexisti solummodò quæ exteriora sunt B. Virginis, vtpote quæ oculis patere poterant; & tamen nisi fides te aliud docuisset, Deum tuum esse certò credidisses! Quid igitur dixisses, si speciem ac radios animæ ipsius cernere potuisses? Sponsus eius sapientissimus, laudibus suis eam dignatus in Canticis, cùm externa omnia deprædicet, omittere tamen se profitetur *id quod intrinsecus latet.* Cant. 4. *Quàm pulchra es,* inquit, *amica mea, quàm pulchra es: absque eo quod intrinsecus latet!* O beate Dionysi, quòd si vidisses lumen animæ, si gratiam Dei copiosissimam, imò multiplicem eius plenitudinē; si virtutum pulcherrimarum gemmas, si humilitatē profundissimam, si virginitatem solis radiis splendidiorem, si fidem inconcussam, si fortitudinem, constantiam, magnanimitatem inuictam, si dona vberrima S. Spiritus; quid, obsecro, dixisses? Nihil penitùs, opinor: certè obmutuisses. Rebus enim tam ingentibus, tamq; extraordinariis silentium pro omni laude debetur. nec est genus exornationis aptius quàm silentium. Si verò lingua balbutiendo ac titubando ad extremum aliquid proferre potuisset, credibile est dicturam fuisse, nihil similius Deo fingi posse.

Secundū, ab auctoritate. Huc pertinet etiam SS. Patrum auctoritas, ac nominatim quòd diuus Anselmus verissimè affirmare ausus est, *Decuisse B. Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi.* Anselm. lib. de Cōcept. Virg. & de Excel. Virg. c. 3. ac rursum: *Poteſtne, quæso, vllus hominum aut Angelorum ipsius amoris immensitatem penetrare, quem Deus ad Virginem habuit?* q. d. Nullus. Ex quo consequens est, nullo itidem intellectu vel humano vel Angelico concipi posse donorum omnium virtutumque opes & copias, quibus animam dilectissimæ matris suæ depinxit & cohonestauit. Sed tu quoque quid de teipsa testaris, ô Sponsa sanctissima, ô cælestis Regina: *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* *Tertium, à testimonio Virginis.* Cant. 1. hoc est, Sicuti Arabum tabernacula exteriùs vilia sunt, intrinsecus verò ornamenta continent pretiosa ac splendida: sicuti etiam tentoria Salomonis parata in tempus belli, extrinsecus nigra ac deformia, intus verò ornata sunt auro & argento: talis est pulchritudo mea. Quapropter si corpus, vt audiuimus, tam speciosum tamq; perfectum esse oportuit, ex quo & in quo Filius Dei corpus sibi efformaret; nihilominùs verò tabernaculis Arabum, & pellibus Salomonis assimilari in deformitate exteriori meretur, propter ingētem animæ dissimilitudinem: quid de anima dicemus, quàm ornatam & suprà quàm dici possit splendidam esse oportuit? *Quartū, à similitudine inter matrē & filium.* Adhæc si necessaria fuit similitudo corporum inter matrem ipsam ac filium, vti superiùs indicatum est; vtique multò magis animorum. Siquidem, vt docet D. Augustinus, *priùs*

August. lib. de S. virgin. *concepit filium mente quàm ventre*; priùs nempe per fidem, spem, charitatem: quæ virtutes si in mente ipsius non fuissent, Deus in eius vterum non venisset. Vnde colligitur, longè magis necessariam ipsi fuisse animæ perfectionem quàm corporis. *Quintũ, à pulchritudine virtutis.* Quid si virtutum pulchritudidem contemplemur, tametsi moraales tantummodò sint, quales Ethnici naturæ lumine agnouerunt, sibique studio & labore cõparare potuerunt: quanta D. Virgini fiet accessio decoris? Cic. in Lælio. *Nihil*, inquit Tullius, *est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos numquam vidimus, quodammodo diligamus.* Certissimum quoq; est, quod vitæ spiritualis magistri tradunt, quantumlibet te affligas, & quantumlibet te crucies, non dabit tibi copiam sui Dominus virtutum, nisi fueris virtutibus ornatus. Ex quo sequitur, B. Virginem virtutibus ornatissimam fuisse, cui se Deus in filium dare dignatus est. Sequitur item vlteriùs, nihil speciosius aut gratiosius illâ animâ dici aut fingi posse, in qua tam amabilis virtutum pulcherrimarum chorus effulsit. *Sextum, à magnitudine gratiæ.* Sed adhuc altiùs mente ascendamus. *Inuenisti*, inquit Angelus, *gratiam apud Deum.* Quantam obsecro gratiam? primò quantam nullus mortalium, nullus Angelorum: parum dixi, quantam omnes Angeli & Sancti simul sumpti consequi vmquam potuêre, imò maiorem, vt alibi demonstratum est. Vide sup. Conc. 17 Atqui propriè & verè si rem æstimauerimus, nullum maius ornamentum est animæ quàm gratia: ac proinde quò amplior gratia, eò plus ornatus ac pulchritudinis. Rursus ex eodem principio efficitur euidentissimè, quòd perfectissima diuæ Virginis gratia debuerit habere perfectissimum sibique proportione respondens naturæ fundamentum, hoc est, animam ipsam, quæ gratiam reciperet, tamquam eius capacissima.

Tota gratiosa & pulchra, corpore & animo. Quæ cùm ita sint, vt summatim hunc locum concludamus, considerata hac tam inusitata & incredibili corporis animique excellentia, perfectione, pulchritudine: quid mirum si Angelus ei dicat, *Inuenisti gratiam apud Deum*, id est, tota gratiosa & amabilis es in oculis Dei corpore & animo? quid mirum, si Dei beneuolentia, aut amor Dei erga illam fuerit prorsus immensus & infinitus? Tantus profectò amor ille fuit, vt ipsemet Deus omni asseueratione asserat se ab eo vulneratum. Cant. 4. *Vulnerasti*, inquit, *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* De aliis quidem creaturis loquitur increata illa Sapientia: Prou. 8. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarũ, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Cum aliis itaque creaturis ludit Sapientia, quasi parum quid sint; sed cum homine amicitiam inire dignata est, quia versari cum eo, deliciæ sunt eius. Verùm cùm amorem in sanctissimam Virginem Mariam explicat, *Vulnerasti*, ait, *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* O vim ineffabilem pulchritudinis, quæ Deum amore vulnerauit! quæ tantopere placere meruit! quæ tantam inuenit gratiam apud Deum! Quid ni vsurpare meritò hîc possimus cum summa admiratione Angelicam hãc vocem: Cant. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgẽs, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* etsi enim hæc longè infe-

inferiora sunt ipsius excellentiâ, & pulchritudine eminentissima; tamen quia sublimiores hîc comparationes non habemus, quibus Virginem gratiosissimam extollamus, has ei saltem lubentibus animis adscribamus.

Tertia pars, quomodo nos gratiam inuenimus apud Deum. Tertio loco tandem videndum est, quomodo nos etiam possimus Deo placere. Quomodo, qua ratione ac via? vtique gratiam quærendo apud Deum, sicut & ipsa Domina nostra quæsiuit, & inuenit. *Inuenit enim gratiam* inquit Bernardus, *vtiq; quā quærebat*. Nimium quantum necessaria sunt nobis diuinæ gratiæ auxilia, Primò vt constanter credamus, speremus, atque Deum ex toto corde diligamus. Ideò enim Apostolus fidem inter dona sancti Spiritus numerat. Et B. Petro post veræ fidei confessionem dicitur: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis*. Rogandus itaque sæpè Dominus ex toto pectore: *Domine, adauge nobis fidem: da nobis fidei, spei, & charitatis augmentū*. Necessaria deinde est gratia, vt ritè atq; efficaciter Deum precemur, laudemus, benedicamus. *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat* (hoc est, postulare docet & facit) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Tertiò eadem necessaria est, vt bona cogitemus, velimus, amemus, faciamus. *Neque enim idonei sumus cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis*. Et, eodem teste Apostolo, *Deus operatur in nobis velle & perficere*. Denique *sine me*, inquit Dominus, *nihil potestis facere*, id est, sine præueniente & cooperāte gratia mea. Adhæc eiusdem gratiæ est nos idoneos facere ad illum statum vel officium in Ecclesia, ad quod Deus nos elegit. sicuti idoneos fecit Prophetas

Bernard. Ser. 4. de Assumpt.

1. *Necessitas gratiæ.*

1. Cor. 12

Matt. 16.

Lucæ 17.

Eccles. Offic.

2.

Rom 8.

Gal. 4.

3.

2. Cor. 3.

Philip. 1.

Ioan. 15.

4.

ad ministerium propheticum, Apostolos ad gradū Apostolicum, Martyres ad constāter omnia mundi tormenta propter Christum sustinenda, Confessores ad laborandum in vinea Domini vsque ad defatigationem. De omnibus vniuersim ita loquitur Apostolus: *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti*, scilicet per conuenientia gratiæ subsidia. Sic etiam B. Virgo idonea facta est vt esset mater Dei, sicut ei Angelus dicit, *Inuenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium*. Sancti Dei omnes idonei facti sunt ad officia sua ritè decenterque obeunda: virgines in suo statu, viduæ in suo, coniugati in suo, Magistratus, opifices, Pastores, Episcopi, omnes omnino Vtique nobis quoque paratus est Deus tantam elargiri gratiam, quanta sufficit in officiis nostris: immò quantam dispositio & capacitas nostra ferre potest. Dicit enim vnicuique nostrûm, *Aperi os tuum, & implebo illud*. Quid est, *aperi os tuum?* id est, Pete, ora, gratias age de perceptis beneficiis, vt noua merearis accipere. Sic de viro sapiente ait Ecclesiasticus: *In medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus*. 2. Cor. 3. / Psal. 80. / Eccli. 15.

Modus acquirendi. Quæ cùm ita se habeant, quid consilij dabimus vt gratiam diuinā, tantopere omnibus necessariam, apud Deum inuenire valeamus? Dicimus eam omni studio & contentione animi quærendam, tum assiduis orationibus & obsecrationibus, tū magnis desideriis, operumq; bonorum laboribus indefessis. Ita enim monet Ecclesiasticus: *Nō impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. In istiusmodi acquirenda Eccli 18.

substantia, atque in his diuitiis congregandis cupidos auarosque nos esse oportet, vt maiorem nobis gratiã comparemus. *Beati qui semper esuriunt & sitiunt iustitiam.* Ecquis eorum qui mundum diligunt, si vlteriùs progredi potest in his quæ mũdi sunt, non progreditur? Atqui in his quæ mundi sunt non possumus pro arbitrio & voluntate crescere. Neque id nobis Deus permisit, quia hæc nihil ad bonum hominis pertinent. In gratia verò reliquit nostræ voluntati incrementum, quia id nobis valdè conducit. In mundo non permisit vt statum suum quisq; pro libito vsurparet: quod si permisisset, statim omnes Reges esse vellent. In gratia verò id permisit, vt si Rex volueris esse, possis: quippe ad hoc ille in mundum venit, vt in omni bono crescamus. vnde ait ipse: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

Matth. 5.

Ioan. 10.

Apud Deum.

Porrò non leuiter prætereundum, sed suis quoque momentis expendendum est quod ait Angelus, *Apud Deum*. Vtique non apud mundum neque apud homines quærenda gratia, quia nimis periculosa, nimis fallax, nimis incerta, nimis perniciosa. Nam, vt scribit diuus Augustinus, *Mundus iste periculosior est blandus quàm molestus, & magis cauendus cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni.* Subscribit D. Bernardus, vbi ait: *Licet multos frangat aduersitas, tamen multò plures extollit prosperitas.* Et alibi: *O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos.* Inuenit Aman gratiam apud Regem Assuerum: at hæc illi gratia crucem peperit. Vasthi quoque gratiam inuenit apud eumdem Assuerum, sed posteà miserè excidit. Daniel, Sidrach, Misach, & Abdenago diu Regibus charissimi, postmodum ab iisdem ad leones & flammas damnantur, Quid plura? inuenit gratiam apud Absalonem Achitophel, sed hæc ei suspendium attulit. Denique siquis gratiam apud homines inuenit, ea facilè abutitur ad ambitionem, auaritiam, & ruinam suam contra Deum. sed Dei gratia nemo potest abuti. *Nolite* ergo *confidere, in Principibus, in quibus non est salus,* clamat Propheta Regius. *Maledictus homo qui confidit in homine.* Quid ergo? gratiam quæramus, sed apud Deum, & inueniemus. Illam quæsiuêre omnes Sancti, & inuenêre.

August. epist. 144 ad Anast.

Bernard. Serm. de Ramis palmarũ. & ep. 107

Esther 1. & 17.

Ps. 145.

Iere. 17.

Exemplo D. Virginis.

Sic videlicet Maria Virgo gratiam quæsiuit apud Deum veris solidisque virtutibus; non apud homines auro & gemmis & cultu vestium pretiosarum, aut huiusmodi ornamentis. Probè nouerat illud Sapientis, *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Infelix mulier Eua mundum perdiderat vanitate superbiæ & inobedientiæ suæ: sed Maria contrariis, planè virtutibus mundi salutem inuenit, nimirum vera humilitate, & promptissima obedientia. *Semper,* inquit D. Bernardus, *solet esse gratiæ diuinæ familiaris humilitas, quæ honoribus non insolescit. Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat.* Adde ancillam obedientiæ promptissimæ, quam singulis pænè verbis exprimebat, cùm diceret, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Imitetur necesse est has potissimùm duas virtutes, qui gratiam quærit apud Deum. O felicem, qui sic gratiam quærit vt inueniat apud Deum! Nihil iam certè est in rebus huma-

Prou. vlt.

Bernard. Hom. 4. sup. Missus.

humanis, quod ille timere debeat. Vnde illud Angeli, *Ne timeas Maria,&c.*

Ne timeas Maria Inuentâ gratiâ nihil vltrà timendum. Ad eumdem modum sanctissimus Rex Dauid ait, *Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciã inimicos meos. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Psal. 26. Quid, quæso, tibi est, ô Rex inuictissime, quid est in quo ita confidis, vt nihil timeas? *Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Quid est illuminatio Dei, quid salus Dei, nisi gratia Dei? gratia ergo dat illas vires vt sic loquatur: veluti & alio loco, Psal. 22. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* D. Augustinus in Psalmorum Explanationibus ita solatur nos atque animat, si iusti fuerimus. Aug. in Psal. 26. *Protegitur*, inquit, *Imperator scutatis, & non timet: protegitur à mortalibus mortalis, & securus est: protegitur mortalis ab immortali, & timebit?* Hæc Augustinus.

Gratia expertes timiditate vincuntur. E contrario autem sine Dei gratia timidissimi sumus & infirmissimi: vt exemplo est Cain, qui amisso gratiæ gubernaculo sic ait: Gen. 4. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar. omnis igitur qui inuenerit me, interficiet me.* Ita loquebatur trepidus & tremens, qui anteà satis animi habebat vt fratrẽ crudelissimè mactaret. Quid ita? quia iam extra Dei gratiam erat. Ita etiam loquerentur peccatores, si intelligerent ac sentirent se extra Dei gratiam constitutos. Quem enim Deus à gratia sua & à facie sua eiicit propter peccatum, quæ mala non inuadent? Et quem Deus gratia sua dignatur, quæ bona non consequetur? Sicuti miles scuto & hasta amissis, iusto timore corripitur, itemque nauta diffracto gubernaculo in mediis fluctibus constitutus: sic homo diuinæ gratiæ armis spoliatus, & timore Domini amisso pertimescit ne fluctibus inferni absorbeatur. *Simile primum. Simile secundum.* Verùm si Deus cum illo est per gratiam, nihil extimescit. *Ne timeas Israel, quia ego tecum sum, ait Dominus.* Isaiæ 41. Ne timeas, vir iuste, inuenisti enim gratiam apud Deum. Plutarchus narrat Iulium Cæsarem in graui quondam tempestate deprehensam vitæ discrimen adiisse. Plutar. in Vita Cæsaris. quare qui illum vehebat nauclerus periculo territus, retrò scaphæ cursum vertere statuebat. At Cæsar, Ne extimesce quidquam, inquit, Cæsarem vehis. Equidem multò meliori iure hac se voce iustus in mediis tempestatibus confirmare potest: Ne extimesce, Christiane, gratiam Christumque vehis. Quidnam timebat D. Paulus, vas illud electionis quod Christum vehebat? ipsum audiamus. *Quis me separabit*, inquit, *à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio*, &c. Rom. 8. Quòd si quærere voluerimus, Vnde tibi tanta hæc fortitudo, ô Paule, vt nullas timeas procellas, nulla discrimina? quæ ratio, quod firmamentum fiduciæ tuæ? respondebit: Christum veho. O felices qui Christum vehunt! à Christo nimirum vicissim vehuntur: cui gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XXV.

Ecce concipies in vtero, & paries filium.

1. De admirabili ac sanctissimo Conceptu partuq; Virginis, præsertim contra hæreticos.

2. Quid mirum extitisse complures hæreticos Mariomastigas, qui in hæc mysteria oblatrarent, cùm propter hæc Maria non mirabilis modò, sed maximum orbis miraculum fuerit?



HIc iam est totius Angelicæ legationis veluti cardo, hoc ipsissimum arcanum quod erat gloriosissimæ Virgini nuntiandum, hæc summula totius orationis, *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Vt verò magis appareat nostri Oratoris artificium, in primis considerandum est τὸ πρέπον, quod vocant, siue decorum quod seruauit in omnibus partibus orationis. Etenim tria erant ipsius munera circa personam Virginis, ideoque ter locutus est: Virgo autem bis omnino in toto colloquio. Primò debebat erigere mentem Virginis, atque attentam reddere ad tantæ rei considerationem: idque perfecit eam venerando noua quadam atque insolita salutatione, numquam anteà in terris audita. Hîc porrò antequam pergeret ad secundum, id quod contrà facere videbatur, videlicet D. Virginis turbationem mitigauit dum ait, *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Posthæc decretum ei erat (sicut in mandatis habebat) instruere illam de augustissimo incarnationis mysterio, quod in ea implendum erat. Namque Dominica incarnatio matrimonium erat quoddam spirituale cum humana natura, cuius personam gerebat Virgo; quapropter vt obtineretur consensus sponsæ, debuit ei res ipsa proponi. Id igitur præstitit Gabriel, perspicuè annuntiando conceptum partumque Virginis, in hæc verba: *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Vbi illud *Ecce*, inquit D. Athanasius, propinquitatem temporis significabat, quo futura erant quæ nuntiabantur. Quasi diceret, Iam iam adest tempus quando concipies in vtero, & paries. Neque verò sufficit rem nudè ac simpliciter proponi, sed addi solet qualitas & conditio sponsi, modus ac ratio conficiendi matrimonij ex vtraque parte. Patet quotidianâ experientiâ, si quando virgines matrimonium contrahere statuunt, similia eis proponi. Sic nimirum fecit Angelus dum ait, *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*, &c. Adiunxit etiam modum & circumstantias omnes huius matrimonij, dum subdit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi*, &c. Tertiò tãdem omnibus rebus legitimè pertractatis, debuit eam inducere ad consensum: idq; fecit proposito familiari exemplo, dicens, *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua*, &c. Addito etiã pondere rationis, *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbũ.* Hoc est, ne verearis; nihil est quod Deus non possit efficere. In hunc modum scilicet proceditur plerumq; in matrimonio ineundo. Parentes solent puellæ sponsum, conditionesque sponsi, diuitias nobilitatemque eius commendare: tum ad extremum adhuc coram Pastore interrogatur vtrùm velit habere virum hunc. Tale est decorum quod obseruat Orator cælicus in sua Oratione. Cumq; prima pars hactenus explicata fuerit, venia-

Athanas. Serm. de Deipara.

veniamus nunc ad secundam, cuius initium est, *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Vbi dicendum Primò, quomodo supernaturalis ac miraculosa conceptio & natiuitas Christi ab Angelo asseratur, contra omnes hæreticos, qui in Dei matrem os blasphemum aperuerunt. Secundò, Nõ mirum, hæreticos hîc in eam insurgere, cùm tam mirabilis propter hęc Maria Virgo fuerit, vt maximum orbis miraculum dici mereatur, nempe Mater virgo, in qua Deus homo.

AVE MARIA.

Prouerbium, *Ignoti nulla cupido.*

INstar parœmiæ fuit illud apud Romanos, *Ignoti nulla cupido*, hoc est, Cognoscere oportet antequam concupiscas aut ames quidpiam. Et facile hoc quidem est ad intelligendum, vt scitis; sed propria eius ratio non ita est obuia, quin ex adytis Philosophiæ potiùs eruenda. Quid ita? Dicite, si placet, quænam videatur vobis ratio esse, cur rei cognitio præire debeat eiusdem adipiscendæ studium vel affectum? Dicetis, opinor, quoniam magna ceteroquin incommoda sequerentur, sæpè deciperemur, sæpè nos facti pœniteret; v.g. in causa matrimonij. Itáne? Verum id quidem, fateor: sed num proinde hęc propriè dicta ratio rei videtur? Vos ita censetis, vel quia causam à priori, vt dicunt, ignoratis, vel quia ante oculos vobis est experientia vestra, quòd reipsa fueritis interdum decepti. Atqui hoc est per effectum scire, non propriè seu per demonstrationem. *Scire per demonstrationem*, vt ipsi inquiunt, *est rem cognoscere per causam à qua fluxit.* Quænam igitur est ipsissima ratio huius dicti, *Ignoti nulla cupido?* hæc videlicet, quia voluntas in actum exire non potest, antequam intellectus suum actũ elicuerit: actus

Discursus Philosophicus.

verò intellectus est cognoscere, voluntatis amare; igitur quamdiu res ignoratur, nulla potest esse illius cupiditas. Confirmatur hæc doctrina: quia voluntas per se est cæca, & ad omnem motum vel operationem titubat ac hæret; atque ea propter necesse est vt intellectus ei præferat facem, doceat, proponat obiectum quod vel amplectatur vel detrectet. Dupliciter enim obiectum proponit, vel vt bonum, vel vt malũ: si vt bonum, voluntas amplectitur; si vt malum, voluntas refugit. Quemadmodum etiam Deus nobiscũ operatur, & cum actibus humanis concurrit. Primò namq; docet intellectum vel per fidem vel per scientiam, per concionatores, per inspirationes, & illustrationes spirituales, aut per reuelationes Angelorum: deinde mouet voluntatem, eamq; impellit ad executionem. Experimentum euidens est in conuersione peccatoris: quoniam vt Deus ametur ab homine peccatore, debet priùs cognosci; & quò meliùs cognoscitur, eò meliùs amatur. Sic & Philosophi cognouerunt vnum Deum, & eumdem insuper amarunt, sed imperfectè: Christiani verò longè aliter Dei amore flagrant, quia longè altiori lumine eum cognouerunt, non solùm vt Deum vnum, sed etiam vt Deum amore nostri factum hominem; propter nos & propter nostram salutem de sinu Patris delapsum in vterum virginis; coronatum spinis, vt nos cælesti gloria coronaret; clauis quoque suffixum cruci, & mortuum, vt nos ab æterna morte liberaret; latus demum sibi aperiri passum, vt nobis aperiretur cælum. O quantis diuini amoris incendiis pectora nostra ardere par est, cùm Dei nostri infinitam

tam bonitatem tam manifestè noscamus? At quorsum hæc Philosophia? Non parum ad præsens nostrum institutum facit, vt mentem Angeli in hac historia Euangelica intelligamus: tota quippe vis eius eò fertur, vt illustretur D. Virginis intellectus circa mysterium incarnationis, antequam eius consensum requirat. Itaque exponit quomodo Altissimi Filius mox futurus esset filius Virginis, quomodo eum concipere, & Deum claudere vtero, & parere posset ac virgo permanere. Hoc est quod docere incipit his verbis, *Ecce concipies in vtero, & paries filium*. Quatuor omnino verba protulit, quibus res totidem admirandæ designantur. Primum est, *Ecce*, quo mysterij nouitas ac magnitudo significatur: cetera conceptionem, partumque Virginis, & fructum partu editum notant. Singula paulisper expendamus.

I. *Ecce.* Prima igitur vocula insinuat nouum & mirabile, altum & excellens mysterium incarnationis mox futuræ. Sicut & alio loco apud Isaiam, ad quem hîc Angelus respexit, ac penè ad verbum expressit, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomē eius Emmanuel.* (Isaiæ 7.) 1. Ecquid enim tam nouum tamque admirandum, quàm virginem salua virginitate concipere & parere, Deum pariter atq; hominem? Meritò clamat Ieremias: *Nouum creauit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* (Iere. 31.) 2. Ecquid etiam tam sublime, quàm humanæ naturæ diuinitatem tam arcto matrimonij vinculo sociari, vt homo verè ac propriè dicatur Deus, & Deus homo? quemadmodum enim Deo nihil excellius, ita nec homine, qui diuinitatis honorem adeptus est. 3. Quid demum lætius, ac toti hominum generi salutarius, quàm nasci in hoc mundo Saluatorem mundi, qui tyrannum crudelissimum, cuius seruitute cuncti opprimebantur, foras expelleret, ac spolia eius diriperet; peccata nostra suo Sanguine deleret; cæli portas hactenus clausas aperiret; omnibus denique gratiam suam, tamquam pignus æternæ vitæ, offerret; nullus omninò vt sit, qui non possit, modò velit, diaboli ac peccatorum omnium tyrannidem euadere, ac cælestem gloriam consequi? Ecce igitur qualem hîc nuntium D. Virgo accepit, ecce totius mundi gaudium ac perpetuam felicitatem.

II. *Concipies in vtero.* Consideremus iam id quod secundo loco dicitur, *Cōcipies in vtero:* vbi purissima ac sanctissima B. Virginis conceptio proponitur, quæ Spiritu sancto superueniente, & virtute Altissimi obumbrante perfecta est. Siquidem tres personæ sanctissimæ Trinitatis hoc mysterium studiosissimè operatæ sunt, Spiritus sanctus, formando corpus excellentissimum Filio Dei; Pater, virtutem necessariā matri Dei conferendo; Filius, naturam humanam assumendo. Itaque conceptio fuit excellentissima, prorsus admiranda, supra naturam, Deoque dignissima: vt describit his verbis Auctor Operis imperfecti: (Auctor Operis imperf. Hom. 1.) *Neq; enim dignum erat, vt vnigenitus Dei, non propter se sed propter hominem nascens more nasceretur humano. Homo enim in carne nascitur vt corruptioni subiaceat; Christus autem natus est vt sanet corruptionem. Sicut ergo non est consequens vt corruptibilis homo ex incorruptibilitate virginitatis nascatur: sic nō erat consequens, vt Filius Dei, qui ideò nascebatur vt corruptibilitatē sanaret, ex corruptione coniugij nasceretur.* Sic ille. Optima sanè accura-

ti

ti. Interpretis ratio, cur de Virgine concipi nascique decuerit Filium Dei; cui altera adnecti potest ex DD. Cyrillo, & Damasceno: *quia decuit, vt sicut mulier ex solo viro facta erat, ita vir aliquis ex sola muliere procrearetur.* Huc pertinent figuræ multæ illustres quibus hæc conceptio fuit præsignata: atque inter ceteras Adæ formatio ex terra virginea, quam explicant SS. Patres, Augustinus, Maximus, Irenæus, Basilius, ac denique D. Ambrosius his verbis: *Adam,* inquit, *de terra virginea natus est, Christus de matre virgine procreatus. Illius maternum solum non scissum fuerat, istius maternum secretum numquam est concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur e limo, Christus Dei spiritu formatur in vtero.* Eamdem cóceptionem indicabat virga Aaron, quæ miraculo floruit, inquit D. Bernardus. Eamdem rubus ardens incumbustus, teste eodem D. Bernardo, atque Gregorio Nysseno. Atenim quid est quòd Angelus addére voluit, *in vtero?* quómodo enim alibi posset conceptio fieri? Anne aliquid in Scripturis sãctis superuacaneum positum sit? Nequaquam. Neque id fieri omnino potuisse, cõstanter & efficaciter asseuerant SS. Doctores. *Otiosum verbum in Scriptura ponere,* inquit S. Basilius, *grandis est blasphemia.* D. Chrysostomus itidem affirmat, *nil temerè ac fortuitò loqui diuinam Scripturam, sed & syllaba,* inquit, *& apiculus reconditum habet thesaurum.* D. Gregorius in illud, *Aperiens os suum,* dixit: *Nihil superfluum in Scriptura sed omnia diuinis plena mysterijs.* Denique D. Gregorius Nazianzenus, *At nos,* inquit, *exquisitam spiritus doctrinam, vel vsque ad leuissimum apicem & lineam transimus.* Quocircà

Cyril. Ierosol. Catechesi 12. Damasc. l. 4. c. 15.
August. Ser. 5. de Natiuit. Max. Hom. 3. de Nat. Iren. l. 3. c. 31. Basil. Isa. 7. Ambros. Serm. 37. Num. 17. Bernard. Hom. 2. sup. *Missus.* & in Serm. *Signum magnum.* Gregor. In Vita Moysis. *In vtero.*
Basil. Hom. 10. Hexa. Chrysost. Hom. 18. in Genes.
D. Greg. in Euang. Gregor. Nazian. Apol. 1.

illud *in vtero* neutiquam otiosum est in nostro Euangelio: sicuti nec illud in Leuitico, *Mulier si suscepto semine pepererit masculũ, immunda erit septem diebus.* Nam etsi illud *suscepto semine* frustrà positum videri possit, communis tamen Patrum sententia est, Spiritum sanctum hoc addi voluisse, vt exciperetur hæc Virgo. Alioqui scriptor legis *Moyses super matre Domini,* inquit D. Bernardus, *blasphemiæ crimen incurrisset.* Idem sentiunt alij multi. Similiter igitur hîc *in vtero* pondus suum & momentum habet. Primò enim significat veram naturæ humanæ assumptionem, veramque D. Virginis maternitatem, vt exponit inter ceteros D. Petrus Chrysologus in hæc verba: *In vtero dixit Angelus, vt conceptus esset veritas non figura, vt partus esset proprietas non imago: vt sicut Deus verus de Deo vero natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur.* Secundò insinuat, operatione Spiritus sancti, non viri, intus in vtero futuram conceptionem. Deinde, sine vlla labe vel macula. Prætereà, non communi modo, sed singulari, de purissimis Mariæ Virginis sanguinibus formato infantis corpusculo. Denique eodem instanti, quo D. Virgo dedit consensum, indicat speciali priuilegio infantem fore perfectum in corpore & anima, in gratia, in virtutibus, in scientia, sicuti erat cùm ascenderet in cælum. Ita nimirum *sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.*

Leuit. 12.
Bernard. Ser. 3. de Purificat.
Chrys. Cyril. Euthy. Theoph. Anselm.
1.
Chrysol. Serm. de Annunt.
2.
3.
4.
5.
Psal. 45.

Sequitur, *Et paries.* Quomodo paries? num more communi ceterarum mulierum? minimè; sed singulari priuilegio Virginis intemeratæ. Ante partum nulli erunt languores, nulli morbi, nulli timores muliebres, nulla grauedine grauida, & sine dolore eris

III. *Et paries.*
Ante partum.

 puer-

puerpera. Hoc de D. Virgine manifestè asseritur à D. Bernardo vbi ait, *illud molestissimum tædium, quo omnes grauidæ laborare noscuntur, solam illam non sensisse, quæ sola sine voluptate concepit.* Idemque eleganter priùs docuerat S. Augustinus hoc modo: *Plena sunt viscera, & nullum nouit Virginis conscientia. Cùm esset grauida, salubri leuitate plaudebat: lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* Ita & Fulgentius de ipsa Virgine antè partum. In partu quoque nullus dolor, nulla macula, nulla anxietas, sed summum fuit gaudium matris: vti Ecclesia in Officio Natiuitatis canit: *Nascens Virgo virum peperit sine dolore Saluatorem sæculorum.* Quemadmodum flos ab arbore producitur, aut à Sole radius, sine vlla corruptione: sic Christus ex Virgine nascitur illibato pudore. Rationes duæ sunt primariæ, quibus SS. Patres vtuntur. Altera, quia dolor partus respondet libidini, & voluptati conceptionis. Vnde Damascenus, *Quam voluptas,* inquit, *non anteiuit, nec dolor quidem in partu secutus est.* Altera, quia non decebat Dei Verbum priuare matrem virginitate, quam facilè seruare poterat, perficere & consecrare, cùm esset Deus. Vnde illud S. Ignatij: *Decebat Creatorem non consueto sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium opificem.* Simile habent alij, vt D. Augustinus, & Cyrillus. Iam post partum quoque nullus languor, nulla debilitas, nulla tristitia, sed summa consolatio. *Absit vt ibi tristitia interuenerit,* inquit Hugo Victorinus, *vbi multitudo Angelorum cecinit: gaudebat potiùs summopere de tanta prolis maiestate, de conseruata sibi virginitate, de humani generis salutatione, de iubilatione Angelorum qui Epithalamium decantabant.* Eòdem pertinet quod D. Cyprianus ait: *Maria genitrix & obstetrix: nullus dolor, nulla natura contumelia, in puerperio.* Et D. Hieronymus: *Nulla obstetrix, nulla muliercula, ipsamet pannis inuoluit infantem.*

Bernard. Serm. Signum magnum. | August. Serm. 11. de Nat. | Fulgent. Serm. de Laudib. Virgin. | *In partu* | Ecclef. in Offic. Natiuit. | Damasc. l. 3. de Fide c. 7. | Ignat. epist. 13. ad Heronem. | August. Ser. 7. de Natiuit. | Cyril. l. 8. contra Iulia. | *Post partum.* | Hugo Victor. de Nat. | Cypria. Serm. de Natiuit. | Hieron. l. contra Eluidiũ.

Postremò sequitur, *Paries filium.* Qualem filium? *Altissimi filius vocabitur,* vt subdit Angelus, simulque filius tuus. Vtique quando filius vocabit patrem & matrem, nominabit Deum & te. En dignitas Mariæ, en fructus partus eius, en *fructus terræ sublimis,* de quo vaticinatus est Isaias propheta: *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel.* Hoc est, In die illa transacta nocte infidelitatis apparebit in mundo Christus Dominus, Filius Dei & filius hominis, verus Deus & verus homo, qui proinde hîc appellatur germen Domini, siue vnigenitus Dei Filius; & fructus terræ, id est, filius Mariæ Virginis. Hic, inquam, magnus erit & gloriosus & sublimius, nempe supra omnes cælos exaltatus, & virtute operibusque celeberrimus. Quid namque gloriosius, quàm cæcis oculos restituere, leprosos verbo mundare, mortuos ad vitam reuocare, & alia euidentissima miracula suo nomine & virtute efficere, quibus Christus numen suum ostẽdebat? Quid maius quàm genus humanũ à diaboli potestate eripere, & ad æternam beatitudinem vocare & perducere? Hic igitur ille est fructus terræ, de quo inferiùs idem Propheta dicit: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Hic ille est fructus terræ virgineæ, de quo Psaltes Regius canit: *Et terra nostra dabit fructum suum,* fructum, inquam, super omnia benedictum in sæcula.

IV. *Filiũ.* | Isa. 4. | Ita interpretatur D. Greg. Hom. 13. in Ezech. | Bernard. Ser. 2. de Pentec. | Vigilius l. 3. contra Eutichen. | Isa. 45. | Psal. 66.

Non

Documentum. Non est hîc prætereundum sed seriò considerandum quòd Angelus non dixerit solùm, *Ecce concipies*, sed adiunxerit etiam, *Paries filium*, vt duo distincta Dei beneficia significaret esse, dare nempe prolem in conceptu, & concedere partum. atque hoc quidem constat esse maius illo. Quod aduertere debent feminæ grauidæ, & earum viri; caueantque diligenter, ne ob peccata parentum infantes de vtero transferantur ad tumulum, vt loquitur Iob: *Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum*. *Iob.10.* Quàm triste spectaculum est cùm florent arbores, aut etiam onustæ sunt fructibus immaturis, si flante Aquilone flores fructusq; decidant? Quàm triste spectaculum, cùm frumentum in agro, antequam suam perfectionem côtequatur, crebris procellis in terram prosternitur & corrumpitur? At longè tristius est, feminam grauidam abortum pati, & infantem, si animatus fuerit, in vtero sine Baptismo interitum corporis & animæ incurrere: vnde in æternum damnatus faciem Dei non videbit, cùm sit filius iræ. Quæ causæ tantorum malorum? plerumque culpæ parentum, qui pericula abortus timere & cauere, & illo tempore piis operibus vacare potiùs deberent.

Transitio ad hæreticorum confutationem. Verùm quamobrem hîc tam apertè atque dilucidè Angelus locutus est? Nimirum quia id ad Oratoris perfecti officium pertinebat. Deinde quia expediebat mysterium hoc ita luculenter exponi, non solùm vt beatissima Virgo faciliùs ad credendum induceretur, sed etiam vt omnium fides Christianorum hoc pacto roboraretur. Quemadmodum, teste Scriptura sancta, Christus Dominus post resurrectionem voluit à S. Thoma *Ioan.20.* perspicuè tangi & palpari, vt Christianis omnibus hoc argumento certior fieret huius articuli fides: vnde statim subiunxit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt*. Ita etiam hîc Angelus apparere debuit forma visibili & in vero corpore, & oculis patentia clarissimis verbis denuntiare, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus*, &c. Non solùm vt Virgo crederet mysterium incarnationis, sed vt omnes omnino Christiani. Addamus & aliam causam non minùs efficacem, quæ pretium moræ benè intellecta præstabit: népe vt omnes hæretici confunderentur ac conuincerentur, quicumque contra Deiparam Virginem blasphemias euomerent, quasi non esset verè Dei mater & Virgo; vel contra ipsam Filij Dei incarnationem varios errores comminiscerentur. De hæreticis enim & eorum blasphemiis prædixit D. Ioannes, non Propheta minùs quàm Apostolus & Euangelista, illud Apocalypsis: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum; blasphemare nomen eius & tabernaculum eius, & eos qui in cælis habitant*. *Apoc.3.* Loquitur autem de Antichristo & omnibus præcursoribus eius, quales adhuc ætas nostra multos non tantùm in Germania, Francia, Britannia, sed etiam in Belgio hoc tulit, qui non solùm in Deum blasphemi sunt, sed etiam in Dei tabernaculum, id est, Deiparam Virginem. Quòd enim hîc tabernaculum significet Mariam, asserunt præter ceteros Methodius, Athanasius & Bernardus: idq; confirmant illo Dauidis dicto, *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus* vbi sensu quidem historico de Ecclesia *Meth. in Hypop. Athanas. de Deip. Bernard. Serm. Signum magnum. Psal.45.*

clesia loquitur Psaltes, in qua Deus ceu tabernaculo habitat: sensu verò allegorico de Maria Virgine, in qua *Verbum caro factum est*, & nouem mensibus habitauit: ex quo demum tabernaculo veluti sponsus de thalamo, matris diademate, id est, virginea carne coronatus, cum lætitia cordis in orbem processit. Aduersus hoc tabernaculum superioribus sæculis ore maledico debacchati sunt Cerinthus, Manes, Valentinus, Heluidius, Iouinianus, Nestorius, & alij multi Mariomastiges: quos omnes Ecclesia Catholica de hæresi damnauit & exectata est, & victricem pariter collaudauit Mariam, dicens:

Ecclef. Offic. *Tu cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* Nostro quoque æuo non inferiores eduxit exercitus satanas contra Fidem orthodoxam, & hoc Dei tabernaculum. Sed speciatim circa hæc mysteria Christi incarnati, eiusque beatissimæ Genitricis ac virginis, quot hæreses natæ ac damnatæ fuerint, obiter nunc recensendum.

Hæreticorum classes.

1. In primis Marcion, Apelles, Manichæus, finxēre Christum non veram, sed phantasticam & imaginariam carnem assumpsisse: Mariam etiam consequenter non propriè matrem Christi veri Dei atq; hominis,

2. sed hominis phantastici fuisse. Secundò, Valentinus & quidam alij, licet carnem Christi veram assererent, tamen negabāt esse eiusdem substantiæ cum carne nostra, sed dicebant esse spiritualem & cælestem, de cælo allatam, non de nostra carne formatam, vt referunt Tertullianus & Irenæus. Ex quo illud consequens erat, Christum non esse propriè natum ex Virgine, sed transiisse per eam quasi per canalem, nihil ex ea sumēdo: vel

Tertull. l. de Carne Christi. Iren. l. 3. cap. 32.

vt aurū loculis immittitur ac denuò expromitur sine vlla immutatione.

3. Superiore etiam sæculo erupit ex inferis fæx aliarum hæreseon Martinus Bucerus, Petrus Martyr, Menno, & varij Anabaptistæ, qui hodieque in Germania passim, & quibusdam locis in Belgio regnāt: qui eamdem hæresin tuentur, ac mordicus tenent corpus Christi non fuisse verè os de ossibus nostris, & carnem de carne nostra, sed fuisse corpus aliunde allatum, alterius substantiæ, nempe cælestis, tantoque præstantioris, quantò cælum terræ præstat. Hoc quoque manifestè D. Virginem efficit non verè matrem Christi fuisse. Porrò hi omnes aliique permulti his verbis Angeli quasi telis ignitis profligantur, *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Ita refutari solent hæreses istæ à Patribus. ita nominatim Manichæos retundit D. Athanasius. Videri etiam possunt Tertullianus & Irenæus de eodem argumēto. Quartò fuerunt Nestoriani, qui admittebant quidem matrem fuisse Christi, sed negabant esse matrem Dei. Contra quos tota Christi Ecclesia concordi voce nominat Θεοτόκον, id est, Dei genitricem; vt testatur Damascenus, & Historia Tripartita. Quomodo non isti quoque iisdem Angeli verbis refutantur, *Ecce cōcipies in vtero, & paries filium?* Quæro enim quē filium? nónne Filium Altissimi, vt subdebat, *Et Filius Altissimi vocabitur?* nónne igitur hominē & Deum?

Athanas. lib. de Assumptione hominis. Tertull. l. de Carne Christi. Irenæus l. 3. c. 32.

4.

Damasc. l. 3. c. 12. Histor. Tripart. l. 12. c. 4.

5. Postremò fuere plurimi quoq; perpetuæ virginitatis Mariæ hostes capitalissimi, propterea quòd capere non poterāt, quomodo eadem Virgo & mater dici queat. Contra quos armis modò communibus è Scriptura sacra, vel SS. Patribus, aut miraculis,

Vide Bellar. in Controu. Canisiū in Mariali

raculis, aut diuinis reuelationibus variè pugnatum est; sed etiam naturalium rerum exemplis, quæ testantur non omnino inusitatum aut absurdum esse, quòd saluo virginitatis decore conceptio fieri possit. Nam, vt de apibus taceam, aliisque huiusmodi exemplis, in genere vulturum marem non reperiri, omnes ferè veteres tradunt, sed ex vento concipere, vt habet Glossa in Genesim, & D. Ambrosius in hæc verba: *Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur*, &c. ita Ambrosius.

Gloss. in Gen. 1. Ambr. l. 5. Hexa. c. 20.

Refutatio in genere.

Non est nostri instituti hîc omnes hæreses refutare particulatim; sed dici in genere potest, S. matrem nostram Ecclesiam meritò illi attribuere hunc titulum laudis, quòd cunctas hæreses debellarit. De quo sic D. Bernardus, *Ipsa est*, inquit, *quædam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem.* Post hæc enarrat aliquot hæreses ex ijs quas suprà descripsimus: quæ omnes frustrà aperuerunt os suum in blasphemias. Dici & illud vniuersè potest, omnes Mariæ hostes, quicumque illam impugnant, non contra illam dumtaxat, sed contra Deum etiam, & contra Sanctos omnes, totamque Christi Remp. ciuilem & Ecclesiasticam arma capere, & Gigantum more bellum mouere. Contra Deum Patrem, qui ab omni æternitate hanc sibi filiam elegit, & præ omnibus creaturis amauit. Contra Deum Filium, materni honoris fidissimum protectorem, qui solet vlcisci magis iniurias matri irrogatas, quàm sibi. Contra Spiritum sanctum Ecclesiæ magistrum ac præsidem, qui pro tuenda Virginis dignitate, tot Patrum Synodos congregauit, in quibus auctor fuit vt omnes hostes eius anathemati traderentur. Contra omnes Angelos, & choros Sanctorum, qui hanc Dei matrem summè semper venerati sunt, & concionibus, librisque eius cultum posteris tradiderunt. Contra vniuersalem Christi Ecclesiam: ac primò in spirituales eius Præpositos, qui tales hæreses execrantur, vt summum maledictum, & vt summam plagam seu calamitatem Ecclesiæ. Deinde in sæculares Magistratus, qui tot sæculis concorditer auersati sunt hæreses, & quomodocumque potuerunt pœnis hæreticorum Dei matrem ab iniuria vindicarunt. Denique semetipsos de intolerabili superbia ac stoliditate condemnant, dum sine vlla iusta causa lucem veritatis toto orbe totque ætatibus coruscantem repudiant, atque illas tenebras consectantur, quas in antiquis hæreticis Christianus orbis fortissimè profligauit.

Bern. sup. *Signum magnum.*

Ab exemplis.

Porrò quàm horrendas ab huiusmodi Mariæ Virginis hostibus impudentiæ atque insaniæ pœnas vltor matris exigat Deus, testari potest plena exemplorum antiquitas. Vnum accipite atque alterum, vt hunc locum breuiter concludamus. Imperante Cæsare Mauritio, vt grauissimi Auctores narrant, quidam in caupona suauiter & lepidè compotabant, vt fit: sed lepidi scilicet esse non poterant, nisi inter compotandum ter conuitijs in Mariam iactis temerè cōcertarent. En verò tibi æquum in Mariana causa vindicem Deum, qui istiusmodi auctores impietatis ac blasphemos omnes in terram subitò prostrauit, extinxit, tectaque ad inferos misit. Nequis autem dubitaret

Niceph. l. 18. histor. c. 33. Canis. de Deipara l. 5. c. 20. Dauer. to. 1. c. 2. tit. 49. § 3

Hospes blasphemos domi sustinens à B. Virgine grauiter punitur.

quamobrem tali supplicio affecti fuissent, non multò pòst Maria Virgo hospiti istorum dormienti apparuit, eique in memoriam reuocauit, quòd blasphemos illos conuiuas in suis ædibus indignè tolerasset: peccauerat enim non ex destinata quidem malitia, sed conniuentia. Tum ille miser supplex illi esse, & delicti veniam petere, & ne tam citò morte mulctaretur, sed vt ipsi tempus pœnitentiæ relinqueretur, orare. B. Virgo daturam se hoc ei spondere, neque in præsentia ipsum morte pænas luiturum: vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua circumcirca velut exarando circumscribere. Id vbi factum, sacra Virgo quidem non apparuit ampliùs, sed ille somno discusso, membra ea quæ vimine notata fuerant, à reliquo corpore disrupta statim inuenit, & recentem inde sanguinem sensit profluere. Igitur in publicum productus miser, fœdo & miserando habitu corporis, non minùs quàm oris sui testimonio veritatem publicè confirmauit, hocque iustum Dei iudicium omnibus promulgauit.

De Copronymo blaspho et hæretico. Zonar. to. 3. Annal. Eutrop. l. 22. Rerum Roma. Cedre. &c. Vide Baron. to. 9 an. no 767

Funestus itidem fuit atque horribilis Copronymi Cæsaris interitus ob illatam sanctissimæ Dei matri iniuriam, & insignes contumelias, vt narrant Zonaras, Eutropius, Cedrenus in historijs Ecclesiasticis. Etenim cùm diceret nemini eam posse opitulari, nihilque eam supra ceteras mulieres habere: conabatur, quod dicebat, hoc exemplo confirmare. Marsupium aureis nummis plenum in manus sumens, idque alijs ostentans quærebat, Quantínam marsupium hoc valet? illis magni illud æstimantibus; tum ille auro eiecto rursum quæsiuit, Quantínam? Nihil iam valet, inquiebant. Ita, Deipara Maria, intulit ille, quo tempore Christum in se habebat, valdè honoranda erat; ex quo autem illum peperit, nihil differt à reliquis. Ita Nestorianus Imperator & iconomachus, & Leonis Isaurici filius, paternæ impietatis heres. O blasphemiam execrandam! Sed videte hominis impurissimi exitum. Cùm iam Deo & hominibus esset inuisus, sub mortem carbunculi pedes eius inuaserant, & ardentissimis febribus vrebatur, quarum nullum à Medicis remedium poterat excogitari: & elephantiæ morbus accedebat, & in extremam animi desperationem deuenerat: vt hinc miserabiliter vociferaretur se viuum propter Mariam Deiparam igni inextinguibili traditum, in eumque coniectum esse. Tot morbi coëuntes, tam diri cruciatus velut Mariæ ministri blasphemum hæreticum perdiderunt. Silebo alios gloriosissimæ Virginis inimicos, quorum maledicentiam diuina seueritas non sine miraculo publicè castigauit: nimirum vt & mali, propositis exemplis, nequid simile designent, proinde terreantur; & boni in honorandæ Virginis officio magis confirmentur.

Secunda pars, quantum miraculũ sit ipsa augustissima Dei mater.

Vt igitur nunc hæreticos relinquamus, & nos Christiani semper summo studio & veneratione Deiparam prosequamur: dicite, obsecro, auditores quotquot de Domina nostra sentitis in bonitate & in veritate; mirum vobis videtur hæreticos esse inuentos, qui eius honorem & dignitatem carpere atque imminuere conarentur? Ipsius est tanta lux, tanta species maiestatis vt oculi illorum ferre non possent. Fuerunt noctuæ, capere non potuerunt, ratione naturali, & intellectus sui imbecillitate, quomodo Deus homo factus esset ex ipsius sub-

substantia: quo mater Dei & hominis facta sit, & virgo permanserit. Quid verò mirum si id captum illorum superauit, cùm & longè longéque naturalem omnium capacitatem excedat? Sed nos credimus Deum aliquando miracula ingentia patrasse, quæ omnem naturæ cursum infinities transcendunt; & Deiparam esse quodammodò omnium eius miraculorum maximum, imò miraculorum multorum quasi cōpendium; cuius dignitatem capere aut congruenter laudare ne Angeli quidem possint. At quamobrem Deus huiusmodi interdū edere miracula dignatur? quamobrem? Omissis aliis causis, nempe vt omnipotentiam suam ac gloriam omnibus manifestam faciat. Si enim omnia communia & ordinaria essent, non videretur Deus adeò magnus ac mirabilis, cuius magnitudinis non est finis. sed magnis miraculis ostendit se nullis legibus alligatum, se Principem ac Dominum totius naturæ, supra omnem legem atque ordinem rerum. Hanc ob causam plura in Ægypto olim & in deserto mirabilia operatus est. *Misit signa & prodigia in medio tui, Ægypte*, ait Psaltes, videlicet per decem illas notissimas gentis illius plagas. Deinde tempore Iosue stitit solem in medio cursu, & illum eumdem retroëgit per decem lineas tempore Ezechiæ: & similia multa fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis; quibus eius gloriam mirificè amplificatam Scriptura testatur: vt meritò Dauid exclamet, *Qui facit mirabilia magna solus*. Similiter in nouo Testamento, tempore Apostolorum, quàm mirabilis fuit Dominus? *Per manus enim Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*. Et deinceps omnibus sæculis in Ecclesia quàm stupenda miracula diuinitus contigerunt? quàm illustres Sancti, quàm potentes opere & virtute, continua serie in Ecclesia miraculis claruêre, quos recensere nonnulli, vel præcipuos saltem singulis sæculis attingere suis scriptis sunt conati? Verùm enimuerò quando voluit Deus sibi domum cōstruere in qua habitaret, thronum mirabilem in quo resideret coronatus diademate, arcam in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reponi deberent; tunc debuit maximam omnium miraculorum facere. Hoc tale tantumque miraculum fuit Maria, quam B. Ephrem vocat *præstantissimum orbis terræ miraculum, quod nec lingua satis commendare, nec cogitatio possit assequi*. Tale miraculum fuit Maria, vt D. Dionysius Areopagita, cùm primùm illam vidit, quasi numen aliquod penè adorarit. Tale fuit miraculum, vt non homines tantùm sed & Angeli in admirationem rapiantur, dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* quem stuporem Angelicum ita describit Epiphanius: *O Virgo sanctissima quæ exercitus Angelorum in stuporem duxisti! stupendum enim est miraculum in cælis mulier amicta sole: stupendum miraculum in cælis mulier portans lucem in vlnis: stupendum miraculum in cælis alter thronus Cherubicus*. Hoc nomine quoque eam insigniuit D. Ignatius in epistola quadam, vbi ait: *Hæc & alia excitauerunt viscera nostra; & cogunt valdè desiderare aspectum huius, si fas est fari, sacratissimi monstri, & cælestis prodigij*. Prodigium dicit & monstrum, quia sicut illud nemo potest rationibus naturalibus assequi (est enim

[Margin notes:]
Cur Deus magna miracula subinde faciat.
Psal. 134.
Iosue 10.
Isaiæ 38.
Psal. 71.
Act. 5.
Bellarm. in Concionibus de Notis Ecclesiæ.
Ephrem Orat. in Laud. Virgin.
Vide suprà Conc. 13
Cant. 8.
Epiphan. Serm. de Laudib. Deiparæ.
Ignatius epist. ad D. Ioan. Euang.

enim supra naturam) ita Mariæ dignitatem ac priuilegia siquis velit capere, multum errabit, & periclitabitur ne in hæresim cadat. Necesse nimirum est huiusmodi, quæ de gloriosissima Virgine sunt, credamus, sicut alia miracula credimus à Deo fieri, quorum non possumus rationẽ aliquam naturalem reddere. Eodem modo vocat eam D. Chrysostomus *Magnum planè miraculum & stupendum*: Andreas Cretensis, *omnis sanctitatis sanctissimum spectaculum*. Quin & D. Ioannes in Apocalypsi (iuxta multorum expositionem) illam appellat *signum magnum*, quod nempe in visione ipsius erat *mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*. Cuiusnam oculi tam sunt fortes, vt possint fixo obtutu solem intueri? quantò minùs oculi nostri ferre queant omnem huius sublimissimæ Virginis splendorem?

Chrysost. Serm. de B. Virg. Andreas Cretens. Serm. de Dormit. Virgin. Apoc. 12. Epipha. de Laud. Mariæ. August. lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos. Bernard. Ser. super *Signum magnum*.

B. Virgo miraculorum cõplurium compendium.

Enimuerò, vt altiùs ascendat oratio, longè ampliora dici possunt, & verò à SS. Patribus dicta sunt, & scriptis consignata, ad memoriam & admirationem tantæ Virginis sempiternam. Maria Virgo, inquiunt, non ingens tantummodò miraculum est, sed compendium & inuolucrum plurium miraculorum. Diuus Ioannes Damascenus appellat illam *miraculorum abyssum*. alibi quoque non solùm miraculum sed etiam *miraculorum officinam*. Atque eodem illam nomine illustrarunt Andreas Ierosolymitanus, & Arnoldus Carnotensis. Nam quemadmodum artifices solent officinas habere, quibus eximia eorum opera asseruantur: ita supremus miraculorũ artifex Deus voluit sibi specialem officinam exstruere, beatissimam scilicet Virginem, in qua varia eius miracula visenda essent: vbi vnio hypostatica Dei & hominis, qua nihil sublimius dici potest: vbi extremorum infinitè distantium arctissima copulatio: vbi virginis integerrimæ conceptus simul & partus. Quod postremum quasi prodigium prodigiorum futurum cecinit Isaias, cùm dixit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo cõcipiet & pariet*. Vbinam igitur Deus seipsum exinaniuit, vt toti orbi esset admirationi nisi in vtero Virginis? vbi Sol iustitiæ decem lineis retrocessit; id est per nouem choros Angelorum descendit ad humanam naturam, nisi in hoc prodigioso horologio Mariæ? Vbi virga Aaron absque humano cultu floruit? vbi virga Iesse nullo satu fructum desideratissimum mundo attulit, nisi in matre virgine Maria? Cùm primùm Moyses Virginem matrem vidit in figura rubi incombusti, vocauit visionem magnam, dicens: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. Sed quid ei dicitur? *Solue calceamẽta de pedibus tuis*. Accedentibus itidem Mariæ amatoribus vt eam contemplentur, à D. Bernardo dicitur: *Meritò quidem admiraris Moyses sancte, & curiosiùs desideras intueri; verumtamen solue calceamẽta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis*. Sic Bernardus. Vlteriùs verò in hoc argumento pregredi nobis licet. Vidistis aliquando mulierem quæ mater sit sui parentis? mater & filia? mater & sponsa? filia, sponsa, parens? *Non solum antiquiorem se Maria peperit*, inquit Cassianus, *sed & ipsum sui auctorem, omniumque progenitorem. Facta est parentis parens: quia quam facile Deo vt hominem nasci faceret, tam facile*

Damasc. Orat. 1. & 2. de Natiuit. Mariæ. Andreas Ierosol. Serm. in Salutat. Deiparæ. Arnol. Carnot. Tract. de Laudib. Mariæ.

Isaiæ 7.

4 Reg. 20

Exod. 3.

Bernard. Serm de verbis Apocalyp.

Cassian. lib. 4. de Incarn. Domini.

le fuit vt ipse ex homine nasceretur. Adhæc vidiſtis aliquando puerperam ſine dolore, ſine grauamine, ſine vlla labe vel infirmitate? Hæc fuerunt naturæ miracula in Maria: miracula verò gratiæ longè plura, longeque maiora. Vidiſtis mulierem maiore præditam gratia in terris, quàm alij ſint in cælis, idque ab inſtanti conceptionis? Tanta fuit in ea gratia, tanta cæleſtium donorum copia, vt in primo inſtanti ſuperauerit gratiam ſupremi Angeli in choro Seraphinorum. Probauimus etiam ſuprà ſatis euidenter, ipſam tranſcendiſſe gratiam & gloriam omnium Angelorum ac Sanctorum ſimul in vnum collectorum. Vidiſtis aliquàdo mulierem tam ſanctam, vt numquam admiſerit peccatum veniale? vt numquam habuerit motum appetitus inordinatum? vt ipſum malorum omnium fontem, nempe peccatum originale, neſcierit? *Venite & videte opera Domini, prodigia quæ poſuit ſuper terram.*

Suprà Conc. 17

Pſal. 45.

D. Virgo miraculũ eſt maximè nouũ.

Addam & hoc iis omnibus quæ commemorata ſunt, Deiparam Virginem miraculum eſſe miraculorum omnium maximè nouum. *Nouum fecit Dominus ſuper terram,* inquit Ieremias, *femina circumdabit virum.* Virgo peperit virum, ſtella ſolem produxit, filia concepit patrem, creatura peperit creatorem. Quid tam nouum? quid tam peregrinum auditu, vel cogitatu? Meritò exclamat Eccleſia: *O ſancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti! Profectò nec in mundo locus dignior fuit virginalis vteri templo, in quo Dei Filium Maria ſuſcepit; nec in cælis ſublimior Regali ſolio, quò Mariam filius ſublimauit,* vt ait D. Bernardus. O miracula! ô miraculorum abyſſum! ô miraculorum nouitatem, quam explicat Angelus dum ait: *Ecce concipies in vtero, & paries filium!* Quid mirum, inquam, ſi hæretici & maleuoli homines in Deiparæ ſplendorem incurrerint? quid mirum ſi ad hanc maieſtatem cæcutiat omnis intellectus?

Iere. 31.

Eccleſ. Offic.

Bernard. Ser. 4. de Aſſumpt.

Documentum primum.

Verùm, vt noſtri etiam ad extremum memores ſimus, hæc eadem ratio fiduciam noſtram augere in immenſum debet. Nam ſi talis eſt beatiſſima Virgo, qualem modò depinximus, habemus vtique poſt Chriſtum potentiſſimam apud Deum Aduocatam, quæ paratiſſima eſt omnibus neceſſitatibus noſtris ſubuenire. Talis nimirum debebat eſſe Regina, quæ Regem Regum ſuſciperet hoſpitio. Talis Regina, quæ Regi cooperaretur ad mundi redemptionem. Talis Regina, cuius patrocinio mundus ſtaret. Talis Regina, cuius interuẽtu genus humanum ſalutem conſequi poſſet. Huius Reginæ fauorem ac gratiam ſi obtinebimus noſtro ſtudio & obſequio, quid eſt quod timeamus? Rectiſſimè D. Bernardus patrocinium eius nobis commendat in hunc modum: *Sufficere nobis poterat Chriſtus, ſed bonum non erat eſſe hominem ſolum: congruum magis vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Fidelis mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus; ſed diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem. Opus ergo nobis erat ad mediatorem mediatore, nec altera nobis vtilior quàm Maria.* Hæc Bernardus. Eſtne aliud quod ex hoc loco diſcamus, *Ecce concipies in vtero, & paries filium?* Eſt planè. Multi concipiunt, ſed non pariunt: abortum

Bernard. Serm. de Verbis Apocal.

Documentum ſecũdum.

faciunt, vt mulieres: videlicet qui multa bona sæpè proponunt, sed non exequuntur. Multæ animæ Christum concipiunt, sed ad partum bonorum operum non pertingunt, quia deest virtus pariendi. Quoties fortiter ac generosè, vt nobis videtur, proponimus vitare peccatum hoc vel illud, aut occasionem peccati, vt societatem prauam, locum periculosum, tabernam? Quoties, inquam, concipimus propositum tale etiam in confessione, coram Sacerdote Dei Vicario. Sed minima res iterùm nos illaqueat & perdit. Quoties desideramus ignoscere amore Christi Domini crucifixi & iniurias & contumelias omnes obliuisci? Sed desideramus tantùm; minima occasio, aut verbum alterius incautè prolatum nos ad iram prouocat. Quoties dum in concione audimus de virtute & efficacia orationis, de centuplo eleëmosynæ, de ieiunij fructibus; sentimus repleri pectus magnis cogitationibus, piisque desideriis quasi faculis inflammari? sed finita concione curis huius sæculi, variisq; distractionibus omnia euanescunt, & semen bonum cælestis agricolæ sparsum in cordibus nostris à spinis suffocatur. At quomodo præterea possumus concipere & parere, sicuti fecundæ matres? quomodo? Respondeat ipse Dominus in Euangelio, vbi ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* Præterea qui Christum in pauperibus & captiuis nutriunt, præbent se spirituales eius matres. Quapropter audiendi non sunt qui dicunt, Si Christum in præsepio iacentem, vel in Ægypto peregrinantem viderem, quæ obsequia ei offerrem? si mendicantem inuenirem, quid non ei darem? Ecce Christus in pauperibus, ecce in peregrinus, ecce in ægrotis, ecce in captiuis. *Quod vni eorum fecistis, mihi*, inquit, *fecistis.* Cùm diuus Martinus pauperi dimidiam chlamydem donasset, sequenti nocte Christus ei apparuit, dicens coram Angelis: *Ecce Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* D. Gregorius Magnus quotidie certum numerum pauperum alebat: atque hac beneficentia & Angelos, & Angelorum Dominum meruit excipere. Ita sibi fieri, quod fit pauperibus, Christus ostendit, immò quod vni ex minimis fit, vt ipse affirmat. Denique *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte*, inquit Apostolus Iacobus, & Christum Dominum, qui vera est vita, in eius anima signet: disertis verbis id asserente Apostolo, vbi sic Corinthios alloquitur: *Non confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Et alibi: *Filioli mei, quos iterùm parturio donec formetur Christus in vobis.* Eamdem ob causam illa vox, *filioli*, D. Ioanni Apostolo familiarissima fuit, vt patet ex Epistolis eius. Quocircà his aliisque modis iustorum animæ concipere & parere possunt filios spirituales, qui sint ipsis gaudium & corona in Christo Iesu, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

Documentum tertium. Matt. 12. *Documentum quartum.* Matt. 25. In Vita eius. *Documentum quintum.* Iacob. 5. 1. Cor. 5. Galat. 4.

CON-

CONCIO XXVI.

Et vocabis nomen eius IESVM.

Quæstio tractatur, quibus potissimum de causis Christo inditum sit nomen IESV.

1. *Quia nomen est super omne nomen, adeoq; conuenientissimum & aptissimum ad maiorem eius gloriæ exaltationem.*

2. *Quia maximopere pertinet ad salutem nostram procurandam, ac bonis operibus promerendam.*



NVNTIAVERAT Angelus gloriosissimæ Virgini, Deum decreuisse ei dare filium, quem virtuté Spiritus sancti conciperet ac pareret: iam nuntiat Dei quoque voluntatem esse, vt filius ille vocetur Iesus. Quidquid enim legatus Dei ter maximi agebat, hoc à Deo in mandatis acceperat: nihilque in re tanti momenti sua auctoritate addere aut demere ausus fuisset Hæc autem Angeli verba explicat D. Bernardus in hunc modum: *Rectè ait Angelus, Vocabis, non Impones. Nempe hoc ei nomen est ab æterno.* Idem de nomine Iesu docet D. Cyrillus, in huius loci expositione. Idem quoque D. Bernardinus. *Nomen Iesu, inquit, primò fuit à Patre prænominatum, immò à tota Trinitate principio libri vitæ æternaliter fuit scriptum.* Ratio afferri docest, quia ab æterno maximè Filio Dei hoc nomen congruebat; vt in libro vitæ, hoc est, in Dei prædestinatione primo loco statueretur, ante omnia nomina electorum; sicuti secundo loco nomen Mariæ. Siquidem non poterat Deus ipse non conuenientissimo nomine filium appellare. Hoc itaque nomen

Bernard. Ser. 1. de Circúcis. Cyril l. de Fide ad Theodosium. Bernardinus tom. 1. Serm. 49.

Deo notissimum, sed mundo incognitum; antiquum in æternitate, nouum in tempore, faustis ineuntis anni, atque vltimæ mundi ætatis auspicijs in terris apparuit, quando in Circumcisione ab hominibus Angeli iussu impositum fuit. Rectè autem octauo die à natiuitate; quia Iudæorum consuetudini seruiendum fuit, qui non antè suos pueros nominabant. Rectè itidem quando circumcisus fuit puer: Primò, quia cùm non purus homo, sed Deus pariter & homo esset; circumcisio quidem cruenta humanitatis, nomen verò Iesu diuinitatis eius testimonium perhibebat. Deinde, quia reipsa sanguinem fundendo, simulque nomine Iesu significabat quare in mundum venisset. Quare? vt videlicet esset Iesus, siue Saluator. Ita ipsemet postmodum testatus est Zachæo, dum ait: *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Hanc etiam rationem Angelus dabat Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum.* Atenim cur à Deo & Dei iussu nomen hoc imponi oportuit, causa fuit, quia nomen imponere munus est habentis auctoritatem in eum cui imponitur: nullus autem proprium ius & plenam auctoritatem habuit in Christum hominem nisi ipsemet Deus. Causa item altera fuit, quia obseruamus in Scripturis sanctis, quando Deus quibusdam dedit sua virtute & miraculo filios etiam indidisse sua auctoritate ijs nomina, tum in signum beneuolentiæ specialis erga parentes, tum in testimonium dignitatis filiorum: ea quoque per Angelos aliquando parentibus annuntiari iussisse. Ita dictum est Abrahæ: *Sara vxor tua pariet tibi filium,*

Lucæ 19. Matth. 1. Gen. 17.

Vocabisque nomen eius Isaac. Zachariæ
Lucæ 1. quoque nuntiauit Angelus: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.* Itaque & hîc Angelus Gabriel missus est ad Virginem, qui diceret, *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Vtrumque enim Deus coniungit; & quando dat filium, honorat parentes; & quando nomen imponit, honorat filium. Coniungamus etiam nos honorem Mariæ matris, & honorem filij Iesu. Proximè enim de sublimissima dignitate matris audiuistis, iam de dignitate filij audietis. Quid dulcius quàm de Iesu & Maria loqui? Ille Rex est, hæc Regina; ille pater, hæc mater nostra; ille caput Ecclesiæ, hæc collum. Sed quid de hoc augustissimo nomine dicemus? quid dixit mellifluus Bernardus? *Mel in ore est* (ad loquendum) *melos in ore* (ad audiendum) *iubilus in corde* (ad cogitandum.) Quid nos igitur de mellifluo Iesu nomine loquemur, quid audiemus, quid cogitabimus? Vt cōstet ratio cur hoc ei nomen impositum sit, demonstrabimus esse nomen super omne nomen: ac proinde conuenientissimum atque aptissimum fuisse vt Christo imponeretur, Primò quidem, quia præ omnibus alijs omnibus maximè pertinebat ad gloriam eius illustrandam. Deinde non parum etiam conferebat ad salutem nostram procurandam, excitando nos ad eam sedulò quærendam, & operibus pijs promerendam.

Bern. in Hymno.

AVE MARIA.

ANtequam de proposita quæstione dicere instituamus, altiùs eruendum est quæ sit vis ac natura, seu propria significatio nominis Iesu: vt hæc notitia toti huic tractatui quasi facem præluceat. Satis constat apud omnes, absque vlla controuersia, æternam, infinitam, immensam, atque incomprehensibilem Dei naturam nullo nobis noto nomine explicari posse, iuxta illud Sapientis: *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius?* Ita docent SS. Patres, secuti D. Dionysium Areopagitam, vbi ait: *Nec sensus Dei est, nec phantasia, nec nomen, nec scientia.* D. quoque Gregorius Nazianzenus, *Deus*, inquit, *nullo nomine exprimi potest: quoniam quemadmodum nemo est, qui aerem totum vmquam hauserit, ita Dei naturam nec mens nec vox vlla complexa est.* Sic etiam D. Bonauentura: *Sicut Deus soli sibi est intelligibilis, ita soli sibi est effabilis, & nominabilis, non alio nomine nec alio vêrbo, quàm ipse sit; & sicut nobis est incomprehensibilis, ita & innominabilis.* Hæc illi. Quare quemadmodum ex sententia SS. Patrum Deus non potest aliquo nomine appellari, quo nimirum tota eius perfectio adæquatè significetur; licet aliqua dentur, quibus officia quædam, excellentiæ seu perfectiones eius quædam designentur: ita persuasissimum quoque omnibus esse debet, inter ea nomina quibus Deum in Sacris litteris nuncupatum legimus, nullum esse quod magis eius naturam attingat, quàm nomen tetragrammaton illud *Iehouah*, quo ipsius aliquatenus essentia significatur. Nam, vt in Exodo legimur, rogatus Deus à Moyse quod esset nomen eius, respondit, *Ego sum qui sum.* q. d. Nomen proprium ac discriminans, quod comprehendere possis, non habeo: sed quod generalissimum est, *Ens*, mihi proprium est; quia sum inuolucrum totius entis: quodque in alijs certis gradibus est distinctum, à me ceu fonte vniuersali dimanat. Hæc porrò eadem

Nullo nomine Deus adæquatè comprehendi potest.
Prou. 30.
Dionys. lib. 1. de Diuin. nomin.
Gregor. Nazian. Orat. 36.
Bonau. in 1. dist. 22.
יהוה
Exod. 3.

eadem significatio est nomiuis *Iehouah:* atque idem planè est, idemque valet *Iehouah*, quod *Ego sum qui sum.* Atque illud est quod Moysi indicat postea in hunc modum: *Ego Iehouah qui apparui Abraham, Isaac & Iacob, & nomen meum Ithouah non indicaui eis.* Quo nomine, vt tradunt Docto-res, significatur essentiæ diuinæ pelagus immensum: hoc est, significatur Deum ab æterno ita fuisse, esse, & futurum esse in æternum, vt sit ipsum suum esse, & principium ac finis omnis entis. Ita D. Dionysius, Gregorius Nyssenus, Damascenus. Tanto autem in honore fuit apud Iudæos hoc nomen tetragrammaton, vt hominibus censerent esse prorsus ineffabile, ἀπόρρητον, & ἀνεκφώνητον: ac proinde Interpretes Scripturæ sacræ passim, vbi occurrebat *Iehouah*, eius loco nomen *Adonai*, vel *Elohim* substituerent. Quin etiam præter summum Sacerdotem vsurpare illud audebat nemo: ipseque non nisi semel quotannis, in templo, atque in die solenni, sacrisque indutus vestibus illud proferebat.

Exod. 6.

Dionys. de Diuin. nomin. c. 1. & 5. Gregor. Nyss. in illud Exod. 3. Damasc. l. 1. Fid. orthod. c. 12.

An Iesus sit Iehouah.

Porrò sanctissimum nomen Iesu, quod Hebraicè *Iehosuah* dicitur, non solùm eminenter, sed etiam formaliter nomen *Iehouah* continere, testatur cumprimis Abulensis, auctor eruditissimus: & doceri facilè potest ex litteris ac radicibus Hebraicis, vt feliciter fecerunt Iustinus martyr, & Galatinus. Vnde etiam nonnulli docuêre idem esse nomen quod Iehoua. Initium certè patet duci à *Iehoua*, finem à radice *Iasah*, id est, *saluare.* Ceterum veluti Iehoua nomen proprium est Dei, ita Iesus est proprium nomen Verbi incarnati, quod omnium aliorum nominum proprietates atque excellentias non modò excedit, sed

Toltatus q. 7. in Exod. 20.

Iustin. Dialog. contra Tryphō. Galatin. l. 2. de Arcanis Catholicæ veritatis c. 9. 10. 11

& complectitur, vti docet D. Augustinus. Illud Iehouah apud vnam tantùm Iudæorum gentem in pretio & veneratione magna fuit, & quidem silentio potiùs honoratum est quàm voce & vsu, & in vnius Pontificis tiara positum: Iesu verò nouem apud gentes tot ac tam innumerabiles celebratissimum est; & quidem tot vocibus, litteris & imaginibus, nummis, pyramidibus, columnis immortalitati memoriæ consecratur, *vt à solis ortu vsque ad occasum vbique magnum & laudabile sit hoc nomen:* adeoque in Pōtificum, Regum Principumque fulget ornamentis, vt ipsa crux, salutis nostræ columna, vitæ baiula, æternitatis monumentum, augustissimo nominis Iesu titulo insignita, splendeat ac triumphet in tribus præcipuis linguis, Hebraica, Græca, & Latina. Denique nomen Iesu, tametsi nominis illius ineffabilis vim contineat, propriè tamen Christo Filio Dei à Patre donatum est, ob præcipuum eius officium quod fuit saluare populum suum: ita asserente Apostolo, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Hoc est, propter merita passionis Christi, nomen Iesu ei donatum est & super omne nomen exaltatum.

August. tract. 3. in Epist. 1 S. Ioann.

Philip. 2.

Hinc facilè intelligi potest illa quæstio, Cur huic soli nomini, non ceteris itidem Dei vel Christi nominibus, non ipsi saltem nomini Trinitatis par cultus, reuerentia specialis aut genuflexio exhibetur? Ergóne maior Trinitate Iesus? minimè. Quid ergo? Ratio primaria est, quia Iesus est nomen proprium & distinctiuum Christi; alia nomina, vt Messias, Christus, Emmanuel, &c. non sunt.

Cur nomini Iesu non alijs nominibus specialis reuerentia debetur?

Altera est ratio, quia significat summum Redemptionis beneficium, quod alia non ita significant. quocircà meritò præ ceteris est nobis honorandum. Rectèque in hoc genere canonem sanxit Gregorius X. qui sic habet: *Quod generaliter scribitur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, singuli singulariter in seipsis implentes (præcipuè dum aguntur Missarum sacra ministeria) gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur.* Ratio ibidem additur: *Quia est nomen super omne nomen, à quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat.* Semper autem intelligendum non ipsum nudum nomen, vt constat talibus litteris aut sono cùm auditur; sed vnà cum re significata ipsum nomen honoramus, videlicet cum persona Filij Dei quæ nos redemit. Sicuti etiam cùm honoramus nomen Mariæ Virginis, vel imagines quasuis, non ipsam materiam seorsum honoramus, sed figuram simul & rem figura expressam. Itaq; cùm audimus nomen Iesu vel Mariæ dici de aliis hominibus, non exhibemus iis reuerentiam, quia non habent in illis suam significationem. Adhæc Clemens VII. idem nomen Iesu 15. die Ianuarij festiua celebritate ornauit, concessis insuper amplissimis Indulgentiis. Idem Missa propria piisque Litaniis religiosè in Ecclesia est cohonestatum. Idem elegãtissimè passim in libris, parietibus ac templis fingitur aut pingitur, non apud Catholicos tantùm, sed etiam iconomachos Caluinistas. Vt omnes quotquot eius notitiam adepti sunt possint cum Psalmographo dicere, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.*

Gregorius X. in Sexto, de Immunitate Ecclesiæ cap. Decet.

Actor. 4.

Vide Molanũ in Martyrolog. Vsuardi, eodẽ die.

Psal. 33.

Iam exoritur quæstio nostra principalis, Cùm varia Christo nomina conueniant vel vt Deo, vel vt homini simul & Deo, eaque magno numero in Scripturis ei attribuantur; quare potiùs hoc nomen ei impositum est quàm aliquod aliud? Respondeo: In primis, quia excellentissimum & gloriosissimum ipsi erat, & verè nomen super omne nomen cælestium, terrestrium, & infernorũ. Quin etiam certissima fide tenendum est, hoc nomen Iesu dignitate ac maiestate sua transcendere omne nomen, quodcumque in cogitationem aut cognitionem cadere potest, siue humani siue Angelici intellectus. Nam quemadmodum ipse Iesus Dei Filius est prorsus ineffabilis & incomprehensibilis: ita & diuinissimum eius nomen nemo dignè comprehendere aut eloqui posset; vt rectè dixerit Propheta Ieremias: *Magnus es tu, & magnum nomẽ tuum.* q. d. Ideò est tanta nominis tui excellentia & magnitudo, quia tu magnus es. Enimuerò vt clarissimè demonstremus, hoc augustissimum Iesu *nomen esse super omne nomen*, teste Apostolo, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum:* sequamur hanc totius vniuersitatis diuisionem in tres partes: atque ordine & via procedentes, à terrenis nominibus, tamquam à notioribus initium ducamus: inde quæ infra terras sunt, quæque supra cælos exsequamur.

Cur Christus hoc nomen proprium potiùs acceperit, quàm aliquod aliud.

Iere. 10.

Philip. 4.

Ecquid mirum si Iesu nomen statuatur super omne nomen creaturarum, cùm sit nomen Dei? Ac in terris quidem obseruamus, variis de caussis nomina imponi solere ab hominibus, longè aliter quàm à Deo. Voce-

Iesu nomen super omne nomen, Primò creaturarum terrestrium.

Vocetur, inquiunt, puer noster Ioannes, quia die S. Ioannis natus est. Vocetur Paulus, vt Apostolum studeat imitari. Vocetur Petrus, quia pater eius atque auus hoc nomen gesserũt, vt in eo conseruetur illorum memoria. sic Ioannem Baptistam cognati volebant appellare Zachariam, nomine parentis. Interdum casus aliquis consideratur, vt cùm Ioseph vocauit filium natu maiorem Manasse, quòd Deus illi malorum præteritorum attulisset obliuionem: alterum verò Ephraim, quia bonorum omnium copiam, opesque ingentes acquisierat. Subinde perfectio aliqua seu conditio pueri spectatur: sicuti Esau nominatus est, quia rufus; Iacob, quia supplantator. Atqui huiusmodi nominum impositio ab hominibus facta sæpè fallax est & incerta. verbi gratia: Filius ille Dauidis Absalon dicebatur, quod perinde est Latinè ac *patris pax*, cùm reipsa fuerit bellum patris. Appellabatur alius in Actis Apostolorum Ananias, id est, gratia Dei: mores autem eius cõtra Dei gratiam fuêre. suntq; multa eiusmodi exempla in diuinis scriptis & humanis. At verò impositiõ nominum quæ à Deo fit, non casu sed consilio fit, semperque est certa & vera. Semper quoque cùm nomen aliquod indit Deus, aliquam hominis perfectionem designat. Sic Simonem Ioannis vocauit Cephas, Petrum siue petram, quia super hanc petram ædificaturus erat Ecclesiam suam. Baptistas vocauit Ioannem, id est, gratiam, quia debebat Præcursor esse ante gratiam, seu legem gratiæ inchoare. Ita quoque olim in veteri lege Abram dictus est Abraham, id est, pater multarum gentium. Iacob appellatur Israel, quia contra Deum fortis fuerat, cum Angelo colluctando. Denique Deus Filium suum hominem factum vocauit Iesum, quod honorificentissimum nomen est, & aptissimum ad significandam eius perfectionem essentialem, officiumque præcipuum, quod erat saluare mũdum. Hanc quippe rationem dat Angelus Iosepho, *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* In hoc opere videlicet Deus ostendit maximas diuitias potentiæ suæ, sapientiæ, bonitatis, gloriæ: ideoq; hoc nomen Iesu, quod tale officium Saluatoris significat, ad eius illustrandam gloriam maximopere confert, neq; potuisset ei maius aut illustrius dari. Hoc nimirum est *nomen super omne nomen*, quod tam perfectum, tam gloriosum, tam triumphale, vt vincat omne nomen quod vel in terris, vel infra terras, vel in cælis nominari potest.

Varia nominum origina-tio.

Actor. 5.

Matt. 16.

Luc. 1.

Gen. 17.

Gen. 23.

Matth. 1.

In terris magna sunt nomina Magnatum in Hispaniis, & Galliis, & alibi: maiora Principum, Regum, Monarcharum, siue Imperatorum: adeoque dum audiuntur nominari, solent homines iis honorem habere, caput aperiendo, vel inflectendo, genua incuruando, vel in terram procidendo. Tale nomen habuit Dauid, & Salomon in omni gloria sua, aliiq; permulti sine numero apud omnes nationes. Itaque Regi Dauid dicebat Dominus: *Fecique tibi nomen grãde, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Vbi obiter notandum est, duplici ratione Principes magnum & immortale sibi nomen comparare, vel bello vel pace: sicuti Dauid bello, Salomon pace. Christus autem vtroque modo, nempe debellato dæmone, morte, peccato, vt ait ipsemet, *Nunc princeps huius mundi eiicietur*

Nomina Princip.

2. Reg. 7.

Ioan. 12.

Coloss. 1. *cietur foras:* deinde *Pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in cælis sunt, siue quæ in terris.* Ceterùm omnia hæc nomina terrenæ potestatis, quantumuis magna hominum existimatione, nequaquam magna sunt, sed minima potiùs, si cum nomine Iesu conferantur. Sunt enim terrestria vt minimùm, hoc verò cæleste ac diuinum est, quod omnia alia nomina creaturarum debent adorare, vt dicit Regius

Psal. 148. Propheta: *Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes Iudices terræ laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomē eius solius.* Ecce igitur magnum nomen Domini super omne nomen.

Nomina Pontificū. Maiora his haud dubiè nomina sunt Romanorum Pontificum, quæ sibi pro suo arbitratu in consecratione sua honoris causa adsciscunt, quando Oleo sancto in summos vnguntur Sacerdotes. Tum enim alij Pij, alij Clementes, alij Innocentij, alij Bonifacij, alij aliter honorificentiùs appellari incipiunt. At longè & excellentia & mysterio hæc omnia superat sacrosanctum nomen Iesu, quod non hominum arbitrio, sed Dei auctoritate Christo inditum est, quando à Spiritu sancto vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, nempe christis Domini, in Regem hominum & Angelorum, simulque in summum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech.

Nomina Romanorum. Romæ quoque antiquitus magna nomina floruêre Imperatorum, Dictatorum, Consulum, aliorumque, præcipuè qui de Regno aliquo vel prouincijs subactis illustres victorias laudesque egregias reportarunt: qui & inde nomina eximiosque titulos sibi pepereruut, vt Asiatici, Africani, Germanici, Britannici, Macedonici, Numidici in perpetuum appellarentur. At Dei Filius in hunc mundum velut in arenam descendens, vt tres tyrannos debellaret, diabolum, eiusque collegas; non in fine victoriæ, vt illi, sed in principio certaminis Iesu nomen excellentissimum sibi peperit. Interim quantumuis illud initio acceperit, tamen magno ei constitit, nempe humilitate incarnationis, & cruenta circumcisione. Nullo quidem pretio comparat Princeps aliquis sibi nomen Regis, quod à patre simul cum Regni hereditate accipit: & Romani, licet nomina propria & cognomina haberent valdè illustria; tamen neque pretio neque labore vel periculis magnis constare debuerunt. At nomina Asiatici, Africani, &c. non nisi summis laboribus, & multo sanguine, Asia & Africa subiugatâ, sibi comparabant. Ita Christus nomen Dei Verbi, Sapientiæ Patris, lucis, pulchritudinis paternæ, imaginis Patris, atque alia multa à Patre simul cum essentia diuina sine labore habet: nomen verò Iesu, eiusque exaltationem, à cruce, à sanguine, à redemptione mundi adeptus est. Hinc illud principis Apostolorum: *Empti enim estis pretio magno.* & illud alterius 1. Cor. 6.

Principis: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso Sanguine, quasi immaculati agni.* Glorientur itaque veteres speciosis illis nominibus, & eximijs titulis; sed glorientur Christiani nomine Iesu, quod multo est omnibus speciosius. Illi subiugauerant populos, & captiuos in seruitutem abduxerant; hic totum mundum seruitute liberauit. Illi ferro igniq; omnia vastarant, hic vita & sanguine suo omnia nobis reparauit. O nomen gloriosum! nomen triumphale! nomen super omne nomen! 1. Petr. 1.

Quid, quòd non Ierosolymis modò,

Nomina barbarorum, vt Sinarum & Tartarorum.

dò, vel Romæ, ſed in media quoque Barbaria magna nomina clauêre? Hiſtoriæ referunt, in Cataio ſeu China (Sinas alij vocant) ingentes prouincias eſſe numero quindecim, ſubdiuiſas in centum ac quinquaginta octo regiones, ſeu Regna minora, vbi Proreges ſunt, ferè vt mediam Europam exæquent. Ibi ſingulis in prouincijs auream tabulam, velatam, inſcriptam Regis ſupremi ſiue Monarchæ nomine cuſtodiri ſolitam. Eam tabulam ſingulis Nouilunijs, velo reducto, Satrapas & Præfectos omnes honoris cauſa inuiſere, & æquè ac Regem ipſum adorare. Videntur autem Sinæ hunc morem didiciſſe à Magno Tamerlano, à quo etiam debellati fuerunt, & longo tempore ſeruitutis iugum ferre coacti. Hunc ferunt Calendas Ianuarij hac cærimonia celebrandas curaſſe, vt paſſim Sacerdos nomen ipſius Principis aurea tabula inſcriptum, coram omnibus proceribus ac populo, alta voce ſolemniter pronuntiaret: quo audito vel eminus ſpectato, cuncti in faciem prociderent, atque illud adorarent. Quid amplius homini ab hominibus exhiberi poſſet? Sed reuerà diuiniſſimo nomini Ieſu longè profundior reuerentia debetur, adeoque præſtatur à Chriſtianis, non in prouincis ſingulis, ſed in Eccleſijs; neque initio menſis aut anni tantùm, ſed omni ferè tempore & loco. Sol ipſe, decor vniuerſi, non ita faciem terræ exhilarat, ſicut hic Sol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus, ſeu nomen Ieſu glorioſiſſium nos omnes ad lætitiam excitat, illuminans omnem hominem veniẽtem in hunc mundum: & quemadmodum verus ſol ſuis ſplendoribus aſtra cælorum obſcurat vt non appareant; ita hic Sol omnia terræ nomina tenebris inuoluit. Neque fruſtrà Eccleſia Catholica nomen Ieſu depingere conſueuit in medio radiorum ſolis: ſed huiuſmodi claritatem ei iuſtiſſimis de cauſis attribuit, nobiſque ante oculos ponit, admirationis cauſa. Ecce iterùm nomen ſuper omne nomẽ quod in terris nominatur.

Nomina infernorum.

Quid de nominibus dicam infernorum? *Non eſt nobis colluctatio*, inquit Apoſtolus, *aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum* Auditis hîc quoque grandia nomina? Certè quidem, teſte Propheta Iob, *non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur eis*. Sed venerabile nomen Ieſu coguntur omnes principes tenebrarum adorare cum tremore & horrore, quia *credunt & contremiſcunt*. Neque opus eſt hoc multis declarare. Patet quippe experientia in energumenis, quoties hoc nomen debita cum reuerentia nominari audiunt, toties eos omnibus artubus tremere ac trepidare. Hinc & Apoſtoli cùm alia miracula in nomine Ieſu faciebant, tum dæmones eijciebant, atque ea de re gloriantur in Euangelio. Et D. Paulus in Actis Apoſtolorum, *Præcipio tibi*, inquit, *in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea*, ſcilicet puella. Id ipſum facere ſoliti ſunt alij fideles, vt Chriſtus ijs promiſerat: *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent*. &c. Doctores quoque in illud Lucæ 11. *Filij veſtri in quo eijciunt?* aſſerunt Iudæos, cùm animaduerterent ſua exorciſmata nihil valere ad dæmones pellendos; diſcipulos autem Chriſti in nomine Ieſu eos pellere; eodem nomine etiam vti cœpiſſe. Tanta ſiquidem vis nomini Ieſu ineſt contra dæmones, vt nonnumquam etiam à

Epheſ. 6.
Iob. 41.
Iacob. 2.
Luc. 10.
Act. 16.
Marc. vl.

malis nominatum sit efficax. quod docens Iesus dicebat: *Multi dicent mihi in illa die, Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* Hinc etiam legimus ibidem, fuisse quosdam qui in nomine Domini dæmonia eijciebant, nec tamen Dominum sequebantur. Epiphanius scribens aduersus Ebionitas, refert Iosephum quemdam, hominem Iudæum, necdum fide Christi imbutum, in nomine Iesu dæmoniacum liberasse. Quid mirum igitur si apud Catholicos semper in vsu fuerit hoc remedium contra dæmonia, eorumque infestationes ac maleficia, vt docent SS. Patres, quorum testimonia grauissima colligit Gretserus? Iustinus martyr scribit etiamnum suo tempore emergumenos curari atque à dæmonibus liberari solitos inuocatione nominis Iesu. Bernardinus quoque complura habet exempla huius remedij, quorum quædam etiam experimento ipse didicit. Rationem quoque affert: quia nomen Iesu signum est repræsentans omnia quæ Deus vndique fecit propter salutem humanæ naturæ, quæ dæmones exhorrescunt, maximeque victoriam in cruce partam, ob quam in titulo crucis poni voluit Iesum. Atque hæc de loco inferorum. De Purgatorio enim lubens tacebo, cùm nemo dubitet quin hîc quoque reuerentia debita nomini Iesu exhibeatur. Quotquot enim hîc detinentur, huic nomini salutem suam acceptam referre coguntur. Cumque non sit *aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*; sicuti in lucidissimo astrorum choro nulla est stella quæ suam à Sole non mutuetur lucem; ita nullus Sanctorum vel electorum saluus euadit, nisi in nomine Iesu.

Matth. 7. Epipha. hæresi 30. Gretser. lib. 4. de Cruce c. 41. Iustin. Mart. Apol. 1. pro Christianis. Bernardinus tom. 4. Serm. 48. Act. 1.

Ad cælos itaque ascendamus. Magna quippe sunt illic nomina Principatuum & Potestatum, & Virtutum, vt Angelos Archangelosque missos faciam. Et maiora sunt nomina Cherubinorum, ac Seraphinorum, septemq; spirituum præcipuorum, quos Sacræ litteræ celebrant. Quin imò constat singulos in his ordinibus nomen proprium gerere, alios alijs illustrius. Dicebat enim Angelus ille Iacobo Patriarchæ: *Quid quæris nomen meum quod est mirabile?* Sed profectò infinitè distant omnia ista ab admirabili nomine Iesu, quod est super omne nomen. Vnde illud Apostoli: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ad quem Angelorum dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Ratio verò manifesta est, quia vniuersa Angelorum nomina creaturarum sunt atque seruorum: nomen autem Iesu est filij Dei, & Creatoris & Domini Angelorum, quem omnes Angeli debent adorare, vt rectè prosequitur Cyrillus his verbis. *Ille creator est, isti creati per ipsum: ille adoratur, isti adorant: illi vita participant à Deo sibi data, iste vita largitor est. Ille clamat: Ego & Pater vnum sumus; isti tales emittere voces nec audent, nec debent.* Cùm si ergo talis distantia inter Angelos & Iesum; meritò nomen Iesu dicitur nomen super omne nomen: &, vt D. Paulus ait, *supra omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

Nomina cælestiū. Gen. 32. Hebr. 1. Cyril. l. 8 Thesaur. c. 2. Ephes. 1.

Parum adhuc est quod hactenus diximus, quando gloriosissimum Iesu nomen exaltatum est non modò super

Nomina Dei.

ſuper omne nomen creaturarum, ſed etiam ſuper omne nomen Dei. Nam vnum quidem Dei nomen fuit olim in veteri Teſtamēto diuinorum omnium nominum diuiniſſimum, tetragrammaton, nempe Iehoua: ſed hoc ſi cum nomine Ieſu conferatur, & minus eſt, & obſcurius, vt ſuperiùs probatum eſt. Cetera verò Dei nomina, quotquot hominibus innotuêre, ſignificant varia Dei opera ſeu officia in gubernatione mundi, atque ab iiſdem operibus deſumpta ſunt, vt teſtatur præter alios D. Gregorius Nyſſenus. Quemadmodum enim nos Deum intellectu complecti ac comprehendere non poſſumus propriè, vt in ſe eſt, ſed vt per opera ſit manifeſtus: ita Deum iidem nominare non poſſumus vt eſt in ſeipſo; ſeu comprehendere nomine aliquo totam eius eſſentiam & omnes eius perfectiones, ſed ex operibus eius nomina deducimus, appellantes Regem, Dominum, iudicem, iuſtum, ſapientem, potentem, bonum. D. Hieronymus decem Dei nomina præcipua è diuinis ſcriptis colligit, quæ ſimiliter ab effectibus ſumuntur, vt *Sabaoth*, id eſt, *Dominus exercituum*, quia in ordinem redigit creaturas: *Sadai*, hoc eſt, *ad omnia ſufficiens: Eloi*, quod eſt *iudex: Adonai*, ſiue *Dominus*, &c. At D. Dionyſius libro de Diuinis nominibus, quinque & quadraginta Dei nomina enumerat. Doctores Hebræorum ex vno cap. 14. Exodi ſeptuaginta Dei nomina colligunt, vt refert Franciſcus Venetus. Quin & nomen Deus, ſiue Θεὸς, Græcum eſt, cuius radix ſignificat *prouidere*, aut *gubernare*, quia Deus omnia gubernat. Ceterùm ita exaltatum eſt ſolum nomen Ieſu, vt ſit abſolutè ſuper omne nomen, vt in ſolo iſto nomine omne genu flectatur. Quid ita? quia nomen Ieſu impoſitum eſt à maximo Dei opere, quod eſt ſuper omnia Dei opera, nempe ab opere redemptionis humanæ per incarnationem & paſſionem Filij Dei: quod opus cùm excellentiſſimum, Deoque glorioſiſſimum fuerit, conſequens eſt, nomen Ieſu, quo id ſignificatur, inter Dei nomina ſupremum eſſe.

Gregor. Nyſſ. Hom. 1. in Cant.

Hieron. epiſt. 136

Franciſ. Venetus de Harmonia mundi.

Peruenimus tandem ad nomina ipſiuſmet Filij Dei, ſiue vt Deus in ſe ſpectetur, ſiue vt Deus ſimul & homo. Nam vt Deus, ab omni æternitate nominatus eſt filius, Verbum Dei, virtus Dei, ſapientia Patris, imago Patris, candor lucis æternæ, ſplendor ſubſtantiæ Patris. In tempore verò homo factus varia ſortitus eſt nomina, partim propriè dicta, partim Metaphorica. Propriæ ſignificationis erant, v. g. *Chriſtus, Meſſias, Emmanuel, Rex Regum, Dominus dominantium, ſummus Sacerdos, Iudex viuorum & mortuorum, Rabbi, Magiſter, & preceptor; Iuſtus, Bonus, Admirabilis, Conſiliarius, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis, amicus, dilectus*, &c. Sic enim de eo ſcriptum eſt: *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. & Dominus iuſtus noſter.* Et Chriſtus ſignificat Regem, Prophetam & Sacerdotem, quia hi ſolebant vngi oleo pretioſo & odorifero, ad obeunda maiori cum dignitate officia tam excellentia; vt patet ex Scripturis ſanctis, in quibus alia præterea multa eius nomina reperiuntur, ac celebrantur. Porrò iſta omnia non ſunt nomina propria, ſed communia & quaſi cognomina: Ieſus autem nomen eſt ſuper omne nomen, quia eſt nomen proprium & diſtinctiuum Filij Dei, quod omnia nomina ſeu per-

Nomina Filij Dei propriè dicta.

Iere. 23. Act. 10.

De ſacerdote, Exod. 28. *De Regibus*, 1 Regum 10. *De Prophetis*, 3 Reg. 19

perfectiones nominum aliorum cõplectitur. Iesus enim Hebraicè Iesuah, vel Iehosuah, id est, Deus saluans dicitur, significans opus nostræ salutis seu redemptionis humanæ, in quo, & per quod verè factus fuit Christus, Rex, Sacerdos, Dominus, Iustus noster, quia iustitiæ Patris se subiecit pro nobis; & sic de ceteris. Deinde hoc nomine disertè exprimitur Christi diuinitas pariter ac humanitas, quandoquidem nullus alius nisi verus Deus & homo, generis humani Saluator esse poterat.

Nomina Filij Dei metaphorica. Alia eiusdem nomina metaphorica sunt, vt Sol iustitiæ, Sponsus, leo de tribu Iuda, pastor, ostium, via, veritas, vita, petra, vitis, lapis angularis, lux, principium, & alia huiusmodi plusquam triginta quæ numerat D. Hieronymus. (Hieron. Ezec. 36.) quæ omnia, cùm significent aliquid mysterij quod pertinet ad opus nostræ salutis, manifestè sub nomine Iesu & propria eius significatione comprehenduntur.
1. Quocircà hæc est prima & potissima ratio, cur nomen Iesu super omne nomen venerabile sit: quia sicuti in auro cetera metalla, ita & in hoc nomine virtus & significatio omnium diuinorum nominum, eorumque mysteria continentur.
2. Secundò, non ab homine aliquo vel creatura id Christo nomen impositum, sed à sacrosancta Trinitate.
3. Tertiò, ab Angelo in terras delatum, & tam Mariæ Virgini, quàm Iosepho annuntiatum.
4. Quartò, quia res, à qua nomini huic origo, ipsa, inquam, salus est omnibus gratissima, maximeque necessaria & vtilis.
5. Quintò, quia per illud nomen, idque solum, nobis ad æternam felicitatem patet
Actor. 4. aditus. *Non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet nos saluos fieri.*
6. Sextò, per illud miracula innumera, & portenta omnia quo effecta sunt.
7. Septimò, quia id ab Angelis & hominibus, damnatisque summè honoratur. Itaque hæc est nostra obligatio, hoc debitum nostrum, hæc necessitas omnibus imposita, vt profundissima animi submissione veneremur nomen Iesu, quia sic exaltatum est super omne nomen, & incomparabile continet ac repræsentat beneficium nostræ redemptionis.

Dubitatio prima, de Prophetarum discrepãtia. Finis hîc statui poterat huic argumento, nisi priùs dissoluenda essent quæ dubia sunt, aut in contrarium obiici possunt. Primò igitur quæri potest, quomodo non Euangelio aduersentur Prophetæ qui longè alia nomina venturo Messiæ assignarunt? Nam Isaias hoc modo vaticinatur: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* (Isa. 7. 8. 9) & infrà: *Vocabitur nomen eius Accelera, Spolia detrahe, Festina prædari.* itemque: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Zacharias ait: *Oriens nomen eius.* (Zachar. 6) Hanc porrò apparentem discrepantiam obiecerunt nobis pagani, vt refert Iustinus (Iustin. aduersus Gẽtiles, resp. 138.): item Iudæi, vt meminit Theophylactus (Theoph. in Matt. 1): hæretici quoque, vt Marcion, &c. (Tertull. l. 3. cõtra Theoph.)

Respondent verò communiter SS. Patres, Augustinus (August. Ser. 8. de Natiuit.), Bernardus (Bernard. Ser. 2. de Circũcis.), Chrysostomus (Chrysost. Hom. 5. in Matth.), & ipse D. Thomas (D. Tho. 3. p. q. 37.), Christum habere multa nomina appellatiua seu communia, sed vnum nomen proprium, nempe nomen Iesu. Deinde, diuersa nomina Christi significare diuersas proprietates, cõditiones, seu perfectiones eius; sed nomen Iesu significare perfectiones omnium, & omnia alia nomina complecti;

plecti; ideoque rectè ab Apostolo dici nomen quod est super omne nomen. Ratio est, quia omnia illa referuntur ad significādum mysterium redemptionis nostræ, sed non tam perfectè significant illud quàm Iesus. Omnia enim significant vel principium istius mysterij, vel progressum, vel finem. Sic quando vo-
1. candus *Emmanuel* dicitur, non quasi nomen proprium illi tribuitur, sed res eo nomine significata illi asseritur conuenire: ideoque Emmanuel vocari posse, quia Deus per incarnationem noster est factus, & nobiscum Deus. Sic & *Oriens* apud Zachariam indicat initium redemptionis nostrę.
2. Progressus verò significatur illa loquendi forma, *Accelera, Spolia detrahe, Festina prædari.* Festinauit enim Christus, quantum potuit, prædari siue animas hominum, quarum salutem sitienter expetebat, siue Patres suspirantes ex Limbo. vnde illæ vo-
Ioan. 13. ces ipsius, *Quod facis, fac citiùs.* &,
Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Clarissimè autem & efficacissimè id indicauit Psalmographus dicens:
Psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendã viam, à summo cælo egressio eius, & occursus*
Gen. 14. *eius vsque ad summum eius.* Figura huius fuit Abraham Patriarcha, qui celerrimè, postquam intellexit Lot captum ab hostibus & abductum, armatis copiis insecutus illum cum omnibus aliis eripuit. Ita enim Christus velociter salutē nostram opera-
Coloss. 2. tus est, *exspoliando principatus & potestates: ac traducendo illos confidenter,*
3. *triumphando illos in semetipso.* Finis denique operis eiusdem redemptionis nostræ significatur aliis nominibus apud eumdem Prophetam, vbi
Isaiæ 9. ait: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius*, &c. De quo sic D. Bernardus: *In his omnibus vnum inuenies* Bernard. Ser. 2. in Circūcis. Domini.
nomen Iesu, sed expressum quodammodò & effusum. nempe ipsum est de quo Sponsa in Cantico amoris ait, Oleum effusum nomen tuum. Singula autem ibidem fusè explanat. *Admirabilis.* Quamobrem tam ignominiosam mortem elegit pro hominum salute, quam mille modis aliter potuisset procurare? quare per pauperes piscatores voluit mundum conuertere? quàm admirabilis etiam quotidie in conuersione peccatoris, in mutatione voluntatum eius; dum incipit respuere quod antè diligebat, dolere vnde anteà lætabatur, & contrà amplecti quod priùs horrebat? Hoc ibidem maximè S. Bernardus admiratur. *Consiliarius.* Quàm profundi consilij fuit gentiles eligere, Iudæos reprobare? *O altitudo diuitiarum sa-* Rom. 11.
pientiæ & scientiæ Dei! quis consiliarius eius fuit? Deinde, quàm sapienter dirigit animas electorum per seriem beneficiorum quæ iis quotidie confert? quomodo iuuat illas consilio & scientia, ne zelo exorbitent inordinato? quomodo viis incognitis perducit ad cælum? *Deus fortis.* Tametsi homo, mortalis, humilis, patiens; tamen fortis, tamen Deus: etsi ligatus, & affixus cruci; solem, astra, totumque orbem commouebat; *& ex-* Ioan. 12.
altatus à terra, omnia traxit ad se. Pater futuri sæculi. Ecce finis omnium laborum & consiliorum eius, vt per illum scilicet resurgamus aliquando ad immortalitatem. ideò ab initio cogitauit dies antiquos, & annos æternos in mente habuit. *Princeps pa-* 1. Cor. 5.
cis, videlicet *in se recōcilians ima summis*, cælum terræ, Deum homini: Coloss. 1.
Princeps pacis, gaudijque electorum in cælis. Ecce vt hæc omnia nomina

complectitur in se nomen Iesu, sicuti sol omne lumen quod sparsum est in astris. Verè igitur nomen super omne nomen. Quemadmodum deniq; libri titulus virtute omnia continet quæ in eo libro traduntur: sic nomen Iesu totam Christi mysteriorum seriem & œconomiam. Breuissimè id docet D. Bernardus. *Admirabilis in incarnatione, Consiliarius in prædicatione, Deus in miraculis, Fortis in passione, qua inermis hostes debellauit, Pater futuri sæculi in resurrectione, Princeps pacis in regimine Ecclesiæ militantis ac triumphantis.* hæc est œconomia mysteriorum Christi.

Bernard. Ser.10.ex paruis.

Secunda dubitatio de nomine Saluatoris.

Secundo loco exsurgit dubitatio, cùm totius Trinitatis sit saluare (tam enim Pater, quàm Filius & Spiritus sanctus simul & indiuisè nostram salutem operantur, peccata remittūt, dant gratiam & gloriam) quid est quòd nomen Iesu siue Saluatoris tamquam proprium imponitur soli Christo, siue Filio Dei incarnato? Respondetur id fieri vt significetur verè quidem Deum salutem efficere, tamen modum efficiendi salutem exhibitum esse per Christum Dei Filium & hominem. ipse enim est qui satisfecit pro peccatis nostris, *Factus propitiatio pro mundi peccatis, ipse mediator Dei & hominum, in quo instaurata sunt omnia.* Eapropter nomen Iesu proprium sibi obtinuit: quia hęc non communia Trinitati, sed propriè opera eius sunt.

1.Ioan.2. Ephes.1.

Tertia dubitatio de aliis qui idem nomen gesserunt.

Tertia & postrema quæstio est, quomodo etiam aliis quibusdam hominibus datum fuit hoc nomen Christo proprium? Deinde quomodo illud non honorâmus, cùm de aliis nominari illud audimus? Respondeo, Legimus quidem in Scripturis sacris tres adhuc partim Duces, partim Doctores populi illud nomen gessisse: sed non exhibemus reuerentiam vllam, nec agnoscimus vllam obligationem cùm de illis hoc nomen commemorari audimus. nimirum quia illis tantùm in figura fuit tale nomen, ad præsignandum verum Saluatorem. Deinde quia illis tantùm conuenit secundùm litteras & sonum vocis, nō autem secundùm rem contentam, seu significatam. Sed cùm nomen Iesu de Filio Dei nominatur, accipitur vnà cum nomine res siue persona significata, videlicet persona Filij. Verùm de hac quæstione D. Bernardum audiamus: *Duos Iesus lego*, inquit, *in typo huius, quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse: quorum vnus populum suum de Babylone eduxit, alter suum in Terrā promissionis introduxit. Et illi quidem illos, quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed numquid saluabant à peccatis eorum? Is autem noster Iesus & à peccatis saluat populum suum, & introducit in terram viuentium. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Vtinam & me peccatorem dignetur Dominus Iesus annumerare populo suo, vt saluum me faciat à peccatis meis. Verè enim beatus populus, cuius iste Iesus Dominus Deus eius, quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* hactenus Bernardus. Vbi duos habemus eodem nomine celebratos, Iesum filium Iosedech, & Iosue filium Naue: quibus tertium addere possumus Iesum filium Sirach, auctorem libri Ecclesiastici, qui cælesti doctrina filios Israel erudiuit. maximè autem secutus est libros Salomonis, & sententias eius collegisse videtur: vnde & à nonnullis citatur sub nomine Salo-

Bernard. Hom. 3. sup. Missus.

Cyprian. lib. de Exhort. martt. c. 9. &c. Clemēt Alexand lib. 7. Str. August. l. de Cura pro mortuis. Tertull. l. contra Iudæos, cap. 9. Origen. Hom 2. in Exod. Eusebius lib. 4. Demōst. Euang. c. 27. 28. 29. *Σωτῆρες, Saluatores.*

Salomonis, vt à D. Cypriano, Clemente Alexandrino, D. Augustino. Illustris porrò figura fuit Christi Domini, qui doctrinam Euangelij Apostolis suis totique Ecclesiæ reliquit. sed de his latiùs agunt Tertullianus, Origenes, Eusebius.

Legimus etiam in veteris Instrumenti codice nomen Saluatoris aliis datum, vt Iosepho in Ægypto à Pharaone, & in libro Iudicū de Iephthe, Gedeon, Samson dicitur, *Suscitauit Deus illis Saluatorem.* Item apud Græcos & Romanos quidam fuêre Saluatores, dicti propriè σωτῆρες, quod verbū Latinè reddi nō posse M. Tullius docet. Sed longè alius σωτὴρ fuit Iesus: illi etenim liberabāt populum fortè vnius Prouinciæ aut Regni; hic populum totius vniuersi: illi ab hostibus visibilibus, qui corporibus & vitæ nocere poterant; hic ab hostibus inuisibilibus, à peccatis, & à morte animæ: illi interdum è carceribus, hic ab inferno reducit ad cælum: illi generosis quidem facinoribus hoc nomen meruerunt, sed militum ferè operâ, & periculis aliorum potiùs quàm suis; hic suis laboribus & suis victoriis, sua humilitate & patientia mensuram nominis Iesu impleuit. Denique vt demus aliquos hoc nomine appellatos quoad vocem, aliquos etiam propter particulā quamdam significationis: at certè plena nominis significatio soli competit Christo, qui verè ac propriè saluat, & salutis ex omni parte est auctor ac parens. O igitur verè nomen Iesu, quod est super omne nomen, dignum quod auro passim ac gemmis ornetur, & dignius multò quod omnibus animæ nostræ facultatibus, & medullis cordium penitissimè immatur, de quo mox pluribus agendū.

Secunda pars, ad nostram salutem.

Itaque instituti memores, id quod secundo loco propositum fuit exsequamur, quomodo non suam tantùm gloriam Dominus noster Iesus Christus, sed & nostram salutem pariter spectarit.

Primò excitat ad gratiarum actione.

Vtique dum hoc nomine vocari maluit, quàm aliud aliquod ab infinitis perfectionibus suis assumere, vt summum erga nos amorem ostenderet, quos tanto pretio redemit: haud dubiè meritò vicissim à nobis requirebat, vt vel ipso nomine audito omnium animi excitarentur ad laudes perpetuas & continuas gratiarum actiones. Meritò ei omne genu flectendum, præceptis salutaribus monita, & diuina institutione formata nos docet Ecclesia; tum vt latriæ cultu congruenter adoretur in eo diuinitas, tum vt incomparabile nostræ salutis beneficium agnoscatur. Qua de causa etiam illud aureis circumfusum radiis in sole constituit, vt Christianos doceat, reliqua Dei opera percipi ac comprehendi aliqua ratione posse; opus verò incarnationis ac redemptionis esse mysterium à sæculis incognitū, & hominibus, adeoque Angelis incomprehensibile. Sicut enim oculus hominis non potest directè in solem defigi, vt contempletur, propter ipsius nimium fulgorem: sed cùm illum aspicit caput inclinat, oculosque demittit: ita nomen Iesu quasi lux quædam immensa est, nobis ingenti cum stupore ante oculos ponens summam quamdam ac compēdium omnium operum & beneficiorum Dei. Nomen Iesu quasi memoriale est diuinissimum & gratissimum omnibus, de quo accipi possit illud Isaiæ, *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ.* Memoriale, inquam, quia iugem memoriam excitare

Isaiæ 26.

tare debet omnium meritorum ac beneficiorum Christi, quotiescumque illud audimus. Non fuit satis beneficium redemptionis frequenter in Scripturis repeti, vt memoriam nostram iuuent: non fuit satis Euangelia esse à Spiritu sancto dictata ad memoriam tanti amoris nobis exhibiti, eaque in totum orbem diuulgata, fidelissimeque à quatuor Scribis consignata esse: non fuit denique satis, ad id quoque Sacramenta instituta, & Missæ sacrificium, & festos dies, (nam ista non satis sæpè accidunt & iterantur pro tali tantoque beneficio:) opportebat memoriam iugem esse in Ecclesia huius maximè beneficij: ideoque nomen Iesu datum est, quod esset memoriale perpetuum: vt quotiescumque audimus, excitare nos posset ad amorem & gratitudinem & obsequia ei rependenda. Sicuti ergo erecta statua aurea præcepit Nabuchodonosor, vt auditis vocibus Musicorum omnes genua flecterent coram statua sua aurea: ita nomen Iesu musica est dulcissima, & eo nomine audito flectendum est genu coram Domino Iesu, Deo nostro vero, & in laudes effusissimas erumpendum. Quin imò frequenti recordatione & inuocatione huius augustissimi nominis, optandum est vt intimis cordibus nostris, quo ad eius fieri potest, insculpatur: exemplo D. Ignatij martyris, cuius in corde inuentum illud fuit litteris aureis exaratum, vt grauissimi aliquot *Auctores affirmant. Molanus quoque scribit se alicubi vidisse in manu eius cor, cui litteris aureis inscriptum erat nomen Iesu. Fuitque hæc semper pia traditio, leones præ reuerentia, reliquo martyris corpore discerpto, non fuisse ausos cor eius attingere. Nam cùm in

Dan. 3.

*S. Anto. p. 1. suæ Histor. tit. 7. c. 1. §. 11. Metaph. in Vita eius. Petrus de Natal. l. 3 c. 64. Vincent. l. 10. c. 57 Polancus de Adiuuād. mor. Molan. lib. de Picturis. Biel lect. 59. in Can. Missæ. Iac. Vorag &c.

passione sua numquam ab inuocatione huius nominis cessaret; rogatus fertur ab ipsismet tortoribus cur toties idem nomen proferret: tum ille, Hoc nomen cordi meo inscriptum gero, inquit, ac proinde ab eius inuocatione cessare non valeo. Post mortem voluerunt (vtique diuinæ virtutis impulsu) eius dicti veritatem explorare, & nomen Iesu litteris aureis inscriptum deprehenderunt.

Adhæc idem nomen suauissimum super mel & fauum excitat in nobis & confirmat fidem, spem, charitatem: fidem, quia digito nobis ostendit eum à quo petendum est omne bonum, & quidquid ad salutem nostram pertinet, quod non aliunde quàm à fontibus Saluatoris meliùs hauritur: spem etiam, vt cum fiducia petamus, quoniam si vitam & sanguinem nobis dedit, vtique minora non recusabit: charitatem denique, vt nullum pro eo laborem recusemus, qui nullum pro nobis renuit supplicium vsque ad mortem. *Ecce Deus saluator meus*, inquit Isaias Propheta, *fiducialiter agam & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Fides nimirum dicit in omni necessitate, *Ecce saluator meus:* spes dicit, *Fiducialiter agam & non timebo* vel hostes vllos vel vlla discrimina: charitas dicit, *Diligam te Deus fortitudo mea, & laus mea Deus*, & refugium meum & liberator meus. Quomodo non redamabo eum qui me meamque salutem tam ardenter amando præuenit? quomodo non audito eius nomine cor meum gaudio exultabit? Nam si homo subinde audito nomine eius personæ quam valdè diligit, cor suum quasi liquefieri sentit, faciem immutari, sanguinem moueri: quomodo non

Secundò, excitat fidem, spē, charitatem.

Isa. 12.

non commouebitur cor nostrum audito Iesu nomine, quod amoris plenissimum est? Tale quid sponsa in
1. *Exemplo est Sposa.* Canticis sentiebat cùm diceret, *Ani-
Cant 5. & 1. *ma mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* & alibi: *Oleum effusum nomen tuum.* q. d. Dilectus meus elegit sibi nomen quod misericordiam sonat, & rectè oleo assimilari possit. Sicuti enim oleum emollit, ita nomen eius animum meum tenerrimè afficit, omnemque duritiem tollit: & sicuti oleum maximè penetrat, ita cùm illud nomen audio, transfigitur cor meum, omnesque sensus mei: veluti etiam lucet oleum, ita commemorato
2. hoc nomine lux quædam animo meo
Diuus Paulus. obitur. Tale quid sensit & D. Paulus, eiusque amore ita accensus fuit, vt plus quingenties Epistolis suis, velut auro gemmam, vel coronæ torum intexuerit: quique illud adeò dilexerat in vita, in morte quoque non potuit
V. Baron. to. 1. & in Vita eius. eius obliuisci. Caput enim ceruicibus præcisum, ter hoc mellifluum nomen pronuntiauit: & ad triplicem saltum, triplicemque repetitionem eius nominis, tres fontes repentè exorti sunt, quos hodieque prope Romam videre & gustare licet, in loco
3. Triumfontium dicto. Sensit item ta-
D. Ioannes Euangelista. le quid D. Ioannes Euangelista, qui præ amoris excessu quotiescumque potuit Iesu nomen expressit: & quidem in solo suo Euangelio plusquam ducenties & vicies: & se nominare gaudet discipulum quem diligebat
1. Ioan. 2. Iesus. In Epistola sua prima: *Scribo vobis,* inquit, *filioli mei, quia remittuntur peccata vestra propter nomen eius.* In Apocalypsi principium & finis est
4. Iesus. Quid cetera commemorem?
S. Franciscus. Quantam amoris flammam in pectore suscitabat D. Francifcus, cùm vel audiret vel piè vsurparet hoc nomen Iesu? Quando Psalmos legendo, inquit D. Bonauentura, nomen *Bona in Vita eius.*
Domini in eis occurrebat, præ suauitatis dulcedine labia sua lingere videbatur: nomen autem Iesu cùm exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interiùs, etiam totus videbatur exteriùs alterari, quasi mel in ore, vel harmoniacus sonus in auribus fuisset. Externam quoque illi reuerentiam omnibus animi corporisque viribus deferebat, & sicubi illud in chartis quantumuis abiectis reperiebat, studiosè conseruabat, & locis honestioribus reponebat. Sub mortem ipsam sui quasi oblitus de reuerentia huic nomini exhibenda perquàm sollicitus, filijs suis mandabat, vt vbicumque illud reperiretur colligerent, & loco honesto & conspicuo collocarent. O magnum Iesu amatorem! ô cor saxeum aut ferreum quod non liquescit, quotiescumque audito nomine salutis recordari voluerimus quanti constiterit ipsi nostra salus!

Sed iterùm atque iterùm assurge *III. Peccatores animat ad salut.*
vox, assurgite latera, assurge anima mea in laudes augustissimi nominis tui Saluatoris: assurgat stylus, & maioris robur auctoritatis à viris magnis
induat. *Iuuenes & virgines, senes cum* *Psal. 148.*
iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Peccatores ad pœnitentiam excitandi & ad salutem quærendam animandi? Excita, Domine Iesu, cùm sis Saluator il-
lorum. *Exsurge Domine, adiuua nos, &* *Psal. 43.*
redime nos propter nomen tuum. Addat pias preces D. Augustinus, qui sic
meditatur: *Quid est Iesus, nisi Salua-* *Aug. in Meditationibus.*
tor? ergo propter temetipsum esto mihi Iesus. Noli, Domine, noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. O bone Domine, ego commisi vnde me damnare potes, tu non amisisti vnde

me saluare potes. Sic Augustinus. Addat etiam pondus D. Bernardus. *Nihil*, inquit, *iræ impetum ita cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperabundus; nonne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?* Quid amplius? Adiuuandi periclitantes, & eruendi quotquot miserijs circumuallati in angustias rediguntur? Adiuua, erue, Domine Iesu, propter nomen sanctum tuum. *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus & exaltabitur.* Ciuitas refugij, portus, asylum est nomen Iesu. In quo audet Apostolus, audeo & ego: *Omnis quicumque innocauerit nomen Domini, saluus erit.* Audet quoque D. Bernardus, vbi ait: *Cui in periculis palpitanti & trepidanti innocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui in aduersis diffidenti, & iam iamque deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor Iesus, inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen redit serenum.* Ita sanctissimus Præsul. Audet itidem diuus Laurentius Iustinianus, primus Venetorum Patriarcha, in hunc modum: *Si tentaris à diabolo, si ab omnibus hominibus opprimeris, si conficeris ægritudine, si doloribus fatigaris, si blasphemiæ seu desperationis agitaris spiritu, si concuteris formidine, si dubietate pulsaris, Iesu nomen edicito. In arduis, in periculis, in terroribus; in domo, in via, in solitudine, in fluctibus, vbicumque extiteris; Saluatoris profer nomen non ex ore tantùm sed etiam ex corde. Cordis tui priùs affectum præbe, vt rectè labiorum confessionem exhibeas.* O nomen igitur amabile, nomen honorabile, nomen dulce, nomen desiderabile, animæ & corpori salutem afferens! quid gratius, quid optatius salute? *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* O pie Iesu, saluare me cœpisti pro me factus homo, pro me mortuus, & tuam gratiam largè mihi promeritus: sed nondum es Saluator propriè meus, nisi mihi tuam gratiam dones, meque iustifices; nec adhuc plenè Saluator, nisi me salues in gloria. Hæc tua officia, quæ pro me suscepisti, Iesu, exhibe mihi plenè, & sic eris mihi Iesus. Remissio peccatorum mihi necessaria est ad salutem, da eam Iesu. Auxilia gratiæ tuæ assiduè mihi necessaria sunt: ea mihi confer, ô Iesu. Gratum mihi præsta, memoremque animum pro tuis infinitis in me beneficijs. Fidem, spem, charitatem tuam in me confirma Iesu. Gratiam tuam in me confirma Iesu, auctor omnis gratiæ. O bone Iesu, Iesu, Iesu, tibi gloria & imperium, tibi benedictio, & claritas, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo in sæcula sæculorum, Amen.

Marginalia: Bernard. Serm. 15. in Cant. — *Periclitantes & miseros quosuis liberat.* — Prou. 18. — Rom. 10. — Bernard. Serm. 15. in Cant. — Laurent. Iustin. Serm. de Circúcis. — Ps. 102.

CONCIO XXVII.

Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.

1. *Absolutè magnus fuit Filius Altissimi Christus Iesus.*
2. *Magna quoq; mater eius gloriosissima.*
3. *Magnos denique & nos fieri oportet.*



SANCTISSIMA Trinitas matrimonium Filij Dei cum humana natura celebrare decreuerat in templo viuo, quod erat purissimum Virginis Mariæ corpus: eo fine atque consi-

consilio missus Orator ad Virginem, hoc arcanum ei breuiter exposuerat: insuper & nomen sponsi indicarat, qui sororem nostram, id est, humanitatem nostram, sibi desponsam haberet. Nunc itaque verbis proximè citatis extollit sponsi excellentiam, nobilitatem, ac magnitudinem, vt faciliùs ad consensum Virgo inducatur. *Hic erit magnus*, inquit; nempe cuius magnitudinis non est finis: *quia Filius Altissimi vocabitur*, hoc est, verè erit (phrasi Hebraica) magnus æquè ac Pater & Spiritus sanctus. Nec enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Erat sanè beatissimæ Virginis admiranda fides, qua statim crederet quod audiebat de tam inusitato conceptu, partuque Filij Dei. Poterat enim dicere intra se, Quid hoc rei est? quî fieri potest vt immensus & incomprehensus Deus, quem cæli capere non possunt, capiatur vtero virginali? Rex Salomon quantumuis sapiens, exstructo templo omnium magnificentissimo, hæsitabat simili consideratione, cùm
3.Reg.8. diceret: *Ergóne putandum est quòd verè Deus habitet super terram? Si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quantò minùs domus hæc quam ædificaui?* Sed non sic quasi ambigebat Maria Virgo, ingenti pollens fide, & lumine intellectus supernaturali, quo infinitam Dei potentiam cognoscebat, eique acquiescebat, cogitans fore modo aliquo nobis incognito, vt ipse Deus, quem totus non capit orbis, caperetur vtero matris. Nos porrò pro nostra capacitate, vt hoc tam sublime mysterium aliqua ex parte assequamur, speculi similitudine id illustremus. Quemadmodum enim gigas aliquis quantumcumque magnus, exiguo in speculo totus capitur, quia tota eius imago & figura in speculo relucet: ita Maria Virgo speculum fuit lucidissimum, in quo comprehensa est *imago Patris & figura substantiæ eius*, hoc est, Filius Dei, infinitus alioqui in se & verè incõprehensus. Mariam verò speculum esse, approbat Ecclesia, vocans eam *Speculum sine macula*: & Doctores potissimùm tres afferunt causas siue congruentias. Prima est: Quia speculum oportet tersum sit & clarum, vt possit repræsentare imagines rerum: si namque obscurum sit aut sordidum, non repræsentabit. ita de summa D. Virginis puritate scribit D. Hieronymus ad Eustochium: *Propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt mater Domini esse mereretur.* Sophronius verò ad hunc modum: *Christus Virginem matrem elegit, in qua tamquam in speculo refulget forma virginitatis.* Omnium clarissimè D. Ambrosius, *Sit vobis*, inquit, *tamquam in imagine descripta virginitas, vitaque B. Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis & summa virtutis.* Secunda similitudo est: Sicut radius solaris speculum intrat & exit, sine speculi corruptione; sic Christus verus Sol iustitiæ speculum Marianum intrauit in conceptione, & exiuit in partu sine violatione virginitatis. Totidem ferè verbis id habet D. Augustinus, vbi ait: *Solis radius specular penetrat, sed nec cùm ingreditur violat, nec cùm egreditur dissipat, quia speculum integrum perseuerat: sic integritatem Virginis ingressus aut egressus violare non potuit radius diuinitatis.* Tertiò: Quantumcumque magnus es, constitue te ante speculum, siue prope, siue procul; te ipsum in speculo, id est, totam tui imaginem vide-

Sap.7. & Heb.1.
In Litaniis.
1.
Hieron. epist. 22. ad Eust.
Sophron. Serm. de Assumpt.
Ambros. lib. 2. de Virgin.
2.
August. Serm. de Natiuit.
3.

bis. ita comprehensus est magnus ille gigas, quem cæli capere non possunt, imago, inquam, Patris æterni, angustiis suæ matris. Sed vt Angeli verba expendere aggrediamur, *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*: dicamus Primò, quàm magnus fuerit hic Filius altissimi. Deinde, quàm magna eius mater Maria. Denique, quàm nos quoque magni esse debeamus.

AVE MARIA.

CVm de Christianorum Deo opt. max. verba facienda sunt, quæcumque afferuntur, vera & magna sint necesse est, quæq; eius magnitudini ac maiestati conueniant. Psal. 46. *Magnus enim Dominus, & laudabilis nimis*, inquit Propheta Regius, *& magnitudinis eius non est finis*. itemq; Exod. 15. alius Propheta: *Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?* Estque adhuc maior emphasis in Hebræo: *Terribilis laudibus*, pro *terribilis atque laudabilis*. Nimirum in eo Christiana religio à ceteris mundi sectis dissidet, quòd istæ quidem ridicula, vana, & abiecta, ne dicã execranda interdum de Deo proferant: nostra verò fides veneranda Dei magnalia, quæque Deum verè deceant pandit, vt sunt quæcumque de diuinis perfectionibus, deque operibus magnis ac mirabilibus traduntur. De diis gentium ea prædicabãt olim Historiographi eorum, quæ probro ac dedecori omnino essent hominibus, licet infimis è fæce plebis. Vnde Martyres dicere solebant idolorum cultoribus: Anne velles matrẽ tuam similem esse Veneri quam colis, patrem Mercurio impostori, aut Ioui crudeli & impudico? Orthodoxi verò nihil nisi magnum siue magnificum & honestum de vero Deo tradunt; propterea quòd nihil aliud in maiestatem illam infinitam cadere potest. Eapropter Angelus hîc, vt exemplo suo nos erudiat, de Christo quem annuntiat, magna prædicat, atque in primis asserit absolutè magnũ fore, *Hic erit magnus*, &c. Neque addit in quo, sicuti addere potuisset, Magnus opere, magnus sermone, magnus sapientiâ: quoniam vniuersè in omnibus magnus fuit; non ex parte aliqua, siue secundùm quid magnus, v.g. secundùm prophetiam, vt Dauid; vel secundùm sapientiæ famam, vt Salomon; vel fortitudinem, vt Samson; vel pulchritudinẽ, vt Absalon; vel secundùm aliquas proprietates aut excellentias, sed secundùm omnes omnino perfectiones & attributa Dei pariter & hominis. *Dedit quidem Dominus Iesus aliis hominibus magnitudinem, sed longè inferiorem*, inquit D. Ambrosius. Magni enim appellati sunt nonnulli etiam apud Ethnicos: tametsi peccatores verè ac propriè magni dici non possint, cùm Dei gratia careant, sine qua nemo est reipsa magnus: attamen hominum existimatione magni fuerunt, quòd diuitijs potentiàve temporali, quòd rebus gestis, quòd virtutibus maximè bellicis floruerint. Sic fuit Alexander Magnus, Pompeius Magnus, Reges quoq; ac Principes huius mundi subinde Magni vocantur: vt Regi Dauidi Dominus dicebat, *Feciq; tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Ipse Vlysses in Odyssea ita gloriari audet apud Alcinoum Regem, Καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει· quasi magnitudo eius iam cælos contingeret. Verùm haud paulò maiores fuêre Catholici Principes, Constantinus Magnus,

Hic erit magnus. — Ambros. lib. 2. in Luc. — 2. Reg. 7. — Homer. in Odyss.

gnus, Theodosius Magnus, Carolus Magnus: inter Ecclesiasticos, Gregorius Magnus, Leo Magnus, Basilius Magnus. Magni quoque Patriarchæ, Prophetæ, Reges non pauci, vt prædicat Ecclesiasticus: *Fuitque Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti*, & Ezechias Rex, &c Sed Christus Rex Regum & Dominus dominantium, & Deus fuit opt. maxim. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos*, vt exclamat Psalmista. Postremò inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, de quo & dictum erat ab Angelo Gabriele, *Hic erit magnus coram Domino. Habet tamen maiorem*, inquit D. Ambrosius loco citato, *quia qui minor est in regno Dei, maior est illo. Magnus autem Ioannes, sed coram Domino, non erit ipse Dominus. ille quasi homo magnus, hic quasi Deus magnus*. Adhæc non hominum modò fastigium, sed & ipsas Angelorum magnitudines longè transcendit, *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit.* De quo ita disserit D. Bernardus: *Altissimus enim Deus Pater, quamuis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem sibi gignere filium. Fecit itaq; Angelum magnum, sed non quantus ipse: & ideò nec altissimum. Solum autem Vnigenitum quem non fecit, sed genuit omnipotens omnipotentem, altissimus altissimum, æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari nec rapinam æstimat nec iniuriam. Rectè ergo hic magnus qui Filius Altissimi est*, hæc Bernardus de quouis Angelo etiam supremo. Cui consonat illud D. Ambrosij in hunc locum: *Omnis alia magnitudo principium habet & finem. Dominus autem Iesus idem est finis atque principium, primus & nouissimus. Nihil antè primum, nihil est vltra nouissimum.*

Eccli. 44. & Exodi 11. 4. Reg. 18. Ps. 112. & 8. Luc. 1. Ambros. suprà. Hebr. 1. Ambros. in hunc locum.

Quæstionem hîc mouet, quam & dissoluit D. Bernardus: *Quare*, inquit, *hic erit, & non potiùs est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec maior post conceptum futurus est, quàm antè vel sit vel fuerit? An fortè propterea dixerit, Erit, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit? Benè ergo hic erit magnus: magnus homo, magnus Doctor, magnus Propheta. Sic enim dicitur de eo in Euangelio: Quia Propheta magnus surrexit in nobis. & à minori quodam Propheta magnus itidem Propheta venturus promittitur. Ecce, inquit, veniet Propheta magnus, & ipse renouabit Ierusalem*. Ad eumdem modum respondet Euthymius his verbis: *Re ipsa vocari magnum, qui Deus erat, non erat laus mira, neque nouum videri poterat. poterat autem nouum videri, quod qui naturâ suâ magnus erat, magnus etiam hominibus appareret. Itaque magnus erit, scilicet opinione, miraculis, famâ nominis.*

Sequitur, *Et Filius Altissimi vocabitur.* Quid addi potest ad hãc magnitudinem, qua Filius Altissimi appellandus est, verè Deus ex Deo? Siquidem hoc Dei nomen in Scripturis frequentissimum & conuenientissimum est, quatuor potissimùm aut quinque de causis. Primò, *Tu solus altissimus super omnem terram*, inquit Psaltes: videlicet ipsa naturâ seu essentiâ diuinitatis, potestate, iustitiâ, bonitate, misericordiâ, aliisque diuinis perfectionibus vsquequaque infinitis. Deinde altissimus, propter locum cælestem, altissimum sanè, & ab his infimis locis remotissimis se-

Apoc. 1. *Erit.* Bernard. in hunc locum. Lucæ 7. Euthy. hîc. *Et Filius Altissimi.* 1. Psal. 96. 2.

iunctum, in quo diuitias gloriæ suæ electis suis ostendit. Tertiò, propter
3. sapientissimam vniuersi administratione, qua cuncta tam visibilia quàm inuisibilia, cælestia simul ac terrestria condit, seruat, regit: nihil vt eius oculos aut manus effugere possit.
4. Quartò, propter immensitatem Angelis & hominibus incomprehensibilem, qua cunctis rebus præsentissimus adest, & supra cælos omnes in spatiis imaginariis, & infra omnes
5. abyssos. Denique propterea, quòd nihil eo superius vel altius fingi potest, neque in diis gentium, neque in Regibus seu Monarchis populorũ, neque in cælis neq; apud inferos: sed ipsius dispositioni subsunt vniuersa.

Vocabitur. Itaque meritò magnus, qui Filius Altissimi vocabitur. Sed à quo vocabitur? Primùm Hebraismus est in *vocabitur*, pro, erit verè Filius Altissimi: sicuti passim Scripturæ loquuntur, *Vocabitur nomen eius Emmanuel, vocabitur admirabilis, consiliarius*, &c. id est, talis erit. Nónne autem qui talis erat, etiam in terris vocari debuit Filius Altissimi? Ita sanè, non solùm à Patre cælesti, sed etiam ab hominibus, atque à dæmonibus ipsis. A Patre quidem in Transfiguratione, dum
Matt. 17. ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Ab hominibus frequentiùs: vt cùm Si-
Matt. 16. mon Petrus dixit, *Tu es Christus Fi-*
Ioan. 11. *lius Dei viui*; & Martha, *Vtique Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* A dæmone tandem, vbi ait, *Quid mihi & tibi Iesu Fili Dei altissimi?* Porrò post Ascensionem Christi perfectè impleta est hæc appellatio & confessio, quæ est & erit in Ecclesia per fidem vsque ad sæculi consummationem, & erit in cælis in æternum per claram visionem, laudesque perpetuas omnium Beatorum.

Christi præcipuæ magnitudines. Hactenus de sententia verborum Angeli; nunc vela nobis facienda sunt, vt in altum mare magnitudinum Christi inuehamur, easque, quoad licuerit, rationibus & comparationibus humanis assequamur. Etenim homines variè celebrari, magnique appellari solent; ac primùm origine seu nobilitate generis, deinde virtutibus, & gratiarum siue charismatum diuinorum affluentia. Proprium verò magnificentiæ, magnique seu magnifici viri est, magna atque heroïca opera præstare: aut nomen ei tam speciosum relinquendum est. Opera quoque propter quæ magnus quis dicitur duplicia sunt, alia interna seu immanentia, alia externa seu in aliud transeuntia. Internæ sunt in primis functiones intellectus, quæ ita fixæ inhærent, vt vulgò dici soleat, *Iuuat multa discere, quia scientia manet.* Ab hisce functionibus dicitur quis magno ingenio, magnoque iudicio. Opera deinde voluntatis intrinsecus item manere possunt: sed vt magnanimus voceris, generosi spiritus, liberalis, aliud extrinsecus requiri solet. Externa verò sunt opera, quæ ferè vel manu fiunt, vel sermone: vnde dicimus magni artifices, aut magni Oratores. Itaque non satis est rumoribus populi te laudari, vt verè magnus & laudabilis sis, sed facta debent adiungi. Non satis est Principem aliquem dici magnanimum, bellicosum, liberalem, perhumanum, nisi reipsa & factis id ostendat. Facta huiusmodi magnitudinem & excellentiam magis declarant & confirmant. Præterea, quid magnitudinem famæ, quid sapientiæ præstantiam, quid magistratuum splendorem,

rem, quid populi venerationem, quid alias hominum magnitudines commemorem? omnes certis limitibus finitæ sunt, & principium habent ac
Psal. 112. finem. Verùm *quis magnus sicut Dominus Deus noster? Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius.* Magnus hic absolutè, magnus per excellentiam, magnus in omnibus. Magnus primò naturâ suâ, quia
Magnitudo prima. *Filius Altissimi vocabitur*, hoc est, propter summæ diuinitatis vnionem. Vnde D. Bonauentura in hunc lo-
Bonau. in hunc locum. cum, *Gratia vnionis*, inquit, *filius & vnigenitus, & primogenitus, & naturalis fuit.* Præsul verò mellifluus in
Bernard. Hom. 3. sup. Missus. hunc modum: *Benè magnus, qui Filius Altissimi merebitur appellari. Planè magnus, qui tam magnus quàm Altissimus; quia & ipse Altissimus: neque enim Filius Altissimi rapinam arbitrabitur esse se æqualem Altissimo. Ille meritò cogitandus est rapinam arbitratus, qui cùm de nihilo in Angelicam formam factus esset, factori suo se comparans, vsurpauit sibi quod Filij Altissimi proprium est, qui vtique in forma Dei à Deo non factus sed genitus fuit.* Hæc
Magnitudo secunda. Bernardus. Magnus etiam fuit virtutibus, seu sanctitate & iustitia, attestante id Isaia Propheta his verbis:
Isa. 12. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel*, ni-
Ioan. 10 mirum Christus Dominus, *quem Pater sanctificauit & misit in mundum*, vt ipsemet ait. De hac magnitudine potissimùm loqui Angelum, auctor est
Ambros. hîc. D. Ambrosius in hunc locum, & Cy-
Cyril. l. 12. in Leuit. Ioan. 3. rillus. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, nempe Filio suo.

Iam in operibus quantus erit, qui & homo & Deus est? opera intelle-
Magnitudo tertia. ctus eius sunt, secreta decretaque cælestis illius Consistorij diuinarum personarum, consilia & prouidentiæ, de quibus per Prophetam loquitur.
Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus: quia sicut exaltatur cælum à terra, ita cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Opera voluntatis sunt, Isa. 55.
prædestinatio electorum, Iudæorum reprobatio, gentilium electio, quam obstupescit Apostolus, cùm ait: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Rom. 11.
Quòd si opera externa spectes, vt mundi creationem & gubernationem, hominis creationem, conseruationem, redemptionem, iustificationem, glorificationem; nónne cogêris cum Propheta Regio confiteri Domino: *Omnia in sapientia fecisti?* Ex- Psal. 103.
empli gratiâ, in creatione mundi, post singulas eius partes, scribitur considerasse Deus opera quæ fecerat, & vidisse quòd essent valdè bona. Fecit enim cælum & terram, & firmamentum, & mare; & vidit quòd essent valdè bona. Produxit deinde gramina, & arbores, & omnia animalia in terra & in mari; & vidit quòd esset valdè bonum. Denique post omnem creationem ait Scriptura: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Quid hoc sibi vult? Gen. 1.
quamobrem ita inspiciebat & excutiebat opera sua Deus? an quòd ignoraret bona esse quæ fecerat? Causam hîc affert Polychronius huiusmodi; Vt approbatione sua nos doceret, quidquid fecit, vt bonum amandum nobis, & venerandum, & magni faciendum. Atqui idem multò magis elucet in aliis operibus, maximè redemptionis: longè operosiùs Deus in illis processit. Tam illustria patrauit miracula, vt ipsemet dicat: *Si opera in eis non fecissem, quæ nemo alius* Ioan. 15.
fecit,

fecit, peccatum non haberent. Quantam ostendit potentiam in dæmones quos pellebat, in mortuos quos suscitabat, in corpora quæ curabat, in animas quas à peccatis purgabat? Neque verò tantummodò operatus est magna, sed & passus indigna, quod multò gloriosius fuit.

Magnitudo quarta. Quartò, in verbis suis quàm fuit magnus, quàm terribilis! *Domine*, inquit ille, *audiui auditum tuum, & timui*. Habac. 3. Adam audiebat vocem Domini in paradiso, & abscondit se. Gen. 3. Et alibi dicit Dominus: *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius*. 1. Reg. 3. Adeò terribile erat Dei verbum in veteri lege, vt diceret populus Moysi: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Exod. 20. Ecce quale tonitru verbum Domini in lege veteri! In noua quoq; quanta fuit energia & vis in ore Verbi incarnati? In templo cùm sederet adhuc puer *inter Doctores, stupebant qui audiebant eum, super prudentia & responsis eius*. Lucæ 2. Deinde verbo leprosum sanabat, *Volo, mundare*. Matth. 8. sic enim distinguendum monet D. Hieronymus. *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*, inquiebat Centurio. Alibi Regulo dicebat: *Vade, filius tuus viuit. & eadem hora qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit, reliquit eum febris*. Ioan. 4. Ita etiam cùm mari & ventis præciperet, cùm dæmonibus imperaret, cùm alia admiranda ederet, verbi eius imperio cuncta fiebant. Iam in doctrina & Euangelij prædicatione quãtus erat, quàm efficax? Vnde illud, *Verba vitæ æternæ habes*. Ioan. 6. & 7. & illud, *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Miserant enim principes & Pharisæi ministros vt apprehenderent eum. qui cùm redijssent, *dixerunt eis Pontifices: Quare non adduxistis illum? numquid & vos seducti estis? Responderũt ministri: Numquam sic locutus est homo*. Matth. 7. & verè: docebat enim non vt Scribæ & Pharisæi, sed *quasi potestatem habens*. Aliàs illud, *Lazare veni foras*, mortuum ad vitam reuocat. Ioan. 11. aliàs illud, *Ego sum*, prosternit milites in terga lapsos retrorsum. Ioan. 18. In iudicio verò, die nouissimo terram findet verbo oris sui, & reprobos omnes instar fulguris coruscantis projciet in abyssum. Quid? illud dignè quis explicet, quàm mirificæ operationes hoc verbo fiant quotidie in diuinis Sacramentis, quotiescumque ritè in Ecclesia conficiuntur: vbi ad elementum accedit verbum, & fit Sacramentum? quàm mirificè quotque animarum millia hoc eodem verbo conuertantur in concionibus? Verba nos sanè deficient, si Christi magnitudinem hanc, virtutemque verborum eius dignis efferre præconijs velimus.

Magnitudo quinta. Magnus præterea fuit officio, quia Redemptor & Saluator mundi, vt Ioannes Euangelista nominat. *Hic est verè Saluator mundi*. Ioan. 4. Magnus item Pastor: quia D. Paulus *magnum pastorem ouium* vocat, Hebr. 13. D. Petrus *principem pastorum*. 1. Pet. 5. Ipsemet verò mauult se *pastorem bonum* dicere, *qui ponat animam suam pro ouibus suis*. Ioan. 10. Sacerdos magnus, imò summus, qui vnico sacrificio Patri mundum reconciliauit. de quo etiam scriptum est: *Hic manet in æternum, sempiternum habens sacerdotium; vnde & saluare in perpetuum potest*. Hebr. 7. Propheta magnus, vt turbæ clamabant in Euangelio: *Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam*. Lucæ 7. Doctor siue Magister magnus, quia *Doctor iustitiæ*. Apoc. 19. Magnus Legislator, quia *nullus ei similis in legislatoribus*, inquit Propheta Iob. Iob. 36. Denique

Apoc.19. nique Rex magnus, quia *Rex Regum & Dominus dominantium.* Itaq; si magni dicuntur inter homines qui magna gesserunt officia, vel magistratu splendido functi sunt, vel potestate aliqua & iurisdictione potiuntur: magnus supra modum est, qui dicere
Matt.28. potest, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Magnitudo sexta. An non etiam magnus obsequio & veneratione populorum à Solis ortu vsque ad occasum? Nam eius Euangelium & religionem mundus amplexus est, & latriæ cultus toto orbe exhibitus, iuxta illud Prophetæ Da-
Daniel.2 nielis: *Lapis paruus creuit in montem magnum, & repleuit vniuersam terram.*
Psal.71. & 148. Et illud Psalmistæ: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruiunt ei. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.*

Magnitudo septima. An non magnus sapientia, cùm sit Verbum & Sapientia Patris, cumque à primo instanti conceptionis eius
Coloss.2. *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in ipso fuerint reconditi?* ita differit Ber-
Bernard. Hom.2. sup. Missus. nardus: *Christus non minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minùs fuit sapientia conceptus, quàm natus; paruus quàm magnus; siue latens in vtero, siue vagiens in præsepio.* &c. Sic Bernardus.

Magnitudo octaua. Ad extremum magnus fuit famâ, magnus agendo, magnus patiendo, magnus in natiuitate, magnus in morte, magnus in resurrectione, magnus in ascensione, & omnium maximus tum apparebit, cùm venerit in maiestate sua, vnà cum Angelis & Sanctis omnibus iudicaturus viuos & mortuos: regnumque suum deinceps acquisitum Sanguine suo in summa gloria pacificè possidebit in
Psal.112. perpetuas æternitates. *Quis magnus sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?*

Atenim quærat aliquis, quomodo *Obiectio prima.* magnus hic Dominus, imò maximus in his & in omnibus, apud Isaiam paruulus vocetur, vbi ait, *Paruulus* Isa. 9. *natus est nobis, & filius datus est nobis?* Respondeo, Paruulus dicitur in humanitate, magnus in diuinitate: paruulus humilitate, sed magnis in maiestate: paruulus inimicis & infidelibus, sed Deo & fidelibus magnus: paruulus vt vermis, & magnus vt gigas: *Exultauit* enim *vt gigas ad cur-* Psal.18. *rendam viam, à summo cælo egressio eius.* Vnde canit Ecclesia, *Geminæ gigas substantiæ, alterà cælos, alterà terram tangit.* Sed ais, nónne Christus etiam vt homo magnus est? Est planè, & verè ab Angelo magnus asseritur: at si cum Deo conferas, adhuc minimus est. Bernardum audiamus in hunc locum: *Et tu quidem ô Virgo,* Bernard. *paruulum paries, paruulum nutries, par-* Hom.3. *uulum lactabis; sed videns paruum co-* sup. Missus. *gita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu Regum, adeò vt adorent eum omnes Reges, omnes gentes seruiant ei.*

Quæres secundò, an igitur non re- *Obiectio* ctè dicamus Deum exinanitum in *secunda.* incarnatione, Christum passum, irrisum, contumelijs & opprobrijs opertum, crucifixum, mortuum? atqui hæc parua & infirma, indigna & ignobilia videntur. Respondeo, Videntur quidem, sed non sunt; quia reuerà maxima sunt, & infinitæ bonitatis argumenta, amoris ac misericordiæ immensæ & incomprehensæ testimonia, inscrutabilis gratiarum abyssus. Hæc porrò ad Dei gloriam maximopere pertinēt: quia nihil æquè gloriosum, atque optimum esse: ideoque

priùs dicitur Deus Optimus, quàm Maximus, *Deus opt. max*. Licet certè in Deo omnia vnum sint, nobis tamen præcipuus titulus est, & quo maximè honoramus quem volumus honorare, cùm eum optimum dicimus: veluti cùm dicimus Deum hominem factum, exinanitum, crucifixum. Quocircà rectè ac piè D. Bernardus quodam loco: *Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò se maiorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior*. Quid D. Hilarius? *Hac*, inquit, *si quis indigna Deo recolet, tantò se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quantò minùs ista conuenerint illius maiestati*. Addamus his D. Hieronymū: *Ingerantur*, inquit, *dura præsepia, vagitus paruuli, & crux ipsa, qua nil contumeliosius. Non erubescimus, non silemus. Quantò sunt humiliora quæ pro me passus est, tantò plus ei debeo*. Denique his consentanea sic scribit D. Gregorius: *Stultum hominibus visum est, vt pro hominibus auctor vitæ moreretur, & inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde ei ampliùs debitor fieri debuit. Nam tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit*. Hæc illi.

Bernar. Serm. 1. de Epiphan.

Hilar. l. 2. de Trin.

Hieron. contra Heluidium.

Gregor. Homil. 6. in Euang.

Secunda pars, De magnitudine matris Virginis.

Sed satis, opinor, audiuistis de magnitudine Filij Dei: transeamus ad magnitudinem matris, quæ ipsum Altissimi Filium, Deum immensum, circumdedit ac portauit; eamque aliquot conceptibus humanæ intelligentiæ inuestigemus. An non magna mater, cuius tantus est filius? Nam quemadmodum *gloria filiorum patres eorum*, vt inquit Sapiens; ita è contrario, gloria parentum filij eorū, vnde rectè Damascenus ait: *Decet matrem ea quæ filij sunt possidere*. Ex hoc principio, nempe maternitatis titulo, magna Virginis Deiparæ dona, magna sanctitas, magna virginitas, magna virtutum affluentia, eximia gratia, eximia gloria, omnia magna, omnia eximia recta consecutione deducantur. Sic etenim oportuit Deum gloriosæ Virginis corpus & animam, vt dignum Filij eius habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante congruenter præparare, vt Ecclesia profitetur. Luculenter id explicat Dionysius Carthusianus his verbis: *Post præstantissima atque excellētissima gratiæ dona & opera, assumptæ humanitati à Verbo collata, primum excellentiæ gradum sortita sunt numera gratiarum Virgini donata: quæ tam in donis gratiæ gratis datæ, quam in muneribus, habitibus atque operibus gratiæ gratum facientis, in donis quoque gloriæ, post filium, gloriosè ineffabiliterque præfulget. Quemadmodum enim decentissimum fuit, vt illam naturam quam Creator voluit sua persona vnire, omni charismate gratiæ & gloriæ, omni virtute perfecta, ac dono Spiritus sancti summè & incomparabiliter decoraret eodem instanti quo eam assumpsit: ita omnino condecens fuit, vt Virginem illam quam sibi matrem elegit, post humanitatem assumptam, vniuersis gratiæ & gloriæ charismatibus, inenarrabiliter excellentius munificentiusque ornaret, quantum sine dubio decuit matrem Dei præ ministris ornari, exaltari atque deificari*. Hactenus Dionysius.

Primus cōceptus.

Prou. 17.

Damasc. Orat. 2. de Assumpt.

Dionys. Carthus. l. 1. de Laudib. Virginis.

Atque hæc est ratio cur, veluti Christus Dominus in Canticis propter magnitudinem monti assimilatur, *Caput tuum, vt Carmelus*, id est, Christus caput sponsæ magnus est instar montis Carmeli: sic & beatissima eius Genitrix in Scriptura sacra mons

Secundus cōceptus.

Cant. 7.

mons appelletur, etsi non tam altus neque tam magnus quàm filius; tamen super omnes colles eleuatus; quia Sancti omnes præ ipsa veluti colliculi videntur. Testatur id diuus Gregorius explanans locum illum Isaiæ Prophetæ c. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles: Potest*, inquit, *huius montis nomine beatissima Virgo designari: mons quippe fuit, qui omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit? Huius igitur montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinatur, quia altitudo eius supra omnes Sanctos refulsit: & sicut mons altitudinem, ita domus Domini designat habitationem in vtero Virginis: quia supra Angelorum altitudinem hanc diuina fecunditas non leuaret, si in eius vtero per assumptam humanitatem Verbi diuinitas non iaceret.* Hactenus Gregorius. Alijitidem, vt D. Hieronymus, Lyranus, Theodoretus, apud Danielem Prophetam montis nomine B. Virginem intelligunt, propter altitudinem dignitatis, & virtutum & gratiarum eius: vnde lapis paruus excisus describitur sine manibus, aut operâ viri (id est Christus Dominus illæsa virginitate ortus) qui omnia regna mundi contriuit. quod sic explicat D. Ioannes Damascenus: *Clarissimus mons Virgo, quæ omnem montem & collem, id est, Angelorum & hominum sublimitatem exsuperat, ex quo citra vllam manuum operam corporeo modo exscindi voluit lapis angularis Christus, duas naturas copulaturus diuinam & humanam, Angelos & homines, Gentiles & Iudæos.*

Mariæ mons magnus.

Gregor. super 1. Reg. 1.

Hieron. Lyra. Theodor. sup. Daniel. 2.

Damasc. Orat. 1. de Natiu. Virg.

Tertiò, A parentibus filij magnitudinem haurire, & genus nobilitatemque trahere solent: at sanctissima hæc parens à filio, quemadmodum à Sole Luna, claritatem splendoremque vitæ ac nominis, adeoque infinitam quamdam dignitatem accepit. Dilucidè id explanat Cardinalis Petrus Damiani in hæc verba: *In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis insignitur: Beata verò Maria, licet de generosa sit Patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus: & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem. Clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis. filia siquidem Regum, sed mater Regis Regum, &c.*

Tertius cõceptus.

Pet. Damia. ser. 2. de Natiu.

Anne etiam magna domus, quæ Dei immensitatem, quam mundi machina capere non potest, excipit hospitio? Dico, neque homines, neque Angelos: hanc amplitudinem cogitatione consequi posse: idque cernite in hoc exemplo. Quòd si cogeret Deus Concilium ex omnibus Angelis & hominibus, iisque proponeret hanc deliberationem: scitote quotquot hîc estis, Deum decreuisse humanam induere naturam. Matrem verò quærit sua dignã maiestate. Vos ergo excutite vestras intelligentias, & dicite quibus ornari dotibus oporteat matrem Dei. Certè cùm plurima diceremus, & mirabilia castella siue palatia intellectu fabricaremus, tandem optimè concludere possemus, dicentes, Omnia ista parua sunt quæ nos excogitare possumus. Sapientia diuina ipsamet sibi

Quartus cõceptus. Maria magna domus.

sibi domum ædificet, ipsamet sibi matrem deligat, eamque congruis ditet ornamentis: nulla enim humana sapientia est quæ rem tantam possit attingere. Ita cùm eximius Rex Dauid de templo à Salomone exædificando verba faceret, principium ex his verbis duxit: *Opus grande est; neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Salomon quoque de eodem templo, quod Mariæ figura perillustris fuit, similiter loquebatur, *Quis poterit prævalere vt ædificet ei dignã domum? Si cælum & cæli cælorum capere eum nequeant: quantus ego sum vt possim ei ædificare domum? sed ad hoc tantùm vt adoleatur incensum coram illo.* Istud ergo templum Dei viuum, siue palatium Regis Regum tale tantumque esse oportuit, vt solus Deus illud exstruere posset. Vnde factum est vt *Sapientia ædificarit sibi domũ, exciderit columnas septẽ,* &c. de qua videlicet possit non incõgruè dici id quod de throno Salomonis scribitur, *Non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Cogitate nunc quàm magna domus Mariæ, quæ cepit Deũ quem totus non capit orbis. *O Israel, quàm magna est domus Domini!*

1. Par. 29

1 Par. 2.

Prou. 9.

1 Reg. 10

Quintus cõceptus. Dicat etiam ipsamet Deipara de se testimonium, vtpote quæ humillima & modestissimè de se sentiens, cùm turbata fuerit laudibus propriis ab Angelo auditis, fortè non poterit de se aliquid magni proferre. *Ecce,* inquit, *beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est.* Loquatur & ipse conditor eius qui fecit eam: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, sed tu supergressa es vniuersas.* Quis, obsecro, hæc audiens non magna concipiet dicetq; de gloriosissima Virgine? Quantas meritorum diuitias in eam præpotens Dei gratia congessit? Nam si spectes meritorum multitudinem siue durationem; ex quo rationis vsum accepit in vtero matris vsque ad vitæ exitum, quanta infinitas tandem accumulata cernitur? Si consideres personæ dignitatem ac sanctitatem, quàm immanibus spatiis, quantisq; parasangis Sanctorum omnium verticem transcendit? Siquidem in rebus etiam humanis multò plus mercedis aut stipendij promerentur Nobiles in legationibus suis, Doctores in suis functionibus, magni artifices, quàm quilibet è plebe. Adhæc tanta erat operum puritas, tanta intentionis perfectio, vt nihil vmquam imperfectionis, ne minima quidem negligentia, vel distractio, vel humanus respectus ea infecerit: tanta alacritas tantusque ardor animi in omnibus quæ Deo placere cognouerat, vt nullas occasiones sibi elabi sineret, nullo tædio afficeretur, nulli parceret labori. Quare si tantus quisq; est quantus est in oculis Dei, quanta quamque grata Deo suo fuit Maria?

Lucæ 1.

Prou. 31.

Quòd si pariter quibus eius magnitudo typis aut figuris adumbrata fuerit, vno aspectu intueri voluerimus: vt sileamus de paradiso terrestri, de templo domibusque Salomonis, de Tabernaculo fœderis, iisque omnibus quæ eòdem spectant: Hæc est magna illa mulier, de qua dicitur in libro Iudith, *Magna facta est in Bethulia, & præclarior erat vniuersa terra Israel, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Magna sanè Iudith, quoniam Holofernem profligauit: sed Maria maior quæ diabolum. Hæc est illa visio magna in rubo ardente & incombusto, de qua Moyses ait, *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Hæc est mulier, quam

Sexta magnitudo eius ex figuris.

Iudith. 16

Exod. 3.

quam vidit D. Ioannes Euangelista in Apocalypsi, vbi ait: *Signum magnũ apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius diadema stellarum duodecim*. Ecce Maria signum hîc magnum, ab aliis cæleste prodigium appellatur, & sacratissimum monstrum, pręstantissimum orbis terræ miraculum, vt alibi dictum est.

Apoc. 12.

D. Ignat. Ephrem, & alij vt suprà Conc. 25

Septimus cõceptus.

Eòdem accedit quòd similitudinem summam decuerit intercedere inter filium absolutè magnum & magnam matrem. Nam qualis Pater æternus est, talis est Filius. similem igitur in modum, talem oportebat esse eumdem filium secundùm humanam naturam, qualis est mater. ipsam verò matrem talem esse decebat secundùm gratiam, virtutesque summas, qualis est Filius: ita vt immensum Filium mater non exæquaret quidem, sed infinitam illius dignitatem donorum exuberantia demonstraret. Quemadmodum terreni Regis matrem ingens nobilium turba, palatium ingens, magna auctoritas, magnæ opes magnã faciunt: ita Dei matrem non inania hæc, sed maximarum virtutum comitatus, gratiæ gloriæque ingentes ac veræ diuitiæ ornant & ad veram magnitudinem extollunt.

Octaua magnitudo, quasi infinita.

Denique Maria mater vsqueadeò magna est, vt quasi magnitudinis sit infinitæ, neque possit per absolutam Dei potẽtiam maior fieri mater, quia non potest maior fieri Deus; vt docet D. Thomas & alij: Verba D. Thomæ sunt: *Humanitas Christi ex hoc quòd est vnita Verbo, & beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc quòd est mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius illis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Tria igitur sunt, inquit Doctor Angelicus, quæ infinitam quamdam excellentiam & magnitudinem à Deo nanciscuntur, cui intimè coniunguntur, humanitas Christi, beatitudo cælestis, & Virgo mater. Eadẽ est doctrina D. Bonauẽt. in Speculo: *Virgo est mater, inquit, qua maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum posset Deus facere, maius cælum posset facere Deus, maiorem matrem quàm matrem Dei nõ posset facere Deus.* Sanè infinita quasi magnitudo Virginis hinc colligitur. Sed aduertendum est, illos non negare, Deum posse facere matrem maiorem, si gratiæ naturæque dona spectemus (infinita enim potentia numquam exhauritur) sed Deum asserunt non posse facere maiorem matrem, siue quæ sit mater maioris filij; nec enim maior filius esse potest quàm Deus.

D. Tho. 1. p. q. 35. art. 6.

Bonau. in Speculo cap. 8.

Quæ cùm ita sint, meritò eam sic affatur S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus: *Omnia tua sunt mirabilia, ô Deipara, omnia supra naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires superantia.* Meritò S. Antoninus non suam tantùm indignitatem profitetur in eius magnitudine prædicanda, sed etsi omnes omnino cæli terræque res creatæ in linguas verterentur, parum adhuc valituras in hoc laudum pelago attestatur. Meritò denique & nos hæc magnæ matris sublimitas & eminentia non solum in admirationem rapiat ac stuporem, sed etiam ad eamdem nostris obsequiis constanter honorandam atque extollendam fortissimè impellat. Etenim vt rectè affirmat D. Bernardus, *Dubium non est, quidquid ad matris laudem proferimus, ad filium pertinere;*

German. Orat. de Zona Virg.

Antonin. 3. p. tit. 18 cap. 8.

& rursus cùm filium honoramus, à gloria matris non recedimus.

Tertia Pars, de magnitudine nostra.

Atqui iam tempus est vt à theorica ad praxim descendamus. Magni sunt videlicet vsquequaque quos modò prædicauimus Iesus & Maria: neque magni solùm sibi, sed etiam nobis, vt & nos magnos faciant. Illorum verò magnitudo quasi speculum est magnitudinis nostræ. Sicuti enim quò longiùs distas à speculo, eò minor appares in speculo; quò autem propiùs accedis, eò maior es in speculo: ita quò longiùs distamus à perfectione ac virtutibus illorum, eò minores sumus; quò magis propinquamus, eò maiores sumus. Imitemur igitur virtutes magni Filij & magnæ matris, & magni etiam erimus, quia similes Filio Dei & matri eius, qui verè magni sunt, vt vidimus.

Prima magnitudo humilitatis. Thom. Kemp. l. 1. c. 3.

Ac primò magni simus humilitate: quoniam, vt scribit Thomas Kempensis, egregius morum magister, *ille verè magnus est, qui in seipso paruus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit.* Et rursus: *Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum. Nam summum non stat sine infimo. Summi sancti apud Deum, minimi sunt apud se: & quantò gloriosiores, tantò in se humiliores.* Ad hanc magnitudinem consectandam hortatur nos D. Bernardus in hunc locum: *Magnificetur & à nobis paruulis*, inquit, *magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est paruulus. Paruulus, ait, natus est nobis, & filius datus est nobis. Nobis inquam, non sibi, qui vtique ante tempora multò nobilius natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cùm magnum habebant, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis necessarius. Iam de nobis nato & dato faciamus ad quod natus est & datus. Vtamur nostro in nostram vtilitatem, de Saluatore salutem operemur. Ecce paruulus in medio statuitur: studeamus effici sicut paruulus iste: discamus ab ipso quia mitis est & humilis corde: ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus.* Ita Bernardus.

Bernard. Hom. 3. sup. Missus.

Isa. 9.

O Christiani, magni esse concupiscitis, scio. Cor hominis semper flammæ instar sublimè fertur; quæ ratio est cur Philosophi nonnulli docuerint cor esse igneæ naturæ: verùm magni reipsa vultis esse? *Discite à me*, inquit magnus Dominus, *quia mitis sum, & humilis corde.* q. d. *Discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, & non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed humilitatem discite.* Ita videlicet exponit D. Augustinus. Etenim is magnus quidem fuit in mundi creatione; sed longè maior in mundi reparatione: & tum quidem cùm ab omnibus desertus, cùm in cruce suspẽsus mortem obiuit. Quid ita? Mundum verbo creauit, sed non ita redemit. opus hoc ergo maius fuit & gloriosius. Vt hoc opus perficeret, cernimus eum in stabulo pannis inuolutum, & reclinatum in præsepio, cùm sciamus eumdem esse qui regnabat in cælo. Cernimus iacentem inter bestias, qui adorabatur ab Angelis in cælo. Infantem cernimus & loqui non valentem, sed scimus eumdem esse Verbum Patris. Cernimus infirmum hominẽ, in crucem actum, contumelijs opprobrijsque saturatum, inter latrones pendentem, qui tamen totum orbem signis terribilibus in passione concutit ac turbat; eumdemque in perpetuum sua prouiden-

Matt. 11. August. Serm. 10. de Verbis Domini.

Luc. 1. uidentia gubernat, *& regni eius non erit finis.* Quare hic talis tantusque Dominus, factus est tam paruus? vt nos magnos faceret, inquit Bernardus, idque humilitatis eius imitatione. Cupimus igitur esse magni, atque adeò in cælis nidum constituere, in cælos volare? imitemur aues quæ altè volaturæ inclinant sese, vt impetum volandi capiant. Cupimus magni fieri, & in cælos vsque fastigium domus spiritalis erigere? D. Augustinum audiamus, vbi ait: *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quantò erit maius ædificium, tantò altiùs fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm construitur, in suprema consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.* Sic ille.

August. suprà.

Secunda magnitudo charitatis.

Secundò magni studeamus effici charitate & gratitudine, qua magnum Dei Filium pro nobis paruulum factum redamemus, eique libentissimè omne obsequium impendamus. Magna quippe supra modum apparuit nobis per incarnationem *benignitas & humanitas Saluatoris nostri* (Græcè est φιλανθρωπία) magnam quoque vicissim à nobis requirit humanitatem. Consideremus illud Cypriani: *Quid ampliùs vis ô homo? Prius dicebatur Deo, Tuus est homo; nunc dicitur homini, Tuus est Deus. Quare, ô homo, sufficis tu Deo? sufficiat tibi Deus.* Et illud Bernardi: *Itáne summus omnium factus est imus omnium? quis hoc fecit? amor, dignitatis nescius, dignationis diues. Quid amore violentius? de Deo triũphat amor.* Quomodo non triumphet etiam de nobis amor? Vtinam, vtinam in hunc triumphum nos omnes trahamur! ô quàm felices, quàm magni essemus! *Ille namque verè magnus est, qui magnam habet charitatem,* vt dicit Auctor ille pius Thomas Kempensis. Sicut è diuerso qui non habet charitatem paruus est, imò nihil est.

Tit. 3.

Cypria. Serm. de Ascens.

Bernard. Serm. 64. in Cant.

Thom. Kempẽs. de Imit. l. 1. c. 3.

Tertia magnitudo contemptus mundi.

Postremò etiam magni fieri contendamus huius mundi despicientia atque contemptu: quandoquidem vt nobis esset exemplo Dei Filius, pro nobis paruulus factus, illum adeò contempsit, vt summam eligeret paupertatem, & hoc ipso magnus, quia mundum contempsit, cùm optimè sciret *reprobare malum, & eligere bonum.* Itaque rectè hortatur nos discipulus quem diligebat Iesus: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Magnus certè est quicumque hæc terrena, quæ minima sunt, despicere ac pro nihilo ducere potest. Sancti omnes hac via magni euasere: & quò sanctiores maiorique lumine præditi, eò magis omnia mundana conculcarunt, aut quasi minima reputarunt. D. Benedictus hanc vniuersitatem in radio solari quasi globulum aspexit. Si vertice nunc cælum Lunæ contingerem, hunc orbem infra pedes cernerem instar puncti. Quin etiam hoc ipsum lumine naturali Philosophi assecuti sunt. Vnde refert Theophrastus, coram Philippo Alexandri patre Philosophos disputasse, quæ res maxima esset inter omnia mundi magna. Vnũ dixisse, maximum omnium esse Olympum montem, cuius cacumen superat mediam regionem aëris: alium verò censuisse Solem inter omnia maximum, cùm vniuersos cælos

Isa. 7.

1. Ioan. 2

In Vita eius.

cælos & elementa illuminet. Alios verò aliter iudicasse: vltimum tandem & præcipuum Philosophorum, cuius probata fuit sententia, sic pronuntiasse: Verè nihil in rebus humanis magnum, nisi animus magna despiciens. Hic maior est quàm qui vniuersum mundum lucratur: quia plus est mundum contemnere quàm acquirere. Hinc altissimus à D. Paulo appellatur qui omnia contemnit: *Altissima*, inquit, *paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Quo loco Glossa & D. Thomas altissimam dici paupertatem exponunt: quia qui contemnit diuitias altissimus est, & super temporalia eleuatus.

2. Cor. 8.

Ex aduerso autem paruos nimùm & minutos se ostendunt quicumque vel aurum vel pecuniam, vel agros, vel mundum vniuersum rem magnam reputant. Haud secùs ac formicæ, quæ suas item cauernulas ita incolunt, quasi ingentes domos: & minima grana sic conuehunt, tantumque operæ ac laboris in ijs insumunt, vt in ingenti præda. Scitè Socrates ille Philosophus & sapienter, qui, vt scriptum est, Alcibiadis superbiam aduertens, diuitiarum & copiarum fastu inflatam, adduxit eum ad tabulam, in qua descriptus erat totius terræ ambitus: rogauitque vt in ea Atticam inueniret: quam cùm ille ostendisset, rogauit item vt fundos suos indicaret. Cùm responderet nusquam illic esse pictos: cur ergo, ait, eorum te possessione effers, qui multa terræ portio sint? Omnia denique infra dignitatem hominis sunt, omnia nimis exigua & vilia, caduca & vana, imò vanitas ipsa. Concludam verbo cum Thoma Kempensi: *Transeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide vt non inhareas, ne capiaris & pereas. Apud Altissimum sit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.* Cui cum beatissima matre omnis honor, omnis amor, omnis gratiarum actio ab omnibus iure optimo debetur in perpetuas æternitates, Amen.

De Imit. Christi l. 1. c. 1.

CONCIO XXVIII.

Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.

1. *De statu laudibusq; Regis Christi, ac regni eius.*

2. *De statu ac conditione nostra sub tali Rege ac regno.*



SCRIPTORES veteres tradunt, more legibusque Persarum ac Parthorum antiquitus obseruari solitum, vt omnes qui Regem salutaturi adirent, aut à Rege viserentur, ei donum aliquod offerrent: vnde cùm sua regna visitaret Rex, subditi vndique effusi varijs cum muneribus ei obuiàm ibant. Itaque cùm fortè Cyrus in agro versaretur, fertur rusticus quidam in eum incidisse, qui cùm nihil haberet quod Regi dono offerret, ad flumē accurrit, & aquam manibus hausit, quam Cyro bibendam obtulit. Ille autem Regio inclinato capite potum hauriens, dicebat: *In Principe non esse minus parua recipere, quàm magna dare.* iussitque ex tempore pro illo munere aureum poculum, ac mille nummos aureos reddi. Huiusmodi hodieque viget mos apud Reges Orientales, vt inde ad nos crebrò perscriptum est, testāturque

Seneca epist. 17. Cælius Rhodig. Lect. antiq. &c.

Maffęus, Petrus Iarric. &c. turque huius æui historiographi. Sed quorsum hoc? Rex noster, Rex Regum ac Dominus dominantium, vti est summus in potestate, nemine vt indigeat; ita summus est in bonitate, vt nihil donorum reiiciat. Itaq;
Exod.23. cùm in lege præcipiat, *Non apparebis in conspectu meo vacuus:* ecquid ei hodie potissimùm offeremus? Vtique non quantum meretur, sed quantum possumus, eum ex animo laudabimus. non poterit, spero, hoc non esse gratum; etsi *maior omni laude, nec laudari sufficit:* quia bonus & benignus est supra omnem modum, & verè φιλάνθρωπος, ex quo pro homine factus est homo.
Maria Regina. Quin & Maria quoque totius mundi Regina est augustissima, eademque potentissima
1. iuxtà ac benignissima. Namque si, teste Archangelo, Filius est Rex, quomodo non Regina sit mater eius?
2. Deinde ratione auctoritatis, quomodo non Regina, quæ etiam imperium habet quodammodò in Regem, sicuti mater in filium? cui filius obediuit in omnibus vsque ad mortem?
Lucæ 2. Legimus quippe in Euengelio: *Et erat subditus illis.*
3. Adhæc quomodo non Regina potentissima, cùm verè possit illa verba vsurpare, quæ filius de se, tamquam Rex vniuersorum
Matt.vlt. vsurpat, dicēs: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ita nimirum & Maria, teste D. Bernardo,
Bernard. Ser. 1. de Assumpt. &in Natiu. Mariæ. meritò glorietur; *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, vt quidquid voluero, valeam efficere.* Non quòd naturâ sua sit omnipotens, vt Deus ipse; sed per gratiam. Sicuti etiam
4. hæc est vera propositio, Christi imperio famulantur omnia, etiam ipsamet B. Virgo: ita quoque hæc est vera, Virginis imperio omnia famulan-
5. tur, etiam ipsemet Deus. Illud item de Maria cecinit Psalmista Regius:
Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. ex quo vtique consectarium est, vt efficaciùs oret atque impetret, quàm Salomonis mater, cui Rex Salomon ait, Psal. 44. Sic Athanas. Ser. de Deip.
Pete mater, neque enim fas est vt auertam faciem meam. Denique, sicut æterna Sapientia de se dicit, *In omni populo & in omni gēte primatum tenui;* 3. Reg. 6. 6. Eccli. 24.
ita de se dicit Maria, quemadmodum eadem verba eidem tribuit Ecclesia, *In omni populo & in omni gente primatum tenui.* Quæ cùm ita sint, manifestum est, Christo proximam esse per potentiam & auctoritatem: an non etiam per bonitatem ac benignitatem, vt exiguas à nobis hodie laudes recipiat? Par etenim ratio est vtrimque. Sed quas laudes recipiet? laudes filij pariter ac suas: nam dum filius laudabitur, mater quoque vnà laudabitur; nec à matre receditur, dum filius honoratur. Filij itaque regnum prædicemus, & gloriam imperij eius. hæc sanè laus pariter est Reginæ matris. Angelus porrò viam nobis strauit ad laudes regni huius, dum ait, *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius,* &c. Dicendum igitur Primò de statu & conditionibus huius Regis ac regni eius. Deinde de statu & conditione nostra sub tali Rege ac regno.

AVE MARIA.

AVdiuimus quemadmodū turbauerit Angelus Virginem principio legationis suæ: quemadmodum posthæc turbatam erexerit ac confirmarit, dicens: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum. ecce concipies in vtero, & paries filium.* Deinceps eam consolatur atque artificiosè ad consensum inducit, demonstrando nobilissimas atq;

 hono-

honoratissimas filij conditiones: primò nomen Iesu sanctissimum, atque omni creaturæ venerabilissimum: deinde magnitudinem eius ac nobilitatem originis, *quia Filius Altissimi vocabitur*: denique statum excellentissimum, nempe Regalem, quoniam futurus sit verus Messias Rex promissus, *cuius regni non erit finis. Dabit enim illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Quando hîc *sedem* nominat Angelus, quid nisi statum filij, siuo dignitatem, regnum ac potentiam Regalem designat? Rectè hoc explicat D. Cyrillus Ierosolymitanus: sicuti quando quempiam dicimus sedem seu thronum consequi & inthronizari, vel pelli è sede sua, haud dubiè per sedem intelligimus dignitatem Regalem, Pontificalem, vel Episcopalem. Itaque de regno Christi ac perpetua eius dominatione, de Rege Regum, Dominoque dominantium hodie verba facienda sunt. quod vt pro dignitate materiæ exsequi aggrediamur, non mediocres sese offerunt difficultates, quas aliquot quæstionibus euoluere atque expedire contendam.

Cyrill. Ierosol. Catech. 12.

Quæstio prima, de regno Christi. Prima quæstio hîc à D. Bernardo proponitur ad hunc modum: *Quòd de stirpe Dauid duxerit originem Dominus Iesus, nemo dubitat. Quæro autem quomodo dederit ei Deus sedem Dauid patris sui, cùm ipse in Ierusalem non regnauerit; quin imò turbis eum volentibus constituere Regem non acquieuerit; sed & ante faciem Pilati protestatus sit, Regnum meum non est de hoc mundo. Denique quid magnum promittitur ei qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem super solium excelsum & eleuatum, sedere in throno Dauid patris sui?* Respondet autem sanctus Pater: *Sed nouimus quamdam aliam Ierusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnauit Dauid, significatam, multò ista nobiliorem, multò ditiorem* (Ecclesiam videlicet militantem ac triumphantem) *non typicam sed veram, non terrenam sed cælestem, nō temporalem sed æternam* (regni eius non erit finis) *Hanc igitur puto hîc significatam fuisse, illo videlicet vsu loquendi, quo sæpè reperis in Scripturis significans poni pro significato.* Ita Bernardus: vbi sapienter nos monet, frequēter in Scripturis Ierusalem, Sion, Israel, domum Iacob, solium siue regnum Dauid, significare Ecclesiam militantem vel triumphantem, vel vtramque: vt cùm dicitur, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius,* id est, super totam Ecclesiam. Aliter responderi potest, Angelum his verbis potissimùm respexisse ad vaticinium Isaiæ, quod in Christo impletum fuit, vbi post promissionem paruuli cuiusdā filij, & nominum eius enarrationem, sic sequitur: *Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodò vsque in sempiternum.* Itaq; his verbis Angeli Gabrielis dicitur regnum Messiæ sedes ac regnum Dauid, id est, Regia potestas, per cathedram significata: non quòd regnum temporale esset, ac terrenum, sed quòd in regno Dauidis adumbratum fuerit, & Dauidi in proprio semine promissum sub typo regni sui. Discimus hîc, nullas opes, nullos honores, nullas voluptates, aut delicias huius mundi à Rege nostro quærere, sed ad spiritales ac cælestes ardentissimè suspirare, vt ipsemet hortatur: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius.* Aqua viua postulanda ab ipso, *quæ saliat*, nosque secum

Bernard. hoc loco, Hom. 4. sup. *Missus.*

Ioan. 18.

Isaiæ 6.

Responsio prima.

Psal. 2.

Responsio secunda.

Isa. 9.

Documentum.

Matth 6.

Ioan. 4.

cum

eum rapiat *in vitam aeternam*.

Quæstio secunda. Quæri etiam potest, quando dederit illi Deus sedem Dauid patris eius, siue regnum. Respondeo, Propriè loquendo Christus per incarnationem factus est caput Ecclesiæ, & Rex, sed Ecclesiæ futuræ, quam acquirere debebat in Sanguine suo, per infinita merita omnium laborum, & operum suorum in carne assumpta. Sicuti enim Dauid pater eius vnctus quidem fuit à Samuele in Regem longè antequam in solo regni sui resideret; quod solium non obtinuit nisi post multas persecutiones & afflictiones, quarum tolerantiâ meruit tandem à Deo magnificè attolli in Regem: ita Dominus Iesus statim in sua incarnatione vnctus est Spiritu sancto à Patre, & Rex populi sui constitutus: verumtamen Regalis solij possessionem non obtinuit nisi per patientiam in aduersis valdè generosam ac diuturnam. atq; ita promeruit tandem exaltari à Patre, & accipere *nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flecteretur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Philip. 2. Disertè hoc habet Apostolus: *Humiliauit semetipsum*, inquit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Huius rei luculentam cernimus figuram in libris Regum, vbi à Salomone fabricatus describitur admirabilis thronus qui sex gradus habebat: ex vtraque verò graduum parte multi stabant leones; ita vt Regem per medios leones ascẽdere oporteret. 3. Reg. 10 En tibi Regalem thronum Christi Domini, ad quem ascendit per medios leones, id est, per medios hostes, Pharisæos nempe & Scribas, & Principes Sacerdotum: à quibus etsi post varias iniurias ac contumelias occisus est, tamẽ ascendere non est prohibitus, neque potuit prohiberi: imò quia est occisus, propterea in regnum, cuius non erit finis, fuit euectus. Porrò à primo instanti incarnationis Regem fuisse vnctum, indicat illud calami Scribæ velociter scribentis: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, Psal. 44. videlicet in incarnatione, vt SS. Patres exponunt: quia tunc virtute hypostaticæ vnionis supra omnem mensuram & modũ vnctus fuit, non quouis oleo, sed oleo lætitiæ, & præ consortibus, quia non ad mensuram, vt alij, vnctionem accepit. De qua etiam vnctione (vt videatis quomodo Prophetæ Prophetis concinant) legimus apud Danielem, Daniel. 9 eodem Angelo nostro Gabriele prædicente, vt in Euangelio Annuntiationis, *vnctum fuisse Sanctum sanctorum vt finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna.* Hinc quoque à tribus Magis tamquam Rex quæritur, & in cunabulis adoratur, & muneribus Regiis honoratur. *Vbi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Iudæorum?* Matth. 2. quibus verbis manifestè non solùm Regem profitentur, sed natum Regem, id est, à natiuitate. quia videlicet non sicut alij Reges ab hominibus factus sit Rex, sed a Deo ipso per vnctionem Spiritus sancti in momento conceptionis. Rursus verò ingressus Ierosolymam cum pompa, Regium nomen non respuit, sed acceptat, cum acclamationibus faustis populi, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Luc. 19. Principibus autem Iudæorum id ægrè ferentibus respondit: *Si isti tacuerint, lapides clamabunt.* Passionis quoque tempore se Regem esse non negauit. *Tu di-*

Ioan. 18. *eis*, inquit, *quia Rex sum ego; sed regnum meum non est hinc.* Denique in titulo crucis nomen Regis deleri non permisit, quantumuis instarēt Iudæi. Illa enim Pilati vox, *Quod scripsi, scripsi*; ex diuina dispositione manauit. Fuit igitur verus Rex, etiam dum visibilis Philip. 2. *in similitudinem hominum factus est, & cum hominibus conuersatus.*

Post Resurrectionem verò & Adscensionem accepit regni possessionem à Patre, cùm dixit ei: Ps. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et ipsemet Matt. 28. discipulis apparens, *Data est*, inquit, *mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* &c. Data, inquam, illa plenaria potestas & Regia in totum vniuersum, videlicet post exantlatos diros cruciatus, mortemque crucis. Verumtamen hoc regnum erit multò perfectius in altera vita: nam hîc nondum est planè pacificum, nondum omnes inimici expulsi & deleti sunt: permanent dæmonis tentatio, peccatum, mors: multi adhuc rebelles præceptis Christi aduersantur; sicut olim in Terra promissionis reliquit Deus Iebusæos & Pherezæos exercitij causâ, vt patet in sacro Volumine. (1. Exod. & Numer.) Tunc verò nihil horum erit ampliùs: sed regnum pacatum iam & consummatum offeret Filius Patri, profligatis omnibus inimicis, & confectis omnibus quæ ad salutem hominum pertinebant.

Quæstio tertia. Tertia exsurgit difficultas, quo iure, quibúsve titulis regnum suum Christus consecutus sit. Nam alij quidem Reges ab hominibus creantur, & potestatem suam recipiunt vel hereditate, vel electione, vel alio aliquo ex capite: sed Christus Dominus à Deo solo, vt ipsemet testatur in Psal. 2. Psalmis, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, &c. Respondeo, quinque potissimùm titulis Regiam dignitatem illi debitam fuisse: quorum primus fuit, iure vnionis hypostaticæ. *Titulus primus.* Ex quo enim ille homo Deus est, haud dubiè omnium creaturarum spiritualium ac corporalium, cælestium ac terrestrium, dominium ac potestatem habet. Ita docet D. Athanasius, D. Ioannes Damascenus, & Cyrillus. (Athanas. Serm. de Deip. Damasc. Orat. 1. de Nat. Virgin. Cyril. l. 3. in Ioan. c. 2.)

Secundus fuit, iure redemptionis. Nam quia nos Sanguine suo redemit, factus est Dominus absolutus omnium. Sanè si auro & argento mancipia emuntur, quantò magis Sanguine pretiosissimo Filij Dei fiet redemptio perfecta? *Titulus secundus.* 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis*, inquit Princeps Apostolorum Petrus, *sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi.* Quamquam verò nondum in sua incarnatione sanguinem fuderat, tamen decreuerat fundere: & eius efficacem voluntatem Pater acceptauit, atque hac ratione nostram Christus redemptionem promeruit.

Tertiò Christus Dominus Rex factus est iure donationis. *Titulus tertius.* Vnde illæ voces, Matt. 11. & 28. *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo.* Et, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra:* videlicet post Resurrectionem, quoad exercitium & vsum; sed ab instanti incarnationis etiam quoad facultatem. Meminit horum trium titulorum D. Bernardus his verbis: Bern l. 3. de Consider. *Christus possessionem sibi vendicat iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris.* Adhæc iure hereditatis debita ei fuit corona. *Titulus quartus.* Ad ipsum enim spectabat hereditas paterna, quæ est dominium plenum omnium creaturarum. Rom. 8. *Si filius*, inquit Apostolus, *& heres.* At qualis heres?

Hebr.1. heres? *Quem constituit heredem vniuersorum*, nempe non hominum solùm, sed & Angelorum, & dæmonum, & prorsus omnium creaturarum. Quintò denique iure meriti. Ex quo enim homo ille Patri satisfecit, & honorem eius peccatis hominum læsum propria morte reparauit, meruit ab ipso Patre omnem honorem & dignitatem. Hinc illud Apostoli: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Itaque his quinque titulis meritò ab instanti incarnationis tribuitur Christo regnũ totius vniuersi.

Titulus quintus.

Philip. 2.

Quæstio quarta.

Quæritur prætereà, quomodo dicat Angelus, *Dabit tibi Dominus Deus sedem Dauid patris eius*, cùm reuerà tunc Rex esset. Erat enim Deus: Deus autem est Dominus & Rex totius mundi, superioris & inferioris. Respondeo, verum id esse quod assumitur; Messiam nimirum debuisse verè Deum & hominem esse. Et quà Deus erat, sine dubio Rex verè erat; sed non quà homo, quia nondum erat homo. Quocircà quà Deus, non solùm spiritualis, sed etiam temporalis totius mundi superioris & inferioris Rex erat. Propterea enim *habet in vestimento & in femore scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium*; vt ostendat se non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione Regem esse, sed naturâ, quæ per femur significatur. Sed quà homo, Rex spiritualis in totam Ecclesiam à Deo Patre constitutus est per incarnationem, factus caput Ecclesiæ. Hoc regnum Patri acquisiuit per humilitatem incarnationis, & merita sua infinita. Post finem mundi illud redditurus est. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem.* Quemadmodum Princeps cui pater committit regni alicuius acquisitionem, postquam illud occupauit, coronam regni offert patri, eique reddit rationem administrationis, vt explicat Theophylactus.

Apoc. 19.

1. Cor. 15.

Theoph. in hunc locum.

Quæstio quinta.

Quinta dubitatio sit, quomodo Rex noster officio Regis functus sit, siue, vtrùm potestatem Regis temporalem ac spiritualẽ exercuerit. Deinde, an etiamnum exerceat in cælis. Respondetur, temporalem potestatem vix & rarò exercuisse, cùm eam in vita sua cohibuerit ac represserit potiùs, factus obediens vsque ad mortem. *Non enim venerat iudicare, sed saluare: non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis.* Quod sanè tantò magis humilitatem eius commendat, quoniam cùm Rex esset supremæ maiestatis, vltrò etiam pessimus hominibus sese subiecerit propter nos. Nihilominùs tamen certis de causis aliquoties hanc potestatem ostendere voluit. Nam quòd legionem dæmonum in porcorum multitudinem ire permisit, eosque occidi; hoc fecit tamquam Rex & Dominus omnium, ad suæ diuinitatis ostensionem. Eadem potestate asinam & pullum solui, & sibi afferri iussit hoc pacto, *Dicite, Dominus his opus habet.* Eiecit quoque de templo oues & boues, vendentes & ementes, & effudit æs nummulariorum, & mensas eorum subuertit: quod etiam insignis fuit potestatis. sicut maledixit, moxque ceu fulmine afflata arefacta est. Quid, quòd & adulteram à pœna legis Moysaicæ liberauit? quòd à Magis adorari voluit? quòd acclamationes Regias, vti diximus, admisit? Hæc omnia potestatis sunt Regiæ,

Matt. 20.
Marc. 10.

Luc. 8.

Luc. 22.

Ioan. 2.

Marc. 2.

Ioan. 8.

 non

non qualiscumque, sed perfectæ & absolutæ, qualis erat in homine veri Dei filio. Ceterùm qualis fuerit potestas quam ordinariè siue per se siue per suos exercere decreuerat, satis ostendit post resurrectionem, dum ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Statim enim subiunxit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quæ partes non temporalis sed spiritualis Regis sunt. In primis enim, quemadmodum solus Rex condendarum legum potestatem habet in regno temporali; ita Christus in Ecclesia solus potuit Sacramenta constituere ac præcipere: quæ, sicut in Republica leges, ita in spirituali Christi regno peccatorum remedia sunt. Has leges ipse dum vixit condidit, & ante Ascensionem Apostolis & omnibus successoribus eorum illas commisit administrandas & obseruandas. Eisdem commisit officium docendi omnes gentes, atque ita populum suum, seu filios regni spiritualis deducendi ad cælum. Denique ijsdem dedit potestatem Episcopos ordinandi, aliosque Ecclesiæ ministros, in suo quemque gradu. Hæc autem sunt præcipua Regis nostri officia, quæ & ipse obiuit in terris, & adhuc procurat in cælis, sedens ad dexteram Patris. Cùm enim regnum eius debeat esse æternum, vt Angelus dixit, constat etiam nunc debere Regis officium administrare, vel per se vel per alios quibus dat potestatem. Sicuti enim Rex in vna ciuitate residens ceteras regni partes regit: sic Christus residens in cælis, quæ mundi huius sunt gubernat, per scientiam & potentiam attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Illinc punit delinquentes in hoc sæculo, illinc animas ad cælos trahit. Sed quæ sunt præterea functiones eius? Regis item est non tantùm legibus ac documentis bonis seu regulis vitam populi informare, sed etiam regnum suum defendere ab hostibus & hostilibus cladibus. Ita Christus quoque suam defendit Ecclesiam ab hostibus ac malis omnibus, à peccatis, ab inferno, morte, diabolo. Hoc ita præstitit nobiscum viuens, ita nos vsquequaque liberauit ac protexit, vt omnia diuini furoris tela in nos intenta, in se vnus exciperet. Ipsius enim est illa vox, *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Hoc idem non desinit præstare in cælis, at sublimiori modo. Munus insuper Regum est, regnum suum locupletare, atque exornare, simulque quoad eius fieri potest efficere, vt omnes rectè sanctéque viuant. Itidem Christus Dominus gratia sua & diuinis opibus homines ita locupletauit, vt nihil aliud in mundo quæsiuerit, & hoc vnum adhuc quærat, quàm vt nos omnes ditemur opibus diuinis, charitatis auro, virtutúmque gemmis fulgentissimis, & gloriæ coronis in cælo. Denique Spiritu suo bono deducit nos in terram rectam, nostrum erudit intellectum, excitat voluntatem, vt virtutis viam ingrediamur, vitia detestemur, piè Deum colamus. Ac veluti bestijs hominibusque omnibus naturalem indidit instinctum, docens auiculas volare, pisces natare, oues gramen carpere salutare, noxium reijcere, homines intellectu & manibus operari: ita Ecclesiæ suæ, id est, pijs omnibus supernaturalem instinctum inserit, vt vitia odio, virtutes amore prosequantur. Quî enim fit, vt vir pius & constans

Margin notes: Matt. 28. — *Christum ordinariè exercuisse potestatem spiritualem, probatur primo.* — *Probatur secundò.* — *Probatur tertiò.* — *Probatur quartò.* — Ion. 2. — *Pr[illegible]ur quintò.* — *Probatur sextò.*

ſtans millies mori malit, quàm peccare: niſi quòd hic Dei Spiritus tantam illi peccati deformitatem oſtendat, tantumque odium eius inſpiret, vt ſi hinc videret infernum, illinc peccatum, præoptet infernum? His modis regit nos Dominus; & quantumuis præſentiam ſuam viſibilem mundo ſubtraxerit, regni tamen eius non erit finis, noſque aſſiduè quærit æternos Reges efficere, nec fucata & vitrea, ſed immortali gloria beare.

Quæſtio ſexta. Sed aliud eſt in verbis Angeli quod obſcuritatem parit, quare videlicet Chriſto promittat ſedem Dauid patris potiùs, quàm Salomonis, aut alterius Regis. Reſpondet D. Bernardus in hunc locum: *Quia hæc ſedes, in qua temporaliter ſedit Dauid, æternæ illius gerebat imaginem.* Dauidi enim non Salomoni aut aliis Regibus facta eſt promiſſio Meſſiæ ex ſemine eius naſcituri. *Iurauit* enim *Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, De fructu ventris tui ponam ſuper ſedē tuam.* Et alius Propheta dicit: *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit.* Adhæc regnum Dauidis turbulentum fuit, & multis bellis agitatum, tum domeſticis ſiue internis, tum externis: regnū verò Salomonis pacificum fuit & tranquillum. quare vt hoc rectè Eccleſiam triumphantem deſignat, de qua legimus, *Qui poſuit fines tuos pacem*; ita regnum Dauidis Eccleſiam militantem ſignificat, in qua pugnandum cum antiquo ſerpente, carne, & hoſtibus huius ſæculi. Tertiò inter Dauidem Regem, Chriſtumque filium eius varia & multiplex ſimilitudo interceſſit. Primùm, Dauid eximia præditus manſuetudine & clementia fuit, adeò vt diceret: *Memento, Domine, Dauid & omnis manſuetudinis eius.* Ita & Chriſtus, Propheta acclamante, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*: tam videlicet manſuetus, vt ſeipſum huius virtutis præ reliquis omnibus exēplar ad imitandum proponat dicens, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Item vt Dauid paſtor ouium fuit, ita & Chriſtus. *Ego ſum,* inquit, *paſtor bonus,* &c. *Ego ſum paſtor ouium.* Et, *Paſce oues meas.* Dauid leonem vrſumque manibus interfecit, & in funda lapideque præualuit Philiſthæo, vniuerſo Hebræorū exercitui formidabili & inexpugnabili: Chriſtus verò manibus in crucem extenſis peccatum, mortem, infernumque nobis ſuperauit atque expugnauit. Dauid refugium erat omnium afflictorum, qui quauis ratione amaro eſſent animo: Chriſtus quoque ad ſe omnes vocans ait, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Dauid plurima paſſus eſt à Saüle & aulicis antequam regnum adiret: & Chriſtus à Principe huius mundi, eiuſdemque ſatellitibus Pilato, Herode, Iudæis. Dauid non tantùm duabus vel decem tribubus præfuit, vt alij aliquot ſucceſſores eius, ſed omnibus in vniuerſum Iſraëlitis: ita Chriſto Regi *data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra,* & *ordinatus eſt caput ſupra omnem Eccleſiam.* Dauid à filio quæſitus eſt ad necem: Chriſtus à diſcipulo traditus ad mortem. Dauidis regnum plenum fuit bellis, tumultibus, perſecutionibus: ita regnum Eccleſiæ militantis, quoniam *omnes, qui piè viuere volunt, perſecutionem patiuntur.* Dauid interim inuitis hoſtibus glorioſè regnauit: Chriſtus quoque audiuit à Patre, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorū.* Quid, quòd Chriſtus Dominus, vnà cum regno

Marginal notes: Bernard. Hom. 4. ſuper *Miſſus.* — Pſ. 131. — Iſa. 9. — 2. — Pſal. 117. — 3. — Pſal. 131 — Zachariæ 14. & Matt. 21. — Matt. 11 — Ioan. 10. & 21. — 1. Reg. 12 — Matt. 11 — Matt 28 — Epheſ. 1. — 2. Tim. 3. — Pſ. 109.

regno suo spirituali, non modò per Dauidem Regem typicè designatus fuit, sed insuper Dauidis nomine in Scripturis non semel appellatus est? Nam de ipso in primis Ieremias vaticinatur: *Seruient* (Israëlitæ secundùm spiritum) *Domino Deo suo, & Dauid Regi suo, quem suscitabo eis.* Quod Rabbi Ionathan vertit, *Et obedient Messiæ, filio Dauid, Regi suo.* Apud Ezechielem verò: *Dicit Dominus, Suscitabo super eos Dauid & ipse erit eis in pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum.* Vbi etiam secundùm Hebræos per hunc pastorem significatur Messias dictus Dauid, quòd de semine eius nasciturus esset. Item ibidem: *Seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.* Apud alium Prophetam sic: *Reuertentur filij Israël* (ad fidem Messiæ, per ipsum & Apostolos eius admoniti) *& quærent Dominum suum, & Dauid Regem suum.* His de causis Rex Dauid typus erat Christi, & eius potiùs quàm aliorum Regum temporale regnum, typus egregius exstitit regni spiritualis Christi, non super Israël tantùm, sed super omnes Christianos; neque in Iudæa modò, verùm etiam per totum orbem. Quemadmodum si Rex magnus, multas possidens prouincias & ciuitates, digito ostenderet in chartis geographicis vnam ex illis ibi delineatam, diceretque filio suo paruulo, Hanc prouinciam tibi regendam dono: procul dubio non intelligeret frustum illud chartæ vel picturę mundi, in qua descripta sit illa prouincia; sed ipsam veram atque propriam, quæ in tabula repræsentata est ac significata. Ita planè Messiæ promissa est sedes Dauid, id est, sedes regni spiritualis, quæ in illa tēporali allegoricè seu figuratè premōstrabatur.

Iere. 30.

Ezec. 34.

Ezec. 37.

Ose. 3.

Hinc oritur septima quæstio, cùm tanta fuerit inter regnum Christi & Dauidis similitudo, quanta fuerit etiam differentia. Respondeo, permagnum esse discrimen inter vtrumque regnum, tametsi alterum ab altero typicè fuerit adumbratum. Primò enim regnum Dauidis angustum satis atque exiguum intra fines Terræ promissæ continebatur: at Christi regnum latissimè patuit, per quatuor orbis terrarum angulos diffusum. Hoc significat Angelus cùm ait, *Regnabit in domo Iacob.* quia Iacob duodecim Patriarcharum, & ab his duodecim tribuum propagatarum fuit pater. Vnde colligitur, illius regnum non fore intra vnius aut duarum tribuum terminos inclusum, vt sub alijs Regibus longo tempore fuerat. Sub Dauide enim aliquando regnum eius vel ad vnam, vel ad duas tribus dùmtaxat extendebatur, Iuda & Beniamin. Sub Roboam alijsque deinceps Regibus ad easdem duas tribus: ex quo tempore non destitit varijs cladibus concuti, donec tandem per Assyrios, Persas, Græcos, Romanosque collapsum est. At Christi regnum fuit in omnes tribus duodecim, quibus omnium hominum vniuersitas significari solet. *Super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël*, &c. Regnum itaq; Dauidis paruula tantùm figura fuit, veluti typus geographicus totū repręsētat orbēm: sed Christi dominium fuit in omnes creaturas, cælestes, terrestres, & infernas; imò etiam in omnia insensibilia, quæ suo modo etiam parent ei: in homines verò præcipuè, eosque tam mortuos quàm viuos, tam in purgatorio & inferno, quàm in cælo. Audite quale Messiæ regnum à Propheta Regio describatur: *Orietur*

Quæstio septima.

Prima differentia, amplitudinis.

Matth. 9.

Psal. 71.

Psal. 71. *tur*, inquit, *in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Quin & vsque ad terminos orbis cælorum & vltrà in infinitum. *A flumine* videlicet Euphratis, quousque pertinuit regnum Dauidis & Salomonis. Hunc autẽ fluuium longè transilit gloria & potestas Christi, vt ei subiiciatur orbis terrarum ab Oceano Orientis vsque ad Oceanum Occidentis, ab Indico adusque Gaditanum. Legimus quomodo Iupiter cum mendacio loquatur de Romanis apud Virgilium:

Virgilius lib. 1. Aeneid.

His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. —

experientia enim nimis manifestè docet hæc falsò dici. Sed quid Spiritus sanctus contestari pergit per os Psalmistæ? *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent*, id est, osculabuntur in signum reuerentiæ ac subiectionis. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Vbi docet Propheta, remotissimos quosque populos ad hunc Regem conuertendos, Reges Tharsis per mare Indicum, Reges Saba ex Æthiopia & Arabia. Hæc enim SS. Patres cum tota Ecclesia de tribus Magis intelligunt, qui cum muneribus ad Regem Regum venerunt. *Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei.* O regnum amplissimum, à Solis ortu vsque ad occasum, ab Aquilone & mari!

Secunda differentia, durationis. Secundò multùm discrepat regnũ Christi à regno Dauidis, quia regnũ Dauidi perpetuum non fuit, sed *huius regni*, inquit Angelus, *non erit finis.* Alij omnes Reges morte amittunt omnem potestatem. Nam diues *cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius*, ait Psaltes. Psal. 48. at Messias regnabit in domo Iacob in æternum. Fuerat quidem ipsimet Dauidi etiam perpetuitas regni promissa, siue stabilitas ac diuturnitas magna, sed sub conditione, *Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos: & filij eorum vsque in sæculum sedebunt super sedem tuam.* Ps. 131. Christo autem qui non poterat non seruare testamentum Dei, absolutè promissum est regnum æternum. Imperia quoque terrena quantumuis magna & potentia, veluti Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum; suo tempore oriuntur, & aliquamdiu durant, sed postea iterùm occidunt, vt patet experientiâ: hoc verò Messiæ regnum absolutè æternum est. Optimè id cõfirmant multis locis oracula Prophetarum. Primò illud Psalmographi: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Ps. 144. Illud Danielis etiam: *In diebus autem regnorum illorũ suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem & consumet vniuersa hæc regna, & ipsum stabit in æternum.* Dan. 2. Alibi quoque: *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Dan. 7. Quibus quidem diuinis vaticiniis promissiones Christi in nouo Testamento aptè consonant, de Ecclesiæ suæ stabilitate sic loquẽtis: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 16. & 28. Et: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Et: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum* Ioan. 14.

veritatis. Quæ cùm ita sint, rectè Angelus ait, *Et regni eius non erit finis.* Non, non! tametsi enim habebit plurimos, infestissimos, perpetuos hostes, qui illi insidiabuntur assiduè, & eminùs & cominùs illud oppugnabunt, numquam tamen expugnabūt. Sanè quidem Christi doctrinæ, famæ, vitæ, & Sacramentis, id est, regno Christi, aduersati pro viribus obstiterunt Iudæorum Pontifices, Scribæ & Pharisæi, Seniores populi, Capharnaitę, Saducæi, & ex Gentibus Herodes & Pilatus, ac præcipuè Romani Imperatores annis plus trecentis, innumera martyrum Christi edita strage: sed inuitis hostibus totum denique peruasit orbem; adeoque ipsos Romanorum & Græcorum Imperatores suis subiecit legibus, ac suaue Christi iugum iis imposuit. Fallunt ergo turpissimè ac falluntur Lutherani omnes, Caluinistæ, & alij, fingentes hoc Christi regnum, quod est Ecclesia, à mille & ampliùs annis defecisse in terris, donec ipsi eam instaurarint: quandoquidem Christum Filium Dei omnipotētem habet Ducem, pastorem, sponsum, seruatorem, qui ei numquam defuerit, nec deesse potest, vt promissa Prophetarum & sua inconcussa defendat. Oleum quoque & operam suam perdiderunt omnes tyranni, Herodes, Nerones, Domitiani, Decij, Traiani, Diocletiani, Valentes, Iuliani, & similes, qui bella ei atrocissima indixerunt, vt è medio ipsam tollerent. Etenim ista ratione & amplior & clarior euasit, vt olim
Exod. 3. Israëlitæ in Ægypto eò magis crescebant & multiplicabantur, quò
August. lib. 22. de Ciu. c. 6. duriùs opprimebantur. Miratur id meritò D. Augustinus, quomodo primi Christiani capiebantur, ligabantur, cædebantur, verebantur, crucifigebantur, laniabantur, ac nihilominùs multiplicabātur. Diuus quoque Hieronymus, in Vita Malchi, *Persecutionibus*, inquit, *creuit Ecclesia, martyriis coronata est*. Tertullianus verò in hunc modum: *Semen Christianorum est sanguis martyrum, plures efficimur, quoties metimur à vobis.* Tertull. lib. ad Scapulā.

Tertiò regnum Dauidis erat terrenum ac temporale, constans gloriâ & magnificentiâ mūdanâ: sed Christi regnum est spirituale ac cæleste, adeoque multò sublimius ac gloriosius. Ita legimus Dominum respondisse, cùm à suis hostibus accusatus esset apud Pilatum regni affectati. *Si hunc dimittis*, inquiebant, *non es amicus Cæsaris: nam qui se Regem facit, contradicit Cæsari*. Sed Pilatus seorsim eum interrogauit, *Tu es Rex Iudæorum?* Respondit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, nō est mundanum ac temporale, sed spirituale & cæleste in totam Ecclesiam, quæ etsi est in hoc mundo, non tamen est de hoc mundo, quia filius hominis, qui de cęlo descendit, caput eius est, & docet eam in cælestibus conuersationem habere, nec habere hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirere. Pergit vlteriùs: *Si de mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent pro me, ne traderer Iudæis. sed regnum meum non est hinc.* Ministros, inquit, haberem mundanos; sed ecce, non habeo, imò nec habere desidero. Idcircò enim Petrum se defendentem ne caperetur, reprehendit grauiter, dicens: *An nescis quia possum rogare Patrem, & dabit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* q.d. Ministri mei non terreni sunt, similes vestris, sed cælestes; neque homines modò spiritua-

Tertia differentia, qualitatis ac magnificentiæ.

Ioan. 18. & 19.

rituales, sed & ipsi spiritus, qui Patri meo in cælis assistunt, & ad omne obsequium sunt promptissimi.

Quarta differentia, potestatis. Quartum discrimen est, quòd regnum Christi excellat vi ac potestate. Ceteri enim Reges in corpora, aliaq; bona peritura potestatem habent, at Christi imperium ad corpo-

Matt. 10. ra animosque pertingit. *Timete eum*, inquit Dominus, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Virga Christi virga dicitur ferrea.

Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea.* Regum namque sceptra potiùs arundinea sunt, & facilè franguntur, & mollem tantummodò carnem vulnerare possũt: at Christi sceptrum ferreum est; propterea quòd frangi nequit: vulnerat autem non imbecille solùm & mortale corpus, verùm etiam fortissimos atque immortales animos. Itaque Reges huius mundi non habent plenam potestatem in homines, nec possunt imperare quæcumq; velint, neque subditi sunt Regum ipsorum serui aut mancipia: at Christus plenum dominium ac potestatem habet in homines, potestque præcipere quiduis, & obligare nos ad omnia quæ velit; vitæque adeò & mortis nostræ habet integrum imperium. vnde potestas eius non tantùm est temporalis, sed etiam spiritualis, videlicet Regia & sacerdotalis.

Quinta differentia, nobilitatis. Excellit etiam hoc Christi regnum inexplicabili Regis nobilitate ac sanctimonia. Rex enim simul Deus est & homo, clemẽtissimus, iustissimus, opulentissimus, fortissimus, sempiternus. Vide quibus nominibus afficiatur Rex noster à Propheta Isaia

Isaiæ 9. vno & eodem loco: *Vocabitur*, inquit, *nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. *Admirabilis* quippe Rex fuit, qui cùm Deus esset, admirabili incarnatione factus est homo: admirabilis quoque vitâ, paupertate, laborum perpessione, morte, resurrectione, ascẽsione. *Consiliarius* quoque, quia cùm ceteri Reges cõsiliariis indigeant, à quibus accipiant cõsilia; Rex noster & sibi & nobis optimus consiliarius est, & toti orbi salutaria consilia dedit, nec eget consilio qui summa est Sapiẽtia. *Deus* insuper est ęterno ęqualis Patri. *Fortis*, ad debellãdos tartareos hostes, mortem atq; peccatũ. *Pater futuri sæculi*, quia hoc aureum sęculum quod nũc est, Prophetæ verò tempore futurum erat, hanc auream ætatem, gratiæ aureo splendore rutilantẽ ipse genuit. *Princeps* deniq; *pacis*; quia hic est non typicus sed verus Rex Salomon, id est, pacificus, *qui magnificatus est super omnes Reges terræ*, tũ diuitiis, tum sapientiâ. 3. Reg. 10 Ideoque meritò dicitur *thronus eius sicut sol:* quia sicut sol omnia Psal. 88. alia sidera, ita regnum hoc omnia regna antecellit, & Rex eius Rex est Regum, & Dominus dominantium.

Aliud discrimen est, quòd ceteri omnes Reges superiorem habeant quem timeant, & à quo iudicari debeant, Christus autem nõ; eamq; ob caussam Scriptura sacra huius mundi Reges non semel adhortatur ad vigilãtiam, & rectam in officiis suis disciplinę rationem. *Sexta differentia, supreme eminẽtiæ.* *Et nunc Reges*, inquit, Psal. 2. *intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Itemque alibi: *Audite ergo, Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ.* Sap. 6. At Christus Dominus absolutam habet potestatem, Dominus vitæ ac necis omnium, & iudex viuorum ac mortuorum. Itaque apud Sapientem legimus: *Primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ.* Prou. 8.

Septima differentia, natiuitatis. Magnam quoque discrepantiam signant

Matth. 2. signant tres Magi dicentes, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* alij enim Reges, etsi natos esse oporteat antequam sint Reges, tamen non sunt nati Reges, non Regio diademate insignes è visceribus matris prodeunt; sed nascuntur vt alij homines, deinde Regiam dignitatem armis, electione aut hereditate sibi comparãt. At Christus natus est Rex, imò nouem mensibus antequam natus, in Regem vnctus est: atque ideò etiam Prou. 8. *primogenitus Regum* dicitur. Hinc quoque fit vt alij Reges, qui non sunt nati Reges, sed facti, morte desinant esse Reges: Christus autem quia est naturâ Rex Regum, etiam post mortem Rex mansit: idque declarare voluit titulo triumphali, cruci affixo, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, quem mutari passus non est: eumq; titulum tribus præcipuis orbis terrarum linguis celebrari voluit, Hebræa, Græca, & Latina: vt palàm constaret Christum Regem esse non vnius nationis, sed totius mundi, nec vnius linguæ, sed omnium linguarum, quemadmodum præter alios Cyril. in c. 19. Ioan. obseruat D. Cyrillus.

Vltima differentia, genealogia. Quin etiam cùm nobilitas ac generis splendor à parentibus ad filios descendere soleat, contrarium accidit in genealogia Regis Christi. Namque vera nobilitas à Christo ad progenitores eius ascendit, qui præcipuam nominis ac generis claritatem ipsi acceptam ferre debuerunt, non contrà. Egregia id metaphora declarat D. Ioannes in Apocalypsi, vbi ait, *Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* Videbatur certè debuisse Dauidem & non Christum vocare radicem, cùm Christus ex illo descenderet, non contrà: sed significare voluit, sicut rami à radicis virtute virorem ac venustatem omnem hauriunt; ita Dauidem aliosque progenitores Christi totum nobilitatis suæ virorem, & ingenuitatis venustatem ac splendorem ab ipso tamquam à radice seu capite mutuatos esse.

Quæstio octaua, de regno Christi. Restat vltima dubitatio de Christi regno, cur noluerint Iudæi Regem suum recipere. Respondeo, cùm tam multa speciosa & magnifica in diuinis libris de Messiæ regno deprehenderent, expectabant in eius aduentu regnum superbum, & immensâ gloriâ exornatum, quod omnia regna terræ longè superaret. Hæc ipsis petra scandali, hic lapis offensionis: quoniam capere non poterant, quomodo verè à Prophetis prædictum fuisset Messiam fore Regem, & super solium Dauid sessurum; tanta interim humilitate ac modestia, vt regnare non videretur, quòd regnum eius non esset de hoc mundo. Quapropter *beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, dicit Dominus. Matt. 11. Attollite humo mentes, aure sque erigite, Iudæi, Zachariam vestri sanguinis vatem audite. *Ecce*, inquit, *Rex tuus* Zach. 9. *veniet tibi iustus & saluator, & ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Ipse, inquit, pauper: cur vos igitur diuitem expectatis? cur equis, curribus, militibusque stipatum, & bellatorem desideratis, quem abiectissimo animanti vehendum vates prædicit? Imò illum propter diuitias repudiare debuissetis, vtpote quæ diuinis oraculis non consonent. Verus Messias Regios splendores, vt oportuit, spreuit. Et Propheta Isaias eum cum virgulto Isa. 53. confert prodeunti è solo sterili atque arido, non cum arbore speciosa & lata, qualis fuit superbus Nabuchodonosor. Dan. 4. Certè non ea fuit causa

ſa aduentus tanti Regis, vt Hebręos opibus caducisq; bonis, ſed vt cunctos mortales ſempiternis virtutibus & gloria bearet. An quæ Deus abiectiſſimis mancipiis, imò inimicis donat, ea nos in Meſſia Dei filio magna & illuſtria putabimus? Nónne abiectiſſima mancipia fuerunt Cæſares, Alexandri, Caligulæ, Nerones, Sardanapali, & ſexcenti alij, in quos Deus diuitias, imperium, & ea quæ Meſſiæ veriſſimo deeſſe videbantur ornamenta congeſſit? Non ſunt, inquam, hæc Meſſiæ ornamenta, ſed viliſſima oſſa, quæ canibus ſuis Deus ex opulentiſſima menſa proiicit arrodenda: ſunt panes furfuracei, quibus viliſſima mancipia alit. Propria Meſſiæ ornamenta atque inſignia fuêre profundiſſima humilitas, inuicta patientia, paupertas voluntaria, aliæque huiuſmodi virtutes. Decus ipſi & gloria fuit, mundum contemnere, opprobria pati, mortem denique crucis decretoriam oppetere. O Regem omni amore digniſſimũ, qui non ſua commoda, ſed populi ſui ſalutem quæſiturus venit; non tributa exacturus, ſed pro nobis moriturus. Ideò rectè Petrus Chryſologus, *Gaudeamus*, inquit, *quia qui ſibi regnauit, regnaturus eſt nobis. Gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, vt nos cum illo regnare poſſimus in cælo. Nobis natus eſt, nobis vtique regnum venit donaturus.* Hęc Chryſologus. Nos ad vlteriora nunc gradum faciamus.

Petrus Chryſol. Ser. 4. de Annunt.

Secunda pars, quomodo nos geremus ſub tali regno.

Dicendum ſecundo loco, quomodo nos omnes eodem Regis noſtri ſpiritu regi debeamus, vt ſimus de populo eius, & legitimi filij regni in æternum. Hoc nimirum ſignificat Angelus, dum ait: *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Quæ verba vt recto ordine exponamus, primò hîc quæri

Prima dubitatio.

poſſit, cur Eccleſia Chriſti, quam his verbis deſignari didicimus, domus appelletur? Reſpondeo, Multis de cauſis. Primùm, ad indicandam peculiarem prouidentiam quam habet Chriſtus erga ſuam Eccleſiam, ſicuti Rex erga domum ſuam. Deinde, ſicuti homines in ſua domo ſupellectilem habent, & pretioſa quæq; recondita: ita Chriſtus in Eccleſia repoſitos habet theſauros ſuos, Sacramenta, Sacrificium, religionẽ, dona Spiritus ſancti, & reliqua ſalutis humanę inſtrumenta. Tertiò, propter habitationem, cuius gratiâ domus conſtructa eſt. ſic Chriſtus quamdam habet in Eccleſia particularem habitationẽ, non modò ſpiritualem in cordibus fidelium, ſed etiam corporalẽ. Nam in Sacramento Euchariſtiæ nobis adeſt, vt ipſemet promiſit his verbis, *Et ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi.* Deniq; ad ſignificandam charitatem ſiue familiaritatem, quæ inter Chriſtianos viget, tamquam *domeſticos fidei*, qui eiuſdẽ domus ac familiæ ſunt. licet enim in Eccleſia variæ ſint hominum nationeś, tamen charitas, fides, Sacramenta & religio eadem ſunt, & fratres in Chriſto omnes ſumus.

1.

2.

3.

Matt. 28.

4.

Epheſ. 2.

Dubitabit etiam quiſpiam cur Eccleſia dicatur domus Iacob. Rectè cumprimis reſpondet D. Auguſtinus, *Priſcorum vitam patrum, non tantùm linguam propheticam fuiſſe:* proinde vitæ eorum qui fuerunt de domo Iacob, reſpondet vita Chriſtianorum qui ſunt in Eccleſia. In domo Iacob duodecim filij, in familia Chriſti totidem Apoſtoli. Iacob ex diuerſis vxoribus familiam ſibi collegit, Chriſtus Eccleſiam ex Iudæis & Gentibus. Iacobo filij multum negotij attulerunt: at longè plus laboris ac doloris Do-

Secunda dubitatio.

Auguſt. lib. cõtra Fauſtum.

mino nostro Apostoli, maximè Iudas & Iudæi. Discipulus Christum hostibus prodidit, & filij Iacob alienigenis fratrem innocentem tradiderunt. Ne longiùs pergam, Iacob supplantauit Esau, & in Christi morte ac resurrectione Iudæi, mors, inferi, dæmones non parum elusi ac decepti fuêre. Quàm aptè igitur primis vltima respondent, & veritas figuris!

Tertia dubitatio. Porrò id præcipuè nobis curæ sit necesse est, quomodo Christus Iesus in nobis regnare debeat, cùm nos quotidie sic orare docuerit, *Adueniat regnum tuum.* (Matth. 6. Luc. 11.) Dicendum verò est Primò, per fidem veram atque opera fidei Christum in nobis regnare. (*Modus primus regnandi.*) Quod insinuat Angelus, dum ait, *Et regnabit in domo Iacob.* Nam quare non dixit, in domo Abrahæ, vel in domo Isaac, quibus etiam promissiones factæ sunt de Christo, quibus & data circumcisio, & lex, & prophetia, & sacrificia? an non, quia in domo Abrahæ fuit etiam Ismaël, vnde Ismaëlitæ infideles & idololatræ, de quibus Apostolus in Epistola ad Galatas ait: *Non sumus filij ancillæ, sed liberæ?* (Gal. 4.) Agar enim ancilla, cuius filius fuit Ismaël, non significabat Ecclesiam, sed Sara quæ libera dicta est. Itemque in domo Isaac fuit Esau, siue Edom, vnde Idumæi, id est, infideles & idololatræ. In illis igitur domibus propriè non regnauit Deus, sed in domo Iacob, in qua omnes eius filij fideles permanserunt, & capita duodecim tribuum Israël, quibus vniuersitas fidelium adumbratur. (Rom. 9.) *Iacob dilexi*, inquit, *Esau autem odio habui.* Itaque iam Christi regnum non est apud Turcas vel Persas, vel Saracenos, vel hæreticos, vel alios infideles, sed in domo Iacob, id est, in Ecclesia, quæ ex veris filijs Iacob conflata est. At qui sunt veri filij Iacob, qui & Israël dictus est? qui sunt veri Israëlitæ? non iam qui genus ducunt, id est, carnem & sanguinem habent ab Israële, quàm qui fidem ac spiritum habent Israëlis. Id significat Christus, dum viso Nathanaële dixit, *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* (Ioan. 1.) Verè Israëlita, inquit, quia fidem & opera Israëlis imitabatur. Sicuti enim magis B. Francisci, vel Dominici, vel Ignatij filij dicendi sunt, qui eorum spiritum hauserunt, & mores imitantur (cuiuscumque status aut ordinis existant) quàm qui in eorum solummodò instituta iurarunt, illorumque habitum gerunt: ita magis Israëlis filij dicendi, qui eius fidem & pietatem referunt, quàm qui ab eo originem ducunt. In hac igitur domo Iacob Christus *regnabit in æternum:* quia Euangelium non est vt Synagoga, siue vt lex illa vetus, inquit D. Cyrillus, quæ abolita & euacuata est per Euangelium: (Cyril. l. 10. in Ioã. c. 25.) quia numquam abolebitur aut euacuabitur Euangelium per aliud Euangelium aut legem, sed manebit vsque ad sæculi consummationem. At petes, num sit regnum Christi vbi fides est, etiamsi peccata quoque regnent. Est planè. Gaudeant quoque peccatores hac verissima doctrina, quæ maximæ consolationis est; quia si fidem habent, ad regnum Christi pertinẽt. Christiani, inquam, tametsi peccatores, sicut peccatores multi fuerunt inter filios Iacob; quamdiu tamen sunt fideles, manent in regno Dei. Namque triticum Domini non est in terris sine paleis: & in sagena Ecclesiæ sunt pisces boni & mali: & in arca Noë animalia munda & immunda. Enimuerò ánne satis est fidem habere, & ad regnum Dei pertinere? Nulla ratione: sed omni conten- (*Non satis est fides sine operibus.*)

tentione insuper curandum est, vt non modò Iacob imitemur in fide, verùm etiam in operibus. Nam, vt

Matth. 8. grauissimè asseuerat Dominus, *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium* Et Apostolus Paulus seriò commendat Timotheo, *vt militet militiam bonam, habens fidem & bonam conscientiam; quam quidam*

1. Tim. 1 *repellentes* (vel vt aliàs, *negligentes*) *circa fidem naufragauerunt. Ex quibus est Hymenæus & Alexander.* Quî sic naufragauerunt? nimirum veluti ansa ansam, ita peccatum vnum aliud tra-

Prou. 18. hit: & *impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Ita constat Lutherum, Caluinum, aliosque præcipuos hæresiarchas in hæresim lapsos. Si enim non fuissent ambitiosi, luxuriosi, auari, permansissent in vocatione sua. Etiam in communi vulgo Christianorum idem interdum experimur. Etenim cùm iam satis libidini vacarunt, multa per vim vel fraudem iniustè perpetrarunt, bona mundi quasi pro Deo suo habuerunt & coluerunt; tandem incidunt in dubitationes circa fidem, de Deo, de inferno, de iudicio ac iustitia diuina: quasi nō ita se habeant omnia quę in tēplis audiuntur. En fructus peccatorum, *circa fidē naufragauerunt:* viam autem ad hanc infidelitatem sternūt peccata.

Modus secundus. Secundò regnat in nobis Christus per vitiorum omnium supplantationem & victoriam, quam insinuat nomen Iacob. Cupis regnare cum

Galat. 5. Christo? Audi Apostolum: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs eius.* Audi & Euangelium: *Regnabit in domo Iacob.* Quid significat Iacob, nisi supplantatorem? Esto vitiorum omnium, diaboli, voluptatumque supplantator, si cum hoc Rege regnare vis. *At quis ex nobis est,* ait Bernardus, *qui iuxta interpretationem nominis Iacob supplantet diabolum de corde suo? luctetur cum vitijs & concupiscentijs suis, vt non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt in æternum. O quàm gloriosum est regnum illud in quo Reges congregati sunt, conuenerunt in vnum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex Regum & Dominus dominantium? de cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in* Matt. 13. *regno patris eorum? O si & mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum!* Hæc Bernardus.

Bernard. Hom. 4. sup. Missus.

Tertius regnandi modus est per abundantiam gratiæ & charitatis. Siquidem vbi Christi gratia, ibi propriissimè regnum eius est. Hoc regnum consequimur, in eoque confirmamur ac crescimus quotidie per bona opera, vsumque Sacramentorum. Sed quid esse dicimus gratiam Dei in anima iusti? quid aliud est, quàm pulchritudo quædam & quasi claritas solis, mirificè illustrans cælum illud spirituale? quid nisi ornamentum & corona animæ, Reginam eam constituens, Dei filiam, sponsamque Spiritus sancti? O si oculis vsurpare hanc pulchritudinem liceret, quanto eius desiderio flagraremus! O quàm infelices qui vel ad horam extra Christi regnum viuere audent, & seipsos sua voluntate nutuque regere volunt! An non absentem à domo paterna filium prodi- *Modus tertius regnandi.*

gum

gum imitantur, ideoque in extremas incidunt miserias, vt pascant porcos, &, siliquis porcorum gaudeant? At profectò qui nolunt Christum misericordem atque clementem in se regnare per gratiam, eum adigent vt regnet per iustitiam, æternis ac condignis eos supplicijs adiudicans. E contrariò verò ter & quater ô beati, qui regnum Christi spirituale possident, eiusque diuitijs ac delicijs fruuntur, donec ad regnum gloriæ transferantur, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis, & sequuntur Agnum quocumque ierit. *veni interim Domine Iesu* (vt verbis vtar Bernardi) *veni, Domine Iesu, aufer scandala de regno tuo quod est anima mea, vt regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem, iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse Rex, luxuria dicit, Ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia & iracundia certant in me ipso de meipso, cuius ego potissimùm esse videar. Ego autem quãtum valeo resisto, renitor, Dominum meum Iesum reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me iuris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo & dico, Non habeo Regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo, Domine, disperge eos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Regina Saba posteaquam ad Salomonem venit, considerans eius sapientiam & gloriam, & ministrorum ordines, *non habebat vltrà spiritum, dixitque ad Regem: Beati viri tui, & beati serui tui hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* At quantò beatiores sunt serui illi, qui regnat cum Christo, suoque Regi tam sunt fideles in obsequio, quàm ipse vicissim fidelis in remuneratione? Vtinam, vtinam ei semper tam sollicitè seruire ac placere contendamus, quàm est ipse sollicitus pro nobis, tamquam optimus ac verissimus Rex noster ex hoc & in perpetuum: cui gloria & potestas & imperium omnium sæculorum, & dominatio in omni generatione & generationem. Amen.

Bernard. in hunc locum.

3. Reg. 10

CONCIO XXIX.

Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud, *&c.*

1. *Quàm rigidè beatissima Virgo silentium seruarit, quamdiu expedire visum est: & quàm consideratè locuta sit, quando loquendum fuit. Vbi etiam agitur de septem verbis Mariæ.*

2. *Quomodo silendi loquendiq; rectissimas leges ab ea condiscere possimus. Sectio est quadripartita.*



DE prima voce gloriosissimæ Virginis, quam hoc loco protulit, diuina Scriptura sic ait in Cantico amoris: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Rex quippe Salomon spiritu prophetiæ præuidens tempus optatissimum gratiæ, comparat illud tempori verno, quo omnia florent, & vineæ spargunt odorem, & Sol accessu suo omnia exhilarat, aëris blanditur serenitas, auiculæ cantant, & tota mundi natura renouatur. *Iam hiems transijt*, inquit, *imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* q.d. Vbi venerit illud tempus, erit in mundo quasi lætissimum ver, transierit hyems Moysaicæ legis, aspera pœnarum austeritate, frigida legis inefficaciâ (sic enim D. Gregorius interpretatur.) Deinde, vt in vere solent, flores apparebunt Martyrum, Virginum, omnium-

Cant. 2.

omniumque Sanctorum noui Testamenti. Denique vox turturis audiri debet in terra nostra, hoc est, vt sancti Patres exponunt, Maria Virgo incipiet os suum aperire, & post diuturnum silentium edet vocem tantopere desideratã in terra nostra, à qua tanta gloria in cælis Deo, & in terra pax & lætitia hominibus obuentura est. Rectè porrò sanctissima Virgo turturi comparatur variis de causis.

Bernard. Serm. de Verbis Apocal. & Interpretes in illum locum.

1. Sicuti enim turturis prædicatur simplicitas & innocentia; ita Mariæ ho-
2. nestas & candor animi. Veluti etiam turtur auis castissima est; quia post mortem comparis alterum connubium respuit, cùm sit interim admodum fecunda: ita & D. Virgo casta & fecunda fuit, cuius virginitas mundo edidit Saluatorem. Itaque sic Apponius scripsit in Cantica: *Quia turtur auis est castissima, typum gerit castissima Maria, cuius instar turturis vox emittens virginitatis votum audita est in terra nostra, qualis à sæculo*
3. *nusquam personuerat.* Postremò, quod huic loco maximè congruit, turtur hieme muta est, vere vocalis, teste non modò Plinio, sed & D. Chrysostomo. Ita Maria rigidum hactenus silentium seruarat, tamquam hiberno tempore: nulla eius vox audita est in sacra Scriptura à natiuitate vsque ad connubium cum Iosepho, donec Sol iustitiæ cœpit terram nostram benignè aspicere, misitq; Deus Angelum qui vocem eius audire peteret: quodque est mirum, bis iam Angelus perorauerat, nec adhuc Virgo silentium soluerat, sed tacita secũ oracula diuina cogitabat. Cùm autem intelligeret tempus esse loquendi, *dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Dicamus hodie de verbis Deiparæ, quæ quidem Scriptura sacra nobis prodit. Primò, quomodo silentium seruarit dum tempus fuit silendi, & locuta sit dum tempus loquendi. Deinde, quomodo nos oporteat pro clarissimum hoc exemplum imitari.

Appon. in Cant.

Plinius l. 10. c. 35. Chrysos. Hom. de Turture.

AVE MARIA.

HActenus Virgo virginum, audita salutatione Angelica, turbata, & profunda contemplatione defixa fuit, *cogitans qualis esset ista salutatio.* Angelus secundò aggreditur perorare, eamque clarissimis verbis affirmat concepturam & parituram Filium Altissimi. Tum demum cœpit haud dubiè animari, & consolationem percipere, sed non sine timore. Gaudebat siquidem de promissione, firmissimè credens opere implendum, quidquid Deus per Angelum addixisset: sed enim modi adhuc ignara, verebatur ne in virgineæ puritatis, quam maximi faciebat, voto fortasse dispensatione opus esset. Sciebat equidem virginem concepturam parituramque filium, sed qua ratione ac via id futurum esset numquam legerat: propterea quòd huius mysterij arcanum non hominis sed Angeli ore patefaciendum erat. Itaque consideratè ac matura deliberatione omnia quæ occurrere poterant secum expendit, ac trutinatur, antequam ad loquendum descẽdat. Quod dum facit, hoc est, dum tam diu expectat, seruatq; silentium; posteà verò tam circumspectè breuiterque loquitur, omnia rerum momenta ponderans, exempla nobis egregia reliquit, tum silentium quàm arctissimè tenendi, quoad eius fieri potest; tum nihil temerè, & sine magno fructu, si loquendum sit, proferendi.

Silẽtium D. Virgo quatenus seruarit.

Quis est qui satis dignè verbis expli-

plicare, aut scripto prodere possit moderationem & gratiam quam sanctissima Virgo in verbis & sermonibus, quos toto vitæ curriculo habuit, obseruarit? Silentium enim tenebat lubentissimè, quamdiu aliqua loquendi necessitate non vrgeretur: iuxta illud Ecclesiastici consilium,
Eccli.32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Erat quippe longè sapientior D. Iacobo Apostolo, qui
Iacob. 1. sic præcipit: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquēdum* interim tamen nouerat à Sa-
Eccle.3. piente scriptum, *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* nouerat dixisse quō-
Ps.140. dam patrem suum Dauidem, *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantia labiis meis.* vbi non postulabat à Deo muro lapideo os suū obturari, sed ostio claudi: quia sicut ostium nec semper clausum, nec semper apertum esse debet, sed debitiis temporibus modò aperiendum, modò claudendum: ita os nostrum nec semper ad loquendum apertum, nec semper clausum sit oportet. Itaque nouerat B. Virgo prudenter tacere: nihilque loquebatur vmquam, nisi Dei laus & gloria, vel necessitas seu charitas proximi id requireret.
In Reuelat. S. Brigittæ l. 1. cap. 10. & l. 3. c. 8. Certè in Reuelationibus S. Brigittæ approbatis in Concilio Constantiensi testatum reperimus, eam ab vsque infantia quietis & silentij fuisse studiosissimam, vt sola cum Deo noctu diuque versaretur, & cum eo colloqui in deliciis haberet. Cùm verò Dei amor magis magisque illius animum incenderet, ac penitùs occuparet, diligentiore quodam studio secessum, quietem, & silentium colebat. Hinc enim animaduertimus postmodum illum, tametsi plena esset sapientiâ, præsertim postquam incarnationis mysterium in ipsa iam esset consummatum, & maiorem rerum diuinarum & supernaturalium mysteriorum cognitionem iam percepisset, quàm vetusti vmquam Patres & Prophetæ habuissent; siluisse nihilominùs magna cum humilitate trium & triginta annorum spatio, quibus Seruator noster in terris vixit, donec tempus Euangelij per totum terræ orbem promulgandi adueniret. quod factum est post Domini Iesu Christi resurrectionem, & sancti Spiritus aduentum. Tunc longinquum ipsa abrupit silentium, vt palàm faceret Apostolis & discipulis mysteria, quæ tam perfectè cognouerat, & velut arcana celarat, expectans tempus opportunum & occasionem ea patefaciendi. Id annotat Rupert. lib. 1. in Matth.
venerabilis Rupertus, dicens: *Dum Seruator noster in mundo versaretur, Virgo tacuit & silentium seruauit, sibi reseruans mysteriorum agnitiones veluti in hortulo vndique consepto & concluso: sed postquam Dominus gloria immortalitatis coronatus est, & ad Patris dexteram consedit, Virgo effari cœpit, & Apostolis retegere, quæ sibi commissa fuissent arcana.*

Aliud eiusdem rei experimētum.

Quid, quòd etiam hanc silentij legem tenuit Virgo sanctissima, quātumlibet obseruaret vtero intumescente grauida B. Iosephum turbari, & de se dimittenda & relinquenda deliberare, quòd ignarus mysterij rem tam insolentem aduerteret? O mirabile silentium! Quanta tum fuit fiducia, quam Domina nostra in infinita Dei bonitate collocabat! quàm certa spes, fore vt B. Iosephus breuì istiusmodi angore & perplexitate diuinitus liberaretur, Deumque non permissurum vt diuortium aliquod matrimonio, quod ipso volente esset cele-

celebratum, interueniret. Quàm firmiter credebat illa Deum hanc dubitationem & diffidentiam ad maiorem suæ maiestatis gloriam, maiusq; B Iosephi eiusque cõsanguineorum commodum esse versurum! Ingens videlicet hæc fiducia in Deum tacere eam coëgit, & nihil eidem Iosepho palàm facere, vtpote quæ auxilium opemque Dei exspectaret Quo item exemplo nos erudiuit, quo modo, quidquid periculi aut afflictionis in hac vita nobis obtigerit, siue bonorum, siue honoris, siue vitæ ipsius, in Dei bonitate spes nobis vsque sit collocanda, illum nos esse liberaturum, aut alioqui ad maius animæ nostræ bonum, aut ad maiorem diuinæ maiestatis honorem, quidquid id est, conuersurum.

Testimonia SS. Patrum.

Deinceps verò per omnem vitam quàm in proposito hoc fuerit constans, cum summa admiratione explicant SS. Patres; inter quos primo loco D. Bernardum, si placet, audiamus. *Numquid non ab initio,* inquit, *pastores venisse, & primam omnium Mariam inuenisse leguntur? Inuenerunt, ait Euangelista, Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Sic & Magi quoque, si recolis, non sine Maria matre eius puerum inuenerunt. Et inducens in templum Domini, templi Dominum, multa quidem à Simeone audiuit tam de eo quàm de seipsa, ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem Maria conseruabat omnia verba hac conferens in corde suo: sed in his omnibus neque de ipso Dominicæ incarnationis sacramento quodcumque verbum fecisse reperies. Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus! væ qui totum proferimus spiritum! qui iuxta illud Comici, pleni rimarum effluimus vndique. Toties denique Maria filium audiuit, non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria reuelantem: vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit exspirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem: sed in his omnibus quotiens verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita?* Hæc Bernardus. Audiamus & D. Ambrosium ita disserentem: *Ornat silentium virgines, quod neque virginum Princip[i] defuit: cùm rarò hæc quidem, & magno cum pondere, grauibusque personis verba sua depromat. Audito Angelicæ legationis mysterio, quantum silentij rigorem seruauit?* Addamus & Epiphanium Presbyterum Constantinopolitanum. *Erat*, inquit, *Deipara Virgo in rebus omnibus honesta & grauis; pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis, honorem suum ac venerationem omnibus exhibens.* Idem de ea confirmant alij, præsertim diuus Anselmus, magnus D Virginis præco.

Bernard. Serm. de Verbis Apocal. Lucæ 2.

Terent. in Eunucho.

Ambros. lib. 2. de Virgin.

Epiphan. presbyter in Vita Virginis.

Ansel. de Forma & moribus B. Mariæ.

De loquela & septem verbis Mariæ.

Porrò cùm ad loquendum necessitas aliqua, siue maior Dei gloria, aut proximi charitas impelleret; tum satis constat, sapientissimam Virginem breuiter, verecundè, ac prouidè seu circumspectè locutum, considerando videlicet cui, quãdo, vel quomodo loqui deberet. Non enim comperimus ex vniuersa Euangelicæ historiæ serie, eam ampliùs quàm septies locutam fuisse: quamquam putare interim & credere licet, sæpiusculè sermonem habuisse. Sed hoc pacto voluerunt Euangelistæ nobis significare magnam Virginis taciturnitatem, vt SS. Patres obseruarunt. Horum septem verborum tria protulit ad Deum, duo ad Angelum, totidemque duo ad homines. Vnde plura

D. Bern. de Verbis Apocal. & Epiph. apud Niceph. l. 2. cap. 23.

ra Deo locuta est, quàm Angelo vel homini: vt innuat nobis, siquando prolixè loquendum, maximè id in oratione faciendum, cùm Deum alloquimur. Primum itaq; verbum ad Angelum direxit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* vbi inter alia commendat, nobis, & virginibus potissimùm curam pudicitiæ adhibendam, docetque sollicitè esse seruanda vota, nominatim virginitatis; dubitans quodammodò an virgo manere, an mater Dei fieri velit. Vtinam huius mundi virgines eam sempes imitarentur, eiusque exemplum ante oculos haberent; præsertim verò quando sollicitãtur virorum pollicitationibus, & proponitur status matrimonij, aut venerea voluptas! tunc enim non facilè annuendum, sicut Eua promissioni serpentis acquiescebat, cùm diceret, *Eritis sicut dij:* sed interrogent potiùs, sicut Maria Angelum interrogauit, *Quomodo fiet istud?* quomodo parentes tui tam claro genere oriundi patientur te humilem ancillam ducere in vxorem? quomodo mihi tantas polliceris diuitias, cùm nec tibi nec parentibus tuis multa bona suppetant? quomodo audes mihi proponere breuem sordidamque voluptatem, quæ tantam honoris mei iacturam, immò æternum dedecus mihi & propinquis meis fortè pariet, vt taceam Dei offensam quæ præcipua est? quomodo ergo fiet istud? Ita Ioseph Patriarcha feminæ allicienti ad opus nefarium dicebat: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: neque quidquam est quod non sit in mea potestate, vel non tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere?* Secundum verbum omnium sanctissimum, itidem ad Angelum, aut certè coram Angelo protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hoc fuit in primis altissimæ humilitatis, dum ancillam se vocauit, quæ Dei mater eligebatur, sacrarium Spiritus sancti, reclinatorium SS. Trinitatis, Domina & Regina Angelorum: quandoquidem filius Rex esset ac Dominus vniuersi. Deinde fuit hoc verbum summæ obedientiæ, qua se omnino in manus Dei Virgo beatissima traderet ac committeret. Sed de hoc longè plura nobis consideranda erunt, cùm eò peruenerimus. Verbum tertium fuit effusæ charitatis ac sedulitatis, quando ipsa, concepto Dei Filio, cognatam inuisit vt ei ministraret, moxque domum ingressa salutauit Elisabeth. Et Euangelista quidem dicit salutasse, sed verbum eius non exprimit: attamen quia Iudæi solebant inter se pro salutatione pacem precari, & osculari inuicem in osculo sancto; fortè ita salutauit, fortè, vt multi tenent à pueritia assuefactam, dixit, *Deo gratias:* quæ sententia est etiam D. Bonauenturæ. Qua quidem salutandi forma in omnibus gratiarum actionem commendat. Ibidem quando audiuit se extolli, & benedictam iterùm vocari ab Elisabeth, & beatam dici hoc pacto: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino:* &, *Vnde mihi hoc vt mater Domini mei veniat ad me?* tum continuò se ad Deum cordis sui conuertit, eique prolixè gratias agens, cecinit suauissimum illud Canticum, *Magnificat anima mea Dominum*, &c. q. d. vt Bernardi verbis vtamur, *Tu magnificas matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gau-*

Verbum primum. Gen. 3. Gen. 39. *Secundũ.* *Tertium.* Bonau. in Vita Christi c. 5. Vide Canis. in Mariali. *Quartũ.* Luc. 1. Bernard. Serm. in *Signum magnum.*

gaudio: sed exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoque tamquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quæ credidi: sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. Magna quidem præconia, sed & deuota humilitas; nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Adhæc cùm amisisset filium duodecim annorum, diuque cum dolore quæsitum reperisset, dixit ei: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* q. d. fili mi dulcissime, quare cùm de tuis rebus mecum soleas communicare, hoc me celasti? vbi te offendi vt ita punirer? Qua quidem loquendi ratione docet nos Christum perditum per peccatum, cum dolore & contritione quærere. Sextum verbum fuit commiserationis, quando in nuptijs, deficiente vino, cupiebat filium suum vrgenti inopiæ consulere, dicens, *Vinum non habent. Et is quidem sermo,* vt docet Bernardus, *certissimus index index ingenitæ mansuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit: aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Vbi sanè increpata à filio, tamquam mitis & humilis corde, nec illi respondit, nec tamen desperauit; ministros admonens facere quod diceret eis.* Obseruamus etiam hîc, B. Virginem non potuisse in ea necessitate vti paucioribus verbis, neque meliùs nobis indicare quàm breues & benè librati fuerint eius sermones, & quantopere silentij esset amans. Poterat enim more hominum permultis vti verbis: Fili, vides vinum defecisse hosce nouos sponsos: magno ijs dedecori vertet, si inuitati id animaduerterint, magnaque in hoc solemni cœtu & epulo exoriri poterit turbatio. Tecum expende quibus rationibus obuiàm iri possit: relinquo hoc totum tuæ benignitati & prudentiæ: certa sum te neque meo desiderio, neque bonorum istorum sponsorum necessitati defuturum. At illa totum hunc sermonem paucis verbis complexa est dicens: *Vinum non habent.* Quin etiam hoc dicto commonere nos voluit, eorum ex charitate curam gerendam, qui verecundantur suam penuriam patefacere; quales passim multi reperiuntur. Septimum Mariæ verbum & vltimum magnæ etiam instructionis fuit, *Quodcumque dixerit vobis, seruate & facite.* Optimum sanè documentum, quod si seruaremus, sancti euaderemus.

[Margin: *Quintũ.* — Lucæ 2. — *Sextum.* — Ioan. 2. — Bernard. Ser. sup. *Signum magnum.* — *Septimũ.* — Ioan. 2.]

Ecce qualia, quantique ponderis & efficaciæ verba D. Virginis in sacro codice reperiuntur! Cùm verò non posset aut non deberet ita loqui ad Dei gloriam aut proximi vtilitatem, lubens tacebat, mentemque seruabat collectam & cum Deo coniunctam. Denique cùm id maximè requiratur in custodia & gubernaculo linguæ, vt sermones omnes nostri probi sint & sancti: ô qualia quamque excellentia exempla nobis hanc in partem Domina nostra reliquit! Omnes eius sermones erant sanctissimi: os suum non aperiebat, nisi Deo laudando & prædicando, aut ædificandis consolandisque animis, ijsque in amorem Dei rerumque cælestium incendendis. *Metuebat,* vt D. Brigittæ reuelatum fuit, *ne quidquam improuidè lingua proferret, ne aures perciperent, oculive cernerent aliquid quod Deo charissimo posset esse ingratum. Sed & silen-*

[Margin: In Reuelat. S. Brigittæ, suprà.]

tium illam sollicitam reddidit, cùm vereretur tacere, sicubi loquendi occasio & fructus sese obtulisset. Ac tum quidem loquendi tempus nacta Virgo prudentissima, quàm præmeditatè, quàm breuiter, quàm verecundè loquebatur, sine vllo fastu vel arrogantia!

1. *Præmeditatè loquebatur.* Præmeditatè, inquam, neque leuiter aut inconsideratè: quia, vt scribit Euangelista, *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Vbi venerabilis Beda, *Imitemur*, inquit, *fratres, piam matrem Dei, seruantes omnia verba & facta Saluatoris nostri. Horum meditatione diurna & nocturna importunos inanium cogitationum atque nocentium repellemus incursus: horum crebra consolatione nos & proximos à fabulis superfluis & detractationibus castigemus, & ad diuinæ laudis frequentiam ascendere festinemus.* (Lucæ 2. Beda in hunc locum.)

2. *Breuiter.* Deinde breuiter atque in pondere & mensura sua verba proferebat, vt patet in singulis eius dictis superiùs enumeratis. Nisi fortè cùm laudes Deo decantauit, ex abundantia cordis & vberrima gratiarum actione effundens Canticum *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Alibi tribus aut quatuor verbis expedit sese, vt in nuptijs, *Vinum non habent.*

3. *Verecundè.* Postremò quàm verecundè semper loquebatur, cùm esset Virgo pudicissima & modestissima supra omnem modum! Bernardum eius amatorem vnicum audite. *Gratissima sanè gemma in diademate*, inquit, *micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quòd hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex Euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax, vbi præsumptuosa fuisse videtur? foris stabat quærens loqui filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua filius morabatur*, &c. (Bernard. Serm. citato. Matt. 12) In summa, vt paucis absoluam, veluti olim de Iudith dicebatur in figura, *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum:* ita sentiendum ac dicendum pariter, immò multò veriùs, de Maria. (Iudith. 11)

Secunda pars fructus imitationis primùm est silentij rigor. Porrò, vt iam, quod secundum erat membrum, breuiter exsequamur; hæc moderandæ linguæ virtus nobis omni studio imitanda & amplectenda est, tum ad maiorem Dei gloriam, tum ad ædificationem & bonum proximorum nostrorum exemplum. Quoniam enim homines animarũ nostrarũ interiora inspicere non possunt; cùm exteriùs animaduertunt hanc moderationem & honestatem, confestim etiam quod interius est, pariter probum, sanum, & honestum esse iudicant: Deum laudant & glorificant, qui tales habeat cultores, & pro virili eosdem imitari conantur. Discamus, inquam, continere linguam & libenter tacere, quando autem loquendum est, adhibere maximam considerationem & curam. Scitè ad modum obseruat Lactantius, *linguam nostram palati concauo, tamquam testudine tegi, & dentium ordine sepiri, & quasi muro circumuallari; idque omnium sapientissimo auctore Deo, ne tam lubrica leuique parte vel in Deum vel in proximum offendamus.* (Lact. l. de Opific. Dei c. 10.) Idcircò B. Ambrosius in Officijs silentium valdè omnibus commendat exemplis Susannæ, Mariæ, Christi Domini, qui silentio sibi & alijs plurimùm profuerunt. (Amb. l. 1. Offic.) Et D. Hieronymus scribit *tacere nosse quàm loqui difficilius esse*, vt docebat schola Pythagoræ. (Hieron. in epist.) Nec malè Ethnici id viderunt, qui sic monent:

Virtu-

Cato. *Virtutem primam esse puta compescere linguam.*
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.
Eximia est virtus, præstare silentia rebus.

Quæ doctrina cùm nobis omnibus, tum præcipuè feminis pernecessaria est. Rectéque præcipit Apostolus, 1.Tim.3. *Mulier discat in silentio.* Et D. Ambrosius: Ambros. Exhort. ad Virg. *Custodi, ô virgo, vias tuas, vt non delinquas in lingua tua: etenim bona loqui plerumque crimen est virgini.* Neque verò mulieribus modò, sed & viris, summis, medijs, infimis lex silentij datur. Vniuersè enim omnibus consulit Sapiens, dum ait: Prou. 13. *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratè loquitur, sentiet mala.* Item, Iacob. 3. *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Rursus: Eccli. 14. *Beatus vir qui non est lapsus in verbo.* Omnibus igitur colendum silentium, vt omnes Mariam imitentur silentij magistram. Discamus ab ea *cuius vita est omnium disciplina* (verbis vtar Ambrosij) Amb.l.2. de Virg. *Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quam splendor elegit? Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit.* Sed quò virtutis huius amor vestris cordibus altiùs infigatur, quid ni silentio matris silentium quoque filij adiungamus? Speculo talis matris speculum non cedet talis filij. Prima nimirum virtus quam nos docuit Dei Filius in terris, quamque hîc exercuit, est silentium, vt obseruauit Guerricus Abbas; Guerricus Abbas Ser. de Ann. qui inter cetera virtutum insignia quæ in Dominicæ incarnationis mysterio elucent, silentium Christi præcipuè miratur. *Omnium,* inquit, *humanarum infirmitatum vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, ita humilitate ferè maximam existimo, quòd vtero concipi, in vtero nouem mensibus maiestas illa passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitùs à semetipso defecisse visus est? Tanto tempore nihil illa virtus manifestum operatur; nullo signo visibili maiestas quæ clausa latet proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & exspirans inspirat Centurionem: quando horarius dolor passionis eius non solùm compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subegit inferni. In vtero autem sic est quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat quasi nihil possit, & Verbum æternum sub silentio se premit. Vobis tamen, fratres, illud silentium verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtique disciplinam silentij commendat.* Sic ille. Quemadmodum igitur Christus in vtero conceptus creuit & roboratus est in silentio; sic spiritus noster sub silentio roborari debet. *In silentio & spe erit fortitudo vestra,* inquit Isa.30. Isaias. Sed ais, Qualis fortitudo animæ, vbi est silentium? Talis reuerà, qualis est benè munitæ vrbis. Contrà verò dicit Sapiens, *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Prou. 25. Optima sanè comparatio: Sicuti ciuitas seris ac muris destituta, omnibus hostium iniurijs exposita est: ita mens quæ ori suo custodiam non adhibet, multis variorum criminum iniurijs læditur ac sauciatur. Quàm multa enim loquentes passim peccamus? vel mentimur, vel conuitiamur, vel charitatem fraternam varijs modis lædimus, vel detrahimus,

vel

vel scurrilia vel saltem inania loquimur. quibus vitiis & vitam nostram maculamus, & pretiosum temporis thesaurum amittimus,& siquid intra pectus nostrum deuotionis aut feruoris latet, loquendo exhaurimus. Verè enim Bernardus aptissimum instrumentum ad euacuandum cor linguam esse ait. *Dicimus*,inquit,*Leuis res sermo; tenera, mollis, & exigua caro, lingua hominis: quis sapiens magnipendat? Leuis quidem res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat; leuiter trāsit, sed grauiter vrit; leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit; profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur; facilè volat, atq; ideò facilè violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suauitatis. Modicum membrum est lingua; sed nisi caueas, magnum malum. Tenuis est & lata, aptissimum vacuandis cordibus instrumentum, sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror attestari: nisi fortè omnes tam perfecti simus, vt numquam nobis post longas confabulationes inuenta sit mens quodammodò vacua, meditatio minùs deuota, sicca magis affectio, & holocaustum orationis non adeò pingue propter verba sine qua diximus, sine etiam qua audiuimus, verba tamen*. Ita Bernardus.

Bernard. Serm. de Triplici custodia, manus, linguæ, & cordis.

Quare sicut vasorum ora, quibus odoriferæ aquæ continentur, diligenter obstruere solemus, ne suauis ille vapor foras effluat: ita vir pius os suum diligenter obstruere debet, ne charitatis & deuotionis feruor nimia loquacitate euanescat. Immò scriptum est, *Vas quod non habuerit operculum desuper, immundum erit*: ita qui linguæ moderari non potest, contrahet multas noxas. Quid ita? *quia in multiloquio non deerit peccatū*. Sic enim explicat hunc locum diuus Gregorius. *Vas*, inquit, *sine operculo est, qui per studium ostensionis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur*. Sed de silentio satis.

Num. 14

Prou. 10.

Gregor. lib. 23. Moral. cap. 4.

Alter fructus imitationis in loquendo.

Nunc quandoquidem sapienter monet Ecclesiastes, non modò *tempus tacendi*, sed etiam *tempus loquendi* hominibus datum: cùm nobis loquendum erit ad Dei gloriam, aut maius bonum proximi; laborandum vt præmeditatè & breuiter, circumspectè ac verecundè, ad imitationem B. Virginis loquamur. Quod siquis præstare voluerit, necesse est caueat loquacitatem, & declinet occasiones locorum & personarum, vbi immodicæ loquacitati est locus. Experientia namque nos docet, magna linguæ pericula etiam pios ac perfectos homines incurrere, nisi eam quasi freno regere adsuescant. Sæpè enim in vanum iuratur, sæpiùs mendacia & otiosa verba proferuntur sine vlla necessitate vel fructu: multa quoq; impatientiæ verba prosiliunt, ex quibus postmodò dissensiones & rixæ & discordiæ oriuntur: multa curiosè, multa contumeliosè, multa periculosè de alterius fama & vitiis per sermonis licentiam nobis excidunt. Et plerumque quidem veniales culpæ, interdum etiam mortiferæ committuntur: qualia sunt iuramenta quibus mendacium aliquod confirmatur, aut id quod dubium est pro certo asseueratur, etiamsi non aliter quàm per Deum vel per animam iuretur: quales etiam detractiones graues, murmurationes, exsecrationes. Enimuerò quid grauiùs dici possit in hoc genere, vel quid efficaciùs, quàm quod apud S. Bernardum legimus loco citato? *Quòd si de omni vel otioso verbo, quodcumque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri ratio-*

Eccle. 3.

Bernard. Serm. de Triplici custodia, &c.

nem.

nem in die iudicij: quantò districtiùs, inquit, *de verbo mendaci, mordaci & iniurioso, de elato vel lascino, de adultero aut detractorio iudicabuntur? Quàm vera sententia, fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum! Vt enim prateream cetera, si propterea est otiosum verbum, quòd nullam rationabilem causam habeat; quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo vestrùm, fratres, parui æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Siquidem tēpus acceptabile est & dies salutis. Volat verbū irreuocabile, volat tēpus irremeabile, nec aduertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, aiūt, donec hora prætereat. O, donec prætereat hora! ô, donec pertranseat tempus! Donec hora prætereat, quā tibi ad agēdā pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirēdam gratiam, ad gloriam promerendam, miseratio Conditoris indulget. Donec transeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Sic nimirum, sic agricolæ, cùm diu desiderata affuerit opportunitas seminandi, sic vinitores cùm expectatum tempus putationis aduenerit, inuenisse occupationes, & quasi irreprehensibiliter sine opere diem transegisse lætantur? Sic instātibus nūdinis institores nectere moras, occasiones quærere solent, nequem' fortè sibi ex eis quæstum prouenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cùm multis clamoribus euocatus tandem affuerit eleemosynarum distributor, diuerticula captant, & concurrentibus socijs vacuos ambiunt occupare recessus, & fouere latebras in angulis platearum? Vtinam tamen vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis! sed multi etiam in his vitam amittere comprobantur: nec modò ipsi amittere, sed adimere quoque & hoc fratribus suis.*

Prou. 10.

Hæc Bernardus disertissimè: ex quibus efficitur id quod Scriptura sacra nos docet: *Qui multis verbis vtitur, lædet animam suam.* Quæ cùm ita se habeant, resque sit ad salutem nostram magnopere necessaria, vt in animum omnino quis inducat relinquere & declinare omnem occasionem multiloquij: in medium quoque producam memorabile in hoc argumento exemplum, quod ita describit D. Gregorius. Episcopus Portuensis, inquit, narrauit, in Sabinensi prouincia Sanctimonialem fuisse, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem atque stultiloquium non declinauit, vt vulgò notum erat. Hæc vitâ functa, atque in Ecclesia sepulta est. Eadem autem nocte custos Ecclesiæ per reuelationem vidit eam ante sacrum altare duci à tortoribus & cremari ob peccata linguæ suæ. Postero die suis visionem retulit, moxque itum est ad templum: locus verò designatus repertus est semiustulatus, vt nemo de veritate dubitarit. Quòd si Deus rerum omnium parens & iudex tam rigidè castiget vitium garrulitatis in suis seruis: quid ijs facturus est, qui tot peccata per linguam committunt, quorum nulla pœnitudine tanguntur?

Eccli. 20.

Gregor. l. 4. Dial. c. 51.

Verùm enimuerò, vt vlteriùs progrediamur, non satis est vitare multiloquium, vt perfectè seruetur linguæ moderatio; nam loqui nobis necessarium est, & vt pauca loquamur, labi possumus: sed hoc insuper Dei cultori faciendum est, vt bona loqui consuescat, eaque dumtaxat quæ ad Dei honorem pertinent; si non modò se à peccato linguæ conseruare, sed & vitu-

Loquendum de rebus bonis & ad Dei gloriam pertinentibus.

Zz

virtutes multas sibi parare, & apud Deum loquendo plurimum mereri voluerit. Huiusmodi sermones probi & sancti institui possunt de Deo, & beneficijs eius, de Sanctis, eorumque vita & rebus gestis, de virtutibus & vitijs, de nouissimis, ac potissimùm de morte & patria nostra cælesti, à qua exulamus in hac lachrymarum valle, de concionibus auditis, vel pijs libellis quos legimus priuatim, vel de alijs istiusmodi rebus pijs, ad gloriam Dei & ad proximi ædificationem spectantibus. Rationes porrò siue considerationes quibus ad hanc piam consuetudinem induci possimus, tres mihi præcipuæ nunc occurrunt. Prima est, quoniam eo fine atque consilio linguam nobis impertitus est Deus, vt ipsum laudemus, & opera eius enarremus: vtque palàm faciamus sancta cogitata, sanctaque desideria, quæ in cordibus nostris producit. Sic tradit Ecclesiasticus: *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum.* Dedit prætereà Deus linguam, vt proximi bonum pro viribus promoueamus, eumque ad omne genus virtutum excitemus & animemus. *Dominus*, inquit Isaias, *dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est, verbo.* Quòd si tale tantumque Dei donum sit lingua, si ita dedicata sit ad Dei laudem, & auxilium proximi; consentaneum est profectò vt ea non abutamur ad profana, sed ad sanctissimam Dei voluntatem exequendam impendatur. Nam quo modo peccatum sit, siquis templo quod cultui diuino est consecratum, ad vsum aliquem profanum abutatur: ita grande peccatum est linguam impendere in verba quæ facere nullo modo possint neque ad Dei laudem, neque ad proximi bonum.

Prima ratio.

Eccli. 51.

Isaiæ 50.

Altera consideratio huic rei congruentissima est, cùm Deus homo factus sit, & se incluserit atque occultarit sub speciebus exiguæ Hostiæ consecratæ, & linguam nostram eò nobilitatis euexerit, vt pontis instar sit ipsi, quo ingrediatur & diuertat in animam nostram, vti in hospitium quoddam: quantam obligationem tam ingens beneficium, talisque honos linguæ nostræ habitus, nobis affert, vt eam puram conseruemus ab omni sermone improbo, & in Deo semper laudando ac glorificando occupemus? D. Bernardus hanc obligationem tanti æstimat, vt dicat, *verba quæ in ore sæcularium nugæ sunt & facetiæ, in ore Sacerdotum totidem esse blasphemias.* Quod quantumuis amplificando & exaggerando dixerit, non tamen sine ratione; neque leuis testimonij vim habet.

Secunda ratio.

D. Bern. lib. 2. de Consid.

Ad extremum, illa quoque consideratio perquàm idonea statui potest, quid in causa sit, cur tam rarò, tamque frigidè de Deo rebusque pijs loquamur. nempe quòd non satis Deum ac diuina diligamus. Certum est enim, hominem cogitare frequenter & lubenter de eo quod amat: & vt nihil studij ponat, cor & lingua laxantur vltrò ad cogitandum & loquendum de eo in quod amore fertur. Cùm igitur tantopere simus obligati ad amandum Deum: non minùs vtique nobis incumbit cogitare, loqui, audire de Deo, & de rebus ijs quæ ad eius gloriam pertinent; qui effectus est & exercitium eiusdem amoris diuini. Contrà verò qui rarò loquuntur de Deo rebusque diuinis, euidentissima præbent argumenta vilium occupationum, & exigui amoris erga Deum. Dicebat D. Ioannes Ioan. 3.

Tertia ratio.

Bapti-

Baptista, *Qui de terra est, de terra loquitur.* Sicuti è diuerso qui de cælo est, lubentissimè ac frequentissimè de cælo loquitur, vbi & conuersatio eius est, vbi & thesaurus eius, vbi & cor eius, & cogitatio, & loquela. Quapropter & D. Ioannes Euangelista
1. Ioan. 4. dicebat: *Ipsi de mundo sunt, ideò de mundo loquuntur:* hoc est, rerum mundanarum amore capti sunt, ideoque lubenter de ijs loquuntur, & mundani ijs audiendis voluptatem capiunt. *Nos ex Deo sumus: qui nouit Deum, audit nos.* q. d. Quia ex Deo sumus, veluti amici & filij eius qui eum amamus, de eo loquimur: & qui eius sunt, nos lubenter audiunt. Denique siue in seruando silentio, siue in lo-
Gal. 6. quendo, *quicumque hanc regulam secuti fuerint*, quam audiuistis (in quo audet Apostolus, audeo & ego) *pax super illos & misericordia, & super Israel Dei. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres, Amen.*

CONCIO XXX.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

1. *Quomodo beatissima Virgo his verbis mundo patefecerit votum virginitatis, & quando vouerit, & quas causas habuerit vouendi, quamque sollicitè votum seruarit, & alia plura de voto eius, quæstionibus aliquot explicantur.*

2. *Quomodo eius exemplum homines imitari possint, seu vouendo, seu votum perfectissimè seruando.*



HANC quæstionem sapientissimè Deipara mouit in colloquio Angelico: non quòd dubitaret de Dei potestate, vel de iis quæ ab Angelo
Luc. 1. dicebantur, *Ecce concipies, & paries filium,* &c. siquidem haud frustrà Elisabeth fidem eius prædicauit, *Beata quæ credidisti, quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino:* sed quòd mysterij sublimitatem summopere miraretur, & scire cuperet modum quo mater fieri deberet, ne fortè cum aliquo virginitatis detrimento contingeret, cuius votum fecerat. Ita exponunt SS. Patres, D. Augustinus, Bernardus, Ambrosius, & alij. Nam, vt inquiunt, his verbis voluit Angelo totique mundo patefacere votum virginitatis quod habebat, quamque de eo seruando esset sollicita; idque vt exemplũ illustre proponeret omnibus hominibus qui vel vouerunt, vel in animo habent vouere, vel saltem in suo quisque statu castè viuere tenentur. Ipsa nimirum prima vexillum virginitatis erexit, quod postmodum tot millia virginum secuta sunt: vexillum, inquam, candidissimum, in quo lilia rutilant. Ipsa præiuit tamquam dux & Regina virginum, *terribilis vt castrorum acies ordinata: & adducentur Regi virgines post eam.* Ea de causa rectè à D. Ambrosio comparatur amygdalo, quæ prima inter arbores flores ac fructus producit. sic enim sanctissima Virgo prima in principio veris, id est, temporis gratiæ protulit florem virginitatis voto firmatæ, eumque toti orbi spectandum exhibuit; simulq; Christum Dominum, fructum inæstimabilem, humano generi produxit. Hoc videlicet indicauit etiam virga Aaron amygdalina, clarissima Deiparæ figura, de qua legimus, *Inuenit Moyses germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperāt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Scribit etiam Pierius Valerianus, amygdalum oc-

[Marginalia: August. Hom. 44. & lib. 16. de Ciuit. c. 24. Bernard. Hom. 4. sup. *Missus est.* Ambr. l. 2. in Luc. Beda, &c. — Cant. 6. Psal. 44. — Ambros. Serm. de Nat. Virginis. — *Maria amygdalus.* — Num. 17. — Pierius l. 51.]

culta ratione apud veteres castitatis ac continentiæ symbolum fuisse. Eadem quoque de causa diua Virgo à sponso vocatur lilium inter spinas,
Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas*, inquit, *sic amica mea inter filias*.
1. In primis enim
Maria lilium inter spinas. lilium excellit alios flores candore ac puritate: sed quantò magis spinas? sic quanta est differentia inter lilium & spinas, tanta est inter Mariam & alias mulieres. Meritò enim Virgo virginum dicitur: meritò, inquit Bernardus,
Bernard. Serm. de Natiuit. eiusdem. *apud eam sponsus copiosiùs pascebatur, qui pascitur inter lilia*.
2. Deinde lilio assimilatur propter odorem quo alios flores exsuperat. ita namque & ipsa quasi odore floridissimæ huius virtutis vnicornem, nempe Filium Dei, è cælestibus septis traxit in terras, vt alibi demonstratum est.
Vide superiùs Conc. 9.
3. Denique Regum thalami ac cœnacula liliis adornantur: ita ipsa, Regis gloriæ thalamus, vti describitur in
Cant. 7. Canticis, liliis vallata virginitatis dicitur, adeoque lilium vocatur. Dicendum itaque hodie de lilio virginitatis eius, non in genere vt suprà,
Suprà Conc. 9. sed de voto quod hoc textu nobis manifestum fecit. Primò, quomodo, quando, quare vouit ipsa prima virginitatem, & quanta sollicitudine votum seruauit. Deinde, quomodo nos omnes, quotquot hîc sumus, imitari Dominam nostrã possimus.

AVE MARIA.

Gen. 3. FElix Eua, si cùm à serpente audiuit, *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, continuò respondisset, Quomodo fiet istud? quî fieri poterit, vt comedentes de ligno, quod Deus prohibuit, efficiamur sicuti dij? Res sanè perquàm incredibilis diu multumq; expendi merebatur. Itaque ex eius errore Maria Domina nostra prudentior facta, verita non est Angelum examinare, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Qua quidem interrogatione satis indicabat non se fidem renuere, nec dubitare de facto, quemadmodum Zacharias incredulus persistebat dicẽs:
Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis: Lucæ 1.
sed de modo sollicitam fuisse, quem auebat intelligere: ad eum modum quo pater eius Abraham audiens magnifica Dei promissa, nempe de terra Gen. 15.
Chanaan sibi posterisque danda, nõ incredulus mysterij, sed cupidus cognoscendi modum quẽ ignorabat, dixit, *Vnde scire potero quod possessurus sum terram hanc?* quem modum Angelus ei aperuit per visiones. Sicut & Nicodemus affectu satis ad credendum propenso & discendi cupido, cùm Dominum audiret dicentem, *Nisi quis renatus fuerit denuò, non* Ioan. 3.
potest videre regnum Dei; continuò ipsum interrogauit, *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex?* ideoque meruit modum à Christo doceri. Ita ferè B. Virgo non diffidens, sed prudenter inquirens modum, prudentiam ostendit; quodque elata non esset magnificis illis titulis quos audiebat, ostendit humilitatem; & cùm ratione voti sui sic Angelum interroget, ostendit eximiam curam virginitatis. Ita inter ceteros exponit diuus Gregorius Thaumaturgus: *Prudens reuerà*, inquit, *ac sapiens in cunctis erat Maria: nec similis ei ex vniuersis generationibus vlla vmquam est reperta. non enim priùs donum admisit, quàm quis illud mitteret, & quodnam donum esset, & quis ferret didicisset*. Gregor. Thaum. Ser. 1. in Annunt.
Verissimè hoc Gregorius. Hucusque enim Virgo ancipiti animo pertra-

pertractans verba Angeli, & mysterij incarnationis sublimitatem ponderans, prudentissimè silentium tenuerat, malês humiliter tacere quàm temerè loqui: iuxta illud Sapientis, Prou. 18. *Qui priusquam audiat respondet, stultum se esse demonstrat.* At vbi iam instructa & roborata fuit, tum Angeli verbis exteriùs prolatis, tum interiùs eam alloquente Domino, firmiter quidem credidit quod nuntiabatur (namque Angelum Dei esse nouerat, qui nulla ratione poterat mentiri) sed vnus restabat scrupulus qui animum torquebat, videlicet qua ratione ac via cōceptio seu natiuitas istiusmodi perficienda esset, cùm haberet votum virginitatis? Itaque petit ab Angelo vt hunc scrupulum eximat, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ita concorditer Auctores Catholici hunc locum interpretatur. D. Bernardus sic ait: *Non dubitat Virgo de facto, sed modum requirit & ordinē. Si dubitasset de facto, quæsiuisset, An fiet istud, vel an fieri posset; iam verò, quomodo?* Et D. Ambrosius: *Neque enim fas est vt electa ad generandum vnigenitum Dei Filium, fuisse videatur incredula. Cùm dixit, Quomodo fiet istud; non de effectu dubitauit, sed qualitatē ipsius quæsiuit effectus. Quanto temperantior ista responsio, quàm verba sunt Sacerdotis? Hac ait, Quomodo fiet istud? ille respondit, Vnde hoc sciam? negat se credere qui negat scire, & quasi fidei adhuc alium quærit auctorem. Sed ista profitetur se facere, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit inquirit.* sic Ambrosius aliique conspirant, D. Augustinus, Gregorius Nyssenus, Beda, &c. Itaque facessant Caluiniani magistro suo inhærentes, qui in hunc locum scribens, Mariam incredulitati Zachariæ comparat, & impudentissimè reprehendit.

Bernard. Hom. 4. sup. Missus. — Ambros. lib. 2. in Luc. — August. de Ciuit. l. 16. c. 24. — Gregor. Nyssen. Hom. 14 de Nat. — Beda super Luc. 1

Interim verò tanti ponderis quæstio à B. Virgine proposita, meritò nos etiam haud mediocriter sollicitos habet, ac torquet, cogitque quædam inquirere, vt eam mente atque intelligentia complecti possimus. Ac inprimis, ô Virgo sanctissima, mater Sapientiæ, tanto lumine collustrata, & diuinitus inspirata, Scripturæ sacræ insuper scientissima, dic obsecro, numquam legeras, numquam audieras Dei Filium incorporandum ex virgine, idque Isaiam prædixisse, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel?* Ita sine dubio, inquit, & legeram & intellexeram prophetiam. Non me fugiebat tanti mysterij certitudo, quod & Prophetis & legisperitis quàm plurimis innotuerat: sed modum nō assequor, neque explicat Propheta, quo id in me & per me salua religione voti mei adimpleri possit; ac proinde non quæro an fiet, sed quomodo fiet istud? Sic D. Bernardus hîc commentatur, quasi dixerit: *Cùm sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum: qua lege, quo ordine placebit ei vt fiat istud? Si oportuerit me frāgere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas eius. Sin verò virgo concipiam, virgo & pariam, quod vtiq; si placuerit ei non erit impossibile, tunc scio verè quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Idem sentit D. Ambrosius, qui sic ait: *Legerat illud Prophetæ Maria, ideò credidit futurum: sed quomodo fieret, antè non legerat. Non enim quemadmodum fieret vel Prophetæ tāto fuerat reuelatū. Tantum enim mandati mysterium non hominis fuit sed*

Prima quæstiuncula. Quomodo ignorare potuerit Maria virginem concepturam & parituram. — Isaiæ 7. — Bernard. Hom 4. super Missus. — Ambros. lib. 2. in Luc. 1.

Angeli ore promendum. Hodie primùm auditur, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. *Et auditur & creditur.* Hæc illi Patres de quæstione Virginis. Addere possumus, id nobis quoque non rarò accedere, quando nuntiatur res aliqua mirabilis, inusitata, numquam visa vel audita, vt apparet, summæ insuper sublimitatis; vt credamus quidem fieri potuisse, atque adeò reuerà sic contigisse, sed hæsitemus in modo, magna quadam admiratione defixi. v.g. Si audiamus mortuos ad vitam excitatos, si tres soles vno die apparuisse, si solem stetisse vel retrocessisse: rursum si rumor sit Regem Britanniæ vel Regem Sinarum ad fidem Catholicam esse conuersum; si nuntietur magnum Turcam expulsum Constantinopoli: credi quidem res ipsa possit, sic vt de modo interim dubitaretur. Immò idem experimur quotiescumque miraculum aliquod recens audimus.
Isa. 28. *Qui crediderit, non festinet*, inquit Vates Euangelicus. Ita Maria Virgo non festinauit ad consensum audito cælitus nuntio, sed priùs quæsiuit modum, dicens, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Secunda quæstiuncula, Quomodo modum ignorauerit.

Nunc igitur quoad modum, dic nobis, ô benignissima Domina, cùm plurima Dei mysteria intellexeris tum diuina reuelatione, tum lumine supernaturali & Spiritus sancti donis affluentissima; quî fieri potuit vt hoc mysterium ignorares, quod tantopere ad te tuamque gloriam pertinebat, videlicet quomodo posset virgo parere & manere virgo? quamobrem, cùm alia secreta plurima Deus tibi aperuerit, hoc te celare constituit? Certè dicendum est necessariò, hoc Deum suauiter disposuisse, vt D. Virgo toti mundo patefaceret votum suum hac quæstione in Euangelio proposita, omnesque inuitaret ad imitandum virginitatis statum. Tempus quippe iam erat opportunum, immò plenitudo temporis aduenerat, vt mysterium hoc tanti momenti in terris reuelaretur, non quocumque modo, sed per virginem gloriosissimam, & Archangelum Gabrielem. Tempus, inquam, aduenerat erigendi in mundo vexillum floridissimorum liliorum, tempus excitandi per orbem tot millia Monasteriorum innumeris virginibus, quæ talem statum cupidissimis animis amplecterentur. Hoc enim mysterio reuelato, cœpit orbis repleri templis ac ministris templorum, familijs virginum, cœnobijs virorum pariter ac mulierum, etiam in locis desertis, vbi priùs idola, dracones & serpentes, lupi ac leones dominabantur, sicut varijs locis Isaias Propheta prædixerat. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, pardus cum hœdo accubabit, vitulus & ouis ac leo simul morabuntur: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis.* Isa. 11. 35. 55. Hoc est, in illo tempore gratiæ, tam copiosa & exuberans erit Saluatoris gratia, vt ferocia animantia mitescant, & leones in agnos, serpentes ac dracones in mitissimos columbarum greges conuertantur. Iterùm, *In cubilibus quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci*, id est; in terris Gentilium, vbi priùs homines perfidi & impij, tunc sancti & virtutibus florentes habitabunt. Et alibi, *Montes & colles*, inquit, *cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu:* quia nempe summa erit exultatio fidelium, & religiosorum sine intermissione laudes Domino canentium, propter fluenta gratiarum, mundique

que

que totius innouationē. Hinc Theodoretus narrat se vidisse ciuitatem quamdam Thebaïdos, *in qua plura cernebantur cœnobia quàm domus*. Deinde *venimus*, inquit, *Nitriam, vbi vidimus circiter quinquaginta monasteria*. Hæc nimirum mutatio dexteræ Excelsi: sic impletur & illa prophetia, *Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam*. At quomodo factum est istud? in honorem atq; imitationem voti, quod hîc Virgo virginum suis verbis hominum generi patefecit ac commendauit.

Theod. in Histor.

Isa. 57.

Tertia quæstiuncula, Quomodo ex verbis B. Virginis colligatur eius votū.

Atenim vlteriùs quærendum est, quomodo certè colligi possit ex his verbis B. Virginis, ipsam votum virginitatis habuisse. Respondeo Primò, Docent id SS. Patres, atq; huius loci interpretes. D. Augustinus clarissimè sic ait: *Annuntianti Angelo Maria respondit, Quomodo fiet istud, quoniam virum nō cognosco? quod profectò non diceret, nisi priùs se virginem Deo vouisset.* D. Bernardi eadem haud dubiè sententia fuit, dum sic ait: *Si rerum pretia de raritate pensamus; quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? immobile propositum virginitatis, quòd nec Angelo filium promittente aliquatenus titubauit*. Et alibi expressiùs: *De cetero sanè & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi nouitas euidenter illustrat: quòd videlicet in libertate spiritus legis Moysaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vouit*. In eodem consentiunt D. Ambrosius, Anselmus, Beda, duo Gregorij Nyssenus & Thaumaturgus; & Doctores in 4. & alij. Deinde satis patet ex ipsis verbis & modo loquendi,

August. Serm. de Sancta virginit. cap. 4.
Bernard. Serm. de Assumpt. & Ser. de Verbis Apocal.

Ambros. lib. 2. in Lucæ 1.
Anselm. lib. 2. de Excellēt. Virg. c. 4.
Beda l. 1. in Luc. 1.

quòd agat de voto, cùm ait, *Quoniam virum non cognosco*, id est, non cognoui, neque cognoscam, quia neque soleo cognoscere, neq; possum cognoscere. Est enim Hebraismus, sicuti cùm Pharao dicebat Israëlitis, *Non do vobis paleas*, id est, non dabo, siue nolo dare. Et cùm dicitur, *Non mœchaberis, Non furtum facies*, perinde est ac si dicatur, Non licet tibi mœchari aut furtum facere. Nazaræus non bibit vinum, hoc est, non licet ei bibere vinum, quia interdictum est ei ob voti religionem. Atque hic loquendi vsus communis est non solùm Scripturis sacris, sed etiam linguis aliis. Vnde vulgò dicitur de cæco, Non videt, pro, non potest videre: de surdo, Non audit, pro, non potest audire. Si Carthusianus dicat, Non comedo carnes, sensus est, Non soleo neque possum comedere carnes, propter votum. sic si Franciscanus dicat, Non tango pecuniam: si Christianus dicat, Non adoro idola, id est, prohibeor, non licet mihi hoc. Ita prorsus D. Virgo locuta censetur, *Quoniam virum non cognosco*. Nisi enim sic intelligamus, posset illi facilè responderi, Non cognoscis virum, ô Virgo? sed potes cognoscere, virum habes, legitimè nupta es. Sed non ita simpliciter hoc accipiēdum. Sic ait, Non cognosco, id est, non soleo, non licet, non cognoscam propter voti religionem, & particularem obligationem.

Gregor. Nyssen. Orat. de S. Christi natiuit.
Gregor. Thaum. Hom. de Annunt.
Doctores in 4. distinct. 30.
Exod. 5.

Nunc illa quæstio mouenda est, an diua Virgo omnium princeps ac prima fuerit in hoc voto virginitatis faciendo. Dicendum est, licet multi ante Virginem castitatem seruauerint (vt superiùs probatum est Concione 9.) nullus tamen ante illam creditur hoc votum emisisse. Estque com-

Quarta quæstiuncula, An omnium prima votū hoc fecerit.

communis hæc Patrum sententia, in primis D. Ambrosij, qui sic ait, *Egregia Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ virginitatis pium Christo vexillum leuauit.* Et Bernardi, qui etiam ei accommodat illud Psalmographi, *Adducentur Regi virgines post eam. Nam primatum,* inquit, *sola vendicat sibi.* Epiphanius etiam scribit fuisse consuetudinem antiquæ Ecclesiæ, vouere Deo virginitatem in honorem & imitationem B. Mariæ. Mitto verba Ruperti, Bedæ, Abulensis, Carthusiani, Waldensis. Ratio seu congruentia esse possit, quia cùm votum virginitatis ad statum perfectionis pertineat, decuit vt in lege gratiæ haberet initium à Christo & à matre eius. Sic docet D. Hieronymus. *Mihi virginitas,* inquit, *in Maria dedicatur & Christo.* & Ambrosius iterùm: *Posteaquam Dominus in corpus hoc veniens, contubernium diuinitatis & corporis sine vlla concretæ confusionis labe sociauit; tunc toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cælestis vsus inoleuit.* Fuit itaque Christus, dum nasci de Virgine delegit, & virginitatem verbo & exemplo commendauit, virginitatis dux & princeps: benedicta eius Mater signifera virginum, vt vexillum eius militia sequeretur cælestis exercitus, vel potiùs cælestium exercituum, ac Religionum toto orbe surgentium.

Amb. l. de Institut. virg. c. 5. Ber. Homil. 21. in *Missus.* & Ser. in *Signum magnum.* Epiph. hæres. 78. Rup. l. 3. in Cant. Beda Lucæ 1. Abulens. 4. Reg. 18 q. 19. Carthus. in Vita Christi, p. 1. c. 2. Valdēs. tom. 2. de Sacram. cap. 130. Hieron. epist. 2. ad Eust. Amb. l. 1. de Virg.

Sed ais, Vnde constare potest neminem ante Deiparam virginitatem vouisse, cùm sciamus multos in vtroque sexu ante eam celebres hac virginitate fuisse? Non enim defuerunt, etsi rariores essent, in statu veteris legis viri sancti, qui opera perfectionis & consilij exercerēt. Respondeo, Etsi illud non omnino certum, quod tamen iam solidè confirmauimus: nihilominùs hoc est certissimum, ex sacra Scriptura de nullo alio colligi posse quòd ante D. Virginem votum hoc emiserit. Deinde, rectissimè dici posse primā, quia proposita est tamquam dux & exemplar huiusmodi voti. Hoc sensu Catholici primatum seu principatum in hoc statu quàm aptissimè ei attribuunt. D. Bernardus *primiceriam virginitatis* appellat. Diuus Ambrosius nunc *vexilliferam,* nunc *magistram virginitatis* nominat. D. Epiphanius *Principem virginum,* D. Ioannes Damascenus *virginum Reginam, matrem & gloriam,* Isidorus *virginum caput,* D. Augustinus *virginum initium,* Sophronius *perfectionis originalis exemplum,* Gregorius Nazianzenus *virginum lumē,* Idiota nomine, re certè sapientissimus, *virginitatis primipilam,* ac demum vniuersa Ecclesia Catholica *Virginem virginum,* aut *Virginem singularem,* aut *Virginem* per excellentiam.

Bern. sup. *Signum magnum* Ambros. l. de Inst. virgin. c. 5. & 6. Epiphan. hæresi 78. Damasc. Hom. de Assumpt. Isidor. de Eccles. Offic. c. 17. August. Tract. 10 in Ioan. Sophron. Hom. de Assumpt. Naziāz. in Carmine de Christo. Idiota, &c.

Verùm hîc alia oritur quæstio, quomodo votū hoc laudabile, Deoque gratum, seu maior perfectio videri potuit eo temporum statu, quo liberorum procreatio magna Dei benedictio æstimabatur, vt in Psalmis dicitur: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* & sequitur, *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Dicebat in lege Dominus: *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus.* quamquam nō præceptum sed promissio dumtaxat inerat illis verbis. Quin etiam D. Hieronymus, & Augustinus, & alij citant illud dictum veteris legis (tametsi non reperiatur in sacris voluminibus Vulgatæ editionis) *Maledictus sterilis qui non facit semen in Israel.* Magnum

Quinta quæstiuncula, Quàm laudabilis ipsi fuerit primatus virginitatis. Psal. 127. Deut. 17. Hieron. in Isa. 56 August. l. 14 contra Faustum, c. vlt.

Magnum certè opprobrium erat atque irrisio sterilium aut continentiū: votumque huiusmodi virginitatis seruandæ seu non generandi tamquam inutile prorsus ignorabatur, nedum de meliori bono reputabatur. Atque hæc præcipuè locum habuisse videntur in illis feminis quæ erant de tribu Iuda, propter spem Messiæ. quod indicat alibi D. Augustinus dicens, in illis primis temporibus debuisse sanctos viros vti coniugio ad Dei populum propagandum, ex quo Christus nasciturus erat. Denique in libro Iudicum legimus filiam Iephte Ducis, ne innupta moreretur, duorum mensium inducias à patre poposcisse, vt virginitatem suam in montibus cum sodalibus suis fleret. itaque se miseram lamentabatur, non quòd virginitatem amisisset, sed quòd amittēdi causam non haberet. Verùm his omnibus posthabitis, Maria virgo supergressa omnes filias legis, *sola sine exemplo placere deligens Domino*, vt canit Ecclesia, cùm sterilitas despectui haberetur, & maledictum seu opprobriū reputaretur; cùm virginitatem mundus rideret, neque eam lex exigeret, sed vsus ignoraret, populus pro nihilo faceret, ac demum fragilis feminarum natura vix eam ferre posset: hoc, inquam, tempore beatissima Virgo plusquam virile & heroïcum opus aggrediens, non mundi iudicium attendens, non sexus imbecillitati cedens, non florida iuuentute impedita, constituit firmiter seruare virginitatem, eamque Deo obtulit, & voto, vt gratior esset, insuper firmauit. Etenim eo præsertim tempore, quo lex vetus senuerat, & Dei populus satis propagatus erat, cognouit sibi melius fore, Deoque gratius, seruare virginitatem, eamque voto consecrare, quàm generationi operam dare: idque vel lumine supernaturali, vel reuelatione diuina, vel etiam scientia Scripturarum, in quibus Deus subinde notas & argumenta ediderat, quibus significaret continentiam sibi vehemēter esse gratam. Vetuerat namque in libro Leuitici, ne immundi vescerentur sanctificatis & Deo oblatis. Alibi, antequam filij Israel monti appropinquare possent, & vocem Dei exaudire, ab eodem ipsis est imperatū, & per Moysen renūtiatum, parati essent in diem tertium, & ne appropinquarent vxoribus suis: atque ita per continētiam se compararent ad audiendum sermonem Dei, qui per Angelum suum loqueretur. Iidem in libris Regum, aliisque satis insinuauerat Deus, quāti continentiam æstimaret. Quibus indiciis contenta generosissima Virgo, illam omnium prima sibi despōdit ac vouit. Res certa est: nubes grauissimorum testium, quos proxima quæstiuncula citaui, in hanc sententiam fertur. Nunc audite prætereà D. Bernardum, hanc difficultatem suauissimo versantem ac disputantē eloquio. *Quid facies*, inquit, *ò Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris: si sterilis manes, malediceris. Quid eliges Virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sūt vndique; melius tamen est mihi maledictum incurrere, & castam manere, quàm priùs quidam concipere per concupiscētiam, quod meritò pòst cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum: illinc verò & peccatum simul & cruciatum. Denique hæc maledictio quid aliud est quàm hominum exprobratio? Neque ob aliud sanè dicitur sterilis maledicta, nisi quòd opprobrio*

Aug. l. de Bono cōiug. c. 9.

Iudic. 11.

Ex Sedulio lib. 2. Carm.

Leu. 22.

Exod. 19

1. Reg. 21

Bernard. Hom. 1. sup. Missus.

brio

brio & contemptu sit habenda tamquam inutilis & infructuosa, & hoc in Israël tantùm. Mihi autem pro minimo est quòd hominibus displiceam, dum me possim virginem castam exhibere Christo. Ita Bernardus. Testetur idipsum D. Bartholomæus apud Abdiam hoc modo: *Seruandæ virginitatis votum hæc virgo prima Deo omnipotenti vouit. Primam autem dico, quia ex quo homo factus est, ab initio sæculi, nulla hoc votum Deo obtulit.* Testetur & S. Ildefonsus: *Maria*, inquit, *optimam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit.* Item venerabilis Beda: *Verè gratiâ erat plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter feminas gloriosum Deo munus offerret.* Amplissimus quoque verbis alij in eodem consentiunt.

Abdias l. 3. Historiæ Apostol.

Ildefons. Ser. 5. de Assumpt.

Beda Homilia de Annunt. Ioan. Ierosol. Episcopus l. de Instit. monachorũ. Rupert. lib. 3. in Cant. Honor. l. de Aeternis gaudijs.

Quæ cùm ita sint, quemadmodum summam meretur laudem qui rem magnam & difficilem primus inuenit, & perfecit; mercedem simul amplissimam, & celebre nomen præ omnibus qui ipsum sequuntur: vt ille qui Americam primus detexit, vel qui Indorum regionem, vel Sinarum vel Iaponum primus penetrauit: ita gloriosa Domina nostra linguis omnium prædicanda est, quæ statum virginitatis voto firmatum prima inuenit: qui tantæ laudis est, tamque arduus, vt de eo cælestis Magister dixerit, *Qui potest capere capiat.* Sicuti etiam qui plantam aliquam peregrinam ac pretiosam in has regiones inueheret, de qua nascituræ arbores plurimæ fructibus vberrimus ac nobilissimis patriam replerent; maximum sibi nomen & præmia ingentia compararet: ita dicimus nobilissimam ac generosissimam plantam à D. Virgine in terris tamquam in solo peregrino consitam, fuisse virtutem hanc virginitatis, quam innumeri fideles in Ecclesia imitarentur, & colerent, seque Deo consecrarent. An non eximiam quoque laudem ac præmia in cælis consequentur primi Ordinum fundatores, vt Benedictus, Franciscus, Dominicus, Ignatius, tot Religiosarum familiarum Patriarchæ? an non similiter primi Martyres, vt D. Stephanus, primi Doctores in vnoquoque Regno vel prouincia, primi Duces copiarum qui victorias magni momenti suo periculo pepererunt; qui videlicet omnes exemplo suo quàm plurimos ad virtutum ingentium amorem inuitarunt? Talis fuit Regina virginum, cuius exemplum ac vexillum tot millia virginum sunt secuta. Certè veteres magnum etiam honorem iis deferebant, qui primi rerum inuentores extiterant: vt Veneti omnium ore celebrati sunt, quòd primi fuerint bellicorum tormentorum inuentores: Lacedæmonij, quòd primi ensem repererint: Anaximenes & Anaximander, quòd horologia; & sic de ceteris in eodem genere laudis. At longe aliud fuit tale institutum virginitatis in lucem proferre. Non tædeat huic rei illustrandæ exemplum vnum aut alterum præterea ante oculus ponere. In primis quanti meriti sit rem aliquam magni momenti inchoare, quantaque beneficia in eos conferat Deus qui boni alicuius auctores fuerunt; patet in Aminadab, qui in exitu Israël de Ægypto primus fuit qui cum tribu sua in mare rubrum ingrederetur, vt Hebræi tradunt. quapropter tribus Iuda meruisse creditur, vt princeps esset inter alias tribus, ex qua Reges originem ducerent,

De laudibus primatus in facinore aliquo heroico.

A simili.

Matt. 19

Aliud simile. 2.

Alia plura. 3. 4.

Alia. 5.

Exemplũ primum.

rent, cùm tamen ipse non esset maximus natu. Propter hoc quoque tam egregium facinus tot benedictiones illa tribus consecuta fertur, & Christus Dominus ex ea natus potiùs, quàm ex alia tribu. De hoc Aminadab aiunt loqui Sponsam in Canticis, *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*. in quem locum consulendi Interpretes.

Vide Lytanum, Cassiod. Rupert. in illum locum, & Ambros. Ser. 2. in Ps. 118.

Exemplũ secũdum.

Idem quoq; patet in constructione templi Salomonis, quod licet à Chaldæis destructum fuerit, & in reparatione Ierusalem aliud fuerit à Zorobabel exædificatum, & ab alijs innouatum, retinuit tamen nomen templi Salomonis. quem honorem sibi Salomon peperit, quando summa pietate, atque inusitatis sumptibus religiosissimum hoc templum in Dei honorem exstruxit. Ita nempe Deipara Virgo maximam dignitatem & gloriam cõsecuta est, quando hoc voto nuncupato facta est dux & magistra virginitatis, & perfectissimum omni posteritati virtutis huius exemplar.

Documẽtum.

Discimus porrò, quàm ardenter opera præclara & ardua affectare debeamus, & primi ac prompti esse ad heroicos virtutum actus, præsertim Superiores, vt exemplo alijs præeant. Quandocumque enim efficere possumus vt alij nostro proficiant exemplo, plurimùm in hac vita apud Dominum promeremur, & præmium in cælis aduentitium consequemur ex aliorum gloria. Contrà verò qui principes sunt & auctores alicuius mali, maiori plectentur supplicio, & apud inferos aliæ illos manent accidentariæ pœnæ. Exemplo est impius ille Rex Ieroboam, qui, ne populus reuerteretur ad domum Dauid, ascendens Ierusalem religionis causa; & vt ipse ac posteri eius regno temporali potirentur, aureos vitulos fecit vt eos adoraret Israël. Cuius exemplum secuti sunt eius successores, qui omnes idololatræ fuerunt. Obseruamus autem Scripturam sacram horum scelera sæpè ipsi Ieroboam tribuere, dum hoc modo loqui solet, *Non recessit à viis Ieroboam, qui peccare fecit Israel*. vnde haud dubiè tormenta Ieroboam istorum damnatione augebantur. Sic alibi legimus, cùm filij Israel inuenirent quemdam colligentem ligna in Sabbato, iussu Domini eum lapidauerunt: quia (vt inquit Glossa) primus Sabbati violator fuit, alijsque occasionem præbuit festa violandi. Sic denique diues Epulo, qui malis exemplis quinque fratres suos corruperat, rogabat Abraham vt mitteret aliquem qui eos auerteret à via iniquitatis, ne ad loca tormentorum venirent, & supplicia eius augerent. Hoc vtique illum mouebat, non charitas, quæ non est apud inferos. Itaque omni studio semper contendendum est vt nemini offendiculo simus, omnibus verò è contrario, quantum fieri poterit, exemplo vitæ inculpatæ prodesse conemur.

3 Reg. 12

Num. 15

Luc. 16.

Sequitur nunc, quoniam ea tempestate, etiam in populo Israëlitico, res erat tam insolens & noua, virginitatem deuouere; vt inquiramus quid impulerit S. Virginem ad eiusmodi statum sibi deligẽdum, vt omnium prima tali voto sese obstringeret. Primò vehemens in ea inerat desiderium efficiendi in omnibus & per omnia non modò quod rectum esset & Deo acceptum, sed etiam quod optimum & diuinæ maiestati gratissimum. Atque hæc ratio fuit cur amore maioris perfectionis, quã in

Sexta quæstiuncula, qua causa B. Virginem impulerint ad vouendũ. Causa prima, Amor maioris perfectionis.

in hac virtute positam cognoscebat, constituerit virginitatis statum amplecti, eiusque votum emittere. Nam cùm naturalem intellectum perspicacissimum haberet præ omnibus hominibus, & libera esset ab omni concupiscentia, & supra naturam summis prædita donis sancti Spiritus, donis sapientiæ, consilij, scientiæ Dei; præ omnibus vtique potuit sincerè hac de re iudicium ferre. Vidit ergo virginitatem Deo placere & virtutem pulcherrimam esse: eam proinde adamauit & amplexa est; atque vt virtus esset perfectior, Deoque non placeret modò, sed etiam maximè placeret, voto insuper consecrauit. Etenim, vt D. Thomas, alijque docent, *virginitas & istiusmodi opera perfectionis magis sunt laudabilia si ex voto celebrentur*. efficaciora quippe sunt, maiorisque meriti cum tali obligatione suscepta opera bona, quàm sine obligatione, tum propter abnegationẽ libertatis, tum propter maiorem in bono stabilitatem ac firmitatem, tum denique propter maiorem puritatis ac Dei amorem, ex quo profluit votum. Hinc omnibus suadetur illud, *Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Ad summam, hoc totũ subtilissimè cognouit Maria Virgo, ideoque amplexa est; cognouit Deo placere virginitatem, amplexa est: cognouit votum eius magis placere, & amplexa est. *Sic*, inquit D. Anselmus, *Virgo tenera & delicata, Regali stirpe progenita, & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim quòd quantò sanctius eam seruaret, tantò sublimius ei qui omniũ castissimus, imò ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo itaque quod acceptabilius Deo esse cognouit, legem superauit.*

D.Tho. 3.p.q.28. a.4.&22. q.88.a.6.

Psal.75.

Ansel.l. de Excel. Virginis cap.4.

Secunda causa, quæ Virginem exstimulauit, fuit odium vilitatis ac turpitudinis, quoniam semper displicuerunt ei actus inhonesti, quales sunt qui virginitati aduersantur, & tenebras amant & viles sunt in se, licet non sint peccata. Quid ita? D. Virgo erat naturâ suâ valdè magnanima & generosi spiritus, neque poterat ei vllo modo placere quod in se vile & abiectum est. Erat certè nobilissima creatura, à Deo condita eo fine, vt ex ea perfectissima humanitas Christo assumeretur. Erat quasi tela aurea, ex qua Dei Filius sibi vestem conficeret. Vnde hac tanta naturæ excellentia prædita semper despexit quidquid vile est & sordidum, vt est virginitatem amittere, & matrimonij debitum, quod vocant. Certè nisi hoc esset Sacramento cohonestatum, & delectatio apposita, & infirmitas magna humanæ conditionis, nemo hoc vellet; nihil vilius, nihil abiectius. An non hæc mulieris maledictio asseritur in Genesi, *Sub viri potestate eris?* & quando senex ille Gabaonita inuitus offerebat Sodomitis filiam suam, quid dicebat? *Habeo filiam virginem, vt humilietis eam*, potiùs nempe in ea hoc permittam, quàm vt in hospitem meum tantum flagitij designetis. Alibi etiam sacra Scriptura istum actum matrimonij, quantumuis intra matrimonium exerceatur, vocat *humiliationem*. Non sic Maria Virgo, magnanima cùm esset ac mentis nobilissimæ, non sic humiliari sustinebat; sed à teneris annis, vt hoc iugum excuteret, fortiter elegit, vouitque per-

Causa secunda, Odium vilitatis.

Genes. 3.

Iud. 19.

Deut. 21. & 22.

perpetuam virginitatem.

Tertia causa, Instinctus diuinus. Arnold. Abbas tract. de Laudib. Virginis Mariæ.

Tertia ratio, eaque potissima fuit, quia secuta est diuinam inspirationẽ, quam sentiebat ad opus perfectionis tam arduum inuitantem, vt optimè declarat Arnoldus Abbas in hunc modum: *Nullum de virginibus à Domino datum erat praeceptum: sed nec erat Apostolus qui daret consilium: acceperat tamen hoc ipsum à Deo per Spiritum sanctum familiare mandatum; non ex responso Angelico, sed ex inspiratione secreta, qua ei & affectum virginitatis intimauerat, & vsque ad necessitatem voti purum desiderium alligauerat.* Sic ille. Certè quidem summa gratia diuinitus ei concessa est, qua fomes ab ea tolleretur; & tranquillitas quædã cælestis in eius anima iugiter fuit, & cogitationes omnes diuinæ. Cùm porrò diuinum quid sit virginem esse, ad illud semper generosissimè aspirauit. Quare Deus purissimo isti desiderio, per sanctam suam gratiam respondens eidem inspirabat, licet matrimoniũ esset bonus status, & in quo Deus rectè coli posset, statum tamen virginitatis esse multò excellentiorem, & ad diuinæ maiestatis cultum, & ad cor eius eidem penitùs cõsecrandum, longè magis accommodatum. Hic instinctus cælestis permouit Dominam nostram, vt perpetuo se virginitatis voto constringeret. Quid nõ faceret tam perfecta natura, cum tam perfecta Dei gratia? Semper magna aggressa est, & sublimia perfecit. Semper in altissimis, generosæ instar aquilæ, posuit nidum suum. Firmiter statuit ac impleuit, vt nec in minimo Deo vmquam displiceret, semper in omnibus Dei gloriam purissima intẽtione quæsiuit. Deum è cælis in terram pertraxit; omnium hominum curam suscepit, & miseris omnibus succurrere statuit. O animum verè excelsum! ô cor generosum! hæc omnia quippe quàm altissima sunt! sed adeo magnanima Virgo cùm esset, nihil sibi impossibile cogitabat. tandem hoc pacto virginitatem quoque prima seruauit ac vouit.

Septima quæstiuncula, Quando vouerit.

His ita constitutis, disceptatur etiam quando vouerit, siue in qua parte ætatis? Variæ enim sunt Doctorum sententiæ: neque certò definiri potest quando præcisè id factum fuerit: an simulatque vti cœpit ratione, an cùm in templo degeret, vtrùm ante matrimonium, vtrùm in ipso matrimonio.

Prima propositio satis certa.

Verùm constat satis, & communiter sentiunt Theologi ante matrimonium contigisse. Horret enim pia mens vel cogitare sanctissimam Virginem corpus suum aliquando periculo corruptionis exposuisse, quod profectò fecisset, inquiunt, si non obstricta priùs voto nupsisset: nisi expressam Dei reuelationem habuisse dicamus. Qua posita, nullam fraudem vel perfidiam commisit nubendo, quia Deo reuelante scienti consentientique viro nubebat. D. Augustini verba sunt: *Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potiùs custodituro quod ipsa iam vouerat.* Idem significat Gregorius Nyssenus. *Quoniam*, inquit, *Deo dicatam & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam seruari oportebat:* ideò videlicet Virgo tradita est Ioseph. Ita & D. Hieronymus, & Theologi, Bonauentura, Richardus, Albertus Magnus, & ceteri quos citat Suarez. Ratio est, quia B. Virgo ab infantia mota est à Spiritu sancto, vt quod melius ac gratius Deo

Aug. l. de Sancta virginit. cap. 4. Gregor. Nyl. Hõ. de Natiu. Hier. in Historia de Ortu Mariæ. Theol. in 4. d. 30. Bonau. ibid. q. 2. Richar. a. 2. q. 1. Alb. l. de B. Maria. Vide Suarez in 3. par. d. 6. f. ct. 1. & 2

Deo esset, id amaret, & quantum in ipsa esset, perficeret. Vnde factum est, vt summo semper affectu & firmissimo proposito castitatem amauerit: cumque illa perfectior sit ac Deo gratior si voto sit consecrata, non est dubitandum quin effecerit D. Virgo ab initio, quantum in se erat, vt hoc propositum per votum fieret immutabile. Ex quo principio clarè deducitur secunda Propositio, nempe hoc votum iam tum ab initio factum à D. Virgine, cùm primùm vti cœpit ratione, ac virginitatis dignitatem cognoscere. Desiderauit enim semper puritatem Angelicam imitari, & quam Angeli per naturam, voluit ipsa per voluntariam promissionem habere immutabilem. Quòd si multæ virgines ferè ab incunabulis per castitatis votum se Deo consecrarunt: multò magis hoc credendum est de principe omnium virginum, quam Deus constituere voluit omnium illarum ducem ac perfectissimum exemplar. Num fortè ausit quis meliorem ac diuiniorem indolem tribuere D. Nicolao Episcopo, aut alteri Nicolao Tolentinati, qui ab infantia virtutem tantopere coluerunt, vt cum lacte nutricis eam suxisse videantur? Historiæ quoque veterum prodiderunt de magnanimis atque illustribus viris, quomodo à primis annis magna præclari animi signa dederint, quibus appareret ac emicaret futura postmodùm insignis magnanimitas: vt de Alexandro Magno, qui flebat etiamnum puellus, quòd parens eius Philippus tot regna sibi subiugaret, nihilque, vt inquiebat, ipsi relinqueret, quod cum æqualibus suo tempore debellare posset. Talia de Alexandro Plutarchus commemorat, de Cyro Xenophon, de Catone alij'que Valerius Maximus. Quis dubitet quin ab æterno delecta Dei mater ac dilecta, quæ eò processura erat vt omnem superaret creaturam, omnemque comparationem; ab ineunte ætate magnum huius magnitudinis specimen præbuerit, seque Deo peramanter dulcissimo voti istius nexu adstrinxerit? *Multæ filiæ*, inquit Sapiens, *congregauerunt diuitias, sed tu supergressa es vniuersas.*

Secunda propositio, pia & plausibilis.

Plutar. in Vita eius. Xenoph. in Cyroped.

Valer. Maximus l. 3. c. 1.

Prou. 31.

Nihilominùs D. Thomas hic ab his omnibus dissentiens in aliam abijt sententiam, existimans votum hoc non ante matrimonium emissum. Verba eius audiamus. *Verùm, quia tempore Legis oportebat generationi insistere tam mulieres quàm viros (quia secundùm carnis originem, cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur) mater Dei non creditur antequam desponsaretur Ioseph, absolutè virginitatem, vouisse sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam diuino commisit arbitrio. Postmodùm verò accepto sponso, secundùm quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.* Ita, quod mirum est, sentit hîc D. Thomas: cuius sententiam sufficiat non omisisse.

Tertia sententia D. Thomæ 3. p. q. 28 a 4. parum probabilis.

Ad extremum superest vt disquiramus, quàm sollicitè Virgo seruarit votum suum. D. Bernardus multis locis, Metaphrastes, & alij, mirum in modum ponderant atque expendunt hîc sollicitudinem seruandæ virginitatis, eiusque æstimationem quam hoc loco Deipara ostendit. Cùm enim perspectum haberet, mulierem nuptam in populo Dei quæ sterilis esset & liberorum expers, viuere in perpetuo coram omnibus dedecore, quasi reprobatam & maledictam à Deo:

Octaua quæstiuncula, Quàm sollicitè votum seruarit.

Bernard. Hom. 3. & 4. sup. *Missus.* & Ser. 4. de Assũp. Metaph. Serm. de Vita & dormit. Mariæ.

Deo: non tamen est grauata huiusmodi dedecori & probro sese exponere, amore puritatis virginalis, quam Deo gratiorem esse cognosceret. Quem animum, quam constantiam eius hîc fuisse credimus! quoties, vt Deo magis placeret, eique rem gratam offerret, generoso mentis proposito exposuit se omni opprobriorum & popularium exsecrationum generi, diuinæ eius voluntati rem totam committens atque commendans! Ea re vt in omnes futuras ætates esset perspectissimum, Deum esse fidelem semper ijs qui maximum ipsius honorem & gloriam quærerent; ita rem omnem disposuit, vt cùm Virgo iam parata esset sterilium maledicto subiacere, quò magis oculis diuinæ Maiestatis placeret; eam penitùs istiusmodi ignominia liberaret. Nam & permisit ei in perpetua virginitate degere, vti expetebat: & fœcundam prætereà effecit, & matrem Filij Patris æterni: atque hoc pacto maledictionem in benedictionem conuertit, vt supra omnes mulieres, & per vniuersas totius mundi nationes ipsa esset benedicta, & per fructum ventris eius omnes terræ populi æternam benedictionem consequerentur. Adhæc, quàm fuit illud admirabile, cùm Angelus ei appareret, & à Deo missus renuntiaret, ipsam concepturam & parituram talem filium, matremque Dei futuram; hunc supremi honoris titulum in se non admittere, neque cælesti huic nuntio assentiri, nisi priùs certa esset id fieri posse absque voti violatione, aut detrimento suæ virginitatis? O rarum magnanimitatis exemplum! Deus, tametsi omnipotens, nihil habebat maius quod Virgini conferret, quàm erat dignitas matris Dei. Nam quæ maior ac dignior mater, quàm mater Dei, quo nihil est maius? Quòd si mater Dei futura erat, ergo & cæli Regina, & Domina vniuersitatis, cuius filius esset Rex Regum. An non æquissimum erat vt hęc tanta dignitas, amittendi pudoris memoriam ex eius animo deleret, iubente insuper Deo? Sed ecce recusat fieri Dei parens, Regina Angelorum, Domina mundi, si pretiosum illud cimelium puritatis Deo consecratæ periclitari debeat. O animum inuictæ fortitudinis! ô adamante firmiorem, cælo sublimiorem! Quæcumque alia virgo, tali nuntio audito, non multùm, credo, hæsitaret, non multa quæreret, non de iactura pudoris, Deo imperante, admodum sollicita esset. Sed magis de singulari felicitate iucunditatem, quàm de iactura sua dolorem caperet. Ea videlicet est nostra leuitas & inconstantia in propositis seu votis nostris: hodie volumus, cras nolumus; mira proponimus, sed statim languescimus. At nostra Virgo non sic: prudentissima Virgo meliùs ponderat negotium suum: magnanima Virgo Maria interrogare Angelum audet, *Quomodo fiet istud?* significans se nolle quidem diuinæ voluntati repugnare, sed proponere duntaxat rationes suas, *Quoniam virum non cognosco,* id est, votum habeo quo impedior, vt apparet. Hæc stabilitas & perseuerantia eius in proposito pudicitiæ.

Secunda pars de imitatione B. Virg. nis.

Iam ad nos moresque nostros propiùs accedamus, quod erat secundo loco nobis propositum. Liceat mihi interrogare vnumquemque vestrûm, quid videatur, Fierine poterit in his omnibus D. Virginem vt imitemur? At qua ratione ac via? Sanè pro suo quisque statu, suoque captu non potest

in alio: considerandа præterita vita, & experientia, itemque modus benè seruandi votum, *Quomodo fiet istud?* quę pericula in Religione hac vel illa, vel extra Religionem. rectè enim Saluator ait: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. qui potest capere capiat.* Ecce, non præcipitur quidem virginitas, sed consulitur. A quo? Quòd si à me vel alio quopiam homine, possetis meritò paruipendere; quoniam homines errare possunt: at Dei ipsius Euangelicum consilium est, *Qui potest capere capiat.* Deus non suaderet, si esset supra vires nostras, vel si non valdè bonum ac salutare consilium. O quàm laudabile, quàm generosum est eorũ propositum, qui ad imitationem Virginis virginum, tam magnificũ, tam nobilem, tam sublimem perfectionis statum amplectuntur! O si oculis cernere liceat aureolam siue specialem virginum gloriam: quantis arderet desideriis cor nostrum! Magnanimos nos esse oportet in hoc negotio, auditores. Deus dat vires, qui dat consilium. Scimus nos esse fragiles, sed gratia Dei robur suppeditat. Quamobrem rebus benè perpensis, Deoque commendatis, audito etiam consilio Confessarij, qui statum conscientiæ nostræ cognitum habet; nolite metuere, intrepidè rem aggredimini; non nitentes viribus vestris, sed diuina gratia: securè sic potestis statum illum, ad quem vocamini, consectari, & voto castitatis vos obstringere. Sed antequam debita diligentia vsi fueritis in consideratiobus dictis, & virtute gratiæ vobis à Deo communicatæ satis exploranda; communiter aliquod vitæ genus eligere & amplecti, vel votum aliquod concipere non oportet. alioqui periculo se facilè quis exponat, vel pro diuino instinctu interpretandi, quod secùs se habet; vel perfectum vitæ genus amplectendi, ad quod vocatus non sit; vel non complendi quod Deo promiserit, & sic ab incepto itinere retrocedendi.

Matt. 19

De voto iam facto religiosè seruando.

Sed hæc de voto priusquam fiat: iam in eo religiosissimè seruando laudiuimus quàm sollicita ac timida fuerit Domina nostra, cùm audiret aliquid sibi visa est quod cum voto pugnaret? In tantò sanè pretio habuisse videtur votum pudicitiæ, vt in dubium reuocaret an mater Dei fieri vellet, si hoc pacto virginitas violanda esset. Quam quidem animæ puritatem ac cordis firmitatem adeò diuinæ maiestatis oculis gratam fuisse credo, vt si vllis meritis dignitas Dei matris obtineri potuisset, huius certè operis meritò obtinenda fuisset. Imitemur, amore Dei ac Deiparæ, imitemur hoc, præsertim qui votum habemus: horreamus omne periculum & omnem occasionem quacumque ratione contrariam voto nostro. Nobis certè incumbit specialiùs D. Virginem imitari, viuendo in omni puritate, & declinando quidquid animas nostras inquinare possit, aut prauam aliquam cogitationem vel cupiditatem concitare: in omnibus denique & per omnia cordis puritatem procurando per exercitia precationis, meditationis, & carnis mortificationis. Atque vt meliùs pretiosus hic thesaurus conseruetur, & neq; opere neque prauo desiderio amittatur; attentè ac seriò mandatum Dei perpendamus, quod sacra nobis eloquia toties inculcant: *Siquid vouisti Deo, ne moreris reddere. displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque voueris redde, multoque* Eccle. 5. & Deuteron. 23. &c.

Bbb *melius*

melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Quare, obsecro, ibi dicitur *Redde*, sicuti & alibi passim, nisi quia post promissionem efficitur debitum? Proinde vult omnino Dominus vt vota nostra impleamus, etiamsi nullum inde commodum ipsi obueniat, hac
1. in primis ratione, quoniam diligit honorem suum, qui læditur, siquando promissa fragantur. Nam vt homo quilibet, vermis terrenus, iniuria afficitur, cùm promissis illius non statur: ita longè potiori iure Deus ægerrimè fert fidem sibi datam frangi. Certè si maritus vxorem in adulterio deprehenderit, satis ostendere solet atrocitatem iniuriæ, quam patitur ob fidei coniugalis violationem. Atqui violatio voti spirituale adulterium est, quod committit anima Deo consecrata, cuius vltor non homo sed Deus futurus est. Theodoricum Africæ Regem commemorat Cedrenus, cùm domesticum haberet qui à Christianis ad Arianos defecisset, Regi suo eadem peste infecto gratificaturum se sperans; palatio illum eiecisse. Nam si Deo tuo fidem seruare recusas, inquiebat, quomodo mihi qui homo sum eam seruabis?

Cedre. in Anastasio.

2. Deinde hoc in genere seuerum ac rigidum se Deus exhibet, etiam propter nostrã vtilitatem: quia videlicet magnum bonum hominis est, si seruat vota sua Deo, quibus non modò Deum obligauit sibi, sed se quoque vicissim Deo. Hinc Propheta Ieremias mittens epistolam populo Israëlitico in Babylonica captiuitate, reuocat illis in mentem ingens discrimen quod est inter Deum Israël, & Deos Babyloniæ. *Dij*, inquit, *Babyloniæ sunt lignei, lapidei, aurei, & argentei: siquis illis votum vouerit, neque id reddiderit, numquam id requirent*. Videte igitur quid faciatis, quia agitis cum Deo Israël, Deo viuo & vero, qui grauissimè in vos animaduertet, si promissa vestra violaueritis. Quia Deus lapideus non est neque surdus, vt votum tuum non audiat; neque obliuiosus vt rationem eius non exigat. Documento insuper omnibus esse possit mors illa subita atque horribilis Ananiæ & Sapphiræ coniugum, quam incurrerunt ob voti sui violationem. Vbi D. Gregorius, *Quantò*, inquit, *maiori periculo in diuino iudicio dignus erit, qui non nummos, sed semetipsum Deo omnipotenti, cui se deuouerat, subtraxerit?* D. quoque Hieronymus in epistola ad Principiam, vt ostendat quàm sit necessarium vt virgines semper vigilantes sint, armatæ & munitæ vndique aduersus hostes castitatis, loquitur in hunc modum: *Arbitror te accinctam Christi gladio militare. Vt autem scias super virginitatem gladium habere pudicitia, per quam trunces opera carnis, & superes voluptates, gentilis quoque error deas virgines finxit armatas.* Quomodo armatas? pingebant videlicet veteres illi virgines scutum in sinistra, lanceam dextera tenentes, pudicitiæ tuendæ causa. Hinc etiam Thomas Cantipratensis pudicas virgines hortatur, vt siquis impudentior accesserit, qui conetur vel osculis vel contactibus pudicitiam lædere, colaphum in faciem impingant, etiamsi Ecclesiasticus esset, & quod amplius est, vel oculum erui, vel dentes excuti, aut sanguinem è naribus extundi oporteret: videlicet vt & ipse erubescat, & alij qui vident vel audiunt deterreantur. Monitum profectò generosum ac salutare, quotiescumque fugâ vel verbis minacibus nihil proficitur.

Bar. 6.

Act. 5.

Gregor. in Regist. ad Venantium.

Hieron. epist. 140 ad Principiam.

Thom. Cantip. lib. 2. de Apib.

ficitur. Hinc Agnes illa pudicissima & sanctissima Virgo, vt scribit diuus Ambrosius, *Cùm Symphronij Praefecti vrbis Romae filius, insana cupiditate stimulatus, pretiosa ei in singulas preces munera, & ingentes polliceretur diuitias; ijs contemptis ac repudiatis omnino nuptijs, fortiter dicebat: Discede à me, pabulum mortis, fomes peccati; nam multò vberiora & praeclariora mihi deferens, me nobilior occupauit sponsus. Is annulo dato me sibi desponsauit: is collum ac dexteram meam fulgentibus ac sempiternis gemmis ornauit: quem ego & amans casta, & tangens munda, & accipiens virgo sum.* Sic sic generosè ac fortiter agendum pro tuenda castitate. Siquis *portet thesaurum pretiosissimum in vasis fictilibus*, vt loquitur Apostolus; aut vitra crystallina valdè fragilia & rara, quàm sollicitè ambulat ne frangantur, aut periculosè allidantur? Aut siquis gemmam habet lucidissimam, & speculis ipsis splendidiorem, quanta cura custodit, ne sordibus obscuretur? Ita profectò castitas fragilis est instar vitri, pretiosa adinstar gemmae *(omnis quippe ponderatio non est digna continentis animae)* ideoque singulari studio & vigilantia seruanda est.

Ambros. Serm. 90.

Similia.

2. Cor. 4.

Eccli. 16.

Contra votifragos, & peccata luxuriae in omni statu.

Sed fortasse nimis multa de voto & perfectione status virginalis: potiùs hoc tempore vociferandum sit, & quasi tuba exaltanda vox contra peccata luxuriae quae committuntur in omni statu, tum in matrimonio tum extra illud. Qui enim fidem violat, non modò proditor est socij sed Dei ipsius, qui matrimonij auctor est & legislator. Et proinde si alter alteri iniuriam faciunt, in Deum peccant, & Deus flagitia eorum aeterna morte mulctabit. Verùm non adulteria modò perpetrantur hoc tempore, sed longè peiora. S. Augustinum audiamus. *Planè*, inquit, *non dubitauerim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quae vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito; quantò grauius offenditur, cùm illi ipsi non seruatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum?* O quàm horrenda audientur in die iudicij coram toto mundo, quae hîc in tenebris facta fuerint, in quocumque statu! peccata quae hîc nominare coram alijs non audemus, ibi in lucem proferentur cum summa confusione. Ibi apparebit quàm foeda quamque detestanda sint, quae hîc propter naturae fragilitatem leuia ducimus. Ibi luce clariùs cognoscemus corpora nostra templa fuisse Spiritus sancti. Et *qui templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Cumque omnes Christiani templa sint Dei, templa viua, templa vitalibus Baptismi aquis consecrata; praecipuè tamen huiusmodi sunt, qui se votis insuper Deo obstrinxerunt. Quem non percellat exemplum horribile Praetextatae feminae Romanae, quod sic D. Hieronymus commemorat?

Aug. l. de Bono vid. c. 11.

1. Cor. 3.

Praetextata nobilissima quondam femina, inquit, *iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit: & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem poenas, & haec verba frangentem: Tune ausa es viri imperium praeferre Christo? tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus? quae iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris:*

Hieron. epist. 18. ad Laetã. tom. 2. & Baron. to. 3. anno 382.

Exemplũ Praetextatae.

eris: & finito mense quinto ad inferna duceris. sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt; & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit. Et hoc retuli, non quòd insultare velim calamitatibus miserorum; sed vt moneam cum quanto metu & cautione seruare debeas, quod Deo spopondisti. Hactenus Hieron. Itáne verò? vsqueadeò temerarium ac sacrilegum est, virginitatis propositum seu votum violare, vel ad violandum alterum inducere? Anne huiusmodi exitus ijs dumtaxat reformandi sunt, qui vota sua per summum nefas præuaricantur? At meminisse insuper oportet omnes Christianos, quid in Baptismo de satana & omnibus pompis eius abrenuntiandis promiserint, & quàm alienam vitæ rationem ab his quæ sunt polliciti hactenus duxerint: vt saltem de malè adimpletis aut neglectis promissionibus inde factis, tempestiuam ac fructuosam pœnitentiam agant. Tantæ enim bonitatis est Deus noster, vt pro accepto & persoluto habeat, quod non soluimus neque reddidimus, modò nobis ipsis displiceamus, & de commissis atque omissis pœnitentiam agamus.

Castitatis in genere commẽdatio.

Quæ cùm ita sint, satis animaduertimus, opinor, quàm necessarium sit vnumquemque nostrûm, nequod grauius Dei iudicium aut confusionem incurrat, curam ac diligentiam in suo statu, quantam potest maximam, adhibere, vt sanctissimæ Virginis puritatem imitetur, & hac in carne fluxa & fragili vitam degat Angelis immortalibus dignam. Sensus nostros, maximè oculorum, & aurium, & tactus vigili custodia frænemus: luxum in vestitu, luxum in cibo potuque, luxum in somno, ceterisque corporis commoditatibus prorsus aspernemur: Dei timorem ac præsentiam semper præ oculis habentes, qui minimas etiam cogitationes scrutatur, & quem nullum latet secretum. Meminerimus etiam, tametsi ex parte nostra conatus assiduus ac cooperatio requiratur, continentiæ virtutẽ inter maxima Dei dona reputandã. Disertè Apostolus donum Dei vocat cùm ait, *Volo omnes vos esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Et, *Sciui,* inquit Sapiens, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & ideo adij Dominum, & deprecatus sum illum.* Eapropter quò faciliùs hoc donum obtineri possit, diu noctuque imploranda est Christi gratia, & speciale ipsius auxilium. Recurrendum etiam iugiter ad Virginem matrem, quæ præcipua quadam protectione ac tutela suorum clientum pudicitiam defendere solet: cùm fuerit ipsa creaturarum omnium purissima & castissima, primaque vexillum hoc virginitatis erexerit. Documento esse possit quod accidit quondam D. Thomæ Aquinati, vt in Vita eius scribitur: qui cùm Religionem meditaretur, varijs artibus parentes eius conati sunt eum de sententia deducere. Eo fine tandem filio per biennium in cubiculum incluso, adolescentulam venusta specie submittunt, quæ suis lenocinijs animum pudicissimi iuuenis ad flagitium pertrahere conetur. Dum autem illa blanditijs animum pulsat, vt ad extremum laqueum inijcere valeat: sentit quidem adolescens, quàntumuis benè armatus ad eam pugnam,

1. Cor. 7.

Sap. 8.

Exemplũ D. Tho. Aquin. in Vita eius apud Surium, 7. Martij.

gnam, illecebris se nonnihil moueri, & fallacem veneni dulcedinem paulatim ad cor penetrare: sed quid agit? inuocato nomine Iesu & Virginis matris implorato suppliciter auxilio, titionem è foco arripit, eoque minaciter intentato fugat illam, ostiumque occludit. Tum regressus ad cubiculi angulum, eodem titione crucem in pariete delineat: ante quam supplex humi stratus dum exorat Dominam suam ac patronam castitatis, somno oppressus videt duos eximio splendore Angelos ad se venientes, qui dicerent preces eius esse exauditas, signumque perpetuæ castitatis fore cingulum hoc: simulque sacro quodam cingulo ita lumbos adolescentis stringunt, vt ille persentiens cum clamore exsiliret, ac somno solueretur. Ad hunc diem seruatur hoc cingulum in monasterio Patrum S. Dominici, in oppido Vercellensi.

De S. Iustina. Gregor. Naziaz. Orat. in Laudem Cypriani mart. Niceph. & Martyrolog. Septēb.

Inter feminas haud absimile est quod D. Iustinæ virgini contigisse Martyrologia testantur ex D. Gregorio Nazianzeno & Nicephoro. Nam cùm Cyprianus à fide Christi adhuc alienus, ac rebus magicis deditus, iuueni, qui amore virginis exarserat, & in expugnanda pudicitia plurimùm laborarat, perditè ac peruersè opitularetur, etiam dæmonem sibi adiutorem adsciscens; virgo cælesti sponso consecrata fallaces satanæ technas & ardentis libidinis faces vsqueadeò in se persentiscebat, vt moritura sibi videretur nisi consentire vellet. Proinde grauissimè his tentationibus exagitata, ad pudicitiæ suæ custodem ac patronam Mariam Virginem se conuertit, supplicans assiduè vt sibi periclitanti auxilium ferret: corpus interim ieiunio atque humicubatione, quæ sunt continentiæ arma, castigans, vt in hoc certamine hostem impurum vinceret. Quid multis? haud irrita fuit Mariæ inuocatio, per quam propitius afflictę Virgini affuit Deus, vt & hostis deuictus abscederet, & Cyprianus relictis magicis artibus totum se in Iesu Christi fidem ac disciplinam traderet. Quamobrem vnà cum Iustina postmodum comprehensus, amboque flagellis & colaphis cæsi, & in sartaginem plenam feruentis picis, adipis & ceræ coniecti, sed incolumes inde diuino munere erepti, demum iussu Diocletiani securi feriuntur. Hæc viris iuxtà feminisque proposita sunt ad imitandum pro viribus: opitulante Domino, cui laus omnis debita est ab omni creatura, & honos, & gloria, & benedictio in sæculorum immortalitate, Amen.

CONCIO XXXI.

Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

1. *Quæstionibus aliquot explicatur, quomodo superueniente Spiritu sancto, & virtute Altissimi obumbrante, & Filio Dei actum incarnationis in sua hypostasi terminante, D. Virgo facta sit mater Dei.*

2. *Quomodo multiplicem hinc doctrinæ moralis vtilitatem haurire possimus.*



INTER præcipuas Deiparæ figuras, quibus in veteri lege ab orbe condito est adumbrata, meritò in primis paradisus terrestris cēsendus est, hortus ille voluptatis, quem Deus condidit, vt primus Adam in eo collocaretur. Ecclesia namque vniuersa sic eam salutat, ac nominat *paradisum voluptatis*. & Sponsus cælestis in Can- Eccles. in Litaniis.

Cantico canticorum, *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* In quæ verba Rupertus, Dionysius Carthusianus, & alij docent, intelligendum hîc paradisum terrestrem, in quo plantarum & arborum omne genus, & in medio scaturiens fons perennis omnem irrorabat terrã. Sed quæ similitudo vtriusque? Dictum est vberiùs alibi: iam
Conc. 9. suprà. iam quod ad rem nostram attinet strictim attingamus. Quemadmodum ille paradisus, præter lignum vitæ in medio eius consitum, variis fructuum ac florum stirpibus erat adornatus atque instructus; vt primus Adam in eo, tamquam in conuenientissimo domicilio suo collocaretur: aquis insuper fluuialibus irrigabatur, & summa blandientis auræ temperie recreabatur: ita Marianus paradisus, quem secundus Adam, nouus homo incolere decreuerat, superueniente Spiritu sancto, auraq; suauissima hortum perflante, variis virtutum ac gratiarum floribus, atq; omnis generis deliciis spiritualibus ornari ac præparari debuit. atque hoc innuit his verbis Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, &c. *Domum*
Psal. 9. & 45. *quippe Dei decet sanctitudo: & sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.*
Exod. 25 Quam rem ipsa quoque veteris Testamenti arca, quæ typum itidem beatissimæ Virginis gerebat, haud obscurè repræsentabat. Nam vt intra eam posset quàm decentissimè adseruari vrna illa aurea, quæ manna olim Patribus in deserto exhibitum continebat, & legis tabulæ & virga Aaron, quæ sine vllo humano cultu fronduerat; oportuit illam primùm ex lignis Setim compingi, quæ nulla temporum vetustas corrumpere poterat; auro deinde purissimo interiùs exteriusque vestiri. Ad eumdem modum Virgo Deipara, intra quam ceu viuam Dei arcam, non manna cum ceteris figuris, sed quod iisdem designabatur ac tegebatur, diuinitus reponendum erat; non solùm à peccatis omnibus immunis præseruari, sed cunctis etiam Spiritus sancti muneribus, ac virtutibus, nominatim verò auro charitatis intus forisque, id est, tam erga Deum quàm proximum, condecoranda ac præparanda fuit. Vt, inquam, Dei Filius in mundum veniens in ea dignum sanctitate & maiestate sua habitaculum inueniret; etsi esset anteà *gratia plena*, tamen adhuc superueniente Spiritus sancti charismatum affluentia, & clarissimis virtutum gemmis animã eius Pater cælestis voluit exornare: vt nihil ibi esset quod illum summæ puritatis auctorem vel leuissima in re offenderet, vel dedeceret. Solertissimè prouidet naturæ cõditor, vt auiculæ quæ nidos ex luto paleisque in sublimi positos nectunt, pennis aut lanugine, siue blanda aliqua materia asperitatem induli molliant, ne pulli adhuc implumes luti duritie vel stipularum aculeis lædantur. Si hac ergo Deus indulgentia erga pullos auium vtitur: quale, quæso, domicilium Vnigenito suo in visceribus virgineis parasse credẽdus est? quantas deliciarum spiritualium copias circa illum temporis articulum Spiritus sanctus superueniens inuexit? Hoc itaque est, quod hîc Angelus significat cùm ait, *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. quæ verba vt meliùs intelligantur, dicendum Primò, de modo quo Maria Virgo mater Dei facta est, concipiens de Spiritu sancto Filium Dei, quo titulo euecta

est

est ad dignitatem omnium maximam. Deinde, quid hinc discimus doctrinæ salutaris, ad maiorem animæ perfectionem.

AVE MARIA.

PRæcipua Christianæ religionis fundamenta sunt admodum sublimia & ardua, nostrum vt captum & rationes humanas planè transcendant. Exempli gratiâ, patet hoc ex primo articulo Symboli, quo profitemur ex nihilo creata esse omnia: cùm omnis contrà Philosophia pronuntiet ex nihilo nihil fieri posse. Deinde, vera fides docet Deum trinum & vnum, cùm humana Philosophia clamitet impossibile esse vt tria sint vnum, cùm numeri sint disparati velut species. Rursus fides docet, cunctos homines, morte prius absumptos, eosdem numero resurrecturos, cùm omnis natura affirmet à priuatione ad habitum non esse regressum: neque vllatenus fieri posse vt semel corruptum idem numero redeat. Quid item difficilius, si iudicium consulatur humanum, quàm credere in venerabili Eucharistia Corpus Domini contineri eadem in se magnitudine, eisdemque dimensionibus, quas ad dexteram Dei Patris habet, illudque esse totum in toto & totum in qualibet totius parte, simulque eodem tempore plurimis in locis? Accidentia autem, quæ alio nomine species & symbola nuncupantur, hîc seipsis consistere, nullum vt suppositum aut subiectum eadem sustentet, præter quantitatem quæ per se ipsa consistit, nulliq; materiæ annexa est? Clamant autem scholę Philosophorum, hoc accidenti repugnare, *cuius esse est inesse*. Multa istiusmodi afferri possent, si opus esset. Sed ad nostrum institutum vt veniam, eodem modo etiam Ethnici naturam secuti, & hæretici aliquot, vt refert Irenæus martyr, prædicauerunt fieri non posse vt virgo concipiet & pariat sine viri copula, cùm nos tamen Christiani omnes credamus, Christum Dominum verè conceptum & natum ex virgine. Cùm igitur hoc mysterium non caro & sanguis reuelare possit, sed Pater solus qui est in cælis, sapienter Angelum ad se missum interrogabat Virgo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* adeoque necessariò fuit Angelo explicandum hoc mysterium, aut Virginis assensum non impetrasset. Irenæus l.1.c.25. Matt. 16.

Quatuor autem sunt quæ præstare debuit in sua legatione, adeoq; absolutissimè præstitit. Primò, B. Virginem officiosissimè salutauit, deinde nuntium explicauit, tertiò modum perficiendi rem annuntiatam indicauit, quartò difficultatem quæ de re ipsa concipi poterat dissoluit ac sustulit. Itaque ad interrogationem Virginis respondit hoc modo: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. q.d. Intelligo satis, ô Virgo prudentissima, quid te sollicitam habeat. Cogitas de voto tuo, quomodo saluo illo concipere & parere possis. Sed noli timere, nulla hîc erit virilis operatio, nulla corruptio virginitatis Non erit communis aut naturalis modus concipiendi ac pariendi, sed supernaturalis & miraculosus: etenim Spiritus sanctus superueniet in te, eiusque operatione concipies; & virtus Altissimi, non verò hominis cuiuspiam, opus incarnationis perficiet: & Dei Filius erit tuus filius, in se terminans actum incarna- *Quatuor partes legationis Angelicæ.*

carna-

carnationis. Namque filius tuus non habebit patrem in terris, sed tu eris mater eius sine patre, sicuti in cælis Deus est pater eius sine matre. Totus igitur modus est diuinus, miraculosus, supra naturæ leges & communem ordinem rerum. Hic sensus est verborum Angeli, quem illustrat D. Chrysostomus. *Ne quæras*, ait, *ô Virgo, naturæ modum & ordinem, quãdo supra naturam sunt quæ fiunt. Ne spectes coniugij dolores, quando maior quàm in nuptiis natiuitatis modus erit. Et quomodo fiet istud, inquis, quoniam virum non cognosco? sanè propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna vt huic ministerio seruires: non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas*. hactenus Chrysostomus.

Chrysost. Hom. 49 in Genes.

Dubitatio prima. Cur Deus operetur subinde miraculosè.

Ad vberiorem verò huius mysterij intelligentiam quæri hîc ante omnia potest, Cur Deus interdum supra naturæ cursum ac vires miraculosè operetur. Ad quod respõdetur, Deum quidem ordinaria sua prouidentia sapienter ac suauiter in suis operibus procedere, dum *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: hæc verò suauis Dei dispositio in eo potissimùm consistit, quòd certo ordine, statutisque legibus vtitur in mundi gubernatione, quas ordinariè sequitur vt vniuersi ordo seruetur. v.g. Cibum homini suppeditat, necessarium communiter vt viuat: quippe sine miraculo, quod est supra naturam, non potest absque cibo viuere. Sic vt terra fruges producat, pluuiam dat, solem, & agriculturam. Sic item dirigit quæ necessaria sunt ad communem hominum generationem per statum matrimonij. Verumtamen Dei sapientia expedire etiam iudicauit, vt aliquando hunc ordinem non seruaret, sed quædam mirabilia efficeret supra naturalem & communem rerum ordinem: quẽadmodum cùm Angelus hîc nuntiauit Virginem parituram. Quid ita? Inter ceteras rationes quibus mouetur, Primò vult hoc pacto se ostendere supremum Dominum naturæ & rerum omnium huius mundi. Sic aliquando solem stare voluit medio in cursu, aliquando etiam retrocedere per decem lineas. Sic diluuio terras obruit, dæmonia eiicit, mortuos ad vitam excitat: vt declaret omnia sibi parêre ac seruire ad nutum. Altera ratio est, quia interdum defendere vult honorem suum contra Principum contumaciam, ac tyrannos. Sicuti Pharaonem mirabili quadam ratione ac via cum exercitu suo in mare demersit, Nabuchodonosor in bestiam mutauit, in castris Sennacherib centum octoginta quinque millia vna nocte interfici iussit: quia nimirum temeraria præsumptione cum Deo Israel contendere voluerunt, multa peccantes contra eius honorem & gloriam. Denique propter homines etiam nonnumquam id facit, tum vt Sancti cognoscantur & honore debito afficiantur, tum vt alij confirmentur in fide & pietate erga Deum, tum denique vt Deum glorificent homines, qui talia operatur aliquando per se, aliquando per suas creaturas. Vt ad nostrum institutum veniam, his aliisque de causis Deus voluit naturæ leges etiam transcendere in incarnatione filij sui: in quo mysterio constituit Deus Pater ostendere infinitam potentiam, dum effecit vt virgo manens virgo mater fieret: Filius infinitam sapientiam, dum sibi

Sap. 8.

Ratio prima.

Ratio secunda.

Ratio tertia.

sibi conuenientissimum nascēdi modum inuenit: Spiritus sanctus denique infinitam puritatem ac sanctitatem, dum templum suum sacrosanctum curauit seruari sine vlla corruptione aut fomite peccati. Hoc quoque miraculum incarnationis erat hominibus perutile, vt commendaretur virginitatis puritas in vtroque sexu, in Christo, inquam, & Maria: vt in posterum viri sequantur Christum, mulieres Mariam in virginitate seruanda. Cōceptus etenim ac natus est Dei Filius, non vt primus Adam sine patre & matre formatus est, vel vt Eua sine matre de viro sumpta est, vel vt alij omnes ex patre & matre nascuntur: sed elegit modum diuinissimum, videlicet ex matre sine patre, id est, ex virgine. Itaque Angelus his verbis significat miraculosum fore conceptum partumq; immaculatæ Virginis Mariæ.

Secunda dubitatio. Cur incarnatio potissimùm Spiritui sancto tribuitur. Præcipua verò ex iisdem verbis oritur dubitatio, cur opus hoc incarnationis peculiariter attribuatur Spiritui sancto. ita enim quotidie recitamus in Symbolo Niceno, *Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine:* & Angelus hîc ait, *Spiritus sanctus superueniet in te*. Constat sanè istiusmodi opera sanctissimæ Trinitatis esse indiuisa. omnia quippe in ea vnum sunt, vbi non occurrit relationis oppositio. *Quæcumque extra se Deus producit*, inquit D. Augustinus & Theologi, *tribus personis communia sunt, & indiuisa, sicut & indiuisa est Trinitatis essentia*. (Aug. in Enchir. cap. 38. & l. 1. de Trinit. c. 4. & l. 4 cap. 21.) Atqui iam incarnatio est opus diuinum, & quidem ad extra, vt vocant: consequens est igitur, totius sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij ac Spiritus sancti hoc opus esse, non propriè ac præcipuè Spiritus sancti. Quod cùm ita sit, quid causæ est cur peculiariter Spiritui sancto attribuatur? Respondent SS. Patres cum D. Thoma vno consensu, (D. Tho. 3 p. q. 32 art. 1.) primam huius rei causam esse, quòd Spiritui sancto inter diuinas personas bonitas & charitas tribuatur: siquidem Patri, qui est Diuinitatis principium, tribuimus potentiam dicentes, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; (*Prima causa.*) Filio verò, qui est Patris æterni verbum & conceptus, & per intellectum generatur, sapientiam; Spiritui sancto, qui est amor Patris ac Filij, bonitatem & amorē. Iam verò Dominicæ incarnationis, siue redemptionis humanæ opus præcipua quadam ratione ab immensa Dei bonitate & charitate & benignitate processit, vt exprimit Apostolus cùm ait, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* (Rom. 5.) Et alibi: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri.* (Tit. 3.) Græcè est φιλανθρωπία, quæ vox maiorem emphasim habet quàm Latina. Ea re Spiritui sancto per appropriationē, vt aiunt, hoc opus adscribitur. Neque tamen minor interim Patris, & Filij, quàm Spiritus sancti erga genus hominum charitas exstitit. (*Quomodo nos amauerunt singulæ personæ S. Trinitatis.*) Audite quantopere singulæ personæ in hoc opere nos amarint, quantopere, licet immerētibus, charitatem suam commendarint. De Patre quippe Filius ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Ioan. 3.) Et Apostolus Paulus: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit eum*. (Rom. 8.) De se autem Filius sic loquitur: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* (Ioan. 15.) idemque id pri-

 mus

mus ille homo mysticè designauit cùm ad mulierem dixit, *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* hoc est, diligo Ecclesiam, sponsam meam, tamquam carnem meam & os meum. siquidem hæc verba diuus Paulus Christo Domino tribuit, vt suum erga Ecclesiam amorem patefaceret, quæ dilectissima eius sponsa est, è latere eius educta in cruce, quãdo exiuit sanguis & aqua, propria Sacramentorum symbola. Iam Spiritus sanctus tantopere nos amat, vt ipsa charitas vocetur. *Nam Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Denique verè amarunt nos tres personæ, & incarnationem omnes operatæ sunt: nihilominùs tamen cùm Spiritui sancto charitas propriè conueniat, cùm sit amor Patris & Filij, incarnatio verò opus fuerit summæ charitatis, rectè ait Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te.*

1. Ioan. 4.

Secunda causa eiusdem rei

Spiritus sanctus item vocatur donum Dei Altissimi, & passim in Euangelio promittitur tam ex parte Filij, quàm Patris: soletque Scriptura sacra gratiam, & quidquid ad gratiã refertur, Spiritui sancto tribuere, quia per voluntatem à Patre & Filio procedit. Hinc illud Apostoli: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, diuidens singulis prout vult.* & alibi ab eodem vocatur *spiritus gratiæ.* Porrò beneficium incarnationis maximum fuit Dei donum, liberalitatis ac misericordiæ infinitæ: fuit maxima gratia, quia nullis hominum meritis, sed mera Dei liberalitate collatum est. Neque enim in Deo vtilitas vlla aut necessitas, neque ex parente hominis vlla sanctitas aut iustitia intercessit quæ Deum ad tantum opus tamque arduum impelleret, sed fuit abyssus meræ gratiæ & misericordiæ diuinæ. *Non ex operibus iustitiæ,* ait Apostolus, *quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Et D. Augustinus: *Gratia Dei non potuit gratiùs commendari, quàm quòd Dei Filius hominem indueret.* addit ibidem *incarnationem esse summum exemplum gratiæ.* Et alibi in Enchiridio: *Iste modus quo est natus Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui Filius Dei.*

Ioan. 15. & 16.

1. Cor. 12

Hebr. 10.

Tit. 3.

August. l. 10. de Ciuitat. c. 29. & in Enchir. cap. 40.

Tertia causa.

Tertiò Spiritui sancto similiter attribui solet sanctificatio, & vocatur ab Apostolo *Spiritus sanctificationis:* quia nimirum per ipsum Christus est in sanctitate conceptus vt esset Filius Dei naturalis; & per ipsum homines item sanctificantur, vt sint filij Dei adoptiui, vt exponit diuus Thomas. Hinc, inquit, & Angelus annuntians, ex hoc quod præmiserat, *Spiritus sanctus superueniet in te,* concludit, *ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Rom 1.

D. Tho. 3. p. q. 32 art. 1.

Dubitatio tertia, Cur Pater & Spiritus sanctus dicãtur assũpsisse naturam humanã.

Dubitari porrò hic etiam potest, cùm opera sanctissimæ Trinitatis ad extra, vt dictum est, indiuisa sint, & omnibus personis communia, an igitur Pater & Spiritus sanctus etiam assumpserint naturam humanam: siue, Quomodo factum est vt secunda persona Trinitatis, quæ est Dei Filius, assumpserit naturam nostram, non Pater, neque Spiritus sanctus. Respondet D. Thomas, dupliciter incarnationem accipi posse, atque in primis pro opere ipso incarnationis, siue actione qua sublime illud & occultum mysterium perfectũ fuit: atque ita tribus personis diuinitatis

D. Tho. 3. p. q. 5. art. 4.

Patri & Filio & Spiritui sancto communiter attribuitur opus incarnationis, vel assumptio humanæ naturæ. Præterea accipitur incarnatio pro termino illius actionis, videlicet pro ipsa hypostatica vnione, in qua formaliter incarnatio consistit: quo sensu non conuenit nisi Filio Dei. Cui rei illustrandæ Alexander Alensis exemplum Samsonis accommodat, cuius parentes quæsiuerunt quidem filio sponsam, vt sacra testatur historia, sed ipse solus eam duxit vxorem. Vel etiam clariùs: quemadmodum si viri tres pariter laborent vt vnus ex illis induat togam, sed medius eorum solus eam induat: ita personæ tres SS. Trinitatis simul occupatæ fuerunt in veste nostræ humanitatis vni ex ipsis induenda, sed eam Filius Dei solus induit, qui medius est inter Patrem & Spiritum sanctum.

Alens. p. 3. q. 4. memb. 2.

Dubitatio quarta, An Spiritus sanctus dici possit pater Christi secundùm carnem.

Aug. in Enchir. c. 38. 39. D. Tho. 3. p. q. 32. art. 3.

Aliam excitant quæstionem diuus Augustinus, & D. Thomas, vtrùm Spiritus sanctus dicendus sit pater Christi secundùm carnem; cùm fuerit conceptus de Spiritu sancto, & omnem viri operationem suppleuerit Spiritus sanctus. Respondetur, hoc dici non posse, nec Spiritum sanctum verè fuisse patrem in hac generatione, Primò, quia de sua substantia nihil contulit ad generationẽ necessarium, sed solam exhibuit virtutem & efficientiam. totam enim substantiam corporis Christo dedit Maria, adeoque plusquam omnes aliæ matres dare solent: & sola verissimè fuit mater eius secundùm naturam humanam, sine vllo patre. Quemadmodum Sol non dicitur pater florũ, vel ranarum, vel huiusmodi animalculorum quæ producit in terris: quia sol manet in cælo prorsus immutatus, neque tribuit substantiam, sed vim solummodò & influxum necessarium ad productionem. Altera ratio est, quia propriè generatio fieri debet secundùm similitudinem generantis in eadem specie, vt patet in animalibus, inter quæ solummodò & propriè generatio reperitur; propriè enim pater non dicitur, nisi qui producit sibi simile in natura viuentis. Itaque Concilium Toletanum disertè sic statuit: *Spiritus sanctus non est pater filij incarnati, ne duos filios introducamus*. Idem habet Chrysostomus.

Simile.

Concil. Tolet. 11. Chrysost. Hom. 2. in Symb. Apost.

Sed ais, Deus rectè dicitur Pater noster, nosque filij, quia fecit nos, iuxta illud Deuteronomij: *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Deinde, Sancti dicuntur filij Dei, quia mentes eorum formantur per Spiritum sanctum spiritualiter, siue per gratiam. Atqui multò magis corpus Christi formatum est per Spiritum sanctum. Respondet D. Thomas loco citato, nos non dici filios Dei secundùm perfectam rationem filiationis, sed secundùm imperfectam: quia videlicet non est ita propria & perfecta similitudo Dei in anima nostra, sed solùm propter imaginem Trinitatis ad quam conditi sumus, aut propter gratiam Dei quæ nos filios facit adoptiuos.

Deut. 32.

Dubitatio quinta, Quomodo & Filius dicatur sibi ipsi carnẽ formasse.

Iterùm dubitationem hîc mouet diuus Augustinus, quam breuissimè nunc possumus expedire; quomodo Spiritus sanctus Christi carnem formasse dicatur, cùm Scriptura nominatim id tribuat ipsi Filio, vbi ait, *Sapientia ædificauit sibi domum*. Christus enim verè fuit *Dei virtus & sapientia Dei*, & domus eius fuit corpus eius, quod & *templum eius* dicitur apud D. Ioannem Euangelistam. Respondetur, Cùm totius Trinitatis sit

August. l. qq. Veteris Test. & noui, cap. 59. Prou. 9. 1. Cor. 1. Ioan. 2.

sit opus, ea ratione tribui potest omnibus & personis, & Filius potest dici carnem sibi formasse. Sicuti enim Spiritui sancto id tribuitur, quia charitatis opus fuit; ita & Filio, quia sapientiæ opus fuit; & Patri, quia opus diuinæ potentiæ fuit. Præclarè hoc mysterium exponit D. Bonauentura similitudine trium sororum eamdem domum incolentium, quarum vna mox nuptui danda vestes nuptiales perficere festinaret, ab alijs tamen duabus in eo opere iuuaretur. Hîc enim tametsi tres in confectione vestium laborarint, tamen vna tantùm è tribus sororibus illis vestiretur & ad nuptias procederet. Ad hunc planè modum tres diuinæ personæ, humanitatis assumendæ causa occupatæ fuerunt, & cooperatæ sunt; solus tamen Filius induit hanc vestem à tribus personis confectam, & summis naturæ gratiæque muneribus cumulatam atque ornatam. Sed alias huiusmodi similitudines superiùs nos allegauimus.

Bonau. in 3. d. 1. q. 2.

Sequitur vt explicemus hîc etiam, an in verbis Angeli non fiat expressa mentio Trinitatis, quæ hoc pacto mysterium incarnationis operata est? Respondeo, fieri, quoniam Spiritus sanctus & Filius clarissimè nominantur; Patri verò tribuitur illud, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, Pater æternus sua virtute infinita carni conceptæ & formatæ de Spiritu sancto, diuinitatem vniet, & communicabit personam Filij Dei, & faciet te fecundam Filio suo, vt sis mater Filij Dei. *Obumbrabit* itaque *tibi*, siue te, id est, superueniet, circumdabit te, & operabitur in te fecunditatem, efficietque in te incarnationem Filij sui. Sic interpretantur Hilarius, Euthymius & Theophylactus. Sed illud *obumbrabit* indicat etiam lucem diuinitatis inaccessibilem in humana carne occultandam, siue adumbrandam in incarnatione: sicuti lux densiore aliqua laterna, aut veluti Sol nubibus obumbrari solet, vt hac ratione eius splendorem oculi nostri ferant. Ita D. Gregorius & Bernardus exponunt. Tertiò sensus est, *obumbrabit tibi*, id est, proteget ac defendet virginitatem tuam, quam tantopere diligis, vt sine vlla eius iniuria, immò summo cum decore concipias. Sic & alibi *obumbrare* accipitur: *Scapulis suis obumbrabit tibi*; id est, defendet te sub alis suis vt auis pullos suos. Ita ferè D. Augustinus & Hugo Victorinus. Adhæc *obumbrabit tibi*, inquit Bernardus, id est, *veluti obumbrando teget modum, quo de Spiritu sancto concipies, & occultabit, quatenus sibi tantùm notus habeatur & tibi*. Denique, vt summatim dicam, actio attributa Patri ab hoc mysterio non est excludenda; sed quéadmodum operâte Spiritu sancto conceptio carnis sanctissimè perfecta est, salua virginitate, sine vlla corruptione; ita Pater altissimus sua virtute & potentia immensa Filium suum vniuit ac copulauit carni formatæ & animatæ, vt qui conceptus erat, non tantùm homo, aut filius hominis, sed etiam Filius Dei altissimi esset; & mater eius non tantùm hominis sed simul etiam Filij Dei mater esset: ipsa autem persona Filij sola nostram humilitatem induit & incarnata est, vt significatur in sequentibus, *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Hoc modo tota Trinitas exprimitur.

Dubitatio sexta, de eo quod sequitur, Et virtus Altissimi obũbrabit tibi.

Prima expositio. Hilar. Euthym. Theoph. in Commentarijs huius loci.

Secunda expositio.

Gregor. l. 18. Moral. c. 12. Bernard. Homil. 4. sup. *Missus.*

Tertia expositio.

Aug. in Psal. 67. & epist. 57 ad Dardã. Hugo. l. 2. de Incar. c. 8. Bernard. in hunc locum, estque *Quarta expositio.*

Postremam his addamus è SS. Patribus dubitationem, cur dixerit Angelus *Superueniet in te*, non autem, *veniet in te*. Sciendum est, quando dicitur

Dubitatio septima, Quæ sit vis illius verbi Superueniet?

tur Spiritus sanctus in aliquem venire, id fieri ratione effectus quem in eo operatur. vt cùm Dominus ait, Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Superuenire autem designat effectus eiusdem S. Spiritus vberiores ac diuiniores, miros & insolitos. Sicuti legimus in Actis Apostolorum: Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*. Acceperant porrò Apostoli anteà etiam Spiritum sanctum, nempe primo die resurrectionis, quando dictum est, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Deinde promittitur iterùm nouus aduentus Spiritus sancti, ad alios eiusdem effectus designandos, videlicet gratiam vberiorem, & abundantiam donorum, miraculorum ac virtutum, quibus perficiendi erant, vt dignè Euangelium promulgare, orbemque conuertere valerent. Ad eum modum superuenturus in B. Virginem promittitur hîc Spiritus sanctus, tum ob donorum eius & gratiarum abundantiam, & copiam singularem qua deinceps cumulanda erat; tum ob alios effectus supernaturales, qui ad perficiendum incarnationis mysterium in D. Virgine, requirebantur. *Ratio prima. Propter abundantiam gratiæ.* Tametsi enim Deipara ante Angeli alloquium, immò iam tum à primò instanti conceptionis fuerit sanctissima, & Spiritus sancti donis cumulatissima, vt suprà demonstrauimus, Conc. 17 in illud *Gratia plena*; tamen post Annuntiationem superuenit in eam Spiritus sanctus summis gratiarum opibus & copijs, quibus disponeretur ac perficeretur, vt digna prorsus esset quæ Filium Dei conciperet, & vt corpus illud sanctificaret, de cuius substantia caro Christi formanda, & Verbo Dei consocianda erat. De qua sanctificatione corporis & animæ est illud quod Ecclesia canit: *Omnipotens Deus, qui gloriosæ Virginis corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: da, vt cuius commemoratione lætamur, eius pia intercessione ab instantibus malis & à morte perpetua liberemur.* Ita D. Augustinus, & Gregorius Nyssenus. August. l. qq. No. & vet. Test. c. 49 Gregor. Nyss. Orat. de Christi Natiuit. Altera ratio, propter alios effectus miros & inusitatos ex parte prolis concipiendæ. *Ratio secunda. Propter alios effectus supernaturales ex parte conceptionis.* Primò enim superuenit Spiritus sanctus in B. Virginé, *vt conceptio esset sancta & immaculata*, vt docet Auctor Operis imperfecti in Matthæum. Auctor. Op. imp. in Matth. Hom 1. Deinde superuenit, vt efficaciam & virtutem viri suppleret in conceptione Christi, vt corpus perficeret, organizaret, præpararet, animamque infunderet. Ita Damascenus post D. Ambrosium. Damasc. l. 3. de Fide c. 2. Amb. de Instit. virg. c. 16. Tertiò etiam superuenit, vt celerrimè & sine mora vlla tota conceptio perficeretur, & simul eodem momento Deus homo fieret, & B. Virgo mater Dei, non expectato quadraginta dierum spatio, vt in alijs generationibus fieri assolet. Ita D. Basilius. Basil. Hom. de Humana Christi generat. O verè stupendum, ô augustissimam, ô omni veneratione dignissimum incarnationis mysterium, in quo sanctissimæ Trinitatis gloria & potestas ita relucet.

His ita explanatis ad intellectum nostrum erudiendum, nunc transeundum est nobis ad secundam concionis partem, vt nutriatur effectus. *Secunda pars de morali doctrina elicienda.* Principiò quidem, quandoquidem sacrosancta Trinitas tantam nobis patefecit charitatem in hoc diuinissimo opere incarnationis; præsertim verò Filius Dei, pro hominibus homo factus vt nos redimeret: discimus *Documentum 1. vt redamemus SS. Trinitatem.*

 hîc

hîc pro virili nostra tres Diuinitatis personas redamare, eas omnibus modis venerari ac collaudare, fidele quoque seruitium illis vsque ad extremum spiritum seruire. Maxima autem obligatio nostra est erga Dei Filium, qui tantopere nos amauit, vt os de ossibus nostris, & frater noster fieri dignatus sit. Cùm enim multa sunt, quæ nos ad dilectionem Dei excitare valeant, tum nihil magis quàm perfecta eius erga nos charitas, qua prior nos dilexit, id efficere poteit. Plurimùm quidem ad hoc innumera eius beneficia valent, vt qui nos è nihilo per creationem eduxit, corpusque & animam contulit, totum deinde mundum, suosque adeò Angelos nostris vsibus atque obsequijs addixit; tot præsidia salutis in Ecclesia Catholica nobis largitus est, vt Sacramenta & Euangelium suum aliaque permulta: plus tamen eius dilectio nos vrget, quæ beneficijs prior est, & omnium beneficiorum causa est. Ideò enim alicui benefacimus, quia eum diligimus. Quò fit vt amor donorum omnium primum, idemque maximum esse dicatur. Adde etiam, quòd is qui alicui benignè facit, res suas illi donat; qui autem ex animo diligit, non modò sua sed seipsum illi tradit. Ideò dicit Apostolus:
2.Cor. 5. *Charitas Christi vrget nos.* q. d. Tametsi plurima sunt quæ nos ad amandum stimulent, tamen nihil æquè nos vrget ac Christi charitas, qua se nobis tradidit socium in mysterio incarnationis, cibum in Sacramento altaris, lytrum in cruce. Nisi eum dilexerimus ex toto corde propter hanc tantam dignationem, & charitatem; nisi ei seruiamus, eumq; pro viribus glorificemus; nimiùm profectò ingrati sumus, tamquam bruta animantia; stupidi atque insensibiles quasi stipites, & saxa; ferro denique & chalybe duriores.

Discimus etiam singulariter ac sigillatim in his verbis Angeli mysterium Trinitatis agnoscere, contemplari, admirari atque adorare, nempe *Spiritum sanctum superuenientem, virtutē Patris altissimi obumbrantem, Filium sanctissimè ex Virgine incarnatum.* Sic & in Baptismo Christi Pater agnoscitur in voce, Spiritus sanctus in specie columbæ, & Filius in carne. Et in Transfiguratione tota Trinitas apparuit, vt docet D. Thomas cum multis alijs, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus sanctus in nube lucida. Indicat autem nubes Spiritum sanctum, quoniam nubis instar fulgidæ, hominem illuminat, tegit, & obumbrat. Sed omnium apertissimè mysterium istud Christianis innotescit, dum iubente & ordinante Domino baptizamur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ingenti denique beneficio Dei nullus est nunc tam imbecillus, tamque abiectæ sortis idiota, vel rudis muliercula, quæ non seipsam signaculo Crucis muniens, quotidie sacrosanctam Trinitatem adoret atque inuocet dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idque vt identidem omnes faciamus ritu Catholico, studio indefesso, ad omnem ingressum & egressum, quidquid agimus, quidquid molimur, passim nos hortantur, serioq; præcipiunt SS. Patres, ac S. mater Ecclesia: fremant licet hæretici, Dei ipsius, rerumque omnium diuinarum contemptores.

Documentum 2. vt mysteriū Trinitatis cōtemplemur in verbis Angeli.

Matth. 3. Luc. 3. Matt. 17. D. Thō. 3. p. q. 45. art. 4. Origin. Tract. 5. in Matt. Beda, Ambros. & alij.

Ecquid obseruamus prætereà? quæ quantaque Spiritus sanctus in ijs operatur quos inhabitat, siue in quos consueta Scripturæ phrasi dicitur

Documentum 3. quanta Spiritus sanctus operetur in homine iusto.

citur descendere, superuenire, vel irruere. Sic enim legimus descendisse ac superuenisse in Apostolos, & continuò ex rudibus atque idiotis disertissimos effecit, vt loquerentur varijs linguis magnalia Dei. Sic etiam dicitur in aliquem irruere, quando magna virtute vel eum replet, vel per eum, vel in eo rara & insolita quædam operatur. Irruente Spiritu Dei in Balaam, compellitur benedicere Israëli, cùm è contrario maledicturus venisset. Spiritus Domini induit Gedeon, & cum paucis viris deleuit Madianitas & Orientales populos, qui eo numero venerant vt assimilarentur arenæ quę est in littore maris. Irruit Spiritus Domini in Samsonem, & leonem lacerauit, & mandibula asini mille Philistæos interfecit. Insiluit Spiritus Domini in Saul, & ex agasone repentè fit Propheta. *Propterea versum est in prouerbium, Num & Saul inter prophetas?* Suscitauit Dominus Spiritum sanctum Danielis pueri, & illicò liberat Susannam ab extremo mortis discrimine. Amos denique armentarius erat, vellicans sycomoros, cùm tulit eum Spiritus Domini, & dixit, *Vade propheta ad populum meum Israël.* O verè magnam & mirabilem in Sanctis potentiam atque emergiam Spiritus sancti! Quis non omnibus votis talis hospitis aduentum quotidie exoptet? quis non assiduis orationibus atque obsecrationibus eius gratiã ardentissimè imploret? Rectè ac piè supplicat Propheta Regius: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectũ innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Sic nimirum vnumquemque nostrûm orare ac supplicare oportet.

Actor. 2. Num. 24 Iudic. 6. & 7. Iudic. 14. & 15. 1. Reg. 10 Dan. 13. Amos 7. Psal. 50.

Iam cùm audierimus modum quo Maria Virgo mater Dei facta est, & quem scire tantopere cupiebat cùm Angelum interrogaret, *Quomodo fiet istud?* Discimus hinc etiam omni honore ac reuerẽtia profundissima prosequi, & quidem omni vitæ tempore, Virginem illam, quam ipse Deus ita honorauit, & ad tantam euexit dignitatem, vt omnis dignitas creaturæ, si ei conferatur, nihil sit, aut certè quasi aquæ gutta Oceano comparata. Et ratio est euidens: nam quò propinquior creatura Deo est, eò dignior: Mariæ verò summa est cum Filio Dei coniunctio, & vnio tanta quanta esse inter matrem & filium potest. Filius porrò recipit à matre corpus, & corpus filij est pars matris; ita Filius Dei corpus accepit à matre, & antè quidem matris erat, posteà verò Christi Domini corpus factum est, & Verbi subsistentia subsistit. Quanta est ista propinquitas Mariæ, quàm arcta cum Dei Filio connexio! Sanè adeò vnum est mater cum filio, vt dum est in eius vtero, vnum censeantur, sicut arbor & fructus in eo manens, & ideò vnus tunc Angelus custos vtriusque est. Cùm verò natus est filius, adhuc reputatur quasi pars, vt Aristoteles ait, eumque mater diligit sicut partem sui. Ceterùm hoc singulari ratione in Maria locum habuit supra omnes reliquas matres: quia cùm Christus, vt homo, patrem nõ habeat, mater eius veluti pater & mater censetur. Cùm itaque tanta propinquitas eius fuerit, tamque mirificus ad Deum adscensus, quanta hinc gloria, quanta sublimitas beatissimæ Virgini? Fieri non poterat, vt docet D. Thomas, etiam per diuinam potentiam, vt maior ei dignitas conferretur,

Documẽtum 4. de honoranda matre Dei, tantopere à Deo honorata.

D. Thõ. 1. p. q. 25 a. 6. ad 4.

ferretur, cùm hæc sit infinita. Dicit Aristoteles, Dijs & parentibus æqualem gratiam reddi non posse. At si sciuisset Deum ipsum habere matrem, vtique illum excepisset, cùm sit omnipotens. ille, ille potuit matri suæ parem gratiam referre, immò maiorem quàm mereretur. Quæ est illa gratia? nempe quòd ad tantam dignitatem prouecta sit, vt virgo manens, de Spiritu sancto cóciperet ac pareret Filium Dei. O magnam sublimitatem, quam meritò omnes generationes in sæculorum immortalitate prædicabunt, & cui meritò omnes Sanctorum atque Angelorum chori genuflectent in æternum!

Documētum 5. de nostra itidem propinquitate cum Deo, à qua non est degenerandū.

Atqui nobis etiam haud absimilis, licet interiore gradu, ex hoc mysterio incarnationis exorta est propinquitas & coniunctio cum Christo Domino Mariæ filio, dum naturæ nostræ particeps factus est, frater noster, & caro de carne nostra. Nam postquam Dei Filius homo factus est, & ex Virgine matre nasci dignatus, nostram naturam supra omnia creata exaltauit, eamque cum diuina natura quàm arctissimè copulauit in vna persona: qua ratione nos vtique fratres suos effecit, cùm simus eiusdem cum illo naturæ. Insuper autem sanctam suam fidem & charitatem nobis impertiens, nos membra sua constituit, seque caput Ecclesiæ suę. Quod cùm ita se habeat, cauendum nobis omni cura & studio ne ab hac tanta tamque gloriosa propinquitate moribus ac vitæ turpitudine degeneremus. *Agnosce*, inquit D. Leo, *agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Et D. Augustinus, *Factus*, inquit, *est Deus homo, vt homo fieret Deus.* Verùm ab hac tanta nobilitate degenerat homo, quotiescũque diaboli partibus accedens in peccatum aliquod liberè consentit: tunc enim quasi abijcit & humi affligit naturam istam, quam Deus in altum euexit, & pedibus omnium creaturarum subijcit, & ijsdem se viliorem reddit; simulque ex membro Iesu Saluatoris, impuræ creaturę mẽbrum efficitur. ita enim D. Paulus loquitur: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Corpora, inquit, non animæ modò: quoniam per Baptismum totus homo factus est membrum Christi. Quomodo ergo *tollentes membra Christi, facere audebitis membra meretricis?* Quemadmodũ enim qui cum Deo per viuam fidem coniungitur, vnus fit atque idem cum illo spiritus: ita qui creaturis huius mundi vitioso affectu liberè adhæresit, vnum quodammodò cum ijs efficitur. Ieremias Propheta doctrinam hanc hominibus patefacere cœpit, vbi agens de aduentu Filij Dei in mundũ, vt humanam naturam assumeret atque exaltaret, ita suos alloquitur ac monet, vt omnia mundi oblectamenta & vitiosas carnis voluptates aspernari deinceps inciperent: *Reuertere*, inquit, *virgo Israel, reuertere. vsquequò delicijs dissoluêris filia vaga?* id est, Quousque venaberis impuras voluptates, & delicias, easque consectaberis quasi filia meretrix domo patris sui relicta? quem finem impones vitijs, & immoderatis istis oblectamentis? *Quia creauit Dominus nouum super terram. fœmina circũdabit virum.* Virum, inquam, hoc est, Virgo pariet Deum Saluatorem mundi, qui licet infantulus fiat corpore exiguus, perfectus tamen erit vir

Leo Ser. 1. de Natiuit.

Aug. Ser. 9. de Natiuit.

1. Cor. 6.

Ierem. 31

vir ratione, sapientia, virtute, diuinitate. Hoc videlicet nouum mysterium, magnam quoque in hominum cordibus nouitatem requirit, vt contemnere incipiant ac detestari vana omnia mundi gaudia, & crucis iter insistere; quò possint, vitiis omnibus debellatis, ad puriora gaudia diuini amoris in terris, & Dei visionis in cælis peruenire.

Documentum sextum & vltimũ, Quomodo etiam nos spirituales Christi matres fieri possimus.

Ad extremum, cùm hactenus modum audiuerimus, quo B. Virgo Spiritus sancti superuentu facta est mater Dei: iam superest vt hanc quoque doctrinæ partẽ tangamus, quomodo & nos spirituales Christi matres fieri possimus, ad eius imitationem. Mirabilis quidem quæstio, vt apparet, sed nec peregrina nec exotica visa est Patribus, ipsique Christo Domino, vt mox audiemus. Itaque obseruamus Spiritum sanctum mira & insitata in hominibus operari, vt modò probauimus. vnde postquam Angelus dixerat Virgini, *Spiritus sanctus superueniet in te*, statim sequitur, *ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ad eumdem modum supernaturaliter operante Spiritu sancto in nobis per gratiam suam, concipere possumus & parere Christum tum in cordibus nostris tum aliorum; animas videlicet ipsi lucrando, siue propriam, siue aliorum. Nam quod membris Christi fit, hoc ipse reputat sibimet fieri, vt de fidelibus suis D. Paulo dicebat, *Quid me persequeris?* id est, meos, seu membra mea, membra corporis mei quod est Ecclesia.

Actor. 9. *Quomodo matres Christi simus in cordibus nostris.*

August. l. de Sancta virg.

De hoc partu spirituali disserit D. Augustinus his verbis: *Felicior partus spiritualis quàm carnalis: beatior enim Maria fuit concipiendo Christum fide, quàm carne: materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi feliciùs ipsũ fide quam carne gestasset.* q d. Quàm beata illi mater, quę genuit Filiũ Dei! sed aliud in ea excellẽtius fuit, quòd illum priùs conceperit & pepererit spiritualiter in anima, siue in vtero cordis, per fidem & charitatem, & per gratiam Dei, quàm in vtero corporis. Atqui ad hunc eumdem ferè modum concipere & parere Christum quilibet nostrûm potest in semetipso, fide nempe & charitate Dei; si qua par est mentis attentione, & cordis affectu verbum Dei audiat, & vitæ probitate exprimere satagat. Testatur Dominus in Euangelio, vbi in concione ipsius *extollens vocem quædam mulier de turba dixit ei, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quin immò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Christus itaque præponit audientem & seruantem verbum Dei benedictæ matri suæ. Maria siquidem, si hoc solum in ea spectandum fuisset, quod turbæ spectabant; si neque verbum Dei audisset, neque Angelo credidisset, beata verè non fuisset, etiamsi nihilominùs Filium Dei peperisset; nosque ipsa in hac parte feliciores essemus. Ecce quanta res, audire verbum Dei! Potes fieri mater Dei audiendo illud. O Christiane, quomodo non moueris quando hoc audis? Si diceretur tibi, facilem esse viam vt Rex fieres, quàm anxiè interrogares qua ratione tantam dignitatem consequi posses? & quanto feruore eam viam arriperes? dicitur verò tibi, Potes esse mater Dei, & plusquam mater Dei aliqua ex parte; & tanta re audita torpes? non moueris? non interrogas qua ratione fieri poterit? Quid ergo? vis hoc nosse? Audi verbum Dei, & custodi

Luc. 2.

 illud.

illud. Emunda cor tuum, vt ad illud Deus descendat, in eoque nascatur: & tu mater eius spiritualis fies. O felicitatem inauditam! Vt hanc veritatem mentibus nostris imprimeret cælestis magister, quoties cognatio carnis ei proponebatur, spiritualem cognationem potiùs commendabat. Quando ei dictum est, *Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te*, ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror & mater est.* Ecce Christi ipsius testimonium. non est mirum si ego asseram nos posse esse matres Christi spirituales: ipsemet hoc dicit in Euangelio, & vt fiamus vehementer hortatur. Quis non magni faciat hæc dulcissima Christi verba? Matt.12.

Quomodo matres Christi fiamus in cordibus aliorum. Verùm in hæc Christi verba commētantem audiamus D. Gregoriū. *Cùm*, inquit, *is qui voluntatem Patris fecerit, soror & frater Domini dicitur, mirum non est: sed mirandum valdè quomodo etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos fratres vocare dignatus est dicens, Ite, nuntiate fratribus meis; & alibi omnes fideles, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Quisquis ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, efficitur mater prædicando. quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit.* Hæc Gregorius. Hinc etiam audet Apostolus ita gloriari: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Igitur mater erat S. Paulus, matres Apostoli reliqui, matres Christi nos quoque fieri possumus, si contenderimus lucrari animas quacumque occasione. Grande opus est animas lucrari, & gloriosum & Apostolicum & Angelicum est, & nos matres Dei efficit. Quanti æstimandum est, (ô bone Deus!) vel vnius animæ lucrum, pro qua Dominus noster Iesus Christus Sanguinem suum in cruce profundere dignatus est! *Si te audierit*, inquit ipse, *lucratus eris fratrem tuum.* O quale lucrum! maius profectò quàm si vniuersum mundum lucreris. Maius reputat Dei opus D. Augustinus animæ conuersionem, quàm mundi creationem. *Diuinorum omnium diuinissimum est cooperari Deo in conuersione peccatorum*, inquit D. Dionysius Areopagita. Ita & D. Chrysostomus, *Nihil*, inquit, *est quod anima possit æquiparari, ne vniuersus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris si vnam conuerteris animam.* Quamobrem quisquis Deo in hoc cooperatur, maius perficit opus quàm si Deo cooperatus fuisset in creatione vniuersi. Quanta, obsecro, dignitas creaturæ illi esset, quæ Deum adiuuisset in creatione vniuersi? Posset vtique vsurpare verba illa diuinæ Sapientiæ: *Quādo præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quādo æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos; cum eo eram cuncta componens.* Sed maior adhuc dignitas, de qua D. Paulus agit vbi dicit, *Dei adiutores sumus*, in opere videlicet reparationis.

Gregor. in hunc locum, Hom.3. Matt.28. Psal.21. Galat.4. Matt.18. Aug. in Ioan. Dionys. de Cælesti hierar. cap.3. Chrys. Hom.9. in Cor.1. Prou.8. 1.Cor.3.

De praxi istius rei. Sed dicitis fortasse, Non dubitamus iam de magnitudine atque excellentia huius rei: sed quid consilij vt eò pertingamus? Lubentissimè profectò animas lucraremur, aut ad viam salutis pertraheremus: verùm id nō est in manu nostra, neq; cuiusuis est concionari, & exhortari ad vi-

tæ

ræ emendationem. Quid igitur opus facto? qua ratione aut praxi matres Christi spirituales fiemus? Dicam breuissimè tribus verbis: obsecro attendite. Date operam, auditores, vt, cùm ipsi verbum Dei in promptu non habeatis quo animas Christo lucrifaciatis, adducatis vel domesticos vel notos vobis & familiares ad Concionem, aut Confessionem. Ibi nostrarum erit partium verbo Dei ceu reti Euangelico animas piscari vestro nomine, & vos in partem lucri venietis. O Deus, vtinam hoc sedulò fieret! quantum boni in Ecclesia fieret per hoc nobilissimum Spiritus sancti instrumentum, quod est verbum Dei! Dicite, obsecro, auditores, quòd si vestrûm vnusquisq; singulis mensibus (non dicam singulis Dominicis) saltem aliquoties, prout occasio se offeret, vel commodum vobis fuerit, vnam dumtaxat animam induceretis ad Concionem frequentandam; nónne templum breuî auditoribus repleretur, & vos iuuaretis Cōcionatores in lucro animarum, & matres Christi spirituales fieretis? Idem intelligendum est de Confessariis, qui similiter nihil aliud quærunt quàm animas. O si maiori pollerem auctoritate, ego facilè hoc vobis, scio, persuaderem. Sed nunc quanto possum affectu te obsecro, ô Mater Christi benedicta, Regina Angelorum, mundi Imperatrix, inter puras purissima, inter Sanctas sanctissima, per viscera quæ Redemptorem meum tulêre, per vbera quæ illum lactauêre: iterùm ac sæpiùs ad te clamo, ô beata, ô immaculata Virgo virginum, charitate inter omnes creaturas quæ sunt vel fuerunt ardentissima: vt mihi & auditoribus meis hanc impetrare gratiam digneris, qua possimus cum perseuerantia vsque ad mortem salutem propriam operari, simulque impensè in salutem animarum incumbere. Obsecro item vos omnes, quotquot hîc estis, cùm hoc præcipere nemo possit, neq; conueniat; oro saltem vnumquemque vestrûm, amore Filij Dei & benedictæ matris eius, vt quod diximus de Concione vel Confessione, opere & praxi, si non perficiatis, saltem perficere conemini: rogo *per viscera misericordiæ Dei in quibus visitauit nos Oriens ex alto*. Idem rogat vos ipse Dei Filius, qui pro salute animarum humiliauit se vsque ad incarnationem, & mortis in cruce perpessionem: rogat, inquam, per Sanguinem quem pro animabus in cruce effudit. Idem denique vos rogat dulcissima eius mater, quæ communem cum Deo Patre habet filium, tali filio digna mater, immaculata Virgo, quę & immaculatum vtero gestauit, cælestis diuinitatis thesaurus, sanctitate opulentissima, sacrum Regis cælestis palatium, templum sancti Spiritus, mater quoque nostra dilectissima: cui cum benedicto fructu vētris honor & benedictio in sæculorum immortalitate. Amen.

CONCIO XXXII.

Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

1. Quale quamque admirabile Sanctum hoc fuerit, quod in Maria & ex Maria Virgine natum est, nempe quamplurima Dei magnalia, præcipuè decem, in se complectens.

2. Quàm sancta item mater eius ob talem conceptionem.

3. Quàm sancti etiam nos esse debeamus, vt in nobis Christus nascatur per gratiam.

Psal. 150. *Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.* Lubet enim verbis Prophetæ Regij hunc Sermonem ordiri, quibus Deum in Sanctis suis & iure quidem optimo laudandum commonefacit: mirabilis quippe est in Sanctis suis, atque adeò multò mirabilior quàm in toto vniuerso. Sed quod, obsecro, est firmamentum illud, quod inter Sanctos adeò præcipuum est, vt è regione eorum ponatur, solumque nominetur, cùm antè omnis cœtus Sãctorum dictus esset? Respondent nonnulli, haud obscurè firmamentum ibi Mariam designare, quæ è regione Sanctorum posita, sola omnes longo superat interuallo. Ecquid verò est in Maria, cur firmamenti nomen ei tribuamus? maxima profectò similitudo. In primis firmamentum dicitur à Philosophis octaua sphæra, quæ innumeris est ornata stellis, & maximis. Septem alij cæli inferiores singuli suam habent stellam quam Planetam dicunt: sed tantùm vna est in singulis, eaque minor iis quæ sunt in firmamento. Ita planè Sancti secundùm consuetudinem Scripturarum cæli spirituales vocantur, & Maria cælum est, & quidem cælum animatum à D. Ioanne Damasceno vocatur: & D. Bernardus illud explicans, *In capite eius corona stellarum duodecim*, prærogatiuas cæli ipsi applicat, incipitque hoc modo: *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micãs, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Quid ni coronent sidera, quam Sol vestit?* &c. Neque cælum modò dicitur, quòd tota cælestis fuerit, sed similis firmamento, innumeris ornata stellis virtutum, quibus omnes alios Sanctos superauit. At quo modo? Nónne & Sancti habuerunt omnes virtutes, cùm vna virtus non sit sine alia? verumtamen quilibet eorum vna præcipua virtute excelluit. vnde de vnoquoq; eorum canit Ecclesia, *Non est inuentus similis illi qui cõseruaret legem Excelsi.* Et illam meritò planetam cæli illius dicas, quo illud præcipuè ornatur. Sic Patriarchæ fide, Prophetę spe, Apostoli charitate, Martyres fortitudine, Virgines puritate, Confessores longanimitate præditi fuêre. At verò in Maria omnes virtutes præcipuæ fuêre, & omnes ita excellentes fuêre, vt in singulis consummata perfectaque fuerit, & supra omnes Sanctos principatũ tenuerit. Itaque rectè firmamentum est præ aliis cælis, de quo illud Ecclesiastici *Species cæli gloria stellarum*, id est, vt diximus, virtutũ.

Altera possit esse ratio comparationis, quia cælum formæ sphæricæ est, hoc est capacissimæ, nihil vt sit cælo capacius. Quid verò tam amplum quàm vterus virginalis, Deum recipiens habitatio? vnde canit Ecclesia: *Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Quid capacius eius intellectu cui sapientiæ lumen infusum & rerum omnium cognitio? quid capacius affectu charitatis

Maria firmamẽtum dicitur.

D. Vincent. in Sermon. Granat. &c.

Prima ratio.

Damasc. Orat. 2. de Dormit. Virginis. Bernard. Serm. de Verbis Apocal.

Ecclesi. Offic.

Eccli. 43.

Secunda ratio.

ritatis erga totum genus humanum? Adhæc sublimitate cælum omnia creata transcendit. Maria itidem in altissimis semper habitauit, quoad in viuis ageret, & nunc supra omnes Angelorum choros exaltata est vsq; ad Filij dexteram. Mirificus verò est cæli influxus in hæc inferiora, dum multiplici & occulta sua operatione omnia fecundat, tũ animata tum inanima. At Mariæ longè alia in omnes homines benignitas ac beneficentia est: siquidem, vt Bernardi verbis vtar, *omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi: captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam: vt non sit qui se abscondat à calore eius.* Postremò cælum propriè est vbi Deus est quasi habitans, & gloriam suam per claram sui visionem suis electis ostendens, siue vbi facie ad faciem Beati vident Deum. Igitur & Maria cælum, quia in eius vtero Deus nouem mensibus habitauit, & homo factus in primo instanti suæ conceptionis, inter cetera personæ suæ debita priuilegia, clarè vidit essentiam diuinam, sicuti modò videt in cælis. Hoc nimirum est, quod Virgini etiam tacitè nuntiauit diuinitatis Interpres, cùm ait, *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* q.d. Noli metuere virginitati tuæ, ô beatissima, quia conceptio ista Spiritus sancti superuentu sanctissima futura est, & filius tuus Sanctus Sanctorum, Filius, inquam, Dei, cuius anima inter ceteras prærogatiuas, propter vnionem hypostaticam cum diuinitate, iam tum à primo suæ conditionis momento clarè videbit Deum: tuusque vterus tot mensibus gloriosa eius habitatio, adeoque cælum eius futurus est. De hac conceptione, seu natiuitate Filij Dei in vtero dicendum Primò, quale sit hoc Sanctum, quod in Maria Virgine natum est, & quanta quamque mirabilia Dei opera in se complectatur. Deinde, quàm sancta eius mater ob talem conceptionem. Tertiò, quàm sanctos etiam nos esse oporteat, vt in cordibus nostris Christus nascatur.

Tertia ratio. *Quarta ratio.* Bern. sup. *Quinta ratio.*

AVE MARIA.

AD inquisitionem beatissimæ Virginis quatuor respondet Angelus, diuinorum nuntius decretorum. Primùm mysterij huius auctorem Deum altissimum fore, non hominem. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Deinde, conditionem filij concipiendi non vulgarem futuram, sed prorsus sanctam. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Tertiò, exemplo Elisabethæ supra naturæ vires prægnantis, legationem suam corroborat. *Et ecce Elisabeth cognata tua*, &c. Quartò, ad considerationem omnipotentiæ diuinæ illam remittit. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quod autem ad nostrum institutum attinet, vt primò verba cælestis paranymphi de conceptione Filij Dei perpendamus, haud dubiè de natiuitate in vtero intelligendum est quod dixit, *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum.* Sensus enim verborum est, Quia Spiritus sanctus superueniet in te, ideò ex te sola sine viri opera, nascetur conceptione & natiuitate sancta Filius Dei, qui est Sanctus Sãctorum. Eapropter enim po-

Interpretatio verborum Angeli.

potiùs dixit, *nascetur sanctum*, quàm *sanctum erit*, quia non solùm post conceptionem sanctum erit, sed cum conceptione & ex ipsa conceptione sanctitatem habebit. Itemque *nascetur* potiùs dixit, quàm *concipietur*; vt ostenderet in ipso instanti conceptionis Christum in vtero fore perfectum Deum & hominem, sicuti fuit postmodum ex vtero natus, etsi minori mole corporis: ita enim interpretātur SS. Patres, nominatim diuus Basilius, cuius hæc sunt verba: *Hinc deprehendere licet, quòd non secundùm modum carnis constitutio Domini fuit: conceptum namque illicò perfectum, non per interualla paulatim formatum, vt planè verba declarant. Non enim dicit, Quod in ea conceptum est, sed Quod in ea natum est.* Sed quare dixit *sanctum*; non *filium* vel *infantem sanctum*? vt nempe insinuaret, non merum hominem fore, nec solùm Deum, sed vnum qui vtramque naturam complectatur, diuinam & humanam. De Ioanne quidem dicebatur, *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ:* sed aliud est, aliterque sonat hoc, *nascetur sanctum*, vt rectè annotat Cyrillus; quia ille donum Spiritus sancti accepit, hic verò ipsam Spiritus sancti diuinitatem, quæ vnita est diuinitati in persona Filij. Sequitur, *Vocabitur Filius Dei*, id est, reuerà erit (phrasi Hebraica) & ita vocabitur. Significatur autem ab æterno fuisse, & in humanitate posteà etiam vocandum ab hominibus. Sed D. Bernardum audiamus hæc suauissimè illustrantem: *Attende, quæso, quàm reuerenter dixerit, Quod nascetur ex te sanctum. Vt quid enim ita simpliciter sanctum, & absque additamento? Credo quia non habuit quid propriè dignéve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de purissima videlicet virginis carne cum sua anima Vnico Patris erat vniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè Sanctum, quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum procul dubio & singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* Sic Bernardus.

Basil. Hom. 25. de Humana Christi generatione.

Cur dicatur Sanctum.

Cyrill. l. 2. in Ioan. c. 3.

Bernard. Hom. 4. sup. Missus.

Vt porrò specialiùs ac distinctiùs dicamus, hinc colligimus quibus de causis potissimùm Angelus dixerit Virginis filium fore sanctum. Primò, quia sanctè concipiendus erat, *non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis*, sed Spiritus sancti operatione, sine peccato, aut concupiscentia quæ originem habet ex peccato: cùm omnes alij homines concipiantur & nascantur filij iræ propter peccatum, sicut de se queritur Psalmista Regius: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Non sic, inquam, ille homo in vtero Virginis, Dei templum futurus, *in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitaret.* Namque (vt rectè D. Chrysostomus ait) *Qui aliorum tollit peccata, vtique immunis est omnis peccati*, siue in conceptione, siue natiuitate, siue reliquo vitæ tempore. Et D. Gregorius sic exponit verbum hoc Angeli, *Quod nascetur ex te sanctum: Ad distinctionem nostræ sanctitatis Iesus sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe si sancti efficimur, non tamen nascimur: quia ipsa natura corruptibilis conditione constringimur; ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est.* Secundò idem Sanctus officio fuit, vtpote electus ac prædestina-

Cur Angelus dixerit Christum fore sanctum in ipso concepto. Prima causa.

Psal. 50.

Coloss. 2.

Chrys. in c. 7. Isai. sup. illud, *Antequā sciat paruulus* &c.

Greg. 18. Moral.

Secunda causa.

ſtinatus ab æterno ad ſanctificandos eos qui naturâ erant filij iræ propter peccatum, tamquam verus Mediator & Saluator mundi. Ita dicitur in Euangelio: *Quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum:* nempe *vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Tertiò Sanctus futurus dicitur, quia Dei Filius, Deus de Deo, fons omnis ſanctitatis & auctor; ad quem apud Iſaiam clamant Seraphim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, id eſt, ſanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus. Sed hæc ſanctitas Dei ab æterno: ſanctitas autem Chriſti Saluatoris, per vnctionem Spiritus ſancti ei communicata fuit in primo inſtanti conceptionis, de qua apud eumdem Prophetam alibi, *Redemptor tuus ſanctus Iſraël.* Ecce quale quamque mirabile fuit hoc *Sanctum* quod Mariæ Virgini promittit Angelus. Summe Deus! quàm nobile opus dexteræ tuæ, quàm excelſum, quàm ſtupendum fuit illius conceptio! nullum planè mirabilius fuit, neque maius ab orbe condito, miraculum fuit miraculorum, Sanctum ſanctorum. O vtinam, Domine Ieſu, ea mihi daretur hîc intelligentia & ſapientia, quam tuorum conſiliorum Interpres habebat, Archangelus inquam Gabriel, quò tam amabilis & ineffabilis myſterij mirabilia comprehendam! Vtinam & par facultas enunciandi! ô quantus in omnium animis ſtupor, quantæ hodie gratiarum actiones, quantæ amoris tui inflammationes, quantæ laudum tuarum profuſiones excitarentur! *Magna quidem opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius:* ſed longè longéque maxima in

Ioan. 10. & 3.

Tertia cauſa.

Iſaiæ 6.

Iſa. 54.

Pſ. 110.

hoc vnico opere incarnationis continentur. Hoc opus non ſolùm Dei, ſed ſolius Dei opus fuit. Nam quemadmodum architecti, pictores, ſutores, alijque opifices opera minoris momenti per ſuos famulos & operarios faciunt: at ſiquod habent opus maius & excellentius, nulli committunt, ſed ipſi per ſe & ſuis manibus moliuntur: ſic etiam Deus corpora ceterorum hominum tamquam res paruas, & quaſi domos ruſticorum per ſuos operarios fabricare ſolet: vtitur enim operâ ſolis, ſtellarum, & etiam aliorum hominum: at verò corpus noſtri Saluatoris, quod futurum erat palatium ſummi Regis, nulli ſeruorum atque adminiſtrorum permiſit, ſed ipſe ſolus ſuis manibus fabricauit. *Spiritus ſanctus*, inquit Angelus, *ſuperueniet in te*, &c. Et apud alium Euangeliſtum, *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Quid verò de anima, quid de diuinitate vtramque aſſumente ſubſtantiam in vna Filij Dei hypoſtaſi, quid de ceteris mirabilibus eodem momento, in ictu oculi in vtero Virginis patratis, cum ſumma Angelorum admiratione, cum ſtupore totius naturæ, cum inexplicabili Deiparæ gloria; quid, inquam, dignè, aut certè quid non indignè explicabimus? excitemus neceſſe eſt fidem atque intelligentiam noſtram, vt cernere poſſimus in illo inſtanti conceptionis quale Sanctum in ſacrario D. Virginis à Spiritu ſancto poſitum ſit, qualia Dei opera in vno opere, qualia quantaque miracula in vno miraculo incarnationis facta credamus.

Lucæ 1.

Matth. 1.

Primum, Matris virginitatem puriſſima iſta conceptio de Spiritu ſancto non læſit, ſed ſummopere illuſtrauit. Filius enim Dei, vt Eccleſia loqui-

Primum miraculum, in conceptione Domini noſtri ex Virgine.

loquitur, *matris integritatem non minuit, sed sacrauit*; idque ipsius diuinitati congruentissimum fuit, quoniam absque viri opera, Spiritu sancto mirabiliter operante concipi decebat. Vnde D. Augustinus, cùm omnem alioqui conceptionem ex carne & sanguine, doceat ex voluntate viri fieri; *Christus*, inquit, *tantùm ex carne & sanguine, & non ex voluntate carnis, verùm ex Deo natus est*. Et D. Bernardus: *Fulget etiam nouus ille conceptionis modus, vt non in iniquitate, sicut cetera omnes, sed superueniente Spiritu sancto sola, & de sola sanctificatione Maria conciperet*. Nec enim decebat vt Deus aliter quàm ex virgine nasceretur.

Aug. de Peccat. merit. l. 1.

Bernard. Ser. sup. *Signum magnum.*

Secundũ miraculum, Tota conceptio perfectissimi hominis in instãti absoluta fuit.

Deinde, Vno eodemque momento in vtero Virginis exstructum est & perfectum templum diuinitatis, simulque innumeris donis atque ornamentis dotatum ac condecoratum fuit, vt digna Deo habitatio excitaretur. O momentum admirabile! quis auctor tam eximiæ fabricæ, quis architectus esse potuit nisi Spiritus sanctus, vt cælestis Legatus nuntiauit? Ex qua materia? non ex auro vel argento, non ex lapide pretioso, aut celesti aliqua materia, sed ex terra. Quid? ex terra? tantus Princeps, tantus Imperator domum habebit ex terra? Exigui homunciones, qui nihil aliud sunt quàm terra, tamen palatia habere non dignantur ex terra: sed ex vltimo Oriente adducunt marmora, columnas, lapides pretiosos. Quin etiam lacunaria atque testudines cooperiunt auro, distinguunt gemmis, exornant margaritis: & Deus, quem cæli cælorum capere non possunt, in domo lutea habitabit? O stupendum opus Dei, quod Euangelista Ioannes describit, cùm ait, *Verbum caro factum est*. Sed si corpus omnium corporum pulcherrimum ac præstantissimum è terra, sine de carne nostra sumptum est: vnde animus ille omnium animorum sapientissimus, beatissimus, ac diuinissimus tali corpori coniungendus ac copulandus? An non eductus è nihilo & creatus? an non eodem momento omnes gratiæ & gloriæ, & virtutum & scientiarum thesauri in eum infusi sunt? simulque ipse animus corpori, velut gemma pretiosissima suo annulo insertus? atque ità eodem instanti Filius Dei hominem illum iam efformatum arcano atque recondito modo assumpsit? O inexplicabile momentum, in quo hæc omnia distinctissimè perfecta sunt! Arca Noë spatio centum annorum fabricata est. Templum Domini tempore Salomonis minori spatio quàm septem annorum, licet architecti penè innumeri in eo operarentur, perfici non potuit: tempore autem Zorobabelis idem templum quadraginta annis instauratum est. Salomonis demum palatium annis tredecim tot operum præfectos occupatos tenuit. Hoc verò augustissimum Dei templum in vtero Virginis, eodem momento quo cœpit, perfectum atque omnibus modis absolutum fuit. Sed hæc omnia in vnum instans conglobata, & confusè proposita, particulatim ac latiùs deducenda sunt.

Ioan. 1.

Itaque in hoc momento principium structuræ totius fuit corpus Christi pulcherrimum & integerrimum, omnibus constans membris, & organis, & partibus suis, à Spiritu sancto è purissima Virginis substantia productum ac formatum. Numquã enim informe fuit, siue embryo (vt vocant) sed statim perfectissimum: non expectatis quadraginta illis diebus qui ad masculi in vtero forma-

Tertium miraculum, Efformatio corporis omnibus membris & organis absolutissimi.

formationem requiruntur, quantumuis & cælum, & elementa, & omnis natura in eo elaborando conspirent. Nec enim omnia membra simul fiunt; sed, iuxta Medicorum dogmata, primùm formatur cor vel hepar, deinde partes ceteræ: nec omnia membra simul viuere incipiunt, sed primum quod viuit est cor, deinde posteaquam vita arcem cordis occupauit, tum paulatim ad alias partes ac membra se diffundit: neque statim atque homines incipiunt viuere, viuunt vita hominis, sed primùm vita plantarum, deinde animantium, postremò hominum. At Christi corpus vno atque eodem momento virtute Dei omnipotentis conformatum ac perfectum fuit ex purissimo sanguine Deiparæ Virginis, vt nec priùs cor quàm partes ceteræ; neque prius vita vegetatiua, vel sensitiua quàm rationalis produceretur. Hæc est doctrina SS. Patrum, nominatim D. Basilij, Damasceni, & Patrum Synodi VI. quam ita disertè exponit D. Augustinus: *Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animam sibi rationalem & per eamdem corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum coaptauit. Quòd si autem mox quod conceptum fuit animatum erat, ergo etiam fuerat corpus figuratum, omnibusque suis membris & organis distinctum. Nam ante huiusmodi figurationem anima corpori non infunditur: vt omnino tamus informe corpus à diuinitate assumi non fuisse conueniens.* Ex his potissimùm D. Augustini verbis, vt apparet, colligit D. Thomas, ceterique Scholastici, duas huius doctrinæ rationes. Altera est, vt D. Thomas explicat, *propter virtutem agentis infinitam, scilicet Spiritus sancti, per quem corpus Christi est formatum. Tantò enim aliquod agens citiùs potest materiam disponere, quantò maioris virtutis est. Vnde agens infinitæ virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam.* Altera ratio est *ex parte personæ Filij, cuius corpus formabatur. Non enim erat congruum vt corpus humanum assumeret, nisi formatum. Si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis præcessisset, non posset tota conceptio attribui Filio Dei, quæ non attribuitur ei nisi ratione assumptionis. Atqui rectè dicitur Filius Dei conceptus, quòd aliter dici non posset.* Ita D. Thomas.

Basil. Orat. in S. Christi Natiuit. Damasc. l. 3. Fidei c. 2. Sexta Synod. act. 11. August. epist. 3. ad Volusianum.

D. Tho. 3. p. q. 33. a. 1.

Eodem quoque instanti animam rationalem creauit Deus, quam mox corpori illi perfectissimo indidit ac copulauit: cùm in alijs natura, vt dictum est, quadraginta diebus operetur ante introductionem animæ in corpus. Miracula enim in quibus Deus ostendere vult potentiam suam, non fiunt successu temporis, nisi requiratur cooperatio creaturarum: sed cùm infinitè operetur per omnipotentiam, in instanti operatur. Est communis sententia Auctorum, qui proximè citati sunt, & aliorum. Ex his vnum dumtaxat audiamus Damascenum. *Dei filius*, inquit, *per Spiritum sanctum, procreationis modo sibi ipsi carnem anima rationali animatum condidit: non ita vt paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolueretur, sed vno eodemque momento perficeretur: atque simul vt caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit, simul caro animata rationis atque intelligentiæ particeps.* Hæc & plura ibidem & alibi Damascenus. Quod igitur S. Ioannes in Euangelio ait, *Verbum caro factum est*, non intelligimus cum Apollinare hæresiarcha, quòd Verbum carnem sine anima assumpserit;

Quartum miraculũ, Anima Christi nobilissima simul condita, simul coniuncta corpori.

D Tho. 3. p. q. 33. a. 2. August. Basil. Damasc. suprà. Ambros. l. de Inc. Dominicæ sacramento. Fulgent. de Incar. Euthy. & Theoph. in Euãg. Ioan. 1.

sed potiùs quòd Verbum caro non inanima sed animata, & animata animo ratione atque intelligentia prædito factum sit. At cur dixit *Verbum caro factum est*, potiùs quàm Homo factus est, vel anima: nimirum vt significetur, mysterium incarnationis mysterium esse summæ humilitatis, &, vt Apostolus loquitur, exinanitionis Dei, quod aptiùs & significantiùs ita exprimitur.

Philip. 2.

Quintum miraculum. Cōiunctio Dei cum homine in vna hypostasi.

Iam illud corpus præstantissimum, & animus ille omnium nobilissimus sic eodem instanti assumebantur à Deo in vna hypostasi, vt ne breuissimo quidem temporis spatio aut corpus aut animus Verbi vnionem præcesserint. Ita definiuit Synodus Constantinopolitana his verbis: *Si quis dicit aut sentit, priùs informatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in vtero Virginis sanctæ, & deinceps vnitum esse ei Deum Verbum, atque animam, vt quæ priùs exstiterit, anathema sit.* Accedit auctoritas Patrum quos superiùs allegauimus, ac nominatim D. Gregorij Magni, qui sic ait: *Non priùs in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem: sed mox vt Verbum venit in vtero, mox Verbum seruata propria virtute naturæ factum est caro & perfectus homo, id est, in veritate carnis & animæ rationalis natus est per vterũ Virginis vnigenitus Filius Dei,* &c. Habet hoc clarissimis quoq; verbis Leo Magnus. *Partum*, inquit, *Virginis integrè cogitemus, vt carni animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus, nec priùs formatum atque animatum templum corporis Christi, quod sibi superueniens vendicaret habitator*, &c. Addamus D. quoque Fulgentium, vbi dicit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, carnem Christi non fuisse conceptam in vtero Virginis, priusquam conciperetur à Verbo.* Denique ratio est manifestissima ob quam id ita credendum sit, quia nisi eodem instanti, quo est corpus formatum & conceptum in vtero Virginis, contigisset assumptio, non verè crederetur ille ipse qui est Filius Dei esse conceptus ex Virgine, siue filius Virginis: nam solum illud Virgo concepisse diceretur, quod momento illo primo concepit. Atqui hoc esset contra fidem nostram. Itaque tres hîc substantiæ maximè inter se differentes, diuina scilicet Verbi, spiritualis animæ, & materialis corporis, non nisi vnicam hypostasim & subsistentiam, Deo hominem induente, & homine Deum, habuerunt. Mysterium sanè admirabile est Deus homo, Deus in carne, vt in cordis conclaui gustari & sentiri aliquo modo possit, sed certè verbis exprimi non possit. Quis enim explicabit, imò verò quis animo & cogitatione consequi poterit, vel quanta potentia, vel quanta sapientia, vel quanta dulcedine charitatis factum sit, vt vnus & idem sit Deus & homo, & nos verè Deum & patrem appellare possimus? Quis non obstupeat ita Deum fieri hominem, vt neque personæ multiplicentur, neque naturæ confundantur, nec humanitas in diuinitatem vertatur, nec diuinitas absorbeat humanitatẽ?

3. Synod. Cōstant. apud Niceph. l. 17. Histor. c. 28.

Greg. l. 9. epist. c. 61 ad Quirinum Episc.

Leo Ser. 8 de Nat.

Fulgent. l. de Fide ad Petrum c. 18

Sed alia prorsus quoque admiranda contemplemur in hoc miraculorum inuolucro. Qualis, obsecro, paradisus, quale cælum, puritate velut crystallinum, claritate velut empyreum factus est vterus Virginis, in quo anima Christi, omnium animarum præstantissima, iam tum ab ipso creationis articulo tam beata tam gloriosa fuit, vt Deum aperta facie videret,

Sextum miraculũ. Christus simul comprehensor & viator.

ret, cui personaliter iuncta erat, adeoque clarè ac perfectè, vt non aliter aut clariùs modò videat in cælis? Beatitudo siquidem essentialis, status immutabilis est, vt neque augeri neque minui possit. Vnde posteà Christus meruit quidem nominis sui exaltationem, & aliqua ratione gloriam corporis, sed non gloriam essentialem. Fuit, vt inquiunt Doctores, cõprehensor simul & viator: & cùm ceteri torrente voluptatis potentur in patria, Christus hoc ipso potatus est in peregrinatione sua. Quid tam nouum, tamque stupendum, quàm vt infans qui lacte nutritur, imò qui concipitur in vtero, interiùs tamen animo, & maximis negotijs occupetur, & mente gerat cogitationes maximarum rerum, & iam tunc incipiat agere cũ Deo de reparatione generis humani? Quis cõprehendat, quomodo affectus ex diametro sibi contrarij in vnam conuenerint animam, summum scilicet visionis Dei gaudium, & extrema de visione peccatorum nostrorum tristitia? namque in eodem instanti videre etiam cœpit hominum culpas, pro quibus sibi satisfaciendum esset; enormes, inquam, quibus Deum afficerent iniurias, simulque ingentem reproborum numerum, qui catervatim ad inferos præcipites ruerent. Quæ duo sanè incredibiliter eum afficiebant, Patris nempe offensa, & fratrum exitium. Quanta igitur constantia, quamque ardenti charitate se obtulit, vt duobus hisce malis mederetur?

D.Tho. 3.p q.34. a.4. Richar. Victorin. lib.2. de Emmanuele c.23.

Septimũ miraculum, Corpus immortale & gloriosum quoque fuisset, nisi miraculo impeditum esset.

Hoc etiam consideratione & admiratione dignissimum, quòd corpus illud, cui anima iam beata infusa est, iure optimo & naturali consecutione debuerit esse immortale ac gloriosum; idque duas ob causas. Vna est, quòd ab Adami massa, communi generationis ordine non descenderet. nihil enim nisi peccatum, quod Adamo personale, nobis originale fuit, mortem in mundum inuexit. Altera causa erat, quòd anima illa cùm beata esset ac gloriosa, quatuor illas qualitates, quibus est prædita nunc in cælo, claritatem scilicet, impassibilitatem, subtilitatem, & agilitatem necessariò, vt par erat, cum suo corpore communicare debebat. Dominus tamen, quæ eius benignitas, nouum hoc miraculum nostri compendio, sui verò dispendio, facere hîc voluit, ac iure suo cedere, corpus mortalitati ac miserijs nostris subijciendo, quò posset pro peccatis nostris hostiæ ac victimæ instar pati atque occumbere. Hoc demonstrat D. Augustinus in epistola ad Dioscorum, D. Thomas, cum Scholasticis, &c. Sed hîc cæli ac terra obstupescite, quomodo filij Adæ, siqua eos afflictio, morbus aut ærumna premat, Deum orent vt miraculo eos aliquo inde eripiat; nec considerant Christum Dominum miracula patrasse, quo posset pro nobis ipse pati ac pœnitentiam agere. Cùm enim corpus eius ob animæ gloriam immortalitate donandum esset, voluit hunc statum ei tam connaturalem miraculo impedire, mori vt posset, moriendoque suum nobis amorem testaretur. Quod sanè maius erat, quàm impedire flammas ne adurant, rubri maris fluctus sistere, solem immobilem reddere, aut efficere vt illo per horizontem nostrum solito splendore coruscante, nulla lux mundo illucesceret. Cuius verò gratiâ hæc mirabilia patrantur? an non creaturarum assiduè illum offendentium?

August. epist. 56. ante med. D.Tho. 3.p.q.45. a.2.

Octauum miraculũ, Habuit ab initio Christus vsum liberi arbitrij, sed peccare nõ potuit.

Aug. l. 13 de Trin. c. 9. 10. 17. &c. D. Tho. 3. p. q. 34 art. 2.

Sed redeamus ad animam. *Mox vt Verbum venit in vterum, seruata veritate propriæ naturæ*, vt docet D. Augustinus, *factum est caro & perfectus homo*. vnde consequens est, cùm perfectus homo habeat vsum liberi arbitrij, Christum quoque ab initio suæ conceptionis illum habuisse, id est, operationem voluntatis & intellectus, in qua vsus liberi arbitrij consistit. Itaque iam tum etiam cœpit mereri tum sibi tum alijs hominibus, fratribus suis, pro quibus in terras venerat. Verùm tametsi liberè operari potuerit merendo, non tamen peccando: voluntas siquidem eius humana duplici è principio reddita est impeccabilis. Primò, quòd diuina regeret humanam; Deinde, propter visionem beatificam, in qua gloriæ lumen animam determinat, eamque numquam ab obiecto suo recedere patitur. Hæc est communis Patrum traditio, quos enumerat accuratè Suarez. Verba D. Augustini hæc sunt: *Numquid metuendum fuit, vt accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? an ideò in illo non libera voluntas erat; ac non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat?* Et alijs compluribus locis docet, *neque in diuinitate Christi, neque in anima, neque in carne vllum potuisse esse peccatum*. Ratio præcipua est, quia si Christus peccaret per humanitatem, Deus peccaret, quod certè nec fieri nec concipi potest. Disertè hanc habet D. Anselmus. *Primus*, inquit, *Adam peccare potuit, quia purus homo: secundus Adam peccare non potuit, quia est Deus.* Hæc de voluntate eius prorsus impeccabili.

Suarez in 3. p. d. 33. sect. 2. Aug. l. 1. de Præd. Sanctor. c. 15. & l. 2. de Peccat. merit. c. 11.

Nonum miraculum, de thesauris scientiæ ac sapientiæ eius.

Quoad intellectum verò, illa nobilissima anima thesauris scientiæ ac sapientiæ Patris cumulata & exornata fuit, non ex parte aliqua, sed prorsus integris; adeò vt ex eo tempore plenam rerum omnium creatarum, præteritarum, præsentium ac futurarum notitiam habuerit. In particulari verò quadruplex illi sciẽtia fuit. Primò, diuina, quæ illi cum Patre ac Spiritu sancto communis erat. Secundò, beatifica, quæ animæ eius gloriam comitabatur, quæque ab essentiali Verbi visione procedit. Tertiò, infusa, quæ illi veluti Prophetarum Principi, & capiti vtriusque naturæ, Angelicæ atque humanæ, in plenitudine collata fuit. Quartò, acquisita, quæ in ipso singulis momentis, tum per experientiam, tum per nobiles & perfectas intellectus functiones crescebat. Quòd si huius animæ felicitatem ac sapientiam cum aliorum hominum calamitate atque ignorantia conferre voluerimus; quanta rursus admiratio in animis nostris excitãda est? Quòd enim multos annos non solùm absq; scientia & rerum cognitione, sed etiam absque vsu rationis viuamus, testis est experientia. Omnes primis annis more brutorum animantium, non consilio aliquo sed motu quodam atque impetu ferimur, & sensus duces, non rationem sequimur. Ignorantia verò ita mentes nostras initio obsidet, vt non nisi magno labore, magno studio, magno sumptu, multis annis & multis adiumentis pelli possit: at verò Christus Dominus in momento atque in puncto temporis omni sapientia ac eruditione repletus est. Vnde dicere solebat: *Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me Patris.* q.d. Non eam ab hominibus didici, vel meo labore quæsiui, sed accepi à Patre qui me misit. Quemadmodum enim vas aliquod angu-

Coloss. 2.

Comparatio cum nostra ignorantia.

Ioan. 7.

Similitudo Bellarmini, festo Annuntiat.

angustissimi oris, quales amphoræ esse solent, si liquore aliquo replendum sit, nónne oportebit sensim illum infundere? ita sanè. si enim magnam copiam simul eius liquoris infundere volueris, os vasis nimia illa copia obstruetur, & liquor peribit. Tales sunt intelligentiæ nostræ, vasa něpe angustissimi oris: idcircò paulatim magno labore & multo tempore cognitio rerum in animos nostros non tam infundenda quàm instillãda est. At verò Christi animus, quasi vas quoddam amplissimum, ore capacissimo præditum fuit, ideóque absque mensura in eum sapientia est infusa.

Decimũ miraculũ, Summa plenitudo gratiarũ & virtutũ.

Postremò in beatissimam illam animam congesta sunt tot ornamenta gratiarum, tam eximia, tam singularia, tamque innumerabilia Spiritus sancti dona atque charismata, vt plenissima fuerit omni gratia, omnibusque stipata virtutibus, atque omnis sanctitatis exemplar ac fons: immò mare quoddam factum est, quod omnia flumina gratiarum in se reciperet, nulla vt restaret gutta extra illud, vel quæ ex illo non deberet hauriri. Vnde D. Ioannes Euãgelista, *Vidimus*, inquit, *illum plenum gratiæ & veritatis*. Idemque significat Ieremias Propheta cùm dicit: *Nouum creauit Dominus super terram, femina cirumdabit virum*. Quare *virum*? nisi quia iam tum in vtero consummatum in omni sapiẽtia, virtute ac gratia? ita enim sacri Interpretes exponunt, nominatim DD. Hieronymus ac Bernardus. Hunc audite. *Quæ est hæc femina?* inquit. *quis verò iste vir? Aut si vir, quomodo à femina circumdatur? & vt apertiùs dicam, quomodo potest simul & vir esse & in vtero matris? hoc est enim virum à femina circũdari. Quid est hoc miraculi? Numquid potest homo, vt ait Nicodemus, in ventrem matris suæ iteratò introire & nasci? Vir igitur erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate: animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Nec te moueat quod de illo legis in alio loco: Iesus autem proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. nam quod de sapientia & gratia hîc dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est. Et cùm semper omni gratia plenus fuisset, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus nunc minùs ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat.* Ita Bernardus. Sed vt distinctiùs intelligamus ea omnia beneficia seu munera gratiarum quibus à Deo cumulatus fuit hic vir, ea in quatuor genera diuidamus, quę quasi quatuor flumina fuêre, terrestrem paradisum humanitatis eius irrigantia, atque exinde mundũ vniuersum.

Ioan. 1. — Iere. 31. — Hiero. in hũc locũ. Bernard. Hom. 2. sup. Missus. — Ioan. 3. — Luc. 2.

Prima Christi gratia fuit, Gratia vnionis.

Itaque prima eius gratia vocatur Gratia vnionis, per quam humanitas ita diuinitati coniuncta est, tamque arcto colligata vinculo, vt vtraque natura in vna tantùm persona subsisteret, de qua verè dici posset, Hic homo est Deus, & Hic Deus est homo: & per communicationẽ idiomatum, quidquid duabus conuenit naturis, personæ attribuitur: vt cùm dicimus, Deus est natus, crucifixus, mortuus, quia Christus mortuus qui erat Deus: &, Homo factus est omnipotens, immortalis, æternus, quia Christus talis erat, verus Deus & homo. Credimus enim fide Catholica cõtra Eutychianos, nullam fuisse inter duas Christi naturas mixtionem: contra Nestorianos quoq; nul-

Cõtra hæreticos.

lam hypostaseon combinationem, cùm duæ naturæ diuina & humana, duo intellectus, & duæ voluntates non nisi vnum constituerent Iesum Christum: quemadmodum omnes è carne & anima rationali cōstamus. Namque vt anima corpori suum esse tribuit, & vnum facit ex duobus: ita Deus humanitati tribuit esse diuinum, & Deus atque homo vnus est Christus. Plura de hac vnione superiùs dicta sunt. Sanè hæc vnionis gratia, quam humanitati Christi præstitit Deus, prorsus infinita est, qua nihil maius, ne per diuinam quidem potentiam concedi potest. nulla siquidem maior dignitas quàm diuinitatis communicatio. Propter hanc vnionem Christus sanctissimus, adeoque sanctitas ipsa fuit: *in quo omnis plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter.* propter hanc vnionem omnes actiones & passiones Redemptoris nostri fuerunt infiniti meriti, etsi vel solus Incarnationis eius actus exstitisset eò quòd persona, cui actiones illæ ac passiones tribuuntur, fuerit Deus.

Suprà Miraculo quinto

Coloss. 2.

Secunda, Gratia sanctificationis.

Secunda gratia fuit sanctificans seu gratum faciens, quæ data est ei propriè ad sanctificationem, ornamentum, & perfectionem animæ eius. *Cuius gratia abundantia,* vt ait D. Thomas, *ex ipsa Verbi vnione deriuatur, secundùm illud Ioannis, Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Hoc videlicet est vnguentum illud, quo *vnxit eum Spiritus sanctus præ participibus suis.* In quæ verba D. Gregorius Magnus, *Vnctus,* inquit, *fuit Christus oleo Spiritus sancti, sed præ consortibus suis: quia omnes nos prius peccatores, & postmodum per vnctionem Spiritus sancti sanctificamur: ipse autem ibi ab eodem Spiritu vnctus est, vbi conceptus; nec antè conceptus, & posteà vnctus, sed cōcipi de Spiritu sancto, vngi fuit.* Porrò ex hac vnctione gratiæ, tamquam ex fonte, virtutes omnes, omniaque Spiritus sancti dona exorta sunt: tantaque omnium plenitudo fuit, vt nulla maior de lege ordinaria, ne per diuinā quidem potentiam dari cuiquam possit. In hac quippe anima, tamquam in propria sede Spiritus sanctus cum omnium donorum suorum plenitudine requieuit. qua de re sic vaticinatus erat Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Christum vtique florem appellat, propter incomparabilem eius speciem & pulchritudinem, suauissimumque virtutum omnium odorem. qua de causa ipse se in Canticis hoc nomine appellat, *Ego sum flos campi, & lilium conuallium.* In hoc ergo amœnissimo flore Spiritus sanctus cum omni plenitudine & perfectione gratiarum & scientiarum placidissimè quieuit; quia nihil ibi quod sibi aduersaretur inuenit.

D.Tho. 3.p.q.34. a.1.

Psal.44.

D.Greg. l.9. Epist ad Quirinum c.61

Isa.11.

Cant.2.

Tertia, Gratia capitis.

Sequitur tertia gratia, quæ à Doctoribus Scholasticis Gratia capitis appellatur, quæ Christo diuinitus tanta vbertate & copia infusa est, vt non ipsi modò, sed omnibus etiam Adæ posteris sufficeret ad salutem, si eius beneficio vti vellent. Proinde infinitam hanc esse oportuit, quoniam si infiniti essent homines, iis omnibus abundè sufficeret. Per hanc verò gratiam eodem puncto temporis Christus à Deo factus est Rex Regum, & summus Sacerdos, & Pater

ter

ter & caput omnium hominum, vt iis gratiam & merita sua communicaret. Propter hanc item gratiam dictus est à Daniele Propheta *Sanctus sanctorum*, non tantùm quia eximia quadam sanctitate ceteros antecellit, sed quia omnes sanctificat: atque adeò sicut omnes qui naturali via generantur sunt filij Adæ, suumque patrem & radicem, ex qua excisi sunt, agnoscunt esse Adamum: sic quicumque regenerantur per gratiam supernaturalem, sunt filij secundi Adami, qui vnicus est *pater futuri sæculi*. Propter hanc eamdem gratiam Christus Dominus etiam *Sol iustitiæ* iure optimo appellatur: quia vt sol splẽdore suo vniuersum mundum illuminat, ita iustitiam & gratiam ipse in iustos omnes meritis & virtute sua effundit. Cùm enim hanc gratiam percepit, nequaquam sibi vni reseruauit, sed omnibus eam in commune proposuit, omnes Sancti suam portionem ab hoc fonte gratiæ, ab hoc iustitiæ Sole accipere debuerunt. vnde ait Ioannes Baptista: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Denique per hanc gratiam contulit illi Deus perpetuum Ecclesiæ huius, non modò militantis in terra, sed etiam triumphantis in cælo principatum, vtpote qui filiorum Dei sit primogenitus, prædestinatorum primus, verus Christus, cui & *spiritum sine mensura dedit*, vt Præcursor eius ait. Nec in ipsum solùm hæc omnis collata gratia, sed & in alios, quatenus & cui voluerit, eamdem dispertiendi potestas data. Vnde cùm in infinitum plures ac plures nasci potuerint filij hominum, debuit in sanctissima anima Saluatoris vis infinita gratiæ ac meriti esse, quæ sufficeret generationi per se infinitæ.

Daniel. 9

Isaiæ 9.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Quarta & vltima Redemptoris gratia vocatur Gratia gratis data, quę complectitur omnia alia dona quæ beatissima illa anima eodem momẽto accepit, vt sunt gratia sanitatum, miraculorum gloria, potestas in dæmones, donum prophetiæ, dona linguarum, scientiarum omnium, aliaque huiusmodi Spiritus sancti munera; quæ simul ac iunctim omnia in mentem illam felicissimam largissima manu sunt effusa. Præcipua verò fuit potestas miracula patrandi, eaq; non aliter limitata quàm sola simplicis voluntatis applicatione, vt absolutum in omnem naturam haberet imperium, & consequenter de legibus eius disponendi ac dispensandi potestatem. Hoc autem imperium longè lateque se extendit vsque ad animas ipsas, vt de iis prout visum fuerit disponere, gratiam infundere, ac peccata condonare, corda corrigere & immutare, ad hunc quoque effectum Sacramenta instituere, sacrificia constituere, Ecclesiam fundare, talesque illi Pastores, leges & mandata imponere posset, prout illi expedire iudicaret. Denique quidquid erat in thesauris diuinis recõditum, quidquid decebat præpotentẽ Deum Filio suo vnigenito dare, non est dubitandam quin fuerit cumulatissimè concessum. Eapropter etiam diuus Augustinus meritò Christum Dominum vocat *diuinæ gratiæ exemplar*. Vt enim Ludimagistri, qui scribendi artem profitentur, elegantissimos characteres effingunt, eosque populo spectandos proponũt, vt artis suæ peritiam ostentent: ita omnipotens illa bonitas absolutissimum liberalitatis ac gratiæ exemplar in Christi humanitate constituit, vt hoc argumento homines & Angeli immensam

Quarta. Gratia gratis data.

August. l. 10. de Ciuitat. cap. 29.

ſam communis Domini magnificentiam agnoſcerent, illumque propter hanc liberalitatis gloriam laudarent; & ſibi ipſis gratularentur, quòd Dominum tam immenſa benignitate præditum colerent, à quo maxima ſuorum meritorum præmia expectarent.

Itaque rectiſſimè nuntiauit Virgini cæleſtis paranymphus, *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* O quale ſanctum, quàm multa ſancta comprehendit! O miraculum glorioſiſſimum, vel potiùs plurimorum miraculorum epilogũ! Simul enim perfectè corpus efformatum à Spiritu ſancto, ex virgine; ſimul anima creata, ſimul vtrumque à Dei Filio aſſumptum, ſimul anima beata, corpuſque aliquatenus; ſimul anima omni ſcientia & gratia repleta, quæ prorſus infinita fuit; gratia, inquam, vnionis, gratia ſanctificationis, gratia capitis, gratia gratis data. His nimirum ornamentis, his veluti gemmis inſigniri oportuit ſacram illam humanitatem, in qua tamquam in templo habitaret Deus, & quam Dei Filius ad diuinitatis ſuæ conſortium aſſumebat. Vbi enim diuina bonitas hanc ſibi ſponſam copulare decreuit, talem vtique formare debuit, vt nullum dedecus diuinæ perſonæ inureret, quòd talem ſibi naturam tam arcto vinculo conſociaſſet. Quin & illud omnibus adiiciẽdum, quòd vbi primùm hanc ſanctiſſimam animam Deus condidit, & his tantis muneribus adornauit; omnibus beatiſſimis ſpiritibus præcepit, vt ante illam procumbentes, tamquam legitimam Domini ſui ſponſam adorarent. *Cùm iterùm*, inquit Apoſtolus, *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum* Hebr. 1. *omnes Angeli Dei.* Ipſe autem ardentiſſima charitate ſummas Patri gratias agebat pro acceptis tam eximiis in humanitate beneficiis: ſeque pro humano genere cruci ſuffigendum cupidiſſimè offerebat, vt alibi idem Apoſtolus deſcribit hoc pacto: *Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi* (nempe in Incarnatione:) *holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt*, (id eſt, hoſtiæ quæ pro peccatis offerri conſueuerant, non valebant te reconciliare.) *Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* hoc eſt, In ſumma legis, ſiue in tota lege ſcriptum eſt vt pro redemptione generis humani corpus meum in mortem offeram tibi. Ad reliqua nunc tranſeamus, ac de ſanctiſſima Dei matre, quod ſecundo loco propoſitum fuit, paulìſper etiam diſſeramus. Hebr. 10.

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Quemadmodum lumen à ſole ortum longè diſtat ab eo quod ab igne procedit; quoniam quod ab igne eſt, ſemper fumum habet admixtum & imperfectionem aliquam: ita Chriſtus Dominus longè aliter ſanctus eſt quàm nos. Ille fons & origo omnis ſanctitatis, ideoque hîc ab Angelo vocatur *Sanctum:* nos verò tantùm aliquid participamus ſanctitatis, quod totum ab eius fonte profluere neceſſe eſt. Verùm poſt Sanctum ſanctorum, inter puras creaturas ſanctiſſima longè eſt abſque controuerſia eius mater, non tantùm quia ab omni peccato, etiam originali, libera in conceptione (quæ eximia & ſingularis eius prærogatiua fuit) ſed quia verè Dei mater, ſiue Θεοτόκος extitit, vt contra *Secunda pars, de ſanctitate Deiparæ.*

Neſto-

Concil. Ephes. & Chalced. & Sexta Synod. action. 4. & 11. Concil. Lateran. can. 3. Septima Synod. act 4. & 7 D.Tho. 3.p.q.35. art. 4.

Nestorium sancta Mater Ecclesia credit, atque in variis Conciliis definiuit. quod & probatur ex verbis Archangeli Gabrielis, *Ideoq; & quod nascetur ex te*, &c. & clarissimè demonstrat D.Thomas. *Licet*, inquit, *non inueniatur expresse in Scriptura dictum quòd B.Virgo sit mater Dei; inuenitur tamen expressè in Scriptura, quòd Iesus Christus est Filius Dei & verus Deus, vt patet 1.Ioan. vltimo, & quòd B.Virgo est mater Iesu Christi, vt patet Matth. 1. Vnde sequitur necessariò ex verbis Scripturæ, quòd sit mater Dei*. Porrò si mater Dei, ergo Deo coniunctissima dignitate, gratia, gloria. Idem sanè Theologorum princeps & Angelicus Doctor asserit, infinitam quamdam dignitatē illi personæ quæ Dei mater est attribui oportere, vt Deus maiorem conferre non possit, quantumuis omnipotens. Si enim quò altior est filius, eò dignior mater censenda est; quis dubitet quin filij infiniti dignitas ad matrem quoque pertineat, atque immensum honorem ei conciliet, quæ sola cum Patre æterno possit dicere filio, *Filius meus es tu, ego genui te?* Quid? an non hoc fide certum est, ex quo Verbum Dei in visceribus eius incarnatum fuit, inaudita & singulari quadam ratione ipsā in Deo, & in ipsa Deum fuisse, quam *idemtitatem naturæ* dicere possemus: dum corpus à Spiritu sancto efformatum, ex eius carne, ossibus, sanguine, & purissima substantia compactum fuit, & ita Verbo personaliter vnitum? Quocircà si hæc certa sunt, vti sunt, æquè certum & indubitatum est, beatissimam Virginem parem quoque gratiam & sanctitatem congruenter personæ suæ accepisse, id est, incomparabilem & inæstimabilem. Rectéque Dionysius Richelius, eò quòd veri Dei mater sit, tantam gratiæ plenitudinem consecutam affirmat, *quantam ne ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam, perspicere possit*. Hanc gratiæ affluentiam designabat cælicus Orator, cùm diceret efficaci vocabulo, *Spiritus sanctus superueniet in te:* quantumuis anteà esset sanctissima & donis Spiritus sancti refertissima, cùm eam salutaret gratia plenam. Hoc est quod ita extollit D.Gregorius Nyssenus, cùm inter cetera dicit: *In ceteris omnibus vix anima pura Spiritus sancti præsentiam capit: hic verò corpus Spiritus sancti receptaculum fit*. Demum quantis gratiæ & sanctitatis opibus ac copiis hoc tempore Incarnationis Dominicę aucta sit, vt digna Deo fieret habitatio, dignus Regis gloriæ thalamus, dignus veri Salomonis thronus, dici omnino aut æstimari non potest. Verum quidem est, 1.
fateor, quamdiu vixit, pænè semper & assiduè in gratia proficiebat, qua & Angelos omnes & omnes homines transcēdebat; neq; modò quemlibet eorum singillatim (quod certissimum est) verùm etiam omnes simul sumptos, quod probabile est, & suprà demonstratum. Deinde vitam contemplatiuam in supremo 2.
quodam perfectionis gradu coluit, vix vt vmquam ab actuali cum Deo communicatione separata vel diuulsa fuerit, imò ne tum quidem cùm somnum caperet. Gratiæ quoque & 3.
Spiritus sancti motibus, iuxta omnem eius inspirationem, & gratiæ datæ magnitudinem cooperabatur. Sæpè charitatis cùm erga Deum tū 4.
proximum actus exercebat, qui non gratiam, sed habitus iam comparatos excedebant. Gratia denique eius 5.
circa vitæ extremum ad eam perfe-

D.Tho. 1.p.q.25. art.6.

Dionys. Carthus. lib.2. de Dignitate Virg.

Gregor. Nyssen. Orat.de Christi Natiuit.

Conc.17.

ctionem peruenit, vt pænè incomprehensibilis esset. Attamen, licet hæc ita se habeant, satis constat longè longeq; maximam eius accessionem tempore Annuntiationis factam, vt mater Dei fieret. O qui tum raptus, quæ ecstases tuæ, Virgo sanctissima, fuêre; cùm per extraordinarium illud lumen quod tibi tum collatum fuit, quæ in visceribus tuis completa erant mirabilia, perfectè agnouisti! Quanta mutatio, quando in te & ex te Deum factum hominem vidisti, te verò talis filij & filiam & matrem esse mirabaris! Quæ gratiarũ actiones, quæ præconia, qui iubili corde tuo tum prorupere! Quot quantaque illo momento bona recepisti! Vt enim sol iste visibilis, mox vt cõditus, splendore & lumine mundum vniuersum compleuit, eodem momento radios, calorem & influxus suos illi communicando: ita Sol ille quo mater incomparabilis amicta eras, eo temporis pũcto quo in compendioso viscerum tuorum virginalium mundo productus & formatus est, te insolito nouoque spleudore, cælesti feruore, & diuinis influxibus compleuit. Patere, ô Virgo, nos tibi gratulari, ac tecum exultare, quòd per Dei misericordiam ad supremam hanc dignitatem euecta sis, vt mater eius fieres, cuius ipsa eras filia. Quoniam verò eadem ratione & mater & aduocata hominum facta es, nos obsecro iucundi huius luminis fac participes, quò te cognoscamus, amemus, colamus, vnà cum illo quem Deus Pater nobis in fratrem dedit. Effice, ô cælorum Regina, ac mater nostra, ne deinceps à vera illa nobilitate, quæ nos tanti Regis tantæque Reginæ consanguineos ac propinquos constituit, vllo vmquam tempore degenerare contingat.

Nunc, agedum, nobis ex omnibus quę dicta sunt documentum vtile depromamus, quemadmodũ scilicet nos quoq; sancti per Christi gratiam fieri valeamus; siquidem *de plenitudine eius nos omnes accipimus*, inquit D. Ioannes. Itaque cùm sit *alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum*; Christus propriè Sol iustitiæ appellandus est, Maria pulchra vt Luna, omnes Sancti veluti stellæ sunt. Sol quidem ac Luna sunt luminaria magna; atque in his maius luminare Sol est, Luna verò luminare minus, quod lumen suum à Sole mutuatur. Simus & nos luminaria parua, id est, veluti stellæ quædam in firmamento Ecclesiæ. At stellæ non apparent de die præ Solis nimia claritate, qua omnia collustrat: ita & Sancti quicumque sint, tam parum habent lucis, si cum Christo Domino suo cõferantur, vt vix aut ne vix quidem appareant. Enimuerò sicuti stellæ, quantumuis non appareant, etiam de die lucidæ sunt: ita & nos lucem sanctitatis acquirere studeamus, vt luceamus. Nunc igitur quid consilij? vnde lucẽ petemus? ánne virginum Euãgelicarum exemplo oleum ac lumen à creaturis emendicabimus? nequaquam. audiremus ab illis fortasse: *Ite, ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Ite ad vendentes, & emite vobis*. Quocircà sicuti stellæ lumen suum hauriunt à Sole, ita & Sancti à Christo qui plenus est gratiæ & veritatis. Atqui iste Sol iustitiæ, in cuius pennis sanitas & gratia est, cum peccatoribus lumen suum non communicat: sicuti scriptum est in libro Dei: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Itaque vt lux Christi

Tertia pars, de sanctitate nostra.

Ioan. 1.

1. Cor. 15

Matt. 25.

Sap. 1.

Christi in animis nostris habitet, horreamus peccatum, atque ab eo tamquam à facie colubri fugiamus. Mundemus idemtidem conscientias nostras ab operibus mortuis. *Domum Dei decet sanctitudo*, ait Propheta Regius. Hæc nimirum omnis Sanctorum cura fuit, magis ac magis huic munditiæ operàm dare, vt dignam Deo domum construerent. Proinde quidquid aduertere poterant in corde suo versari quod Dei displiceret oculis, frequenti conscientiæ examine & pia exomologesi tollebant, & ad eos veniebat sanctissima Trinitas, & mansionem apud eos faciebat.

Psal. 92.

Fuga peccati.

O si amaremus hanc Dei habitationem, hanc puritatem animi, hanc examinandi conscientiam, & Sacramenta vsurpandi consuetudinem; quanto prosequeremur odio peccatum! Neque mirum, quādoquidem nemo potest amare Iesum, eumque hospitem habere in domo sua, nisi abhorreat peccatum. Placet huius rei causam cognoscere? in promptu est. Christus Iesus Deus & homo est. Quà Deus est, infinitū gerit odium aduersus peccatum, cōtrarium nempe infinitæ eius bonitati. Hoc autem odium palàm omnibus ostendit in ira quam concepit aduersus dæmonem, hominemque iniustum: qui cùm sint eius imago, eaque ex parte amabiles, iniquitas sola eos reddit Deo detestabiles in æternum. *Similiter enim sunt odio Deo impius & impietas eius.* Ceterùm quantum sit hoc odium, luculenter satis ex acerbitate & æternitate pœnarum inferni colligimus. At quà Christus homo est, tam est peccati inimicus, vt nulla vmquam fuerit inimicitia quæ huic valeat comparari; nec vllus vmquam hostis capitalissimus talia tantaque fecit vlciscendi hostis causâ, qualia quantaque Christus, vt destrueret peccatum. Alij namque hostes sæpenumerò vitam periculis obiiciunt, vt inimicis noceant: at Christus vitam non exposuit solùm, sed etiam libenter amisit, & ex destinata animi sententia obtulit, vt regnum euerteret peccati. Eamdem inimicitiam hac quoque ratione ostendit, quòd non sit ei amicitia tam arcta cum vllo hominum vel Angelorum, quam non omnino dissoluat ac destruat peccatum: ideoque amicissimum quemque in æternum damnabit, & obliuioni dabit omnes eius iustitias, si modò peccauerit. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & iniquitatem fecerit, omnes iustitia eius non recordabuntur.*

Sap. 14.

Ezec. 18.

Adhæc cùm Christus amet concipi ac nasci in cordibus electorum per gratiam, sicuti in vtero gloriosissimæ Virginis natus est per naturam: hanc promerebimur gratiàm, si piè feruenterque ei offeramus ac repræsentemus nobilissimos illos virtutum actus, quos à primo conceptionis suæ puncto exercere in vtero cœpit: nimirum ardētissimi erga Deum Patrem amoris, gratissimas beneficiorum eius agnitiones, siue gratiarum actiones & laudes: profundissimæ quoque coram oculis paternis humiliationis, ac denique integerrimæ suiipsius oblationis: optando confestim occasionem dari qua reipsa in opus redemptionis nostræ prosilire posset. Hos aliosque heroïcos puelli istius actus suspicere ac venerari, simulque quoad licet imitatione exprimere, certè nimis quàm gratum ipsi iucundumque fuerit. Quoniam verò beneficia hæc immensa eius humanitatis incompara-

Quid Christus in vtero matris fecerit.

biliter omnem Angelorum hominumque capacitatem excedůt: quid æquè nostri muneris atque obligationis est, ô Pater cælestis, atque ex totis mentis viribus tibi gratias agere, quòd patrem & matrem è natura nostra nobis dederis, quorum adminiculo tuam nobis gratiam certò procurare atque acquirere liceat? Similiter quoque tibi, Verbum Patris, ex animo gratias agimus, quòd matrem tibi selegeris & inueneris, quæ cùm tua facta est, nostra quoque esse cœpit; quò per eam facilior nobis ad misericordiæ tuæ thronum aditus pateat. Gratias & tibi denique, ô sancte Spiritus, quòd nobis in sororem, matrem & aduocatam dederis illam, quæ tua charissima est sponsa, tuumque sacrarium longè sanctissimum. Tandem *vni trinoque Regi sæculorum immortali & inuisibili, soli Deo, honor & gloria in sæculorum sæcula, Amen.*

CONCIO XXXIII.

Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

1. *Rationes exponuntur, ob quas cælestis paranymphus adduxerit exemplum Elisabethæ, cùm de fide Virginis nihil dubitaret.*

2. *Quare insuper ista ratione est vsus,* Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.



ONSIDERATIONE dignissimum est, quanta Dei nostri bonitas & benignitas in hoc eluceat, quòd assiduè de beneficiis conferendis cogitet in eos, à quibus ipse vicissim iniuriis afficitur. Terra enim vniuersa sceleribus grauissimis coopertа cùm esset, cumque idololatriæ, homicidia, adulteria, rapinæ, blasphemiæ, & omnia flagitiorum genera laxatis passim habenis in orbe dominarentur; in solo verò Iudææ angulo veri Dei numen adoraretur: ecce Dominus Deus non de Iudæa dumtaxat beanda, verùm etiam de orbe vniuerso redimendo cogitabat. Homines in id vnum incumbebant, vt vel malitia dæmonibus similes redderentur, vel concupiscentiis suis indulgendo bruta imitarētur: quando Deo in mentem venit opere complere quod ab omni æternitate decreuerat: vt nimirum homini se parem similemque redderet, humanitatemq; nostram diuinitati suæ coniungeret. Poteratne maiori bonitate malitia vinci, maiori potentia fragilitas, maiorique sapientia ignorantia depelli? Hoc nimirum opus infinitæ misericordiæ nuntiaturus Virgini cælestis Orator, tria præstare debuit, quæ in officio legationis præcipua fuere. Primum erat, in exordio Virginem attentam reddere magnifica illa salutatione, ac titulis excellentiæ, *Aue gratia plena, Dominus tecum,* &c. 1.
Secundum verò, exponere ei mysterium incarnationis, quod in ea erat implendum, modumque quo impleri congruenter posset; *Ecce concipies in vtero, & paries*, &c. *Spiritus sanctus superueniet*, &c. Tertiò inducendus erat animus Virginis, tametsi omnia crederet, ad consensum, donec diceret, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*: idque tum exemplo familiari Elisabeth cognatæ, tum robustissima ratione ex diuina omnipotentia sumpta, hoc modo: *Et ecce Elisa-* 2. 3.

Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, &c. Hodie ergo Primò dicendum de exemplo, cur illud afferatur ab Angelo, cùm de fide Virginis non dubitaret. Deinde de ratione eius, *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

AVE MARIA.

NOlite mirari, auditores, nos interdum vti exemplis in concione, petitis vel è Scripturis diuinis, vel ex Ecclesiasticis historiis, vel è Vitis Sanctorum. Documento nobis est in oratione sua Legatus iste cęlestis, quo meliùs aut efficaciùs perorare nemo posset. Nimirum, vt vulgò dici solet, *Verba docent, exempla mouent, benefacta coronant.* Et Philosophorum hoc fuit quasi axioma, *Longa est via per præcepta, breuis autem per exempla.* Itaque Orator noster, vt dictione sua persuadeat Virgini, vtitur exemplo quod maximè idoneum erat & notissimum, nempe Elisabethæ cognatæ ipsius, quæ & naturâ sterilis, & supra ætatem generationi aptam, sexto iam mense vterum gestabat. Quid ni simile quiddam à præpotente Deo Maria Virgo sperare audeat? Verùm hîc ante omnia expediendus est iste nodus, quomodo potuerit Elisabeth cognata esse Mariæ, cùm D. Lucas initio Euangelij sui testetur, Elisabeth de filiabus Aaron fuisse, constetq; Mariam esse de filiabus Dauid. Christum etenim certum est passim dici filium Dauid, non aliter quàm ratione Mariæ matris suæ. & ipsemet Angelus dixerat, *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Atqui in libro Numerorum iubentur feminæ viros non sumere nisi de tribu sua. Quomodo igitur fieri potuit vt cognata esset Mariæ Elisabeth, cùm vna de tribu Leui, altera de tribu Iuda fuisse cognoscatur? Verùm quæstionis huius facilis & aperta est resolutio. Neque enim lex illa de nuptiis intra eamdem tribum ad omnes mulieres extendi debet, sed ad eas solùm quæ fratres nullos habent, ideòque in paternam hereditatem succedunt. Erat videlicet ratio illius legis ferendæ, vt dicitur ibidem, ne hereditas de vna tribu in aliam transiret, & sortes tribuum ac possessiones confunderentur. Ceterùm aliis omnibus, quæ heredes non erant, liberum erat planè, nubere quibus vellent. Vnde, exempli gratiâ, Aaron qui erat de tribu Leui, vxorem duxit Elisabetham de tribu Iuda: Dauid Michol filiam Saul de tribu Beniamin, cùm esset ipse de tribu Iuda. Salomon quoque & alij vxores alienigenas habuerunt. Quare mirum non est, si Maria de tribu Iuda, cognatam Elisabeth haberet potuit de tribu Leui. quid enim prohibet, quò minùs aliqua soror beatæ Annæ virum acceperit de filiabus Aaron, ex qua extiterit Elisabeth? Imò verò non solùm nihil prohibebat, sed etiam valdè decebat, vt Messias Rex & Pontifex futurus cum vtraque familia, Regia scilicet ac Pontificia, cognationem haberet. Verè igitur Angelus ait, *Et ecce Elisabeth cognata tua*, &c.

Aliud fortè obijciet quispiam ex D. Thoma: *Maius non potest sufficienter probari per minus:* atqui maius fuit, virginem parere, quàm vetulam; igitur non fuit sufficiens probatio Angeli, dum adstrueret conceptum virginis ex conceptu senis. Respondet verò Angelicus Doctor, exemplum hoc Elisabethæ ab eo induci, non quasi sufficiens argumentum, & efficax ad probandum Virginis conceptum,

Marginal notes: Seneca epist. 6. &c. — Luc. 1. *Quomodo Elisabeth cognata Mariæ.* *Quæstio prima.* — Num. 27 & 36. — Num. 36 — Exod. 6. — 4. Reg. 18 — *Quæstio secũda ex D. Thom. 3. p. q. 30. a. 4. An maius possit probari per minus.*

tum, sed tamquam familiarem experientiam potentiæ Dei per exempla. Sicuti etiam dicit Ambrosius: *Ob hoc multa steriles prauenerunt, vt partus credatur Virginis.* Deinde euidens est vtrobique potentiam requiri infinitam, & vtrumque Deo æquè facile esse, atque ita alterum altero rectè probari. Sicuti in Euangelio disputans Christus cum Iudæis, *Quid est facilius,* inquit, *dicere, Remittuntur tibi peccata tua, aut, Surge & ambula?* quia scilicet Deo vtrumque æquè facile: licet in ipsa re magnum esset discrimen. Interim maioris adhuc efficaciæ causa subiunxit Gabriel ad confirmationem huius exempli argumentum solidissimum ex omnipotentia Dei, *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Ambros. in Hexaëmeron.

Matth. 9.

Quæstio tertia de causis exempli ab Angelo adducti.

Sed ais adhuc, nónne Angelus existimabat, vt par erat, Virginem credere quæcumque audierat? Omnino. Angelus haudquaquam dubitabat de fide Virginis, quæ fuit maxima: sicuti nec Elisabeth posteà dubitauit cùm diceret, *Beata quæ credidisti, quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quid igitur impulit eum vt adhuc in sua Peroratione vteretur isto exemplo? Hoc nimirum præcipuè nunc indagandum, hoc aggrediamur explanare, quare Angelus hoc exemplo sit vsus, cùm de Virginis fide non dubitaret? Quæstionem hanc proponit D. Bernardus his verbis: *Quid fuit necesse etiam huius sterilis Virgini nuntiare conceptum? numquid fortè dubiam adhuc & incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatam: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus: quin potius fidem ipsius Elisabeth prophetante laudatam agnouimus.* Quas igitur ob causas Gabriel hoc affert exemplum? Auctoritatem ac pondus à Patribus mutuemur, nominatim & ante alios à D. Bernardo, qui id fusè disputauit. *Primò,* inquit, *ideò sterilis cognata conceptus Virgini nuntiatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò necesse erat non modico lætitiæ & amoris præueniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in deuotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia.* Sic Bernardus. Itaque voluit Angelus beatissimæ Virgini rem huiusmodi iudicare, quam sciebat gratissimam fore auditu, cùm ob alias causas, tum ob maximam eius charitatem. Nam vt flere cum flentibus charitatis est, ita & gaudere cum gaudentibus: & quæ vicem cognatæ doluerat ob sterilitatem, ita iam ipsi gratulandi nacta est causam ob fecunditatem.

Luc. 1.

D. Bern. Hom 4. sup *Missus.*

Bernard. suprà.

Prima ratio, Vt gaudium gaudio cumuletur.

Vel ideò, inquit Bernardus, *conceptus Elisabeth nuntiatur Mariæ, quia profectò decebat vt verbum mox diuulgandum vbique, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine: ne mater videlicet Dei à consiliis filii videretur amota, si eorum quæ in terris tam propè gererentur remansisset ignara.* Optima quoque hæc ratio. Pergat porrò Bernardus vt in omnibus, ita in hac materia mellitissimus.

Secunda ratio, Decebat Dei matrem huius arcani certiorem fieri per Angelum.

Vel ideò potiùs conceptus Elisabeth Mariæ nuntiatus est, vt dum nunc Saluatoris nunc Præcursoris edocetur aduentum, rerum tempus & ordinem tenens ipsa meliùs postmodùm scriptoribus ac prædicatoribus Euangelii referret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cælitus fuerit instructa mysteriis.

Tertia ratio, Vt totius ordo mysterii meliùs panderetur Euangelistis.

Quid

Quæstio secūda ex D. Thom. 3. p. q. 30. a. 4. An maius possit probari per minus.

Quid ampliùs? *Vel*, inquit, *ideò adhuc nuntiatur Mariæ conceptus Elisabeth, vt audiens cognatam vetulam & grauidam, cogitet iuuencula de obsequio: sicque illa properante ad visitandum, paruulo Prophetæ locus & occasio detur, quò minori adhuc Domino sui officij valeat exhibere primitias: & dum ad se inuicem occurrit matrum infantiumque ab alterutro excitata deuotio, mirabilius fiat miraculū de miraculo.* Hactenus Bernardus, qui rectissimè ad extremum meminit etiam obsequij D. Virginis, & Præcursoris Domini. Nihil enim dubitādum, quin Dei voluntas, vehemensque impulsus fuerit, vt gloriosissima Virgo cum festinatione cognatam inuiseret, eique obsequium deferret, quasi organum facta & instrumentum, per quod Præcursor Saluatoris à peccato originali liberaretur, ac Spiritu sancto repleretur adhuc in vtero matris, simulque rationis vsum, & donum prophetiæ iam tum acciperet.

Quinta ratio, Ad maiorem ipsius veritatis cōfirmationem.
Ambros. super Luc. 1 2.
Isaiæ 7.

Quinta ratio fit ob maiorem ipsius mysterij confirmationem. Nam, vt D. Ambrosius ait, *Virginem parere, diuini est signum mysterij, non humani. Vnde dicebat Isaias Propheta: Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Hoc tantum mysterium exempli claritate & ratione fortissima erat illustrandum, & signum signo confirmandum. Simile quid legimus in

4. Reg. 19

libris Regum, vbi Isaias idem promittit Ezechiæ liberationem ab exercitu Sennacherib: & credenti nec de promissione dubitanti, demum adhuc adiecit signum in regressu solus per decem lineas. Ita fidem hanc omnes Christiani habere tenebantur, quòd de virgine Christus natus sit: ideoque operæ pretium erat illam hoc signo adstruere ac roborare, *Ecce Elisabeth cognata tua*, &c.

Sexta ratio, Vt suauiter & efficaciter ad assensum Virgo induceretur.
Chrys. Hom. 49 in Genes.

Sexta ratio ex D. Chrysostomo: Tametsi B. Virgo verbis Angeli fidem adhibebat, modumque quo filius salua virginitate concipi posset cognoscebat, tamen nondum dabat assensum, quem ipse legatus expectabat, nondum dicebat, *fiat*, vt posteà: etenim in rebus maximi momenti, vt in matrimonio contrahendo, & legationibus admittendis non continuò solemus addere consensum, sed prudentiæ est omnia ponderare quæ incidere possunt. Ita in hoc negotio multa Virgini occurrebant inaudita, naturæ vim hominumque captum excedentia, & illis quidem temporibus incredibilia mysteria: etsi crederet, tamen maturè secum omnia expendebat, neque temerè ad respondendum festinabat. Quapropter Angelus eam hoc exemplo suauiter fortiterque ad assensum inuitabat.

Septima ratio, Vt Ioannes testimonium adderetur testimonio Angeli.

Neque tacendum, quòd nulli magis conueniebat Christi conceptionem in terris confirmare, quàm illi qui mittēdus à Deo erat, vt de Christo testimonium perhiberet; vtque ita suo conceptu atque ortu confirmaret Christi conceptionem ac natiuitatem, sicut suo baptismo & prædicatione comprobabat Baptismum & prædicationem Christi post se venientis. Itaque vt testimonio Angelico testimonium adderetur Præcursoris, debuit inuitari B. Virgo ad eum quàm citissimè inuisendum.

Octaua ratio, Quia id postulabat officiū Oratoris.

Postremò, quid mirum si tantus Orator omnem adhibeat artem Rhetoricæ, vt assensum impetret, qui tam mira tamque in speciem incredibilia nūtiarat? Ecquid verò minus poterat præstare, quàm vt exemplo aliquo,

aliquo, & solidâ ratione epilogum concluderet, officio perfunctus boni Oratoris? Nuntiarat Deum decreuisse fieri mortalem hominē; quàm hoc mirum! iam venisse tēpus illud semper anteà desideratum, tempus noui Testamenti, tempus lætitiæ, tempus gratiæ; quàm hoc nouum! Deum iam de femina nasciturum, Virginem siue viro concepturam, iuxta illud Ieremiæ, *Nouum creauit Dominus super terram, femina circumdabit virum*; quàm hoc stupendum! Sed quantus expectari debuit stupor vbi dicturus esset, Tu es illa virgo, quæ paries filium Dei; paries, & virgo permanebis. Iterùm, Tuus filius incomparabilis erit monarcha, Rexque sempiternus, imò Filius Altissimi vocabitur. Quantas his auditis in Virgine admirationes, raptus, ecstases, vel etiam spiritus defectionem, qualis in Regina Saba fuit, excitari posse cogitabat? Quamobrem familiari etiam exemplo constituerat eam ad consensum allicere. Tria potissimùm enumerat & admiratur sūmopere D. Bernardus, quæ in hac conceptione, & in hoc toto mysterio Incarnationis, quod Angelus Virgini exponebat, contigêre. *In illa*, inquit, *assumptione fecit carni nostræ Deus tres mixturas mirabiliter singulares, & singulariter mirabiles. Coniuncta sunt ad inuicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. In prima commixtione trinitas est in substantijs, & vnitas in persona; sicut in Diuinitate trinitas est in personis, & vnitas in substantia. Secunda est mater & virgo, admirabilis planè & singularis. à sæculo quippe non est auditum quòd virgo peperit, & quòd virgo mater permansit. Tertia est fides & cor humanum, & hæc quidem prima & secunda inferior, sed non minùs forsitan fortis: mirum enim est quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit, quomodo persuaderi potuêre hæc generi humano, vniuerso orbi terrarum*. Hæc Bernardus. Cùm itaque Legatus noster tam sublimia nuntiaret, descendere debuit ad experientiam familiarem & notam. Quemadmodum Concionatores, si quando dictionem ad altiora attollant, speculando quæ vulgi captum excedunt, mox descēdere & accommodare se auditoribus solent. Proinde exemplum adduxit domesticum quod potentiùs influit. *Ecce*, inquit, *Elisabeth cognata tua*, &c. q. d. *Ecce* rem tibi veluti præsentem, & oculis intuendam propono. non Euam de viro formatam, non Saram, non Rebeccam, non Rachelem, non Annam Samuelis matrem, quæ & ipsæ steriles pepererunt; sed Elisabetham demonstro, quàm facilè inuisere, & oculis cernere poteris. *Et ipsa concepit filium in senectute sua*: sicut tu, etsi non in senectute, diuino tamen miraculo in virginitate concipies. *Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis*. Duo profectò maxima impedimenta naturæ ad concipiendum, senectus ac sterilitas: quæ vt vulgò nota significat fuisse in Elisabetha, quapropter aptissimum erat exemplum Virgini ad persuadendū. Cùm enim fides eius bifariàm oppugnaretur, partim à summa eius humilitate, qua se prorsus indignam reputabat tam diuino conceptu, partim à rei nouitate tantopere cum natura pugnante; exemplum erat afferendum, quod vtrique malo posset occurrere, quoniam naturâ simul & ætate sterilis concepit contra naturam, eademq; Virginis erat cognata. Vnde meritò credere debuit simile benefi-

Ierem. 31

Bernard. Serm. 3. de Vigilia Natiu.

beneficium sibi quoque cõferri posse. solemus enim certiùs credere ea nos accepturos ab aliquo Principe, quæ in alios nostræ stirpis ab eodem collata cernimus.

Triplex documẽtum.

1. Ex dictis colligi hîc potest triplex instructio, nobis admodum salutaris. Primò, cùm B. Virginis assensum ad peragendum redemptionis nostræ mysteriũ tam studiosè Deus per Angelum requisiuerit, suauissimis & efficacissimis modis eum eliciens: discimus hinc nullam esse gratiam, etiam efficacissimam, ad quam recipiendam, operique applicandam, non sit opus assensu liberi nostri arbitrij: quod sanè singulare Dei beneficium est, & honor non vulgaris, dum nos operibus suis vult cooperari, & sibi quodammodò socios adsciscit.
2. Deinde, Quòd in exemplum Elisabetha producitur, quæ in senectute filium conceperat, id permagnæ nobis consolationi esse potest, etiamsi toto propemodum vitæ tempore in bonis operibus steriles fuerimus: sperandumque fore, vt opitulante Dei gratia quæ numquam nos deserit, tandem fecundi meritis fiamus.
3. Denique, Ex quo Deipara cognata eius, salua virginitate filium parere meruit, qui omnes Adæ filios dignitate superabat; iterùm discimus omnes, quotquot in vtroque sexu amore Iesu Christi, & sanctissimæ matris eius exemplo virginitatem seruant, votoque insuper eam consecrant, diuinæ bonitatis ac prouidentiæ directione spirituales filios, qui carnalibus omnibus longè digniores sunt, concepturos, & verbo, exemplo, oratione parituros. Sed hæc satis de exemplo nostri Paranymphi: nunc de ratione fortissima quam subiunxit, sequitur vt dicamus, *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Secunda pars, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Hæc est igitur mens Angeli, & sensus verborum eius, teste D. Bernardo. quasi diceret: *Hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, sed de illius qui me misit virtute præsumo: quia nõ erit impossibile apud eum omne verbum. Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in verbo?* Sic ille. (*Bernard. Hom. 4. sup. Missus.*) Sed emphasis adhuc magna est illius, *Omne verbum*, quam latiùs explicare oportet. *Verbum* enim Hebræorum more quamlibet rem vel factum significat: peculiariter verò quidquid Deus loquitur, prædicit aut promittit: atque id omne non est impossibile apud Deum, sed valdè facile, adeòque tam facile quàm verbum vnum loqui, vt vulgò dicitur. Deo siquidem facere idem est quod loqui. Sic in diuinis libris sæpenumerò *verbum* vsurpatur: vt cùm dicit Rex Dauid adolescenti de castris Israël fugienti, *Quod est verbum quod factum est, indica mihi.* id est, Quidnam contigit? (*2. Reg. 1.*) Et pastores loquebantur ad inuicem: *Transeamus vsque ad Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis*, id est, hoc opus quod nobis annuntiatum est per Angelum. (*Lucæ 2.*) Eodem planè modo hîc dicitur, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Prima quæstio. Cur dicatur omne verbum potiùs quàm factum.

Nunc igitur prima hîc exsurgit quæstio, Quare potiùs dixit Angelus *omne verbum,* quàm *opus* aut *factum?* Significatur nempe haud obscurè Deũ facilè posse implere quidquid hominibus quacumque ratione pollicetur, quandoquidem nihil est in cælis, aut in terris, aut apud inferos, quod eum valeat impedire. Promisit autem per Prophetam, Virginem (*Isaiæ 7.*)

ginem concepturam & parituram: igitur certò perficiet, & quidem in te, ô Maria, inquit Angelus. Hoc

Ps. 136.

sensu omnia Deo facilia sunt, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra,* vt ait Psalmographus.

Sap. 12.

& filius eius Sapiens: *Subest tibi cùm volueris, posse.* Sed Bernardum audiamus in hæc verba sanè quàm disertum.

Bernard. suprà.

Monet me & hoc in verbis Angelicis, inquit, *quòd signanter non ait, quia non erit impossibile apud Deum omne factum, sed omne verbum. An idcircò posuit verbum, quia quam facilè possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt, tam facilè imò incomparabiliter faciliùs valet Deus opere implere, quidquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertiùs. Si hominibus tam facile esset facere quàm dicere quod volunt, & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris & verus sermo est, multum interesse inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle: meritò non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia, Potuerunt prauidere & prædicere Prophetæ virginem vel sterilem concepturam ac parituram, sed numquid facere vt conciperent & parerent? Deus autem qui dedit eis posse prauidere, quàm facilè potuit tunc quod voluit per illos prædicere, tam facilè potuit nunc quando voluit per seipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est; nec factum à verbo, quia virtus est; nec modus à facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hactenus Bernardus.

Plin. Senior de Natura Deor.

Obijcere possit quispiam id quod obijcere solent Ethnici, vt Plinius, & Athei, & rude vulgus, quomodo nihil sit impossibile apud Deum, cùm non possit mutari, pati, mori, mentiri, peccare, alium Deum facere, aut montes sine vallibus, &c. Respondetur, Isthæc & similia non posse fieri à Deo, vel quia contradictionem inuoluunt, vel quia non sunt potentiæ, sed infirmitatis & impotentiæ; quæ si in Deum cadere possent, verè Deus non esset. Necesse est enim verum Deum naturâ esse immutabilem, immortalem, veracem, impeccabilem, vnicum, &c. Sapienter hoc docet D. Augustinus his verbis: *Potestas Dei non minuitur, cùm dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potiùs si posset, minoris vtique esset potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Itaque propterea quædam non potest, quia omnipotens est.* Sic Augustinus.

Secunda quæstio, An absolutè omnia Deo possibilia.

Aug. l. 5. de Ciu. c. 10. & L. 26. contra Faustũ c. 5 & 6. & l. 2. de Symbolo c. 3.

Enimuerò speciatiùs vt loquamur, hoc potiùs inquirendum, quæ sint illa propriè, quæ hîc Angelus Deo possibilia esse affirmauit? Respondetur vtique duo præcipua fuisse: alterum, vt virgo concipere & parere posset; alterum, vt Dei Filius carnem nostram assumeret & homo fieret. Sed de toto opere incarnationis tum alibi, tum proxima Concione satis multa audiuimus. Stupendum siquidem illud, captumque excedit hominum, sed non impossibile apud Deum. Quod ad alterum attinet, virginitatem Deiparæ multi hostes acerrimi impugnare & labefactare conati sunt: atque inprimis astutissimi dæmones, inimici generis humani, vt explicat inter ceteros egregiè Iusti-

Tertia quæstio, Quænam propriè dicat Angelus Deo possibilia.

Suprà Conc. 2. & 32.

Hostes virginitatis Mariæ.

1. Demones.

nus

Iustin. in Apolog. ad Antoninum Imperat. nus Martyr. Princeps mundi, inquiunt, ex Scripturis Prophetarum intelligens multa futuri Euangelij mysteria, quæ suo erant tempore complenda, & populis in salutem gentium pandenda; multò antè gentes induxit in opiniones quasdam rerum fictarum & fabulosarum, quæ similitudinem quamdam haberent ac conuenientiam cum rerum futurarum veritate: vt quando tandem hæc contingerent, & gentibus annuntiarentur, existimarent vel esse fabulosas, sicut illas quas audiuerant, vel esse certè similes illis: atque ita minoris fieret diuina veritas, plurimique à fide Euangelij auerterentur. Hinc videlicet cùm ex Scripturis cognosceret Messiam Filium Dei futurum, & de virgine nasciturum, morbosque curaturum, ac demum in cælos adscensurum, præoccupauit mentes hominum fictionibus, quæ aliquam veri similitudinem haberent. Multis namqne persuasit Perseum quemdam de virgine natum, Bellerophontem cælos ascendisse, Deum filios genuisse, & in humana forma apparuisse, Æsculapium morbos curasse, aliaque huiusmodi. Hinc Pilatus audiens Christum Dei Filium esse, timore correptus est, quòd errore illo diabolico multos deos ac deorum filios crederet. Hac igitur arte dæmon virginitatis veræ mysterium euertere conatus est: sed eius fallaciam detexisse, refutasse est. Secundo loco Pa- 2. Pagani gani aduersus hoc mysterium insurrexère, quòd rem prorsus impossibilem iudicarent virginem sine viro concipere & parere, vt refert D. Augustinus. Auguſt. epist. 3. ad Volusianum. Sed fides nostra id perquàm facile & expeditum Deo vero, atque adeò factum prædicat. *Non est impossibile apud Deum*, inquit, *omne verbum.* Aliter quoque D. Augustinus Ethnicis respondet in hunc modum: *Cùm is qui concipiebatur sit singularis, neque similis homo fuerit antea visus, non mirum quòd singularem habeat conceptionem.* Idem l. 10. de Ciui. c. 29 Deinde cùm eius conceptio miraculum fuerit miraculorum, causę naturales, quibus illi nituntur, hîc non habent locum. Præterea Iudæi neque factum hoc credunt, neque fieri potuisse admittunt. 3. Iudæi. Faciliùs tamen conuincuntur, quia Scripturas sacras recipiunt ipsi, non Pagani. Itaque tenentur in primis cōcedere illud Ieremiæ, *Domine Deus, tu fecisti cælum & terram, & non est tibi difficile omne verbum.* Iere. 33. Item, que illud ex Genesi, *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:* Gen. 2. cur non & virum de substantia feminæ efformare posset? Illud denique Isaiæ, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Isaiæ 7. Quod Dei iussu vaticinatus est Propheta Regi Achaz, tamquam miraculum siue signum admirabile ac supernaturale, quò crederet faciliùs id quod sibi nuntiabatur, nimirum regnum Iuda diuinitus liberatum iri à Rasin Rege Syriæ, & Phacee Rege Israël, à quibus ipse Achaz obsidebatur? Postremò hæretici omnium pessimi & peruicassimi bellum 4. Hæretici. Virgini virginum indixère. Quidam enim negarunt virginitatem eius ante partum, asserentes illam concepisse ex Iosepho, vt Cerintus & asseclæ eius, teste D. Irenæo. Iren. l. 1. c. 25. Sed si satis ex historia Annuntiationis refutantur, vbi quærit D. Virgo, *Quomodo fiet istud?* & respondet Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Alij negarunt virginitatem in partu, vt Iouinianus, teste D. Hieronymo, & alij. Vide Suarez in 3. p. to. 2. disp. 5. Sed ijsdem verbis refutantur. Nam antequam

Deipara quæstionem suam proponeret, Angelus ei dixerat non solùm *Ecce concipies in vtero*, sed etiam *paries filium*, nempe superuentu Spiritus sancti, vt posteà explicauit. Alij negarunt virginitatem solùm post partum, vt Eluidius, quem D. Hieronymus refutat, cum ceteris quorum meminit Epiphanius. Hi refelluntur etiam verbis gloriosæ Virginis, dum ait, *Quoniam virum non cognosco*, id est, nec soleo, nec possum cognoscere, nec cognoscam; vt ibidem exposuimus. Et ratio est euidens: nam si reuelanti Angelo Filij Dei conceptionem, opposuit Virgo se virum non cognoscere; quomodo induci potuit posteà vt cognosceret virum suapte sponte, & libera voluntate, & ad concipiendum hominem merum ac peccatorem? Maria itaque fuit verè *rubus ardens incombustus*; *vellus Gedeonis* aridum permanens cùm tota terra esset madida; *virga Aaron* quæ sine humore protulit fructum; *virga Iesse* sine corruptione fructum producens. Sed vlteriùs pergamus.

Epiph. hæresi 78

Exod. 3. Iudith. 6. Num. 17. Isaiæ 11.

Quarta quæstio, Cur hanc rationem afferat, cùm de fide Virginis non dubitet.

Quarta quæstio quæ hîc moueri potest, nostram propiùs vtilitatem attingit, quare scilicet Angelus talem rationem suggerat Virgini. An non cogitabat hoc B. Virginem non latere, quòd nihil Deo sit impossibile? Ita quidem: sed Virgo modum quæsierat concipiendi saluo voto. Explicauerat verò id satis Angelus; sed adiungit etiam generatim adhuc mille modos apud Deum esse, quia nihil sit ei impossibile: quod non solùm Virgini, sed & nobis omnibus, totique Ecclesiæ egregiè profuturum sciebat, si identidem attenteque consideretur. Etenim sine dubio non tam Virgini, quàm nobis ac nostræ fidei consulere Angelus voluit ista ratione: vt & hoc mysterium incarnationis, & alia omnia fidei mysteria firmiter credamus, vel ob hanc solummodò causam, quia Deo nihil impossibile. Quamuis enim multa sint, quæ ratione naturali capere non possumus, non ob hoc tamen hæsitandum, sed ad Dei potentiam confugiendum, qui supra naturam & captum hominum multa facere potest. Quare, obsecro, statim initio Symboli dicimus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*? nimirum vt Christiani in fide non titubent, etiamsi multi articuli obscuri valdè & difficiles occurrant: cùm Deus longè alia possit facere quàm nos capere. Non esset certè valdè potens Deus, si ea tantùm posset efficere, quæ possemus nos homunciones comprehendere. Exempli gratia, quàm difficiles articuli sunt de Trinitate personarum in vna natura, de duabus naturis in vna persona Christi, de creatione rerum ex nihilo, de resurrectione carnis corruptæ & in puluerem redactæ, de venerabili Sacramento, in quo verè Christus est cum omnibus suis dimensionibus, totus in toto & in omnibus partibus, idemque eodem tempore plurimis in locis? Facillimè tamen hæc credimus, quia Deus infinitæ virtutis est. Quocircà dicimus rationem hanc ab Angelo non tam Virgini datam quàm nobis, vt nos in fide nostra confirmemur, nominatim huius articuli seu mysterij incarnationis ex virgine. Sicuti enim Christus clauso surrexit sepulchro, sicuti clausis ianuis postmodum ad discipulos venit: ita credimus conceptum natumque ex incorrupta Virgine: quia Deus, qui omnipotens est, nobis id reuelauit. Hæc eadem ratio sanè optima est contra grauissimas quasque difficultates vel tenta-

tentationes non modò in materia fidei, sed in re qualibet. Aliqui enim propter infortunia quasi à Deo deserti animum penitus despondent, neque possunt emergere: alij ita iacent in vitijs, vt putent se numquam posse ad meliorem frugem exsurgere: alij semper melancholici, numquam læti incedunt: alij putant se non posse castos viuere. Sed attendant omnes isti ad rationem Angeli, *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, si modò suos conatus ei adiunxerint: & de suis viribus diffisi omnem fiduciam in Deo collocarint, dicentes cum Apostolo, *Omnia possum in eo qui me confortat*. Nunc ad finem iustis passibus properemus. Philip. 5.

Quæstio quinta, An hæc ratio sit sufficiens fundamentum fidei nostræ.

Quæri possit etiam ad extremum, num hoc sit sufficiens fundamentum fidei nostræ confirmandæ, quòd Deus sit omnipotens, cùm videatur principium nimis generale? Respondendum est, cùm Deus per Scripturam vel alio modo aliquid reuelauit, nobisque per Ecclesiam credendum proposuit; tunc sufficere nobis debet hoc fundamentum vt credamus, etiamsi capere non possimus modum. v. g. Consideremus stupenda illa, planeque diuina miracula, quæ in vtroque Testamento passim referuntur, siue ab hominibus, siue ab Angelis, siue immediatè ab ipsomet Domino Deo edita: quæ cunctis mortalibus palàm testificantur & probant illum esse infinitæ potestatis in operibus, & summæ veritatis in verbis atque promissionibus suis. Ecquis non cogetur cum patre fidei nostræ Abrahamo hanc gloriam Deo reddere, vt fateatur, *Quæcumque promisit, potens est & facere?* & cum Angelo Gabriele, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum?* Sic videlicet considera- Rom. 4.

tione miraculorum Dominus aliquando discipulos in fide confirmauit, vt cùm dixit, *Ite & nuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* &c. Matt. 11. Aliquando incredulos ad fidem traxit, vt cùm ait: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ioan. 10. Aliquando denique hoc pacto hostium peruicaciam fregit, vbi ait: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Miracula profectò infallibile sigillum sunt potentiæ & veritatis diuinæ. Ac licet debeamus nos quidem simplici verbo Dei sic acquiescere, vt non sit opus nouis miraculis quæ fidem faciant (sicut & Maria credidit, nec miraculum postulauit) attamen si diuinæ liberalitati placuerit dare, vt ne vlla ex parte vacillemus, sed in fide crescamus, non erunt aspernanda, sed cum gratiarum actione admittenda. Meritò enim inter ceteros scribit Iustinus Martyr, fidē nostram miraculis plurimùm augeri ac confirmari. Iustin. l. contra Aristotel. Quin etiam refert, seipsum ad eam amplexandam perductum fuisse tam exemplis quàm miraculis sanctorum prioris Ecclesiæ martyrum. Et Tertullianus incredulitatem sæculi sui Iudæorum solidè confutat, quòd tum destituti essent tam prophetis, quàm frequentibus apud patres eorum miraculis. Tertul. l. Præscr. c. 5.

Vtilitas maxima huius doctrinæ.

Quæ cùm ita sint, quotiescumque offertur bona ratio credendi, vt cùm ab Ecclesia quidpiam proponitur, cùm miraculis confirmatur, cùm in Scriptura exprimitur, firmissimè credendum est; & quò res difficilior, eò fides nostra Deo est gratior, & maioris meriti: tunc etenim ex parte no-

ſtra tantò eſt maior humilitas adiuncta, ex parte autem Dei maior veneratio & gloria. Humilitas, inquam, ac ſubmiſſio noſtra, teſte Apoſtolo, *in captiuitatem redigit intellectum, in obſequium Chriſti.* Quare in obſequiũ Chriſti? quoniam tametſi capere non poſſimus quę proponuntur, credimus tamen quia Deus omnipotens eſt. Ita Chriſtiani fide ſua Deum honorant, & ſupremam illam maieſtatem ac poteſtatem generosè venerantur, dum credũt longè plus Deum poſſe facere, quàm ratio capiat humana. D. Leo grauiſſimis id verbis extollit vbi ait: *Magnarum hîc vigor eſt mentium, & valde fidelium hoc lumen animarum, incunctanter credere quæ corporeo nõ videntur intuitu. Nam quomodo quiſquam iuſtificaretur per fidem, ſi in iis tantùm ſalus noſtra conſiſteret, quæ obtutibus ſubiacerent?* q.d. Quale meritum eſſet fidei, ſi videremus rationem ante oculos? nulla ſiquidem tunc eſſet difficultas.

2. Cor. 10

D. Leo Ser. 2. de Aſcenſ.

Rectiſſimè quoque id ponderat D. Auguſtinus, vbi de hoc agẽs myſterio, *Tota,* inquit, *ratio facti eſt potentia facientis. Inquirãt increduli quomodo ex nihilo omnia facta ſint: quomodo primus Adam ex limo, Eua ex coſta viri, diluuium vniuerſale, vxor Lot ſtatua ſalis, Sara, Rebecca, Anna ex ſterilibus matres; virga ſerpens, & ſerpens virga; mare diuiſum in diuiſiones, aliaque huiuſmodi tum veteris tum noui Teſtamenti inquirant curioſiſſimè. Vnica, ſolida, & de throno Dei ad nos allata reſponſio eſt, Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit, & facta ſunt omnia,* inquit Pſalmiſta; quod verbis Angeli etiam conſonat. Ad eamdem reſolutionem Apoſtolos ſuos in omnibus difficultatibus remittit Chriſtus in Euangelio hoc modo: *Cùm mirarentur illi dicentes, Quis ergo poterit ſaluus eſſe? dixit illis Ieſus: Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſũt.* quoniam ſcilicet anteà dixerat, *Facilius eſt camelum per foramẽ acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum:* hoc ipſum, vt omnia alia, Deo perfacile eſſe affirmat. Quin imò ſic etiam ſemetipſum ſummis in anguſtiis conſolatur, dum ait: *Abba, Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Ad eãdem reſolutionem nos quoq; par eſt identidem confugere, quoniam in rebus deſperatiſſimis, in ſummis periculis, in ipſo mortis articulo omnes animare atq; erigere poteſt. *Facile quippe eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem;* & eripere potenter, & glorioſè liberare oppreſſos, cùm nihil ſit ei difficile: ſicuti Abraham liberauit ab igne, Iſaac à gladio patris, Iacob à fratre infenſo, Ioſeph è carcere, Ionam è naufragio & ventre beluæ, Danielem è lacu leonum, Dauidem de manu Goliath, Saulis, Philiſthinorum, Abſalonis; alios aliter. Itaque ſiquis noſtrûm infirmior ſit, qui patiatur difficultates aut tentationes in fide (nam vt contra ſpem, contra charitatem, contra temperantiam, caſtitatem, aliaſque virtutes, ita & contra fidem nobis inuitis tentationum ſubinde pericula inſurgunt) conſultum eſt nullo modo diſputare vel rationibus agere cum dæmone, ſed conſtanter credere, quia Deo nihil impoſſibile. Dæmon nihil aliud molitur, quàm vt id quod videt eſſe veluti baſim æternæ ſalutis, poſſit aliqua ratione vel concutere vel ſubuertere. *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* &, *Iuſtus ex fide viuit.* Quid igitur, quomodo reſiſtendum diabolo? Fidenter & infracto

Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſianum.

Pſal. 140.

Matt. 19.

Marc. 14.

Eccli. 11.

Hebr. 11

Rom. 1.

fracto

fracto animo dicendum, quotiescumque nos lacessit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Credo quidquid credit sancta mater Ecclesia, cuius caput vnicum sub Christo est Romanus Pontifex. Illa illa est columna & firmamentum veritatis; illa tibi, ô satan, pro me respondebit. Disputa cum illa si voles: mihi satis est si credo quidquid illa credit. Dicendum etiam frequenter cum Propheta Regio: *Domine, illumina oculos meos* (lumine fidei) *ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.* Et cum Ezechia, *Domine vim patior, responde pro me*. Cum Apostolis denique, *Domine adauge nobis fidem*. Ita resistendum diabolo, & fugiet à nobis.

Psal. 12.
Isaiæ 38.
Luc. 17.

Epilogus legationis Angelicæ. Bernard. Hom. 4. super *Missus.*

At satis hactenus de verbis Angeli Paranymphi. Subiungit ardentissimo affectu D. Bernardus: *Audisti Virgo factum, audisti & modū, vtrumque mirum, vtrumque iucundum. Iucundare filia Sion, & exulta satis filia Ierusalem. & quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia, audiamus & nos a te responsum lætitiæ quod desideramus. Expectat Angelus responsum, tempus est enim vt reuertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia dānationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam, cum misera sobole sua exul de paradiso: hoc Abraham, hoc Dauid, hoc ceteri flagitant sancti Patres, patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denīq; vniuersorum filiorū Adam, totius generis nostri. Da Virgo responsum festinanter.* Hactenus Bernardus. Expectemus igitur hoc lætitiæ verbum à B. Virgine in proximam Concionem: Deo videlicet dante nobis vitam & vires, qui solus est, viuit, & regnat in sempiterna sæculorum sæcula. Amen.

CONCIO XXXIV.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

1. Verbum hoc quantæ efficaciæ quantiq; miraculi fuerit, sicut & alia verba Deiparæ.

2. Quomodo eam imitari debeamus in loquela verbisq; fructuosis.



ABSOLVTA iam cælestis Paranymphi legatione, dictaque peroratione, consideratione dignissimum est quemadmodum Virginis responsum totus orbis auidissimè expectarit. Præsens adsistebat sanctissima Trinitas, quasi auribus exceptura dilectissimæ filiæ suæ vocem, qua cæli mouendi erant & terra. Oblectabat se consideratione verecundiæ & modestiæ virginalis; consideratione turbationis eius, auditis Angelicæ salutationis laudibus; cōsideratione prudentiæ eius in cogitando, sollicitudinis quoque pro voto suo in respondendo; tandem auscultabat ad humilia verba ex eius ore egressura. Deinde expendendum quomodo & quanta reuerentiæ & submissionis significatione ipse Gabriel ad eius vultum

vultum inclinatus & ab eius ore pē-dens expectarit optatissimum illum assensum, ex quo tanta Dei gloria, totiusque generis nostri salus pendebat. Ad eumdem omnes cæli ciues ardentibus votis anhelabãt, Mariam obsecrantes vt misericordia moueretur, qua sedes eorum antiquæ tandem instaurarentur. Ad eumdem suspirabant gementes & flentes in hac lacrymarum valle omnes filij Adami & Euæ, damnationis æternæ rei, verbum redemptionis, verbum misericordiæ, verbum salutis expectantes. Supplicabant etiam ei omnes illæ sanctæ animæ, quæ sedentes in tenebris & vmbra mortis, confidebant se eius responso continuò liberandas, & æternæ vitæ claritate ac gloria potituras. Omnes denique creaturæ vna voce exclamabant, vt scribit D. Augustinus: *Responde iam Virgo sacra, eia age responde. Assensum tuum Angelus præstolatur: Dominus in porta est, Angelum quem moraris expectat. O Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assẽsum.* Et D. Bernardus quo solet eloquio, *O Domina*, inquit, *responde verbum quod terra, quod inferi, quod exspectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum: in qua nimirum proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo: cùm ipse tibi clamet è cælo, ô pulchra inter mulieres, fac me audire vocẽ tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Numquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa exspectata, illa desiderata, ex qua sanctus tuus pater Iacob iam morti appropinquans vitam sperabat æternam cùm dicebat, Exspectabo salutare tuum Domine. in qua denique & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras quod tibi affertur? quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodò præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citiùs Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe Verbum. Profer tuum, & cōcipe diuinum. Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus conuenit nunc vt virginalis simplicitas obliuiscatur prudentiam. In hac sola re ne timeat prudens virgo præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confessionem. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum* De hoc verbo dicamus Primò, quàm efficax quamque mirificum fuerit, vt & cetera Mariæ verba. Deinde, quomodo eam imitabimur in loquela verbisque fructuosis.

August. Serm. 17. de Natiu.

Bernard. Hom. 4. sup. *Missus.*

Gen. 49.

AVE MARIA.

HOc verbum gloriosissimæ Virginis, quo legationem Angelicæ clausit Annuntiationis, D. Ambrosius interpretatur esse voti ac desiderij, coniuncti tamen cum fide: siquidem

Ambros. lib. 2. super Luc. 1.

quidē credebat simul & desiderabat id quod dicebat. D. Bernardus autem in hunc locum, asserit esse verbum orantis ac deprecantis, vt tale mysterium in ea perageretur. Verùm rectissima est sententia D. Augustini, Irenæi, Damasceni & aliorum, scilicet hoc esse verbum consentientis, siue assensum præstantis diuinæ voluntati. Hunc enim consensum Angelus expectabat, & hic solùm tota legatione quærebatur. Est autem Hebraismis Scripturæ, vt apud Danielem, *Dixit Daniel Regi, Fiat iuxta verbum tuum*, id est, assentior vt fiat sicut dicis: ita & D. Virgo dicit, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Quocirca hunc sensum præcipuè amplectamur, ac fusiùs pertractemus.

Bernard. Hom. 4. super *Missus.*
August. Ser. 17. de Sanctis. Irenæus l. 3. c. 33. Damasc. l. 3. c. 2. Beda, &c
Dan. 14.

Simile. Quemadmodum si cupias pulcherrimam tibi imaginem depingi, offers pictori tabulam quàm optimam; vel si volueris literas tibi præcipuas atq; titulares conscribi, optimam quæris membranam, quam scriptori tradis: ita Pater æternus, cùm vellet Filium suum, id est, imaginem suam & figuram substantiæ suæ hominibus visendam exhibere, cùm Verbum suum legendum nobis proponere, à Maria Virgine tabulam requisiuit virgineæ carnis, in qua illa Dei imago visibilis fieret, & verbum Patris legi posset. Erat quidem in principio imago illa Dei viua in mente Patris: erat Verbum illud in Dei corde quod ante Luciferum illud eructauerat: sed in lumine inaccessabili erat, videre imaginem illam non licebat, verbum illud legere non poteramus. Hinc querimonia frequens Prophetarum, vt cùm dicerent: *Nō est qui scire possit vias eius, neque qui excogitet semitas eius: sed qui scit vniuersa, nouit eam*, scilicet sapientiam. Et alibi: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* Mundus quidem magno flagrabat desiderio hanc imaginem videndi, atque hoc verbum legendi, vt dicere aliquando posset cum B. Boanne, *Quod vidimus, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum.* Sed tempus aduentus eius differebatur & pendebat ab assensu Virginis Mariæ: ille priùs requiri, ille cælitus obtineri debebat. Eo igitur fine atque consilio missus est Angelus ad illam, petiturus tabulam substantiæ virgineæ, in qua Spiritus sanctus imaginem illam depingeret; tabulam in qua Verbum Patris scriberetur, tabulam in qua illud palàm toti orbi exhiberetur. De quo nimirum discipulis gratulatus est Dominus cùm diceret: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Multi Reges ac Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt.* Nolebat vtique Deus dare nobis Filium suum, id est, imaginē illam seu Verbum suum exhibere, nisi Maria Virgine consensum præbente, libereque offerente sacram humanitatem, hoc est, candidissimam ac pulcherrimam carnem, in qua Dei Filius hominibus apparere dignaretur. Atq; adeò iam cælestis Legatus perorauerat, iam ab ore Virginis pendebat generis humani salus, iam orbis vniuersas veluti flexis genibus, & lacrymis suffusus Virgini supplicabat pro responso: ipse Dominus Deus reditum nūtij sui exspectabat. Tunc igitur illa cernens tempus respondendi aduenisse, sentiens quoque mentem nouæ lucis radiis cælitus illustratam, cor verè insolito charitatis ardore colli-

Baruch 3
Isaiæ 45.
1. Ioan. 1
Luc. 10.

Hhh que-

quiescens: tunc, inquam; sincero deuotionis affectu, fixis humi genibus, oculisque in cælum subleuatis, responsum summæ humilitatis protulit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Laur. Iustin. Ser. de Ann. Ita videlicet hoc factum describit D. Laurentius Iustinianus in hæc verba: *Tunc*, inquit, *ad Deum totum est conuersum cor Virginis noua irradiatum luce, insolito charitatis desiderio liquefactum, ac repletum deuotionis affectu. Solo igitur mente & corpore prostrata humillimè dixit, Ecce ancilla Domini fiat mihi secūdùm verbum tuum.*

Hieron. Serm. de Natiuit. S. Mariæ. Et D. Hieronymus adiungit: *Manibus expansis, oculisque ad cælum leuatis Maria protulit verbum suum* Cum ingenti videlicet virtutum omnium, fidei, spei, charitatis, magnanimitatis, obedientiæ, & humilitatis exercitio & incremento retulit responsum, dicens: *Ecce ancilla*, &c. O mirificum *fiat* gloriosæ Virginis! Ecce dictum factum: eodem momento, in ictu oculi virtute Spiritus sancti æternum Verbum caro factum est, & Maria Virgo mater Dei. Haud aliter nempe quotidie, dum sacra celebrantur mysteria in Missa, post verba consecrationis fit præsens Christus Dominus in sacrosancta Eucharistia, quàm in vtero Virginis, expletis paucis eius verbis, à Spiritu sancto idem Dominus est collocatus. O verbum Virginis abbreuiatum, sed omnipotens! nam quod tot precibus omnes antiqui Patres, sancti Reges ac Prophetæ impetrare non potuêre, hoc obtinuit illa verbo suo. O quàm fuit verbum hoc profundum, quàm sanctū, quàm dulce, quàm prudens, quàm consideratum! quot quamque sublimia in hoc verbo mysteria comprehenduntur! cælum etiam terramque lętitia impleuit, Deum Angelosque pacis plurimum oblectauit, spē erexit sæculo perdito, potestates infernales terruit, Patribus lugentibus gratiam libertatis annuntiauit, quos cognita Virginis responsione credibile est cœpisse pariter omnes cum ineffabili iubilo cātare, & Dominum laudare dicentes: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.*

Quàm mirificū fuerit verbum Virginis.

Illo igitur puncto temporis adimpletæ sunt figuræ omnes mysterij incarnationis, ac Scripturæ veteris monumenta, Vatumque diuinorum oracula: tunc celebratæ sunt in vtero Virginis, momento temporis, Regiæ illæ nuptiæ Verbi æterni cum natura humana, id est, sorore nostra: tunc finem sortita sunt accensa Sanctorum Patriarcharum ac Prophetarum desideria: tunc stillarunt cæli ante faciem Dei Sinai dulcissimum illud manna, illum verum ac viuum panem, qui daturus erat vitam ac salutem mundo. Tunc *de monte abscissus est sine manibus humanis paruus ille lapis, qui deinde crescens impleuit totam superficiem terræ*. Tunc *nouum fecit Dominus super terram, vt fœmina circumdaret virum*, sine viri opera vestiens carne Deum. Tunc magnus ille Legislator ex cælesti monte descendens ad promulgandam nouam legem gratiæ, faciem suam diuinam operuit velo carnis nostræ mortalis, vt posset in terris viuere aliorum more, & inter homines cōuersari. Tunc misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Tunc verè consummatum est magnum diuinæ pietatis sacramentum, quod

Oracula & figuræ huius mysterij implētur.

Dan. 2.

Ierem. 31

quod posteà manifestatum in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Túcquemadmodum terræ vapor vi Solis in sublime fertur, vbi sub auroram cócretus in rorem vertitur, qui nocte frigida decidens terram mirificè fecundat: ita purissimus sanguis B. Virginis, virtute Spiritus sancti concretus mundum irrigauit vniuersum, & vitæ fructum summa fertilitate fuit operatus. De quo canit Isaias Propheta: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* (Isa. 45.) Tunc denique verbum augustissimæ Virginis quasi scalam erexit à terris in cælum, qua Filius Dei descendit in vterum matris, & Virgo ascendit ad incomparabilem gloriam matris Dei, cui mox dictura erat Elisabetha Dei spiritu afflata: *Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me?* (Luc. 1.) Nos quoque omnes eâdem ascendimus ad altissimum statum filiorum Dei, fratrumque Christi, dum pro nobis infinita dignatione Deus fit homo. O verbum admirabile! ô verbum imperscrutabile! verbum, cuius virtute omnia iam dicta mysteria vnico temporis momento sunt completa!

Quis tum sensus fuerit Virginis.

Quem illo temporis articulo sensum Virginis sanctissimæ fuisse arbitramur? quem cordis affectú? quomodo ardebat animo, cùm immensus ille diuinæ charitatis ignis, qui missus erat in terram ad orbem inflammandum, totus se intra eius viscera contraxit? Quanta fuit mentis illius eleuatio, quantæ admirationes, quáti raptus, ob summum ineffabilis huius sacramenti arcanum? quæ humilitas, quæ gratiarú actio, quæ suauitas, quæ obsequiorum oblatio, quæ amoris incédia, quis erga nos omnes etsi immerentes charitatis excessus cor illud occupauit? O Virgo benedicta, sola tu posses enarrare mirabilia quæ illo tempore es experta. Si ad vocem Sponsi liquefacta est anima Sp̄osæ; tu quomodo in ingressu ipsius Sponsi in virgineum thalamú tuum, id est, inter tantas charitatis flammas tota consumpta non es? Ecce quàm efficax, quàm mirificum, quàm fructuosum, quàm pretiosum fuit verbum, quod loquebatur Maria.

De alijs quoque verbis Mariæ.

Neque verò hîc tantùm mirabilia efficit verbo suo, & maxima cum vtilitate illud pronuntiat, sed vbicumque præterea Scriptura sacra ipsam locutam fuisse commemorat. Quòd si expendere instituamus verba illius, quæ tantummodò sacris litterarum monumentis expressa sunt, non est lingua vlla creata quæ idonea sit explicandis mysterijs, quæ in ijsdem sunt comprehensa, aut virtutibus admirandis quæ in ijs elucescunt. V. g. Vnico verbo pretium virginitatis, eatenus incognitum, patefecit & mundo persuasit, cùm dixit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Alio docuit nos absolutissimam resignationem, qua omnia nobis opera sint instituenda secundùm Dei voluntatem, dum ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Alio item Baptistam infantulum sanctificauit, eiusque matrem Elisabetham Spiritu sancto impleuit: sic vt eius sermo quoddá fuerit velut organum & instrumentum diuinitatis, ad maxima quæque perpetranda. *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis,* inquiebat illa, *exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quid de diuino illo Cantico dicemus, quo tam sublimiter & clarè Dei bonitatem lau-

dauit, misericordiam eius deprædicans, & fideles omnes erudiens, quemadmodum eum vbique laudare, & acceptum ei referre meritum quoduis, honorem & gloriam operum suorum debeant? Quid alia commemorare opus est, siue quæ protulit in templo, filio post triduum inuento, siue quæ in nuptijs vt vini defectum suppleret? istiusmodi enim effectus & vtilitates ex alijs quoque dictis eius exstitisse euidenter colligimus. At satis est de hoc toto argumento D. Bernardum differentem audire; sic enim ait:

D Bern. Ser. sup. *Signum magnum.* *In omni textu quatuor Euangeliorum (si benè meminimus) non nisi quater Maria loquens auditur. Primò quidem ad Angelum, sed cum iam semel atque iterùm allocutus eam fuisset. Secundò ad Elisabeth, quando vox salutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero, & ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curauit. Tertiò ad filium, cùm iam esset annorum duodecim, quod ipsa & pater eius dolentes quæsissent eum. Quartò in nuptijs ad filios & ministros. Qui quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & verecundiæ virginalis fuit, dum aliorum verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum.* Ita Bernardus. Nunc mirabilia verborum effecta, si placet, intueamur. An non ad primam eius loquelam confestim subsecutum est maximum miraculum Dominicæ incarnationis? ad secundam tota cognatæ familia repletur Spiritu sancto? ad tertiam verò in templo, posteaquam dixit, *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te:* quàm stupendum est quod sequitur, *Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis?* quis, quibus, in quo ministerio, quanta submissione, alacritate, charitate, quamdiu, quas ob caussas? Quarta fuit in Cana Galilææ, deficiente vino in nuptijs, vbi dixit, *Vinum non habent*: & ecce miraculo statim aqua in vinum conuersa est. Itaque breuiter vbique locuta memoratur, in pondere, vt sic dicam, in numero, & mensura: sed quanta cum energia, quanta efficacia, quanto fructu? Raró etiam loquebatur, sed cum eximio semper fructu, & suauissimo verborum influxu. Idcircò ei dicit Sponsus in Canticis, *Fauus distilans labia tua, lac & mel sub lingua tua.* Cant. 4. Vbi præstantiam virginei sermonis commendens, comparat illum fauo, propter eximiam eius dulcedinem: & fauo quidem distillanti, non effluenti; quia prudenter loquendo non effundebat quidquid nouerat, nec multa verba ex ore eius fluebant, sed pauca quasi guttatim distillabant cum moderatione & mensura, iuxta præceptum Ecclesiastici, *Verbis tuis facito stateram.* Eccli. 28. In quem locum D. Ambrosius, *Sermones*, inquit, *lingua proferat ad mensuram, librâ examinatos iustitia, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus.* Ambr. l. 1 Offic. c. 3 Item D. Chrysostomus in Psalmos subtiliter huius rei rationem reddit. Chrys. in Psal. 140. *Si enim hoc facimus*, inquit, *in auro; multò magis faciendum est in verbis, vt nihil desit, nihil redundet.* Ita nimirum loqui solebat Deipara Virgo cum pondere, & energia. Denique *Homo bonus*, inquit Saluator, *de bono thesauro cordis sui profert bona.* Matt. 18. Atqui nemo sanctior fuit vmquam B. Virgine, cuius fundamenta sanctitatis in montibus sanctis constituuntur; non mirum igitur si de bono, id est, de omnigeno virtutum thesauro verba bona protulit, accensa flam-

Luc. 2.

flammis charitatis, quæ in corde ardebat. Ac ficuti è dolio præſtantis ac nobiliſſimi vini non niſi vinum excellentiſſimum elicitur: ita de eius corde charitatis incendijs ardenti, non niſi præſtantiſſima diuini amoris verba inſtar vini nobiliſſimi emanare potuerunt. Quapropter plurimos haud dubiè hac ratione ad fidem pertraxit, præſertim poſt Aſcenſionem Filij. Nam quicumque ſemel ipſam loquentem audiebat, quantumcumque infidelis eſſet atque obduratus, vel ſtatim credidit, vel apud ſe firmiter ſtatuit citò fidem recipere. Hæc & ſimilia de ipſa tradidêre SS. Patres, Ambroſius, Germanus Patriarcha, Epiphanius, &c.

Ambr. l. 2 de Virgin. Germanus. Vide Epipha. ſuprà &c. Conc. 29.

Porrò quamuis Domina noſtra magis magiſque ſemper in iſta virtute conſummaretur, vti in cæteris etiam omnibus, quotidie incrementum aliquod adijciens: ab infantia tamen eam exercere cæpit tanta cum conſtantia & perfectione, vt Deum perpetuò in ſuis ſermonibus laudaret, & ſuauiter efficaciterque omnes eos quibuſcum verſabatur, ad idem perficiendum commoueret. Nam quemadmodum ait D. Bonauentura, vt ne vmquam ceſſaret Deum benedicere, laudare, eique gratias agere, reſpondere ſemper adſueſcebat hiſce ſanctiſſimis verbis, *Deo gratias* vel *Laudetur Deus*. Quam ſalutandi conſuetudinem Eccleſia poſteà recepit ac reuerita eſt, præſertim in Religionibus quibuſdam: edocta videlicet à Spiritu ſancto, vt zelus honoris diuini omnium animis imprimatur.

Bonauen. in Vita Chriſti c. 30.

Secunda Pars de imitatione D. Virginis in loquendo.

Verùm nunc tempus monet vt conſideremus etiam quàm ſtudioſè nobis hoc rectè loquendi exemplum à D. Virgine datum imitari conueniat: quæ pars altera noſtri inſtituti fuit. Difficile enim, fateor, continere linguam à loquendo, ſed difficilius ita eam regere, vt rectè loquatur & cum fructu, quando loquendum eſt. Exigua videlicet pars corporis noſtri lingua eſt, ſed ita fallax vt pauci reperiantur qui per illam non peccent vel in Deum vel in proximum. Hoc ipſum admirans Apoſtolus Iacobus in Epiſtola ſua, eius recenſet varios effectus & ſtupendos. *In ipſa,* inquit, *benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Si quis autem in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: potens etiam fræno circumducere totum corpus. Quòd ſi equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus. Et ecce naues cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat.* Quid grauius dici poteſt? At quid ampliùs? *Et lingua ignis eſt,* inquit, *vniuerſitas iniquitatis. Ecce quantus ignis quàm magnam ſyluam incendit! Omnis quoque natura beſtiarum, & volucrum & ſerpentium & cetorum domantur, & domita ſunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Hæc D. Iacobus. Bone Deus! quanta perfectio neceſſaria eſt, vt rectè ac fructuosè linguâ ſemper vtaris? Atqui perfectiſſima & beatiſſima Virgo Maria huius rei luculentum, vt vidimus, nobis reliquit exemplum: vt ab ea fructuosè & efficaciter loqui diſcamus. Numquam enim otioſa verba proferenda ſunt, ſed ſemper adeſſe debet aliqua vtilitatis, vel Dei glo- ria,

Iacob. 3.

Nūquam verba otioſa proferenda.

ria, vel commodum proximi, vel honesta vt minimùm recreatio, siue tuendæ causa sanitatis, cùm, vt dici solet, non possit arcus semper intendi. Quod difficile quidem videtur, & experientia docet quàm raræ virtutis sit hoc præstare vt semper fructuosè, & cum merito & ad maioré Dei gloriam loquare. Verumtamen siquis verè ac seriò studeat perfectioni, sitque cum Deo coniunctus, omnia sua opera, verba, cogitationes ad Deum purè referens, eamque intentionem sæpè renouans, multum proficiet, magnosque in via spirituali progressus faciet. Omnia namque verba, quæ non sunt ex se mala, virtute huius intentionis sæpiùs iteratæ meriti vim habent.

I. Iuuabit recta intentio sæpè renouata.

Deinde, si plena esset anima nostra charitate Dei, si nostra conuersatio in cælis, si cor nostrum ibi esset vbi thesaurus est noster; haudquaquam graue aut molestum nobis esset loqui de Deo, de cælo, de rebus piis. Proprium hoc esse veri ac sinceri amatoris de re amata libenter loqui, manifestè quotidiana docet experientia. Ingredere domum agricolæ alicuius, qui valdè occupatus est & sollicitus vt fecundet agros: ingredere officinam fabri cuiusdam: descéde ad forum in quo varia fiunt mercimonia: qua de re loquentes inibi homines audies? an non de colendis agris, de semente facienda, de messe, de re fabrili, & aliis cuiusque modi exercitiis? An non verè dixit Poëta,

II. Verus ac sincerus Dei amor.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, pastor oues?

Contrà verò vade in domum viri pij vel mulieris, veni ad Religiosum qui amat Deum & salutem proximi: ibi de bonitate Dei, de cælo, de beneficiis Dei, de pulchritudine & pretio virtutum, denique de iis rebus audies, quæ ad salutem conferãt animarum. Quid ita? propterea quòd cor & cura omnis huiusmodi hominum defixa sint in rebus diuinis atque æternis, quas præ ceteris amant, cogitant, mirantur. D. Augustinus in Manuali hunc articulum diligenter expendit cùm diceret: *Magna res est amor, quo anima per semetipsam fiducialiter accedit ad Deum, Deo constanter inhæret, Deum familiariter percontatur consulitque de re qualibet. Anima quæ amat Deum, nihil aliud potest cogitare, nihil loqui: cetera contemnit, omnia fastidit.* Quidquid deniq; cogitat & loquitur, ad Dei amorem & honoré refert. Hinc fit vt anima benè in suum creatorem animata & affecta, non opus habeat recreationis causa vacare magis nugarum, ac rebus friuolis, aut curiosis colloquiis (quoniam eiusmodi rerum amore non ducitur) sed quod eam solari ac leuare potest. Hoc est videlicet loqui de rebus quas amat & expetit, & quibus se fruituram sperat in æternum.

Aug. in Manua. cap. 10.

Itaque quid causæ erat obsecro, cur beatissima Virgo semper fructuosa, numquam otiosa loquebatur? Cor nempe eius erat plenum charitate, plenum Spiritu sancto, plenum virtutibus: ideoque non loquebatur nisi ex spiritu de Deo, vel de rebus quæ ad Deum referuntur. Similiter de Apostolis scriptum est: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui.* Rursus: *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* O lectissima Spiritus sancti organa, Dei magnalia passim resonantia!

III. Loquendum ex spiritu.

Act. 2.

Matt. 10

tia! ô labia electa! Quid fuêre aliud linguæ Sanctorum quàm instrumenta nobilissima laudibus Dei celebrandis consecrata? Vt verò nos quoque bona eiusdem Spiritus sancti organa fiamus, cor nostrum continuo mortificationis studio abstrahendum est à mundo rebusque carnalibus, ac Deus super omnia diligendus, resque diuinæ & cælestes ex animo desiderandæ, & maximo in pretio habendæ. Quod si fiat, dubitandum non est quin Spiritus sanctus nos impellet vt libenter & ex abundantia cordis de rebus pijs etiam loquamur sine vlla difficultate. O vtinam talis sit virtutum harmonia in verbis nostris, vtinam talis excitetur musica, vt cælesti Sponso grata sit, & auditu iucunda, dicatq; animæ nostræ, veluti sponsæ in Canticis, *Sonet vox tua in auribus meis; ostende mihi faciem tuam: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Ecquid porrò necessarium est, vt dulcis aliqua musica instrumentis benè sonantibus excitetur? Primò, bonus, vt opinor, cytharœdus, qui peritè fides tangat. Secundò cythara quoq; apta & concinna. Tertiò, hymnodia siue materia cantus, ac præcipuè laudum Dei, Sanctorumque illustratio. Atqui cytharœdus optimus est Spiritus sanctus, qui optimum efficere concentum qualibuscumque instrumẽtis potest. Tetigit is chordam aliquãdo pueri sui Dauidis, & fecit Psalmistam. Tetigit fides Danielis pueri, & constituit iudicem seniorum qui Susannam accusabant. Tetigit similiter Amos pastorem ouium, & fecit Prophetam. Hic ergo optimus est cytharœdus, qui fidibus canat. Vt bona itidem sit animæ nostræ cythara, memoria, intellectus & voluntas

Cant. 2.

Quid requiratur vt suauis musica canatur.

eius facultates præcipuè, tamquam cytharæ fides peritè tendi ac dirigi ad cælum debent. Materia denique nostræ melodiæ siue piæ loquelæ sit de Deo, de dulcissima Dei matre, de vita vtriusque, de diuinis beneficijs, de quatuor nouissimis, de ijs denique rebus quæ ad salutem nostram, & ad cælestia siue æterna bona referantur.

Præterea vt quis in lingua seruet eam moderationem quæ requiritur, connitendum est omnibus animæ corporisque viribus, & aduocandæ sunt omnes virtutes, quarum opera vtamur. Opus est enim concursu quodam vniuersali & cumulo omnium virtutum id illam perfectionẽ consequendam. Primùm, quando nobis loquendum necessitas vel vtilitas aliqua persuaserit, opus est prudentia & multa circumspectione, quæ dictet quomodo agendum hoc vel illo tempore & loco, cum hac vel illa persona: quod namque vni est bonum, non continuò alteri conducet; neque quod huic loco vel tẽpori consentaneum fuerit, semper eodem modo futurum. Eadem virtus docet quoque hominem obseruare & expectare loquendi opportunitatem; docet adhibere varias considerationes inter loquendum, quid, vbi, quamdiu loquendum; docet patiẽter expectare antequam loquaris, neque interrumpere sermonem, aut respondere nisi vbi diligenter auscultaueris, & quid alter dicat animo complexus fueris. Quæ omnia luculenter sanè præstitit in hoc Angelico colloquio sapiẽtissima Virgo: quæ & semper aliàs solita est omnia verba quæ audiebat conseruare, conferens in corde suo. Iustitia deinde imperat, ne verbis tuis noceas alteri: &

IV. Opus est cõcursu omniũ virtutũ.

1.

2.

& si de altero nihil habes boni quod commendes, silentium indicit. Idcircò rogatus Christus Dominus à Caipha de discipulis suis & doctrina, respondit quidem quod ad doctrinam attinebat, se nihil occultè docuisse: sed de discipulis tacuit, quia desertores erant, & nolebat eos suis verbis lædere, vt SS. Patres obseruāt.

3. Opus quoque interdum fortitudine & constantia. Nam si putas te profuturum tua admonitione, noli respicere personam: vel si alij te despexerint, quia semper eiusmodi de rebus sermonem infers, contemne hoc, & supera te viriliter, & insta magis. Quando verò quod rectum est commendare instituisti, constanter vrge propositum donec id impetraris, aut perfeceris quod eras aggressus.

4. Temperantia porrò, moderatio siue modestia exigit vt breuiter dicas, non elata voce, sed fracta potiùs: vtque suauiter & vultu benigno significes quod vis: te quoque lubenter aliorum iudicijs submittas.

5. Charitas Dei requirit, vt quidquid dixeris probum sit & sanctum, & ad Dei gloriam faciat, veritus ne qua linguę pręcipitatione, vel mentis inconsideratione Deum offendas. Quod sic monet Ecclesiasticus: *Attende ne fortè labaris in lingua. In multiloquio non deerit peccatum.* Charitas autē fraterna nos instituit ne mordaces aut aculeati simus in sermone, sed comes & affabiles. Quando enim cum alijs versamur & colloquimur, consideremus necesse est quasi inter vitra nos ambulare. Valdè siquidē tenera res & fragilis est charitas fraterna, facilè lęditur, facilè sauciatur, sed non æquè facilè saucia curatur. Requirit insuper eadē virtus vt ex occasione proximus excitetur ad cognitionem & laudem & amorem Dei. *Omnis sermo malus,* inquit Apostolus, *ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Hæc & alia huiusmodi, cùm loquendum est, obseruanda monet inter ceteros D. Basilius in hunc modum: *Repelle procul à colloquijs tuis & sermonibus mala & inutilia verba, quæ ad spiritum modò distrahendum faciunt. Loquere & tracta ea tantùm quæ ædificant & animæ commodant: atque adeò in rebus bonis etiam, de quibus loqueris, serua modestiam & decorum; ne voce contenta vel seuera eos compelles qui tibi sunt propinqui, sed voce submissa & comi, etiamsi commonere aut redarguere proximum velis de re quapiam salutari.* Sufficere possunt hæc D. Basilij, & aliorum omnium de hoc toto genere monita & præcepta.

Margin: Eccli. 28. — Ephes. 4. — Basil. Instit. monast. Serm. 2.

Quæ quidem omnia perfectissimè seruauit Deipara Virgo, numquam verbum proferens otiosum, Sancti quoque ceteri; sed alij alijs perfectiùs. Quantò enim meliùs fundati erant atque instructi dictis virtutibus, & spiritu Dei præditi, & vero amore in Deum accensi, tantò perfectiùs hæc seruabant, & verba efficacissima proferebant. Refert S. Eulogius, B. Columbam virginem & martyrem ardentissimè Creatorem suum amasse, fassamque aliquando fuisse, quòd cor sentiret iaculo quodam amoris diuini transfixum, neque priùs illud sanandum, quàm Sponsum quem diligebat clarè videret in cælis. Vt verò sancti huiusce amoris testimonium aliquod daret, inter alia dicere solebat, se vehementer detestari verba otiosa, & leuitates, inutilesque fabulas: solummodò verò voluptatem capere ex colloquijs pijs: ideoque dum in monasterio versaretur,

Margin: v. *Intuenda sunt exempla Sanctorū.* — *Exemplū S. Colūba virg.* Eulog. in Memoriali l. 3. c. 10.

tur,

tur, adiungebat se iis modò Sanctimonialibus, quas nouerat optimè esse spiritales,& mortificatas, quæq; nullis aliis de rebus quàm de diuinis loquerentur. Facile quippe est cognoscere sanctas ac religiosas animas tum ex opere tum ex sermone. Quomodo cognitum fuit Petrum oriundum esse de Galilæa? quia lingua manifestum id faciebat. Vnda cognosci potest vtrùm quis Italus sit, an Gallus, an alterius nationis? vtique ex lingua. Ita quoq; dicamus, Quomodo cognoscitur verus Dei amator? nónne ex lingua? Siquis enim amoris iaculo cor vulneratum gerat, vt dicere possit cum sponsa, se amore languere ac grauiter saucium esse; sanè is non facilè oblectabitur mundanis & otiosis sermonibus. Quid ita? quia nihil ei placebit præter dilectum: desipiet mundus, & omnia quæ in mundo sunt vilescent; consolationem non inueniet nisi in Domino; ac proinde aliis de rebus non loquetur, nisi necessarium iudicarit ad maiorem Dei gloriam: verba denique eius erunt grauia, sancta, fructuosa.

Cant. 2.

Quòd si contingat quempiam rectè concionari, & præclarè populum docere res sacras, & postmodò in familiari hominum congressu & vsu effundat se in colloquia de rebus vanis & friuolis; facilè prodit, bona quæ docens profert, ex eius corde non procedere, quòd sibi ipse sit nequam. At cùm verus Dei cultor ad ceteras suas virtutes adiungit hanc loquendi communiter de rebus probis, satis arguit reliquas virtutes veras esse & solidas; & quidquid docet, ex animo docere. Ideoq; promouet ac proximum ædificat, denique omnibus operibus ac verbis suis studet glorificare Creatorem suum, efficitq; similiter vt alij eumdem diligant & laudent. Quod de S. Catharina Senensi specialiter memoriæ proditum est, quæ semper de Deo loqui consuerat, ita vt neq; noctu neque interdiu fatigaretur. Bonus ille pater Raymundus, Confessarius eius, qui Vitam eius conscripsit, confirmat eam potuisse centenos dies, totidemque noctes exigere sine esu & potu, de Deo semper loquentem, siquem, qui auscultare vellet, quique vtilitatis aliquid ex eius sermone referret, nacta fuisset. asseritque istiusmodi sermonibus numquam fuisse lassatam, sed eos medicinæ vice fuisse, qua & sanior & alacrior efficeretur. Et ratio clara est ex vita communi: eædem namq; exercitationes quę voluptati & laxamento sunt amantibus, aliis frequenter insipidæ sunt & ingratæ, & è cõtrario. Itaque *vidi egomet nonnumquam*, inquit idem Pater, *vel mille aut amplius homines ad eam videndam atque audiendam confluentes, atque ita statim commotos animo, vt lugentes properarēt ad Confessarios, quorum vnus ego eram. Ea re Gregorius XI. mihi ac duobus sociis meis potestatem dedit omnes absoluendi qui ad eam venirent. Itaq; non rarò vsque ad vesperam ieiuni permansimus, nec tamen audire potuimus omnes confiteri volentes. itaque posteà sex Confessarij, tandem duodecim constituti sunt audiendis illorum hominum confessionibus, qui dies integros sedebant.* Ita hæc virgo sanctissima imitata fuit Deiparam in loquela, tantum profecerat imitando, tanta paulatim efficacia creuit in verbis. Quid ni & nos æmulatione accendamur ad tales progressus? certè si ardentibus animis in id incumberemus, & conatus no-

Concionandum verbo & opere.

Exemplũ S. Catharinæ Senensis.

In Vita eius.

Raymũdus.

 stros

ſtros identidem augeremus, quantò maior ac robuſtior fieret ſpiritus, tantò maior fructus & efficacia ſequeretur verborũ. Quidam ſunt qui numquam ſermonem auſpicabuntur de Deo; & ſi ipſe prior loqui aggrediaris, diſcedunt. qui ſic? Spiritum Dei non habent, ideò nec linguam aut loquelam de Deo. Alij verò libenter & loquuntur & audiunt, quia amant verè cæleſtia, & quæ ſurſum ſunt ſapiunt, non quæ ſuper terram. hi magnis quotidie paſſibus ad perfectionem nituntur.

Obiectio de adiaphoris. Sed dicetis, Numquam ergo de rebus quotidianis & indifferentibus loquendum? & ſiquãdo alij loquuntur, nobis quandoque maiores, tenebimur impedire? Reſpondeo, Numquam de adiaphoris ſeu indifferentibus loquendum ſine bona intentione vel vtilitate aliqua, cùm hoc ſit verba otioſa fundere. Attamen cùm ij qui nobiſcum loquuntur eius ſunt ſtatus & conditionis vt offendi poſſint noſtra admonitione aut reprehenſione, tacere præſtat ſubinde ac diſſimulare. prudenter enim ac bono fine propoſito tolerari aliqui poſſunt, tametſi loquantur de rebus inutilibus; quia videlicet non poſſunt aliter loqui. Tales erant quibus

Matt. 12. dicebat Saluator: *Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* hoc eſt, id quod cor cogitat & diligit, os poſtmodum expromit. Tales, inquam, tolerandi ad tempus, & ſi fieri poteſt prudenter ſermo conuertendus eſt, vel addenda ſaltem bona clauſula, vt hac in parte fiat ſaltem colloquium bonum. in quam ſententiam Sapiens

Prou. 25. dixit: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* id eſt, Quemadmodum mala aurea, ſi lectis argenteis imponantur, eis & ſplendorem & opulentiam conciliant, & adſpectantium oculos oblectant, tum ob ſui pretium, tum ob operis artificium: ſic verba ſancta, & tempore locoque dicta meritis ditant & exornant cultores Dei qui ea proferunt, & ædificant atque conſolantur eos qui audiunt. Hæc eſt doctrina D. Bernardi, ſeriò & copioſè ab eodem tractata in libris quos ſcripſit ad Eugenium Papam de Conſideratione. vbi etiam adiungit: *Fugienda otioſitas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter ſæculares nugæ ſunt nugæ, ſed in ore ſacerdotis blaſphemiæ. Interdum tamen ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendæ numquam. Magis interueniendum cautè & prudẽter nugacitati. Prorumpendũ ſanè in ſerium quid, quod non modò vtiliter, ſed & libẽter audiant, & ſuperſedeant otioſis.* Bernard. lib. 2. de Conſid. Alio item loco idem ſanctus Præſul ad Religioſos verba faciens, & declarans quàm ſibi graue eſſet ac moleſtum, cùm videret eos in familiari conſuetudine loqui de rebus inutilibus & ridiculis, ſic ait: *Hinc mihi, fratres, triſtitia magna, & dolor continuus eſt cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad leuitatem, ad riſum & ad ſcurrilia verba tam faciles video: vt pertimeſcam valdè, ne fortè pluſquam expediat, diuinæ miſericordiæ ſint immemores, & ingrati tam multis beneficiis ſuis, aliquando deſerantur à gratia, quam non vt gratiam venerantur. Nam de eo quid dicam qui in murmure & impatientia obſtinato perdurat animo?* &c. Hæc Bernardus. Idem Ser. 2. de Septem miſericordiis.

Ad extremum, Scitote Chriſtiani, plurimùm oblectari Angelos cuſtodes veſtra conſuetudine, cùm de rebus diuinis loquimini. Scitote Chriſtum quoque Dominum ſe ceu comitem quemdam adiungere eiuſmodi

modi colloquiis, & per multa studij fauorisque argumenta loquentibus impertire, illuminando, consolando, ad deuotioné excitando, atque diuino suo amore inflammando. Atque hoc est quod ostendit discipulis euntibus in Emauntem, vbi medius factus est, & docuit illos quomodo intelligerent Scripturas, & exhibuit se visendum posteà, apertis oculis eorum. ita videlicet medius esse gaudet inter eos qui de Deo colloquuntur. Scitote denique, rem istam gloriosissimæ Dei Matri longè gratissimam ac iucundissimam fore: quoniam imitatione sui maximopere delectatur. Eiusque vita cùm sit omnium disciplina, & cunctas illustret Ecclesias, rectissima nos via siue in operibus siue in verbis diriget ac conducet ad Deum. Sicuti enim per illam ad nos Deus venire dignatus est; ita vicissim per illam ad se Deus nos vult accedere. quod sanè permagni æstimandum est, serioq; ponderandum. Tibi proinde gloriam, ô benedicta Dei Mater, amorem, benedictionem & obsequium reddant creaturæ omnes per infinita sęculorum sæcula, Amen, Amen.

CONCIO XXXV.
Ecce ancilla Domini.

1. *De perfectione & excellentia obedientia, quam apprimè exercuit Maria Virgo toto vita sua cursu, potissimùm verò in hoc mysterio Annuntiationis, cùm dixit,* Ecce ancilla.

2. *De sedula eius imitatione in omni statu.*



CVM sanctissimus Propheta Dauid in spiritu contemplaretur aduentum Messiæ in terras, cecinit mellifluum illud melos quod sic incipit, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentũ,* &c. In quo Psalmo & cæli, & terra, & totus orbis, & anni & dies laudant Deum suum, qui, vt ait Vates, *in sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam; à summo cælo egressio eius.* At quò properat magnus ille gigas? quò? de thalamo videlicet in thalamum, de thalamo cęlesti in thalamum terrestrem, de sinu Patris in sinum Mariæ Virginis. Itáne? tantus Rex gloriæ ad ancillam humilem, quam sibi in matré adoptet? Quanto igitur apparatu, quanto feruore dignè illum excipiendi Maria illi obuiàm prosiliit? Demonstrat satis Euangelium nostrum, missos ab ea in occursum ipsius duos choros virtutum pulcherrimarum, quas Regi Regum maximopere placere cognoscebat. In priori quidem ducebat agmen Deuotio, cum Meditatione, Solitudinis cura, & Collectione animi: sequebatur Prudentia stipata Grauitate, Circumspectione, Maturitate: demùm Virginitas Humilitate comitata, & Verecundia virginali, & primitiis Voti. Atque adeò Deuotionem cum suis pedissequis adornabat Virgo, vt mox emitteret, quando Angelus eam solam in cubiculo inuenit: tunc enim ad sublimes rapta Contemplationes, de hoc aduentu Regis sui meditabatur. Prudentiam cum suo comitatu operosissimè instructam emisit, cùm audisset Angeli salutationem. *Cogitabat enim qualis esset ista salutatio.* Virginitatem cum puellis honorariis destinauit, posteaquam audiuisset secundam Angelicæ orationis partem, dicens, *Quomodo fiet istud, quoniam*

Ps. 18, 1.

Duo chori virtutum mittuntur in occursum Regis gloria.

1.

virum non cognosco? nam vt Matris Dei dignitatem, quæ offerebatur, magni æstimabat: ita dolebat quoq; si pudicitiæ detrimentum pati cogeretur. Iste igitur chorus hoc pacto adornatus præmittitur, aduenienti Regi gratulationem facturus. At verò postquam audiuit Angeli perorationem, suumq; vidit assensum iamiam expectari, iam propè adesse Dominum, nihil amplius morandum; tunc secundum adornauit chorum

2. dignissimarum virginum, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Prima illarum, quasi dux ac primiceria, erat Obediētia cum perfecta Resignatione, cùm ait, *Ecce*. secunda, Humilitas cum profunda sui Cognitione, cùm se vocat *ancillam Domini*. tertia, Charitas omnium Regina virtutum cum ardentissima sui Oblatione, dum ait, *fiat mihi*. quarta & vltima, fortissima & generosissima Fides cum pleno Consensu, quando dixit, *secundùm verbum tuum*. Omnes hæ virtutes obuiàm iuerunt sponso venienti in Regiam suam, & ornatæ sunt omni mundo spirituali suprà quàm dici possit, vt dignè Regem exciperent. Haud aliter atque solet examē apum è paruo suo domicilio procedere ad excipiendum aut deducendum Regem suum: ita ex corde beatissimæ Virginis examen virtutum processit, in choros distinctum, ad honorandum Regis supremi aduentum. Ac prior quidem chorus aliis temporibus satis à nobis perlustratus, ac spectatus fuit: nunc verò agendum de prima virtute secundi chori, videlicet Obedientia seu Resignatione significata hac voce, *Ecce*. Primò, de perfectione & excellentia illius, eximiis quoque experimentis in vita Deiparæ, potissimùm verò in hoc mysterio Annuntiationis. Secundò, quemadmodum eam imitari debeamus in omni statu.

AVE MARIA.

EXordium huius materiæ paulò altiùs ducendum est ab auctoritate verborum D. Anselmi, sanctissimi Præsulis, qui sic ait: *Transierunt multa sæcula, & damnationis immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim Dei sapientia vllam in massa creationis humanæ viam inuenit, per quam, vt disposuerat, in mundum veniens, tam luctuosæ perditioni subueniret, donec ad Virginem ventum esset. Sed hac mox vbi in mundum venit, Dei sapientia dignam indicauit, per quam totius mundi peccata deleret*. Hæc ille. Enimuerò vt id opere perficeretur, quod per eam diuina bonitas perfici volebat; vltima hæc verba Virginis expectabantur, quibus obedientiam suam suæque consensum in Dei beneplacitum declararet, *Ecce ancilla Domini*, &c. Magna profectò & incomparabilis dignitas Virginis, quæ in partem tanti operis à Deo vocata est, vt ab eius assensu penderet salus generis humani. Porrò quanti ponderis verba illius fuisse oportet, quibus res illa maximi momenti cōpleretur? Quòd si rectè trutinari voluerimus, singula nobis singulas produnt virtutes, vt iam cœpimus indicare. *Ecce* promptitudinem obedientiæ significat, simulque perfectam sui resignationem. quasi diceret, Dominus est & creator meus, ego verò ancilla eius minima: faciat de me quodcumque bonum videbitur. Ita pater eius David paratum se exhibebat ad omnem Dei voluntatem, cùm ex more ei diceret, *Paratum cor meum Deus, paratum*

Anselm. de Excel. Virgin. cap. 9.

Singula verba singulas produnt virtutes.

1. *Ecce promptitudinem indicat.*

Psal. 56. & 107.

Psal.61. *ratum cor meum. Nonne Deo subiecta erit anima mea?* eamque promptitudinem Deus gratissimam sibi ostendit
Act.13. dum ait, *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

2. Ancilla Domini, *verbum humilitatis est.* Amb. l.2. de Virginib. — Sequitur, *ancilla Domini.* En humilitas maxima, dum ancillam se nominat quæ mater Dei eligitur. Nam, vt ait D. Ambrosius, *humilior facta est, vbi se à Deo cognouit electam.* Quanta Euæ superbia, quæ Dei similitudinem ambiuit? quanta Athaliæ, quæ regni zelo semen omnem Regium occidit? Non sic Maria, sed quantò aliarum superbia mulierum altiùs ascendit, tantò se magis humilitas eius depressit.

3. Fiat mihi, *charitatē Virginis significat.* — Iam cùm dicit, *fiat mihi,* quantam indicat charitatem ac desiderium salutis humanæ, cùm sciret quàm efficax illud *fiat* futurum erat, ad quod Filius Dei statim hominem indueret? Quomodo anhelabat vt veniret desideratus cunctis gentibus, & desiderium collium æternorum?

4. Secundùm verbum tuũ, *fidem declarat.* — Denique *secundùm verbum tuum,* fidem indicat firmiss[illegible] rei numquam visæ, vel aud[illegible]licet vt virgo sine viro con[illegible] ac pareret Messiam, Deum & hominem, qui matris seruaret integritatem, ac totum mundum redimeret. Certè quidem longè superauit patrem suum Abraham, qui tamen credidit Deo innumerabiles ei posteros promittenti ex vnigenito Isaac, quem interim in holocaustum offerre illicò iu-
Hebr.11. bebatur. *In spem,* inquit Apostolus, *contra spem credidit.* Sed D. Virgo fidem adhibuit mysterio omnium sublimissimo ac difficillimo.

De obedientia in genere. 1. *Quæ Deo præstatur.* — Hæc est quadriga virtutum, quæ Regem gloriæ terris inuexit. Sed nobis hodie prima dumtaxat virtus, nempe Obedientiæ, commendanda est, ne mole ac varietate argumenti obruatur oratio. *Ecce,* inquit, *ancilla Domini.* Primò generatim de hac virtute agamus, deinde ad beatissimæ Virginis obedientiam ac resignationem veniemus. Rectè D. Augustinus de ea sic disseruit: *Virtus obedientia in rationali creatura mater quodammodò est omnium, custosque virtutum: quandoquidem sic facta est, vt ei subditum esse sit vtile, perniciosum autem suam, non eius à quo creata est, facere voluntatem.* Aug. l.14. de Ciuit. c.12.
Rectè etiam D. Gregorius, *Obedientia,* inquit, *sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit.* Gregor. l.35. Moral. c.10. Sed quò meliùs hæc intelligantur, sciendum est obedientiam virtutem esse valdè generalem, quæ sita sit in perfecta animi resignatione, & desiderio implendi diuinam voluntatem in omnibus nostris actionibus, verbis, cogitationibus. Hæc virtus in se perfectionem maximam complectitur, efficitque non tantùm vt mandata Dei obseruemus, nihilque faciamus quod ijs repugnet, sed etiam vt nihil omnino velimus, nisi quod Deus vult, & quod Deo placere cognouimus; adeò vt idem velle sit Dei & nostrum, idemque nolle. Vnde & scriptum est: *Melior est obedientia* 1. Reg. 15
quàm victima. Siquidem, vt D. Gregorius docet, *per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.* Gregor. l.35. Moral. c.10.
Quæ quidem pars animi quoniam est adeò præstans, sic fit vt eius oblatio Domino ac Creatori nostro per obedientiam facta magni sit æstimanda.

2. *De obedientia quæ homini præstãda est.* — Porrò quandoquidem Deus non alloquitur nos immediatè per se, neque videri potest ab homine, vt explicet voluntatem suam: hinc fit, vt homo per hanc virtutem etiam velit

submittere se hominibus, ijsque obtemperare tamquam Dei legatis, ac velut ipsi Deo, cuius personam re-
Luc. 12. præsentant. *Qui vos audit*, inquit ipsemet, *me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Etenim diuina illa prouiden-
Sap. 8. tia *disponit omnia suauiter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens.* Talis subordinatio cernitur in Angelis, vbi inferiores hierarchiæ illuminantur & reguntur à medijs, & mediæ à summis, vt do-
D.Tho. p.1.q.110 a. 1. cet D. Thomas cum Schola Theologorum. Clarè etiam in terris hoc idem cernitur, cùm in omni ciuitate bonis instituta legibus, tum verò in hierarchia Ecclesiastica, cuius omnia membra & functiones ab vno generali Vicario Christi deriuãtur. Sicuti v. g. Iubilei promulgatio à Papa mandatur Archiepiscopis, hi mandant Episcopis, Episcopi Decanis, hi Pastoribus. Qua ratione sanctiones omnes, ac statuta Pontificum ad nos perueniunt. Itaque homines hominibus potestatem habẽtibus obediunt,
Rom. 13. veluti Domino: *quoniam non est potestas*, vt Apostolus monet, *nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui resistunt, ipsi sibi dam-*
Ephes. 6. *nationem acquirunt.* Et alibi: *Obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes sicut Domino & non hominibus.* Atque hæc obedientiæ virtus etsi non sit tam nobilis ex parte eius qui præcipit, quàm sit illa obedientia quæ Deo exhibetur immediatè; tamen est nobilior ex parte obedientis, propter difficultatem reluctantis naturæ, & voluntatis abnegationem, & humilem subiectionem. Ideoque eiusmodi obedientia & fructuosior est & maioris meriti, & clarius præbet argumentum, certiusque testimonium animæ verè & perfectè Deo adhærentis. *Sublimis certè obe-* Bonau. l. de Gra-
dientia gradus est, inquit D. Bonauen- dib. virt.
tura, *exequi quod Deus præcipit & imperat immediatè: at quod facimus homini propter Deum obtemperantes, quodam modo sublimius est, præstantius, maiorisque meriti.*

Atque hæc satis sint de obedientia 3. De obe-
quæ debetur Deo, vel hominibus dientia
propter Deum. Ceterùm in veteri erga An-
Testamento Deus non tantùm per gelos.
homines, vt per Prophetas & legitimos Magistratus, voluntatem suam declarabat, sed per Angelos etiam, tamquam interpretes atque internuntios suos: vt cùm in paradiso terrestri posuit præceptum Adamo, vel cùm in manu Angeli legem tulit in monte Sinai. Vt ad propositum veniamus, quandoquidem maximopere conueniebat annuntiationem non per hominem, sed per Angelum fieri, vt su- Vide sup.
periùs demonstratum est: ideò Vir- Conc. 4.
ginem oportuit præstare obedientiam & assensum in concipiendo incarnationis mysterio, non homini alicui, sed Angelo Gabrieli, tamquam Dei Legato. Postquam igitur is perorauit, & Dei voluntatem satis exposuit: beatissima Virgo ad obediendum promptissima statim se diuinæ voluntati permisit, & manibus oculisque in cælum intentis, ait, *Ecce ancilla Domini.* vbi *Ecce* promptitudinem & alacritatem indicat, *ancilla* subiectionem, humilemque resignationem. *Nihil sibi retinuit Virgo*, inquit Si- Simon de
mon Cassianus, *quando ait Ecce ancil-* Cassia, &
la Domini, totam se posuit in diuino fa- Andreas
mulatu. Et Andreas Episcopus Iero- Ierosol. in hunc
solymi- locum.

ſolymitanus: *Ecce, ait, ancilla Domini, ad obediendum facilis, ad ſeruiendum parata, ad ſuſcipiendum prompta.*

Ecce variam habet emphaſim. Multiplex autem vis ſiue enphaſis illius voculæ *Ecce* in diuinis litteris obſeruatur. Aliquando demonſtrationem efficit ad oculum, vt loquuntur Scholaſtici: vt cùm dixit Baptiſta: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Aliquando ad intellectũ, vt cùm ait Iſaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. cùm enim nondum eſſet nata B. Virgo, non ad oculum fieri poterat demonſtratio, ſed ad intellectum. Aliquando ad affectum, vt quando Iudæi dixerũt de Chriſto qui lacrymas fuderat ob mortem Lazari: *Ecce quomodo amabat eum!* Quãdo itaque Maria Virgo reſpondit Angelo, *Ecce ancilla Domini,* magnam ſignificauit promptitudinem euidẽti & generoſa demonſtratione, vel ad oculum, vt ſit ſenſus, Ecce adſum Domini ancilla, ad famulandum prompta & expedita: vel ad intellectum, q. d. Quæſiui à te modum concipiendi, & expoſuiſti; ecce ancilla Domini, modum intellexi, lubens conſentio: vel ad affectum, q.d. Ecce offero meum deſiderium & affectum, quid aliud peto quàm vt fiat voluntas Dei? Sic etiam alibi in ſacra Scriptura fit iſta ſignificatio ſummæ promptitudinis, ac perfectæ obedientiæ. vt cùm ipſemet Dei Filius apud Apoſtolum, *Ingrediens mundum dicit, Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. tunc dixi, Ecce venio. in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et cùm Propheta Balaam vocatus à Rege Balac dicebat: *Ecce adſum*. Iſaias quoque, *Ecce ego, mitte me.* Item quando Dominus vocauit Samuelem tertiò de nocte, ſurrexit Samuel tertiò & accurrit ad Heli, putans ſe ab eo vocatum, & dixit, *Ecce ego Domine.* q. d. Paratus ſum tua iuſſa implere. Sic denique nuntiis Dauid ab Abigaïl miſſis vt certiorem illam facerent de Regis voluntate eam in vxorem deligentis, ipſa reſpondit: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.* Hoc pacto beatiſſima Virgo Angelo ſimilem afferenti nuntium, ipſam videlicet electam eſſe in Dei matrem, reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* q.d. vt Theophylactus explicat, *Ecce tabula ſum pictoria, pingat pictor quod voluerit:* id eſt, inſtar tabulæ ſum parata ad recipiendam quamcumque imaginem, quam cæleſtis pictor in me effingere voluerit. effinxit autem æternus Pater in ipſa diuinam imaginem, id eſt, Filium ſuum qui *imago eſt bonitatis, & figura ſubſtantiæ eius*. quam illa lubentiſſimè ſuſcepit dicens, *Ecce ancilla Domini.* Itaque dulciſſima quaſi harmonia & concentus fuit in verbis Angeli annuntiantis, & Virginis reſpondentis. Sicut enim in muſica, vt ſymphonia ſuauior ſit, repeti ſolet in fine quod antè cantatum eſt: ita, vt reſponſum Virginis conſonet verbis Angeli, repetit illud *Ecce*, quod dictum erat anteà. dixerat ille, *Ecce concipies & paries filium:* hæc reſpondet, *Ecce ancilla Domini*. Et quemadmodum illud *Ecce* Angelicum indicabat Dei promptitudinem ad opus incarnationis: ita hoc *Ecce* Marianum ſignificat Mariæ obedientiam. Talem amant excitare muſicam iuncti virginibus Angeli. Ceterùm quàm ſint prompti & alacres Angeli ad imperium Domini ſui, ſignificat ſatis his verbis Pſalmiſta: *Qui facit angelos ſuos*

Marginalia: Ioan. 1. — Iſaiæ 7. — Ioan. 11. — Hebr. 10. — Num. 22 — Iſaiæ 6. — 1. Reg. 3. — 1. Reg. 25 — Theophyl. in Luc. 1. — Sap. 7. — Pſal. 103.

suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem, hoc est agiles ac feruentes instar ignis. Sed vt aliis virtutibus, ita & obedientiâ longè antecelluit Deipara Cherubinos ac Seraphinos omnes, vt alibi latiùs probatum est.

Suprà Côc.17.

Virginis perfecta resignatio Deo gratissima.

Quocircà veluti per summam promptitudinem, ita & per plenissimam resignationem B. Virgo se totam, ac nominatim honorem suum Deo committere solebat, quacumq; tandem occasione periclitari contingeret; vsque eò, vt cùm sponso videri posset adultera, vtero intumescente, tamquam ex aliquo hominum cõcepisset, numquam tamen ei indicare voluerit hoc mysterium, in quo laus eius maxima continebatur: confidens omne bonum suum, atque in primis honorem Deo curæ fore: vti etiam fuit, misso de cælis Angelo qui Iosephum instrueret. Eadem fuit D. Virginis constantia, mentisque tranquillitas in omnibus istiusmodi periculis atque angustiis, ob eamdem animi resignationem: vt cùm nulla sua culpa triduo filium perdidisset, itemque in amarissima ipsius passione, secuta illum vsq; ad crucem, sub qua stetit animo inuicto, imò vsque ad sepulchrum: omnia eius merita, & acerbissima tormenta Deo Patri offerens pro salute nostra. Quæ certè resignatio in diuinam voluntatem, vti perfectissima fuit, ita Deo quàm gratissima, atque adeò multò gratior quàm omnes victimæ & holocautomata Sanctorum, & quàm obedientia omnium hominum & Angelorum simul sumpta. idemq; iudicium esto de obedientia quam hoc loco exhibuit Angelo Gabrieli: quandoquidem ad vocem huius obedientiæ Deus inclinauit cælos, & in vterum Virginis descendit, & homo factus est ad totius mundi salutem, vt Psalmographus ait, *Inclinauit cælos, & descendit.* Psal.17.

Cõtentio huius obedientiæ cum Euæ inobediẽtia.

Hæc est illa obedientia Euæ inobedientiæ opposita, vt hîc SS. Patres notant. Siquidem Eua per inobedientiam clauserat cælum, Maria per obedientiam illud reserauit. Eua dicta est mater viuentium vita corporali, sed prima inuexit mortem in hunc orbem: Maria verò facta est mater viuentium vita gratiæ, intulitque vitam in orbem terrarum. Eua decepta est à diabolo per superbiam; Maria instructionem Angeli recipiens vicit diabolum per humilitatem, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Eua consensit diabolo, & vetitũ fructum comedit, fructum maledictionis: Maria credidit Angelo, & concepit fructum benedictum, *in quo benedicuntur omnes gentes*. Hinc etiam exclamat D. Augustinus: *O felix obedientia Mariæ, quæ dum humiliter fidem dedit, cæli in se opificem incorporauit. Hæc fuit obedientia omni sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostiis acceptior. Hinc promeruit gloriam, quam postmodum cecinit, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. ita de hoc mysterio diuus Augustinus.

Vide Irenæum l.3.c.33.

Gen. 22.

August. Serm. de Natiuit.

Comparatio cum obediẽtia Abrahæ.

Adhæc passim celebratur illustris illa ac rara obedientia Abrahæ, cui cùm Dominus diceret, *Exi de cognatione tua, & de domo patris tui*, ille sine cunctatione paruit, & ante Euangelij tempora Euangelica quasi consilia seruauit: dum vt Deo placeret, nec parentes, nec domum, nec patriam relinquere dubitauit. Posteà præcipitur illi vt corpori suo & suorum vulnus infligat circumcisionis: ille autem lubens etiam acquieuit. Iubetur etiam filium ex ancilla susceptũ Gen. 12. Gen. 21. & 22.

cum

cum matre eiicere, neque contradixit. Demum imperatur ei vt Isaac vnicè dilectum Deo offerat & occidat. *Tolle*, inquit Deus, *filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram Visionis, atque ibi offeres eum super vnum montium quem monstrauero tibi*. Hoc certè durum erat præceptum, & tanta verborum emphasi propositum (teste D. Chrysostomo) vt ex charitatis tantæ admonitione, & nominis recordatione tentationis pondus augeretur, & paternus affectus torqueretur ex memoria promissionis diuinæ, quæ præcesserat, *In Isaac vocabitur tibi semen*. quò videlicet gloriosior esset victoria, quādo posteà nihilominùs amorem Dei & obedientiam suo carnali erga filium affectui præponeret. Verùm hæc obedientia Abrahæ longè inferior est obedientiâ Mariæ, quam Angelo vel Deo potiùs præstitit. Nam quemadmodum maior ac dignior obedientia censetur, quæ Regi à Regina exhibetur, quàm illa quæ à famulis: ita Mariæ obedientiæ, quæ genitrix Dei & cæli Regina electa erat, longè excedit obedientiam Abrahæ Patriarchæ, aliorumq; Sanctorum. Deinde Abraham quidem filium suum quem valdè diligebat iubebatur in sacrificium Deo offerre: at Virgo filium suum multò ardentiore & incomparabili prorsus amore prosequens, in mortem tradere non dubitauit. Cumque tum ex dono prophetiæ, tum ex assidua sacrarum litterarum lectione apertè cognosceret Christum Dominū crudelissimo mortis genere interfectum iri: ex quo dixit, *Ecce ancilla Domini*, iam tum promptissima voluntate suum in id consensum, & liberalissimam oblationē his verbis expressit.

Chrysost. Hom. 42 in Genes.

Obedientia Virginis sine excusatione aut tergiuersatione.

Enimuerò quæ lingua licet Angelica dignis comparationibus aut argumentis valeat obedientiam Virginis prędicare? Perpendamus circumstantias quibus illustratur. Rogata est vt vellet fieri mater, concipere & parere filium Altissimi. intellecto quomodo id fieri posset, nihil vltrà dubitauit, nihil excusauit, nihil tergiuersata est: cùm tam multa tamen hoc in loco humana prudentia requirere potuisset, ipsaque Virgo humillima esset, & modestissimè de se sentiens, seq; omni honore indignissimam reputans, adeoque summè refugiens omnem excellentiam. An non in promptu erat vt ad Angelum diceret, Tu mihi conceptū partumq; Spiritus sancti virtute denuntias: quid ergo sponsus, cuius fidei commissa sum, dicet? Quid faciet cùm me grauidam viderit? num me deseret? num lapidabor tamquam adultera? Sic enim Samuel iussus à Domino Dauidem vngere in Regem, mortis metum illi obiecit dicens: *Audiet hoc Saul, & interficiet me*. 1. Reg. 16
Cùm Zachariæ nuntiaretur natiuitas Baptistæ, credere non poterat, inque pœnam huius incredulitatis mutus factus est. Moyses quoque paratus erat obedire, cùm Deus eum constitueret ducem Hebræorum, mandans vt è seruitute Pharaonis populum suum liberaret: sed priùs obtendit excusationes. Ita & Ieremias cùm à Deo Propheta creatur, & constituitur *super gentes & super regna, vt euellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet*; obedit quidem, sed non sine excusationibus. *Aaa, Domine nescio loqui, puer sum*. Abigaïl etiam cùm renuntiaretur sponsa Dauidis & Regina, parata quidem erat admittere, sed excusat

Lucæ 1.
Exod. 4.
Ierem. 1.
1. Reg 25

ſe tamen. Denique Ananias cùm à Domino mitteretur, vt Baptiſmi gratiam Paulo impenderet, ille contrà, *Domine*, inquit, *audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem*. Similem ergo mortis metum & infamias obtendere hoc loco Virgo potuiſſet: duo enim quæ ſumma inter homines bona putantur, vita ſcilicet ac fama, in diſcrimẽ vocari videbantur, quoniam adulteras lapidari lex mandabat. Quem quidem metum non inanem fuiſſe res ipſa poſteà declarauit, quando Ioſephus Virginem deſerere parabat, niſi prohibitus ab Angelo fuiſſet. Cùm hæc igitur omnia prudentiſſima Virgo prouidiſſet; nihil tamen dubitauit, nihil hæſitauit, ſed totam ſe Dei prouidentiæ commiſit, cuius voluntas nuntiabatur. Tantùm dubitabat initio an vellet mater Dei fieri cum iactura pudoris. vnde ſubſtitit & Angelo difficultatem propoſuit. Sed vbi audiuit illæſo pudore hoc per Spiritum ſanctum peragendum, nihil ampliùs requiſiuit, nihil morata eſt, nec de vita nec de fama ſollicita eſſe voluit, tametſi periculum videret: ſed Deo rem totam commendauit, & permiſit Dei prouidentiam agere quamdiu vellet, Ioſepho ſuſpicionibus agitato: nihilque ipſamet ei indicauit, perfectè in Dei prouidentiam animo proiecta.

Actor. 9.

Alia obedientia exempla. *1. Erga parentes.*

Sed numquid tantùm Deo & Angelo eius legato Maria perfectiſſimè obediuit? Imò verò in omni parte ætatis quibuſcumque Superioribus quàm promptiſſimè obtemperauit. Atque in primis B. Mechthildis in iis quæ diuinitus ſibi patefacta ſunt, teſtatur ipſam tenellam adhuc, antequam in templo commoraretur, omni voluntati præceptiſque ſuorum parentum ſumma alacritate morem geſſiſſe: nihil vt vmquam committeret quo illos offenderit, aut minimum contriſtarit. Quin etiam parentes eam potiùs offendere, quàm ab ea verebantur offendi, cùm indolem eius ac virtutem ſatis perſpectam haberent in omnibus quæ præciperent, aut ab ipſa fieri vellent.

Mechthil. de Arcan. l. 7. c. 5.

2. In templo erga Sacerdotes & alios.

Toto etiam tempore, quo in templo habitauit, morigera erat in omnibus, & magnam erga Sacerdotes reuerentiam exhibebat; præcipuè verò ordinationibus Summi Pontificis, qui templo præerat, officioſiſſimè parebat: atque, vt auctor eſt Bonauentura, inter cetera quæ in ſuis precationibus quotidie à Deo poſtulabat, hoc vnum erat, vt ſpecialem quamdam gratiam impertiret Pontificis voluntati obtemperãdi. Quamquam non maioribus tantùm ſubiici gaudebat, ſed aliis etiam, quibuſcum verſabatur, quacumque ex occaſione multum deferebat, tamquam ſuperioribus in animo ſuo, etiamſi eſſent longè inferiores. Sciebat enim aliam eſſe obedientiam quæ præſtatur maioribus, aliam quæ æqualibus, aliam denique quæ inferioribus: quæ poſtrema merè libera & voluntaria eſt, ſed interdum longè perfectiſſima, quia non ex obligatione ſed ex humilitate & charitate dimanat. Itaque teſtatur Epiphanius, ſanctiſſimam Virginem ſemper hanc perfectionem coluiſſe, & quibuſcumque hominibus honorẽ ac reuerẽtiam cum ſubiectione aliqua, prout ratio aut prudẽtia eius poſtulabat exhibuiſſe.

Bonau. in Vita Christi, cap. 4.

Apud Niceph. l. 2. c. 26.

3. Erga Ioſephũ.

Poſteaquam verò Ioſepho nupta eſt, cui ſine comparatione gratia & dignitate longè antecellebat; in omnibus etiam illi valdè morigera fuit, non biduo aut triduo, ſed vnius ac trigin-

triginta annorum spatio, iuxta probabiliorem Auctorum sententiam. Nouerat caput mulieris virum esse, eamque diuino præcepto eidem subijci. nouerat Saram in sacra Scriptura commendari, quòd officiosè viro suo Abrahę obtemperarit, eumque reuerita sit, *Dominum eum vocans*. Itaque in omnibus peregrinationibus ac laboribus ei lubens parebat, cum magna reuerentia & beneuolentia. Comitata est illum primò in Nazareth, vbi cum eo habitauit: deinde vicina iā partui in Bethlehē, itinere quatuor dierum, quantumuis legitimam obtendere excusationem posset. Fuga verò in Ægyptum cum viro suo quàm molesta ili fuit, quā difficilis? quàm longum iter hîc suscipiendum fuit, cum paruulo in vlnis, & quod amplius est, eadem nocte intempesta, qua de migratione fuit admonita? Ibidem cum eo mansit annis septem, teste D. Anselmo. Tametsi verò ea in regione multa pateretur ab idololatris, numquam tamen Iosepho questa est, numquam petijt in patriam reduci, numquam ei importuna aut molesta fuit, quidquid pateretur inopiæ, vel alterius necessitatis, sed in omnibus ipsius volūtati obsequi amabat; vtpote quæ non ignorabat, obedire & satisfacere Iosepho, nihil aliud esse quàm ipsi Deo obedire & satisfacere. Verbis quoque magnam erga eum reuerentiam significabat, quòd nempe sciret eum sibi à Deo donatum, tamquam adiutorem in educando puero Iesu, & custodem suæ virginitatis. vnde vocabat eum patrē pueri, quia ex vulgi opinione talis habebatur, quamuis tantummodò esset nutritius illius. Adhæc reperto post triduum filio in templo inter Doctores, Iosephum, tamquam patrem, sibi præferebat, priorem scilicet nominando. neque enim dicebat, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te:* sed *Pater tuus & ego*. O magnam genitricis Dei dignationē & modestiā! ô dulcissimum obedientiæ studium! quàm efficax traditur exēplum vxoribus omnibus parendi viris suis?

Vide Canis. Mari. l.1.c.13.

1.Pet.3.

Ansel. in Matt.c.2

Luc.2.

Atenim quamuis magnum sit morem gerere præceptis Superiorum, quæ obligant; multò tamen maius est submittere se legibus & præceptis, quibus non sis obstrictus. In hāc partem Dominæ nostræ præclarissimum exemplum fuit, quando legi Purificationis paruit, sistendo se in templo, vt mūdaretur, & sacrificium commune puerperarum offerret, aliarum quasi mulierum more esset immunda, & non ipsius legis verbis exempta, quæ sic habet: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit*, &c. Aliis itidem legibus, quibus non tenebatur, quantumuis grauibus ac molestis, lubenter atque alacriter parebat. qualis v.g. lex illa erat, qua imperabatur *vt tribus anni temporibus omne masculinum coram Domino appareret*, ad festa celebranda, & sacrificia in templo offerenda. cui quidem oneri Deipara Virgo, non ex obligatione aliqua, vt patet, sed sponte sua se suumque puerum à teneris annis subiiciebat, vt testatur Euangelista. Ita poterat cum Dauide patre suo dicere, *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est*. Et illud filij sui, cùm Ioannis baptismo caput submitteret: *Sine modò; sic enim decet nos implere omnem iustitiam*.

4. Erga leges, etsi non obligent.

Leuit.12.

Exod.23 & 34.

Luc.2.

Psal.53.

Matth 3.

Quid illud, quantæ submissionis fuit, quòd non solùm legibus bonis, neque solùm iustis hominibus, & fide-

5. Erga dominos etiam iniustos.

fidelibus, & Superioribus prudenter ac modestè mandantibus; sed etiam iniustis ac tyrannis eodem modò obtemperaret; in rebus quidem licitis, sed pro tempore arduis, & nulla ex æquabili causa imperatis? Opus est sanè magna virtute & amore Dei, vt hominibus vitæ morumque peruersitate insignibus, ac temerè imperantibus tantum deferas: rectè tamen fit, atque hoc est etiam implere omnem iustitiam. Sic enim exhortatur Princeps Apostolorum: *Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* Itaque D. Virgo non dubitauit etiam parere Augusto Cæsari idololatræ ac reuerà tyranno, licet vulgò non ita nominetur. (nam in monarchiam orbis terrarum Iulio Cæsari successerat, qui vi & armis contra ius fasq; eam occuparat.) Paruit, inquam, edicto illius tyranni, tam arduo tamque iniquo, nempe *vt describeretur vniuersus orbis. quæ descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. & ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autē & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eò quod esset de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante.* Probabile quidem est, mulieres quoque hoc edicto comprehensas, vt auaritia Cæsaris magis expleretur; nam in singula capita nummus quidam argenteus constitutus erat. At Virgo tam propinqua partui legitimum habebat impedimentum, quo eximebatur, si vellet: ac nihilominùs amore solo obedientiæ in viam se dedit, vt in ciuitatem vnde oriunda erat proficisceretur, magna licet cū molestia. Eòdem verò cùm peruenisset, fidem atque obedientiam tyranno ambitioso & auaro, vnà cum S. Iosepho iureiurando promisit, exigente illud præside Cæsaris cui se sistebāt. Nomen deinde ac patria in acta referebantur, vnde & descriptio nominabatur. Idemque viritim census pendebatur, id est, nummus certus quem singuli suis capitibus imponenebant, se Romano Imperatori subiectos esse hac cærimonia profitentes. qua de causa etiam hic ritus *Professio* appellabatur. Talibus igitur imperijs lubenter Domina nostra parebat, quantumuis ex parte imperantis iniustis, sibique tam incommodis ac grauibus: vt perfectissimū omnibus traderetur exemplum parendi Superioribus, honorem ijs & reuerentiam exhibendi, iura & tributa, quæ iustè debentur pendendi, etsi aliter se erga nos gerant, quàm iustitia ipsorumque munus exigat. Ac meritò sanè oportuit eam excellere in omni obedientia, quæ filium Dei obedientissimum in lucem erat editura, qui, vt scribit Apostolus, *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* de quo & S. Euangelista dicit, *Et erat subditus illis.* vbi quærit Bernardus, *Quis quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediūt, subditus erat Mariæ: nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Disce, homo, obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare, erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Vtinā mihi aliquādo tale*

1. Pet. 2.

Luc. 2.

Vide Interpretes in hunc locum, Iansen. &c.

Philip. 2.

Bernard. Hom. 1. super Missus.

tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. Vade, inquit, post me satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est, Et erat subditus illis. Hæc Bernardus.

Matt. 16.

Secunda Pars, de imitatione huius obedientiæ in omni statu.

Hieron. epist. ad Paulã & Eustoch.

His ita consideratis, tamque illustri ante oculos posito exemplo, quid iam nostrarum partium sit disquiramus. Audimus enim D. Hieronymum ad Paulam & Eustochium ita grauissimè scribentem: *Si placeat vobis, charissimæ, talis ac tanta Virgo, placeat & opus virtutis eius, cuius vita omnium disciplina est, cuius mores instituta sunt Ecclesiarum.* At quid hoc sibi vult quod postremum statuitur, *Cuius mores instituta sunt Ecclesiarum?* An non satis innuitur, quòd si, non dicam maximarum perfectio virtutum, sed sola obedientia in omni statu integrè seruaretur erga omnes Superiores, haud dubia salus esset non tantùm familiarum, sed ciuitatum, & regionum, & totius Ecclesiæ? Contrà verò obedientiæ neglectus quàm grauia incommoda multis Rebusp. inuexerit, quis non videt? Vnde crimina in Republica, nisi quia leges Magistratuum & quorumcumque Superiorum contemnuntur? Vnde rixæ, contentiones, pugnæ in familijs, nisi quia nolumus obedire? Explicat hoc quodam loco D. Bernardus, vbi de malis agit quæ ex propria voluntate manant, quam constat omnium turbarum, bellorum, & miseriarum, quæ in corde nostro oboriuntur, originem esse & causam. *Tolle*, inquit, *voluntatem propriam, & infernus non erit. Quid enim ignis ille æternus exuret, nisi propriam voluntatem?* Significat nimirum, omnia mala siue culpæ siue pœnæ æternæ è propria voluntate proficisci. Obedientia verò hoc commodi nobis præstat, quòd nos propria voluntate nudet, efficiatque vt eam in nobis enecemus, eique penitùs renuntiemus, vt Superioris voluntatem, &, quod consequens est, Dei faciamus. Obedientiæ enim satisfacientes Dei exequimur voluntatem. Vnde necesse est profluat pax quædam magna & tranquillitas, qua fruuntur animæ verè obedientium, totaque adeò Respublica: fitque quasi paradisus quidam terrestris, in quo exhausto fonte seu scaturigine omnium turbarum & inquietudinum, quæ, vt dixi, propria est voluntas, omnes parati sunt facere quidquid Deo placere, & ad eius gloriam, atque ad proximi vtilitatem pertinere cognoscunt: neque suis cupiditatibus aut desiderijs ampliùs seruire ac satisfacere, sed diuinam sequi voluntatem, & maiorem Dei gloriam in omnibus quærere gestiunt. Atque ita impletur, quod Deus in Sacris litteris pollicitus est: *Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.*

Bernard. Serm. 3. de Resur.

Prou. 1.

Eadem est doctrina D. Thomæ & aliorum. Quemadmodum enim Dei charitatem nemo habere potest, nisi habeat & proximi propter Deum: ita prorsus obedire nemo perfectè potest Deo, nisi etiam obediat Superioribus. Idemque est obedientiæ quæ Deo exhibetur habitus, & eius quæ homini propter Deum: sicut est idem habitus charitatis erga Deum & proximum. Atqui Deo nolle obedire, satis constat impium esse: ergo etiam nolle Superioribus parere, à Deo ordinatis, eiusque vicarijs. Quæ cùm ita se habeant, omni studio & conten-

D. Tho. 2. 2. q. 140 a. 2.

tione virtutem hanc omnes mutemur necesse est, summi, medij, infimi. Filij parentibus morigeri sint, vxores maritis, serui heris, clientes Principibus suis & Regibus, fideles omnes Prælatis & Episcopis, & supremo omnium capiti Papæ: vnusquisque patri spirituali, quem confessarium sibi adsciuerit, vitæque suæ magistrum ac ducem, Religiosi maximè Superioribus, vti ex votis suis obstringuntur. Omnes deniq; amore & exemplo D. Virginis ad obedientiæ promptitudinem accingamur. Primò, quoniam id perquam vtile est ac salutare: *nihilque tam expedire animæ constat*, ait D. Augustinus, *quàm obedire*. Deinde vsqueadeò necessarium est, vt sine obedientia nihil Deo placeat, teste D. Bernardo, qui sic ait: *Sancta quidem fuit actio Marthæ, sancta contemplatio Mariæ, sancta pœnitentia & lachrymæ quibus pedes Christi Domini rigabantur: sed hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethania, id est, in domo obedientiæ: quia extra eam nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lachrymæ pœnitentis, illi accepta esse possunt.* Hinc frequens illa D. Pauli adhortatio ad omnem dirigitur statum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* &: *Filij, obedite parẽtibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed sicut Domino, timentes Deum.* Atque ad feminas sermone conuerso, *Mulieres*, inquit, *subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.* vicissim quoque, *Viri diligite vxores, & nolite amari esse ad illas.* Similia & alibi identidem commendat, nunc speciatim, nunc vniuersim omnibus, & per omnia, vbi scilicet Deo contraria non præcipit homo. In veteri quoque lege Deus ipse populum alloquens de obedientia Prælatis ac spiritualibus animarum patribus debita, *Facies*, inquit, *quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Quòd siquis voto insuper sit obligatus, *Siquid vouisti Deo*, inquit, *ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio.*

Aug. in Psal. 70. Bernard. Serm. ad Milites tẽp. c. 13. Rom. 13. Coloss. 3. Ephes. 6. &c. Deut. 17. Eccle. 5.

Denique sicut beatissima Virgo in negotio tam arduo Angelicæ annuntiationis se totam diuinæ permisit voluntati dicens, *Ecce ancilla Domini:* ita nostrûm vnusquisque Superioribus quibuscumque, vel potiùs Deo in illis obedientiam, cùm opus erit, offerat, alacri ac prompto animo dicendo, *Ecce ego: Ecce venio: Ecce Domine, seruus tuus sum ego. Seruus*, inquit D. Augustinus, *tibi obstrictus, & iure conditionis, & iure redemptionis.* Hæc profectò obedientia, instar sacrificij, Deo quàm gratissima erit, nobisque vberrimos ac iucundissimos afferet fructus, & omne bonum. Cuius rei rationem accipite. Cùm enim omnis nostra felicitas in eo sita sit, vt cognoscere possimus Dei volũtatem, eamq; opere implere: ex altera parte certò cùm sciamus, quidquid præcipit Superior, modò id licitum sit, quãtumuis homo vita moribusque peruersus fuerit, Dei nihilominùs esse voluntatem: consequens certè est, nihil cõducibilius obediẽtiâ, nihil felicius nihil securius dici aut cogitari posse! Siqui-

De fructibus huius imitationis. Isaiæ 6. Heb. 10. Psal. 118. Aug. in hunc locum. 1.

quidem hoc pacto in omnibus actionibus suis homo regitur & gubernatur à Deo, qui felicem vtique dabit successum & fausta omnia in ijs quæ ipsius Vicarius imperarit. Itaque vl-
2. tra magnum illud præmium, & coronam vitæ, quam verè obediens sperat se recepturum olim in cælis, fruitur præterea hoc in mundo magna quadam pace & tranquillitate animi: quoniam plenissimam sui victoriam debellata iam propria voluntate, hostibusque domesticis, est consecutus.
Prou. 21. 3. Vnde etiam dixit Sapiens: *Vir obediens loquetur victorias.* Quo tempore Adam obtemperabat Domino, ipsi omnia subijciebantur: posteà etiam animalia ei obedientiam denegarunt. Aduersus Ionam inobedientem ipsum mare turbulentum, nauis, venti, homines insurgunt & resistunt; postquam verò Domino se subiecit, piscis qui ipsum deuorauerat illum euomuit, & Niniuitæ se ipsi subiecerunt,
4. eiusque dictis obtemperarũt. Quod maius est, ipsemet Dominus homini sibi obtemperanti obedit; qui alioqui superbis resistit, & deponit potentes de sede. Nam ad vocem Iosue stetit sol cum cælis omnibus contra Gabaon: leones Danieli subiecti sunt, corui Eliæ, ignis tribus Pueris in
5. fornacem coniectis. Denique duplicatum operum bonorum fructum percipit quicumque ex obedientia illa suscipit atque exsequitur, vt cælitus
S.Brig. Reuel. l.4.c.26. B. Brigidæ fuit declaratum. Nam cùm illi pater spiritualis, qui eam regebat, quædam opera austeritatis prohibuisset, eoque nonnihil affligeretur, apparens ei Deipara Virgo dixit, *Considera, ô filia, duos homines in animum induxisse vno die ieiunare: sed vnus, qui sui iuris est & liber, sponte sua & propria inductione ieiunans mercedem recipit pro isto ieiunio; alter, qui sub obedientia degit, ieiunare prohibetur. Hic porrò duplex accipit præmium: alterum quòd ex animo ieiunare concupiuerit; alterum, quòd desiderio suo renuntiarit, vt obedientiæ satisfaceret.* Hi sunt igitur fructus obedientiæ alijque quàm plurimi generis eiusdem.

Iam hoc tantummodò ad extremum vrgendum in hoc argumento, & altè animo defigendum, quo pacto Superioribus obediendum, quà resignatione, quà perfectione. Id planissimè docet nos Domina nostra, dum ait, *Ecce ancilla Domini:* significans insignem promptitudinem & alacritatem maximam ad parendum, ad seruiendum, ad exsequendam omnem Domini voluntatem. Variæ quidem commendantur obedientiæ perfectæ conditiones, nempe vt simplex sit, vt cæca, vt fortis, vt integra; sed prima omnium est vt sit prompta. Hãc egregiè describit D. Bernardus hac hypotyposi: *Fidelis obediens,* inquit, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit vt imperantis colligat voluntatem.* O virtutem pulcherrimam! quid sequitur? *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis.* Tales in hoc genere fuerunt Noë, Abraham, Iacob, Ioseph, Moyses, Aaron, Samuel, Dauid, Isaias, & alij non pauci, quorum honorifica mentio est, lausque sempiterna in diuinis litteris. Talem videlicet obedientiam gloriosissima Virgo nobis hodie commendat. Talem ipsemet Dominus noster ab omnibus Christi nomen profitentibus postulauit, quando monitis suis instructos mittebat Apostolos in vniuer-

De modo obediẽdi.

Bernard. Serm. de Obediẽtia.

Gen. 6. 7. 17. 22. 28. Exod. 3. 4. 40. 1. Reg. 17 &c.

uersum orbem, dicens, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis*. Ita esto in æternum, Domine Iesu: hoc fac vt seruent homines quæcumque mandasti illis: hoc fac vt omnia promptissimè seruiant & obediant tibi. Gloria tibi, ô Iesu, & benedictæ Matri tuæ honor & imperium in sæcula sæculorum. Fiat, fiat.

CONCIO XXXVI.

Ancilla Domini.

1. *De profundissima B. Virginis humilitate, quam præsertim in hoc mysterio impensè exercuit, dum ait,* Ecce ancilla Domini.

2. *Quomodo imitandum sit omnibus tam illustre exemplum.*



SANCTA Mater Ecclesia in Officio Sabbati per annum Deiparæ canit versiculum hunc è Canticis:
Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Vbi tria nobis hodie sunt animaduertenda, quis sit iste Rex in accubitu suo, quæ nardus, quantus hic odor. Primùm igi-
1. tur ecquis iste Rex in accubitu glo-
Apoc. 19. riæ suæ? Certè Dei Filius, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* In accubitu suo erat, seu quiete sua, cùm nondum homo factus habitaret in nobis, sed requiesceret in sinu Patris.
Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*
Isaiæ 6. item ibidem: *Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Ibi ministrabant ei Angeli nouem choris distincti cum timore ac tremore, velantes faciem & pedes alis suis, præ verecundia, & reuerentia erga Dei maiestatem, vix ausi in conspectu eius comparere. Deinde, quid sibi 2.
vult ista nardus tam odorifera? Nardus est herba satis exigua in hortis, sed fragrantissimi odoris, similis lauendulæ nostrati, vt tradit Isidorus, Isidor.
iuuatque ad sanandos tumores. ac lib 17.
proinde humilitatem significat beatissimæ Dei Genitricis, cuius hæc verba sunt in Cantico Salomonis; sicuti & dixit in Cantico suo: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Ecce vt vocat se iterum hîc ancillam, id est, minimam omnium. At qualem quan- 3.
tumque sparsit odorem hæc nardus? Hinc vsque ad cælum. Quando humilitas Mariæ Virginis commixta cum aliis virtutibus, maximè virginitate, obedientia, charitate perfectissima, Deum ferire cœpit, eiusque cor quasi sagittis vulnerare: tametsi esset in sinu Patris, siue in æquali gloria cum Deo Patre, *non rapinam* Philip. 2.
arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Atque ita virginea delectatus est nardo, vt de Regalibus sedibus veniens, in vterum se Virginis demitteret. Aliter quippe capi non poterat vnicornis ille cælestis: quoniam fœtor superbiæ primæ matris Euæ, ipsius vultum auerterat à terris, iramque concitauerat contra omne genus humanum. verùm humilitas Mariæ, opposita Euæ, sese in odorem suauitatis, ad instar suauè olẽtis nardi, obtulit Deo: qua summopere delectatus respexit humanum genus, & in terras descendere, & hominem induere, & cum hominibus conuersari dignatus est; vsque eò vt diceret, *De-* Prou. 8.
liciæ meæ esse cum filiis hominum. Magna profectò virtus humilitatis, & potens

potens odor eius ad expugnandum cor Filij Dei. Sanitatem quoq; operatur, dum superbiæ nostræ tumores vel sola eius memoria curare potest. Itaque beatissimam Virginem meritò credimus meruisse de congruo Christum Dei Filium concipere, sua potissimùm humilitate, quæ per nardum hîc designatur; quando videlicet hæc sacratissima verba pronuntiauit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Dicamus igitur hodie de hac humilitate B. Virginis in genere & in specie. Deinde de illustribus eius exēplis imitandis.

AVE MARIA.

IN primis vt hinc ordiamur, quem existimamus dignissimum titulum seu prærogatiuam fuisse Mariæ Virginis, inter omnia eius insignia, & laudum præconia? Omnia certè in ea magna sunt, Virgo virginum, Regina cæli, Domina mundi, paradisus voluptatis, tabernaculum fœderis, arca testamenti, templum Salomonis, filia sponsa parens Dei altissimi: integras Litanias orthodoxa mater Ecclesia gaudet ex huiusmodi titulis contexere. Sed ecquæ dignitas maxima? quænam excellentia ceteras omnes transcendit? Dicetis fortè, Nimis arduum est penetrare & inspicere omnia & singula, vt diiudicemus quid in ea principatum tenuerit. Verùm (vt hoc demus ita esse) quid aiunt Euangelistæ? Nam Euangelistas describens Ezechiel, & diuus Ioannes in Apocalypsi docet eos oculis plenos fuisse antè & retrò. Non deerant igitur illis oculi quibus omnia viderent ac solertissimè discernerent. Quid ergo viderunt in ea maximè laudandum? D. Matthæus in Christi genealogia, recensitis progenitoribus Domini, Patriarchis, Iudicibus, Regibus, vbi venit ad Mariam, dicit, *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Quid? nihil ampliùs habet de gloriosissima Virgine Maria? Hoc vtique tantum est quòd dicit, vt cùm abundet oculis, nihil aliud in ea vidisse videatur: adeò omnibus hoc præponderat. Videte, quæso, quanta sit dignitas matris Dei. Infinita gloria Deo Patri est, talem habere Filium: seque, vt par est, glorificans idem ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (siquidem gloria patris est filius sapiens.) Eidem verò filio Maria ait: *Filius meus es tu, ego genui te.* Pater dicit ad Filium in Euangelio bis, in Baptismo eius & in monte Thabor, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Mater de eodem ait, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complaceo.* Filius ad dexteram Patris est, mater ad dexteram filij, medius inter Patrem & matrem Filius est. Hunc vocat Filius Patrem, illam matrem. Et ad Angelos quidem dicit, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* ad matrem verò, *Tu genuisti me.* Hæc est dignitas infinita, hoc nomen maximè eam commendat. Cetera nomina parum sunt: & si cum hoc nomine conferantur, non apparent, sicut stellæ non apparent in meridie. Denique hoc nomen omnia comprehendit quæ à Deo collata sunt beneficia & priuilegia. Sed audiamus hac de re D. Bernardum. *Quòd si & cuius sit mater attendas,* inquit, *quò te tua super eius celsitudine mirabili ducet admiratio? nónne ad hoc vt te videas nec satis posse mirari? nónne tuo, imò veritatis iudicio illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? An non Deum & hominum & Angelorum Ma-*

Ezec. 10. & Apoc. 4. — Matth. 1. — *Incomparabilis dignitas Matris Dei.* — Psal. 2. — Matth. 3. & 17. — Psal. 103. Heb. 1. — Bernard. Hom. 1. sup. Missus.

Maria suum audacter appellat filium dicens: Fili quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit illis & pro magno habent quòd cùm sint spiritus, & conditione & gratia facti sint & vocati Angeli, testante Dauid, Qui facit Angelos suos spiritus. Maria verò matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui illi cum reuerentia seruiunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Denique subiungit: *Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quòd filium vnum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Hæc Bernardus. Accipite quoque similitudinem ex qua dignitas ista magis elucescat. Nonnullis viris sanctissimis, vt Deus illos mundo commendaret, matres dedit sanctas, quò vicissim parentes filiis & filij parentibus ornarentur. Ita Samsoni, & Samueli, & Ioanni Baptistæ, eximiæ sanctitatis matres fuisse accepimus. Quid ergo, si vna quæsita fuisset mater non modò Sanctorum omnium qui in cælo sunt, sed omnium etiam Angelorum; quantæ dignitatis matrem ad hoc deligi oportuisset? Eapropter matrem omnium Deorum, quam Pandoram Poëtæ finxerunt, omnibus bonis cumulatam ferunt, vtpote quæ tales filios partu suos edidisset. At verò maiora Mariæ collata sunt dona sine comparatione, quia Deum peperit, quàm conferri decuisset, si infinitos Baptistas aut Seraphinos fuisset paritura. non enim omnes illi, licet infiniti essent, æquarēt vnum Christum naturalem Dei filium. omnes enim tantùm essent filij adoptiui, sed hic est Filius Dei naturalis, candor lucis æternæ, & figura substantiæ Patris.

A simili.

Quin etiam colligere idem possumus, si placet, exemplis. Cùm Abraham & Dauid maximam in oculis Domini gratiam inuenissent; vt eos summo beneficio afficeret, promisit ex eorum semine Christum Dominum nasciturum. quod audiens Abraham procidit in terram, tanti hoc donum æstimans, vt quasi sustinere non valens beneficij pondus, in terram rueret, factoque hoc ostenderet nullam gratiarum actionem tanto muneri satis esse. Si ergo tanto temporum interuallo progenitoré Christi fieri tanta res erat: qualis quantaque Mariæ dignitas, quæ in vtero ipsum portauit, ac peperit? D. Hieronymus quoque in Isaiam scribens, vbi fletum Ezechiæ exponit, Fleuit Ezechias, inquit, fletu magno propter promissionem Domini factam Dauidi, quam videbat in sua morte perituram. eo enim tempore Ezechias non habebat heredem: posteà habuit Manassem. Considerate nunc igitur quanta res sit Messiam saltem in sua progenie habere: at quantò maius est, eius matrem fieri? Considerate hoc etiam, Ex quo Maria Virgo mater Dei est, an non consectarium est Reginam pariter esse ac Dominam totius mundi, iure hereditario, quandoquidem filius eius Rex ac Dominus vniuersi est? ita videlicet nominat illam Ecclesia identidem in Officio: quia omnes creaturæ sunt Regiæ maiestati eius subiectæ, eique obedire coguntur. quin & Christus Dominus ei subditus fuit. Quid mirum de creaturis? quid mirum de hominibus quorum peperit Saluatorem? Sed & Angelos legimus id agnouisse, & Reginam eam consalutasse, quando Romæ auditi sunt in publica supplicatione suauissimè concinentes, *Regina cæli lætare, Alleluia*, &c. O stupendam matris

Ab exemplis maiorum.

Gen. 17.

Hieron. in Isa. 38

In Vita D. Greg. Magni.

matris Dei dignitatem! ô inexplicabilem sublimitatem!

Ecce ancilla Domini. Enimverò vt ad propositum descendamus, admiremur hodie, si placet, non tam sublimitatem augustissimæ Matris Dei, quàm profundissimam eius humilitatem atque paruitatem in oculis suis, dum vox illa turturis audita est in terra nostra, *Ecce ancilla Domini.* Quousque se, obsecro, illa demisit, quando in hunc modum locuta est? In illo temporis articulo, quando fiebat mater Dei, Regina mundi, Domina hominum & Angelorum; quando, inquam, ad altissimum dignitatis gradum extollebatur vt communem haberet cum æterno patre filium, seque derepentè in tam sublimi honoris throno collocatam conspiceret: in illo igitur temporis articulo, nihil ideò magnificentiùs de se sensit, neque se vel flocco pluris quàm anteà æstimauit: nulli se creaturæ anteferre ausa est: nullos honoris titulos, alioqui sibi debitos, vsurpauit, sed ad infimum omnium gradum se demittens, ancillam Domini, seu famulam inter homines minimam se nominauit, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Quid ita? quî fieri potuit, vt quæ maxima erat, totque cumulata donis, se minimam reputaret? ita scilicet nihilum suum agnoscebat, hoc est nihil se habere à semetipsa, sed à Deo omnia. *Humilem esse*, inquit S. Dorotheus, *est nihili se æstimare.* (Doroth. Ser. 2. de Humil.) Quod profectò maximè admirandum in B. Virgine fuit, potuisse tot dignatam honoribus hanc sui despicientiam animo concipere. Sed Bernardi expositionem audite. *Ecce, inquit, ancilla Domini. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat.* (Bernard. Hom. 4. sup. Missus.) *Non mediocris reuerà humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione: magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata.* (Humilitas honorata quàm rara virtus.) Tantumdem ferè, sed paucis, habet D. Ambrosius. *Vide humilitatem*, inquit, *ancillam se dicit quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* (Ambr. l. 2 in Luc. 1.) Quantus itaque hîc sensus humilitatis fuisse credendus est, quem medullitus depromebat cùm diceret, *Ecce ancilla Domini?*

Respexit humilitatem ancillæ suæ. Quantus etiam affectus ac sensus humilitatis, dum in Cantico suo Virgo, facta iam mater Domini, & mater salutata, & eximijs affecta laudibus, nihil animo elata, sed ancillam itidem se nominans dicebat, *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ?* (Luc. 1.) quod rectè vertit Vatablus, *Respexit nihilitatem ancillæ suæ.* Cùm enim ipsa recipere deberet in vtero suo, atque adeò iam tum concepisset, ante visitationem Elisabethæ, illum de quo D. Paulus ait, *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens:* (Philip. 2.) ipsa vicissim vt similiter faceret, exinaniuit semetipsam, nomen seruæ siue ancillæ vsurpans, & se quasi nihilum reputans; & quidquid erat vel habebat, de Dei munere ac liberalitatis fonte fluxisse agnoscebat. Ecquid mirum, cùm etiam humilis Dauid Rex ita loquatur, *Substantia mea quasi nihilum ante te?* (Psal. 38.) Certè quantò altior Maria ac Deo propinquior fuit, tantò perfectiorem huius rei notitiam imbiberat. Estque hæc D. Gregorij sententia: *Inter humiles ac superbos hoc esse discrimen, quòd superbi semper intueantur in se quæ magna sunt, in ijsque glorientur: humiles verò semper in oculis habeant quæ in se parua sunt, omissis donis maioribus,* (Gregor. l. 34 Moral. c. 7.)

ribus, quæ agnoscunt à Deo esse. Eamdem ob causam D. Augustinus, pius Pater, vbi ex Virgine quærit quomodo ad tantam dignitatem peruenire potuerit, sic ipsam introducit respondentem, *Quæris à me quod obtulerim munus, & unde mater effecta sim Creatoris? Oblatio mea fuit humilitas mea, & ideò magnificat anima mea Dominum. Quia respexit non auro eleuatam tunicam meam; non pomposo cultu radiantis auri ornamentum ceruicis meæ, aut pretiosorum lapidum vel margaritarū dependētium in auribus meis decorem; non gēmarum ruborem attēdit, nec fuco mendaci colorem; sed respexit humilitatem ancillæ suæ. Venit enim ad me mansuetus, requiescens super maternū spiritum, humilem & mansuetum ac trementem verba sua.* Hæc ille. Ita & Hugo Victorinus in Annotationibus suis, *Respexit Deus*, inquit, *humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, vt filium suum in carne conciperet, in carne verum Deum & hominem omnium bonorum Saluatorem generaret.* Addamus hoc è saniore magisque communi Doctorum sententia, vocem hanc humilitatis nonnumquam pro virtute ipsa accipi; nonnumquam pro re vili, abiecta & nullius pretij. Vt cùm D. Paulus ait, *se Saluatorem expectare de cælis, qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, hoc est, corpus nostrum vile & miserandum. Ita & B. Virgo, *Respexit humilitatem ancillæ suæ:* ac si dicat, Deus oculos suæ misericordiæ coniecit in mancipium quoddam minimum, & in miserabilem ancillam: visum est ei pro sua clementia respicere tam abiectæ conditionis, tam exigui pretij creaturam, vt eam tot donis & priuilegijs dotaret. Id enim à mera eius gratia & infinita liberalitate, non ab vllis meritis meis profectum est. Hæc videlicet profunditas fuit, siue abyssus humilitatis in beatissima Dei matre.

Hugo Vict. in Annotat. sup. Magnificat.

Philip. 3.

Quantò quis maior, tantò humilior.

Quòd si rationem ipsam atque originem huius rei eruere voluerimus; hoc diuinæ bonitatis munere iustis impertiri comperiemus, vt quantò maiores sunt altiusque virtutibus ascendunt, tantò se magis demittant atque humilient. Quemadmodum enim architectus paruam domum constructurus non iacit alta fundamenta, quoniam parietes non multùm erigendi sunt: sed ædificaturus templum, aut turrim, aut arcem amplissimam, profundiora quoque ponit fundamenta. Sic Dominus Deus quando vult aliquem sua liberalitate ad maximam sanctitatem prouehere, priùs humilitatis sanctæ documentis eum instruit, vt quantò maior futurus est, tantò sit humilitate profundior. Hinc fit vt boni quò magis à Deo honorantur, eò se magis deijciant. Abraham ille quantus vir? ad tantam Dei familiaritatem euectus, vt amicissimè illum inuiseret, id est, vt Angelos suos ad eum mitteret, quomodo respondit? *Loquar ad Dominum*, ait, *cùm sim cinis & puluis?* Sic cùm propheta Nathan multa præclara dixisset in laudem Regis Dauidis, & beneficia Dei erga ipsum commemorasset, ingressus est tabernaculum, & sedit coram Domino & dixit: *Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* Et alibi, *Ego sum vermis & non homo.* Et Ioannes Baptista (quantus vir?) recusat fortiter honores oblatos, & fatetur se indignum qui soluat corrigiam calceamentorum Christi: trepidat quoque cùm debet illum baptizare. Atqui hac ratione se dignum præ-

A simili.

Ab exemplo.

Gen. 18.

2. Reg. 7.

Psal. 21.

Ioan. 1.

præstitit D. Paulus, quantus Apostolus! ad paradisum raptus est, & ipsemet, teste Chrysostomo, paradisus fuit omnium virtutum, & plus omnibus laborauit: tamen se *minimum Apostolorum* vocat, *qui non sit dignus vocari Apostolus*; & alibi, *Fidelis sermo*, inquit, *& omni acceptione dignus, quia Dominus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*. Idem de alijs plurimis dici posset: sed exempli gratia paucos nominaui.

Chrysost. Hom. de S. Paulo.
1. Cor. 15.
1. Tim. 1.

Mundani contrà honoribus insolescunt.

Contrà verò cùm mundus honorat suos, ad insolentiam eos erigit, ac superbos efficere solet. Atque hoc pacto à mundanis hominibus distinguuntur ac dignoscuntur ij quos Deus ad officia grauiora deligit. Vnde etiam Dei Filius, tametsi Regem se profiteretur, nolebat tamen hunc honorem à populo oblatum suscipere. D. Gregorius in Moralibus rectissimè proinde censet, *iustos honoribus qui ipsis subinde deferuntur torqueri, improbos contrà lætari. Ac iustorum hoc tormentum*, inquit, *vice purgatorij est; improborum lætitia expressum est ipsorum reprobationis indicium*. Sed hac de re pluribus agit D. Bernardus in hunc locum: *Si me miserum homuncionem*, inquit, *meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocrem honorem prouexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter mea vel propter subditorum peccata permittente; nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum? Credo sanè, conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori tribui, eò sanctiorem, quò superiorem me æstimo. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, pristina oblinisci abiectionis: genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pecuniosos ad honores quosque Ecclesiasticos peruolare: moxque sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione, non mentium: & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo peruenerũt. Audiamus itaque quotquot tales sumus, quid illa responderit quæ Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliniscebatur*. Hæc Bernardus. Denique veluti Sancti, quò maioribus attolluntur honoribus, eò altiùs in virtute radices agunt: ita mundani magis ac magis honoribus insolescunt.

Gregor. Mor. l. 26 c. 23.
Bernard. Hom 4. sup *Missus.*

Atenim his prætermissis, peculiariter nunc inquirendum est, quare potissimùm B. Virgo se bis eodem capite Euangelistæ vocarit ancillam. *Ecce ancilla Domini: Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Cælius Rhodiginus inter ceteros tradit, seruitutem inter mala temporalia esse omnium pessimum, quòd mancipia libertatem non habeant, & quidquid acquirunt, domino acquirant, & vbique infimum habeant locum. Quomodo ergo diua Virgo se vocat ancillam? Multis profectò grauibusque de causis: quarum prima est, vt hac humilitate locus gratiæ paretur, quæ non nisi humilibus præstatur. Quemadmodum loquitur etiam Abigail adorans prona in terram, dum in Reginam assumitur, & ait. *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei*. Hanc rationem ita explicat Bernardus loco citato: *Semper solet esse gratia diuinæ familiaris humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respõdet, vt sedes gratiæ preparetur. Ecce*, inquit, *ancilla Domini*. Sicuti enim aquarum sedes humilitas est vallium:

Quibus de causis ancillam se D. Virgo nominet.
Rhodiginus l. 7. Lectionũ antiq.
Causa prima, locus gratiæ parabatur.
1. Reg 25
Bern. vbi supra.
Iacob. 4.

ita gratiæ sedes humilitas est mentium. *Emittis fontes in conuallibus*, inquit Propheta. Bonorum omnium fons, diuinum Verbum in celsissimo monte erat, in quem nemo poterat ascendere (Patris dico sinum) sed cùm Virgo hæc verba protulit, *Ecce ancilla Domini*, in humillimam vallem, omnibus vernantem virtutum floribus, descendit.

Ps. 103.

Causa secunda, ad obsequium se offerebat.

Deinde hac loquendi modestia Virgo sanctissima se ad omnem obedientiam, ministerium ac sedulitatem ancillarem offerebat: patrem suum Dauidem imitata qui dicebat: *Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Non enim affectabat se imperiosè gerere vt matrem erga filium Dei, sed ei impendere curam & obsequium. itaque se tota vita gessit pro ancilla, omni ope atque opera ministrans filio Dei, illum gestans vlnis, lactans vberibus, quotidiano labore & industria manuum suarum quæritans ei victum & amictum. Hoc rectè obseruauit hîc Theophylactus, nō tantùm humilitatem Virginis hac voce ancillæ significari; sed etiam diuinæ potentiæ in omnes dominium ac principatum commendari, cui subijciuntur omnia. quasi dicere vellet: Ille Dominus est, ego ancilla; en offero me ad obsequium: iure suo de me potest statuere quidquid placet.

Ps. 122.

Theoph. in hunc locum.

Causa tertia, totâ vitâ suâ se velut ancillam gessit.

Non solùm verò in hoc mysterio atque ministerio, sed totâ vitâ suâ in omnibus propemodum actionibus se gessit vt ancillam; adeoque à tenera infantia in hac virtute se exercitauit, vt Reuelationibus B. Mechtildis proditum accepimus. *Prima*, inquit illa, *virtus, in qua D. Virgo præcipuè se à pueritia exercebat, humilitas fuit: qua factum est vt tam exiguam sui rationem duceret, vt licet maximis dotibus & prærogatiuis à Deo esset affecta, nulli se vmquam mortalium anteferret.* Cùm igitur tam maturè cœpisset summa cum perfectione, curaque singulari sese in sancta hac virtute exercere; magis magisque semper progressa est in eadem sese consummare: & in omnibus suis actionibus, sermonibus, institutis ita se demittebat, vt humilitati eius in horas singulas accessio magna fieret.

Mechtil. l. 7. de Arcanis & Canis. l. 1 Marial. cap. 13.

Profectus indicium luculentum dedit in colloquio Angelico, vbi cùm diuinis laudibus efferretur ab Angelo, & perhonorificè salutaretur, *turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Quàm pulchra humilitatis ac verecundiæ effigies, in moribus D. Virginis expressa hîc & in extremo Euangelij, cùm profundissimè in terram inclinata dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum!* Quanta fuit eius admiratio ac stupor, præ metu ac virginali pudore? quantus subinde animi cruciatus, cùm intelligeret Angelum in se laudes congerere, & honores diuinissimos offerre, rem certè cogitatis suis omnino insolentem, institutis contrariam, qua denique penitùs sese indignam esse duceret! Post conceptionem verò, cùm iam intra viscera sua Deum hominē factum gestaret, eoque ab omnibus coli atque adorari mereretur: nequaquam tamen venerationē aliquam, visitationem, aut obsequium cuiusquam expectauit, sed ipsamet per itinera aspera & ardua ministratum iuit Elisabeth cognatæ suæ, non biduo aut triduo, sed quasi mensibus tribus. Stupebat haud dubiè Elisabetha

Tempore Angelicæ Annuntiationis.

Et Visitationis Elisabeth.

betha tantam alacritatem & submissionem cognatæ, dicens: *Vnde mihi hoc vt mater Domini mei veniat ad me?* Quid autem fecisse, aut quid dixisse cogitamus, cùm videret atq; experiretur matrem Dei non ad visendam modò cognatam, sed ad obsequium sibi exhibendum venisse; idque tanta cum charitate & humilitate, vt omnem animi sensum longè superaret? quoties velut extra se abrepta constitit, tam profundam humilitatem intuita? Aliud ibidem proditum est humilitatis exemplum, dum Elisabetha laudibus extolleret admirabilem virginei sermonis efficaciam, qui gaudio perfuderat & sanctificarat puellum quem vtero ipsa gestaret: dum magnam eius fidem deprædicaret, ipsamque diceret beatam & benedictam inter mulieres, & benedictum fructum ventris eius. tum enim sacratissima Virgo nullam in se partem huius præconij admittens aut agnoscens, confestim in Deum id totum retulit & conuertit, sacrum illud Canticum magno animi feruore exorsa, & dicens, *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Solent enim qui verè humiles sunt, nihil sibi laudis vsurpare, sed omnia bona sua Deo accepta referre, seipsos contemnere, se omni honore & gloria prorsus indignos existimare; ideoque soli Deo, fonti & origini omnium bonorum, omnium siue naturæ siue gratiæ munerum auctori, omnem laudem & gratiarum actionem in omnibus rependere gestiunt ex intimis animi sui medullis canentes, *Magnificat anima mea Dominum.*

In Cãtico Magnificat.

Iam viro suo Iosepho, aliisq; cùm opus esset, haud grauatè se velut ancillam exhibuit, in omni conuersatione, & moribus, in operibus, in verbis, in vestitu: siquidem humilitatis actus est aliis libenter famulari, siue celsioris siue inferioris sint conditionis; vti B Paulus Galatas docebat *seruire inuicem per charitatem*, & Philippenses, *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrari*. Itaque à tertio ætatis anno, quo B. Virgo in templum venit, Sacerdotibus aliisque morigera, expletis orandi temporibus, vt litteris prodidit Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus, ancillari opera consueuerat fila ducere, aut linum exercere, aut lanam, aut sericum, aut quidquid necessarium esset ad vsum Sacerdotum aut templi. Deinde Iosepho enupta, famulabatur ei in omnibus, dignitate licet longè inferiori: nihiloque minùs manuum labore, acu, & tela victum quæritans, non parum adiumenti charissimo suo sposo afferebat. Cùm namque vterque vltrò paupertatem sibi delegissent; & munus fabrile, quod Iosephus exercebat, exigui certè quæstus esset; necessitas & charitas, vt Basilius ait, ambos ad strenuè laborandum impellebat. Ad vestitum quod attinet, idem auctor scribit fuisse communis & natiui coloris: vtpote quæ nemini vnquam placere desiderarit, vt aliæ mulieres veteris Adami filiæ.

Erga Iosephum & alios ancillam se præstat.

Galat. 5. Philip. 2.

Apud Niceph. l. 2. cap. 23.

Basil. in Constit. monast.

Quid insuper in hoc genere præstitisse credenda est felicissima illa æterni Dei mater, quæ filium suum vsque eò dignatum ad nostram descendere mortalitatem, vt hominibus ministraret, annis tribus & triginta in cõspectu suo coràm habuerit? Quid non didicit ab eo Domina nostra, qui omnes inuitat ad imitandum humilitatis suæ exemplum, dicens, *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde?* Sanè cùm tanto magistro,

In imitatione filij sui.

Matt. 11.

ſtro, quantus fuit Deus noſter incarnatus, tam familiariter tanto tempore vſa fuerit; conſideratis eius actionibus & ſermonibus, quos rara quędam humilitas condiebat; tantum humilitatis profundiſſimæ incremétum eam accepiſſe oportuit, vt mereretur incomparabili cum gloria ſupra omnes Angelorum choros extolli, iuxta promiſſionem ipſius noſtri Saluatoris, *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Luc. 18.

Aliud humilitatis argumentum, quòd ſuas dotes & gratias occultarit.

Aliud humilitatis arcanum fuit in D. Virgine admiratione ac veneratione digniſſimum, quòd nempe dona ſibi à Deo tam larga manu collata, dona inquam quantumuis maxima, celauerit atque occultarit triginta trium annorum ſpatio, vſque ad Spiritus ſancti miſſionem: tametſi eiuſmodi gratias Sancti aliquando patefecerint, cùm maior Dei gloria poſtularet. Sic licet ab Archangelo viſitata, & ab eodem ſublimiſſima myſteria edocta eſſet, & longè magnificentiores honoris titulos accepiſſet, quàm quiſquam mortalium vmquam, infinitam quoque chariſmatum diuinorum copiam cælitùs accepiſſet: numquam tamen vel cum Angelo agés, vel cum Eliſabetha, vel cum alijs, in eos ſermones ingredi voluit, vnde ſibi honorem aut gloriam parere potuiſſet. Ipſum etiam incarnationis myſterium virũ ſuum celauit, (quod maximè ponderandum) etiamſi triſtem & animo anxium videret, & diſceſſum meditari, & deſerere ſe iam paratum: atque adeò ne adulterij fautor videretur, eam dimiſiſſet, niſi cæleſti oraculo de tota re fuiſſet edoctus. Quantò minùs cum alijs aliquid rerum ſuarum communicaret, quæ in tanta rerum neceſſitate ſponſo quem vnicè amabat, ac fideliſſimum ſanctiſſimumque ſciebat, omnia celabat? Denique de maximis Sapientiæ incarnatæ myſterijs dicit illud Euangeliſta, *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. Luc. 2. quod eò vſque fecit, dum filius eius Redemptor noſter in terris viueret, donec poſt Aſcenſionem eius tempus fuit ea patefaciendi Apoſtolis, qui per vniuerſum terræ orbem Euangelium diuulgatum ibant. Nos contrà, ſiquid fortaſſe boni habemus, aut facimus, non humiliter celare, ſed ilicò apud alios ſuperbè iactare conſueuimus: inſtar ſuperbi Phariſæi, qui magno animi faſtu virtutes ſuas commemorabat. At B. Dorotheus arcana animi noſtri, bona honeſtaque opera, diuinas illuſtrationes aut gratias, ſcientiam, potentiam, atque eiuſmodi dona præcipit occultari: niſi cogat neceſſitas ea Confeſſario detegere, cui omne animi ſecretum aperiri expedit, ſiue peccata ſint aut tentationes, ſiue dona & gratiæ. Interdum etiam poſſet ædificatio proximi id poſtulare; ac tum permittit humilitas vt palàm proferatur & fiat quod eódem conducit alioqui Dei dona celanda ſunt & occultanda. Doroth. Serm. 10.

Alia indicia humilitatis.

Cùm prætereà magnum humilitatis argumentum ſit, teſte Alberto Magno, verſari libenter cum minimis, & admittere & quærere infimos & abiectæ ſortis ſocios: in eo quoq; Dominæ noſtræ virtus enituit, tamquam ancillæ Domini in omnibus. nam ad nuptias inuitata ab ijs qui tenuioris fortunæ erant in Cana Galilææ, lubens acceſſit, & familiariter cum ijs verſata eſt; adeò vt ſtatim aduerteret, cùm primùm vinum defeceret. Cum Maria quoque Magdalena Albert. Paradiſ. anim. c. 1

lena quæ paulò antè fuerat infamis & publica in ciuitate peccatrix: cum alijs item pijs mulieribus, quasi vna ex illis, & similis aliis, familiariter agebat, & vnà cum illis ad pedem Crucis Redemptoris nostri adstabat vsque ad mortem filij. Deniq; eiusdem generis fuit vltimum sibi in conuentibus locum deligere: quod Christus Dominus præscribit humilibus in Euangelio his verbis,

Luc. 14. *Cùm fueris inuitatus ad nuptias, recumbe in nouissimo loco*, &c. Hoc sanctissimam Virginem facere solitam, in Actis Apostolorum insinuatur, vbi enumerantur Apostoli post Ascensionem considentes in cœnaculo, & expectantes aduentum Spiritus sancti; ac demum subditur, *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Domini & fratribus eius.* Vbi cum diuo Bernardo & aliis obseruamus, Dominam nostram, quamquam omnium prima ac præcipua esset, atque vt talem meritò omnes reuererētur, primumque ei locū deferrent (quod nemini dubium esse debet) tamen postremam nominari, vt demonstretur ita ordine post viros atque etiam mulieres vltimo loco consedisse: vt nobis vniuersè omnibus rarum humilitatis exemplum relinqueret.

Act. 1.

Bernard. Serm. super *Signum magnum.*

Quàm grati sint Deo humiles.

Ecce qualis ancilla nobis imitanda proponatur his verbis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quid mirum si supra omnes gratiam inuenerit in oculis Domini, quæ infra omnes se tam humiliter demisit? O quàm gratæ sunt Deo humiles istiusmodi ancillæ, quanto apud eum in pretio, quanto in honore! Nempe veluti Regina Vasthi cōturbauit Regem Assuerum arrogantia sua: ita placuit ei Esther sua submissione. & sicuti Eua totum orbem turbauit, & genus humanum perdidit: ita Maria Virgo erexit atque instaurauit sua humilitate. Ipsemet Lucifer ob superbiam quasi fulgur è cælo in barathrum deturbatur: sed contraria virtute Angeli boni cælestem gloriam promeriti sunt. Denique vt semper Deo superbi displicuerunt, ita humiles vnicè placuēre. vnde illud oraculum, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Iacob. 4.

Esther 1.

An semper honores aspernandi.

At quæri hoc loco etiam possit, an maior adhuc humilitas fuisset Virginis, honores oblatos à se prorsus abiicere, quā acceptare: sicuti Christus Dominus nolebat Rex à populo creari: & laudantur tot sancti Episcopi, qui oblatos Episcopatus recusarunt? Respondetur, Aliter cum Deo, aliter cum hominibus in hac parte agendum. Nam dignitates quę ab hominibus tribuuntur, cedunt sæpè in magnum acceptantium periculum: at quod Deus à nobis requirit aut iubet certissimè in nostram redundat vtilitatem, (nisi nos honoribus abutamur, vt Saul:) & humilitas est id amplecti, sicuti esset superbia recusare, Deique voluntati contradicere aut repugnare, præsertim quando nobis de diuina voluntate satis constat, veluti D. Virgini ex reuelatione Angeli Gabrielis satis constabat, postquam eius legationem audiuisset. Quocircà Christus quoque meritò Petrum reprehēdit cùm animo nimis præfracto nollet sibi ab eo pedes lauari. Responderi etiam potest, veræ humilitati, quæ semper refugit honores, adiungi etiam ex altera parte virtutem magnanimitatis quæ animum addit, & stimulum voluntati, ne dignitatem suscipere timeat, quando illam Dominus in-

multorum confert vtilitatem. Hæc magnanimitas abſque dubio etiam in D. Virgine fuit inter omnes heroicas eius virtutes non infimæ notæ aut æſtimationis.

Secunda pars. De imitandis humilitatis tãtæ exemplis.

Hæc ſufficiant humilitatis exempla quæ Deipara nobis reliquit, ipſis Euangelicæ hiſtoriæ litteris cõſignata: conſiderandum iam nobis eſt vt in commodum noſtrum ea vertamus. Audiuimus itaque quantum fuerit Mariæ miraculum, quòd in ſublimiſſio omnium ſtatu humillima omnium fuerit; & quantò plus gratiæ recipiebat, tantò magis magiſque ſe deiiciebat. Nobis vtique exẽplo eſt, vt illud impleamus quod Sapiens monet: *Quantò maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Altiſſimo.* Res certè præclara eſt videre hominem peccatis coopertum ſeſe humiliter demittentem: & quantumuis ad aliquantum perfectionis & ſanctimoniæ gradum pertingeret, nihil tamen viribus ſuis fidentem, omnia Deo adſcribentem. Rara profectò virtus, inquit D. Bernardus: ſed vt is qui ſe nullo vmquã crimine obſtinxerit, & conſcientiam ſole ipſo clariorem purioremq; habeat, qualem Domina noſtra habebat; nihilominùs ſeſe tam humiliter demittat & contemnat, quàm ſi grauiſſimis implicitus peccatis teneretur; omnino rarum hoc ſit humilitatis prodigium. Difficilis planè caſtitas inter delicias, & humilitas inter honores. ſed hoc magnanima præſtat Maria, & in ea re nulla creatura ei valet comparari: quia nulla creaturæ dignitas Matris Dei dignitati comparatur. Nihilominùs tamen imitari nos oportet, quoad poſſumus, vt quemadmodum frugiferæ arbores quantò magis fructibus abũdant, eò magis ad terram ramos deprimunt & inclinant: ita & nos quãtò maiores gerimus diuitias ſpirituales, eò ſimus humiliores. *Ecce,* inquit Petrus Rauennas, *quam vocauit Angelus Dominam, ipſa ſe recognoſcit ancillam: quia deuotus animus infuſis beneficiis ad obſequium creſcit, augetur ad gratiam, non ad ſuperbiam tumeſcit, nec ad arrogantiam proſilit.* Quantò igitur diuinis muneribus ſiue naturæ ſiue ſupra naturam cumulatiores fuerimus, tantò nos magis deſpicere ſtudeamus. cumque hoc eximium ſit ac ſingulare Dei donum, aſſiduis precibus, ſuſpiriis, & gemitibus ex intimo corde eductis à Deo virtutem veræ humilitatis poſtulemus. Atque hæc ratio prima ſit parandæ humilitatis.

1. Quantò maior es, humilia te in omnibus.

Eccleſ. 3.

D. Bern. Serm. 45. in Cant.

Petrus Chryſol. Serm. de Laudib. Virg.

Quomodo potuerit Maria Virgo ſeſe ita deſpicere.

Quærant forſan aliqui nominatim de glorioſiſſima Dei Matre, quomodo in tanta dignitatis eminentia, & gratiarum copia, valuerit tam humilia de ſe ſentire & loqui. Reſpondetur, humilem quoque corde fuiſſe qui ait, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde:* & tamen dignitatem ſuam infinitam & gratiam nouerat. Ita Maria Virgo dignitatem nouerat ſuam, atque inſignes prærogatiuas diuinitus ſibi collatas: ideoque dicebat, *Fecit mihi magna qui potens eſt:* ſed bona vniuerſa quæ videbat in ſe, nouerat pariter non eſſe à ſe, ſed à Deo opt. max. Imò etiam ſe naturæ conditione infinitis peccatis ac defectibus obnoxiam agnoſcebat, niſi à Deo præſeruata fuiſſet; nihil boni ſuum eſſe, ideoque omnia dona ſua Deo non ſibi attribuebat. Hoc omnes imitari conuenit amore & exemplo ſanctiſſimæ Virginis. Conſideremus quid nos ex nobis ſimus, nihilum enim ſumus, & peccatores. Cõſidere-

Matt. 11.

II. Noſtrũ nihilum conſiderandum.

fideremus nostram imbecillitatem, quæ tanta est vt nihil boni facere possimus sine Dei auxilio. Consideremus etiam Dei magnitudinem, eiusque perfectiones, quæ omni ex parte sunt infinitæ. Quemadmodum enim terra, si cum cælo conferatur, puncti instar obtinet; ita homo coram Deo assistens, multò clariùs videt suum nihilum, suamque infirmitatem: atque eapropter sese penitùs demittit, & contemnit. Consideremus denique honorem & gloriam, quam in cælo expectamus, præ qua omnis ea, quam in hac vita nancisci possumus, indigna est prorsus quæ ametur, & verè nihil.

III. Consideranda sæpè exempla humilium. Eodem fine idemtidem intuenda humilitatis exempla, quæ Dei Filius nobis reliquit, tum in vita, tum in morte: & quæ Domina nostra nobis tradidit, omnesque Sancti & Sanctæ Dei. sic non facilè euanescemus in cogitationibus nostris, quasi aliquid simus, cùm nihil simus ex nobis tamquam ex nobis, quantumuis magnis donorum naturalium, aut diuinorum charismatum copijs affluere videamur. D. Paulus enumerat visiones & raptus, & maxima bona quæ Deus in eo posuerat, non ea sibi vsurpans, sed quasi de alio loqueretur. Quemadmodum lignum mirè fabrefactum opere artificis loqueretur de his quæ à manu accepit artificis, si loqui nosset, vniuersa artifici non sibi tribuens. Simile exemplum mirè exaggerat quodam loco diuus Chrysostomus, commendans summopere humilitatem trium sociorum Danielis, qui cùm in medio igni ambularent, nec eos flamma læderet, se deijciunt, & peccatores confitentur, & cùm opera exhibeant iustorum, loquuntur tamquam peccatores, & sua peccata confitentur dicentes: *Nobis confusio faciei, quia peccauimus tibi.*

(1.Cor.11)
(Chrysost. Hom.3. de Spiritu s. Daniel.3.)

IV. Quàm sit grata Deo humilitas, & inuisa superbia. O quàm pulchra virtus humilitas! quàm gratiosa in oculis Domini! quàm felices quicumque hac virtute prædìti seipsos despicere norunt! Quid ita? quia hic mos est, hoc ingenium Dei nostri; vt quantò magis humiliant se homines, tantò magis magisque ab ipso exaltentur; sicuti è contrario qui se exaltant, procul dubio humiliabuntur. Vnde Propheta Regius: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?* & iterùm: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Quid hoc sibi vult? nónne similitudo solet amorem conciliare? nónne *Volatilia ad sibi similia conueniunt*, vt Syracides ait? Diuersum tamen aliquid in Deo nostro videmus, qui cùm altus sit, humilia diligit; cùm magnus sit, quærit paruulos. Quod non immeritò D. Augustinus admirans, *Quid est hoc*, inquit, *fratres? Altus est Deus. Erigis te? fugit à te. Humilias te? venit ad te.* Nimirum quantò profundior est puteus, tantò eius aqua dulcior est: ita quantò humilior quis fuerit, tantò Deo gratior, & iucundior & honoratior.

(Psal.112.) (Psal.113.) (Eccli.27.) (Aug. sup. hæc verba Psalmistæ.)

V. Exemplũ Adæ. Præterea duplici vobis argumento commonstrabo quàm sit grata Deo humilitas, & inuisa superbia. Primus homo, parens generis humani, qui sibi & posteris hereditatem regni cælestis, & originalis iustitiæ atque immortalitatis dona acceperat, vnico superbiæ actu, quo Dei similitudinem concupiuit, non solùm hæc omnia pulcherrima Dei dona amisit, sed etiam vniuersum genus hominum æterna morte damnauit; tantum vna illa superbia nocere potuit. Sed

contrà alter homo, secundus Adam, dum se vsque ad mortem crucis humiliauit, hoc profundissimæ humilitatis opere totius mundi salutem promeruit. Itaque vnum illud superbiæ crimen mundum euertit; hoc humilitatis opus reparauit. O rem stupendam!

VI. Exemplum Luciferi. Aliud accipite. Cùm in ordine rerum creatarum necesse sit vnam summam, & vnam infimam reperiri: in infimo quidem gradu debemus hominem collocare, ac sub eo adhuc feminam in eadem specie seu natura. Nam & illæ species Angelorum lõgè sublimioris sunt naturæ. Infima ergo sit mulier. Summum autem Seraphicum ordinem esse, communis Ecclesiæ consensus docet, Deo videlicet similiorem ac propinquiorem. Iam pergo vlteriùs. Atqui in hoc ordine Lucifer primatum tenebat, vt constans opinio Doctorum est. Mulier igitur in imo, Lucifer in summo loco erat constitutus. Quid contigit? In muliere humilitas summa reperta est, in illo Angelo summa superbia. Quo factum est, vt illa propter humilitatem ad summam omnium creaturarum dignitatem proueheretur: hic verò propter superbiam ex altissimo cæli cardine in imum barathrum detruderetur. Talis rerum omnium & omnium ordinum inuersio facta est per humilitatem & superbiam. Videte quid humilitas & quid superbia efficiant: altera sic altissimam creaturam deijcit, altera sic infimam extollit. *Inuersa rerum scena.* Quid hac mutatione mirabilius? Omnium elementorum infimum terra est, at eius in visceribus aurum gignitur Solis influxu, quo gignuntur omnia. Eodem modo omnium feminarum humillima Virgo fuit, & eius in vtero fulgentissimum quo redempti sumus aurum Spiritu sancto operante genitum est, hoc est, Christus Dominus noster ac Redemptor. Addamus nunc aliquid nihilo minùs admirandum: videlicet, Cùm talis sit superbia, talis tamque mirifica humilitas, habet tamen beatissima Virgo paucissimos amatores qui eius humilitatem sectentur: habet verò Lucifer plurimos qui eius superbiam imitentur. Contra quos lubet exclamare: Quem sequimini, filij Adam? quem sequimini? Nónne videtis satanam quasi fulgur de cęlo cadẽtem? quomodo hoc non terret? Contrà verò, nónne mouere debet exemplum hoc præmiumque humilitatis, quod cernimus in Virgine humillima, exaltata supra omnia quæ sunt infra Deum?

VII. Ad praxim & exercitia humilitatis adhortatio. O qui humilitatis encomia & excellentias iam videtis, vtinam & gloriam eius & præmia cognosceretis, siue quæ in terris, siue quæ in cælis ei persoluuntur! quanto eius amore inardesceretis? quanta profunditate ad terras vsque & infra terras animo ac desiderio descenderetis? quantis feruoribus viam ac praxim teneretis imitandi suprà commemorata in B. Virgine humilitatis exempla? Ac 1.
primò (vt ea vno velut aspectu intueamur) cur nos pudeat subinde animos manusque applicare vilibus & abiectis ministeriis, quæ quiuis pro status sui conditione potest exercere, etiam domi suæ, ea faciens quæ vel ministro vel ancillæ ex officio incumbunt? Docet sanè D. Basilius, ad curandum arrogantiæ vitium longè perniciosissimum, vtendum esse remediis contrariis, quæ sunt humilitatis exercitationes cum demissione sui vsque ad vilissima quæque munia, *Basil. in Regul. breu. Interr. 289.*

nia,

2. nia,& mundo contemptissima. Deinde,si tanta sedulitate atque alacritate Domina nostra Ioscpho & cognatæ suæ famulata sit tanto tempore, cùm sciret longè se dignitate inferiores esse: quid ni inseruiamus aliquãdo proximis nostris, præsertim pauperibus atque ægris, in iis omnibus quæ aliqua ratione eis necessaria

Galat. 5. sunt: non spiritu seruitutis, sed singulari charitate & commiseratione, atque huius virtutis exercendæ desiderio; quemadmodum Sanctos fe-

Salpitius in eius Vita. cisse legimus in Vitis ipsorum, atque inter alios D. Martinum, qui etiamnum miles famulo suo eiusmodi obsequia pręstabat, teste Sulpitio. Quãdoquidem etiam Regina mundi ha-

3. bitu simplice & modesto semper vsa est; cur nos quoque, quoad status nostri conditio permittit, non similiter procul ex animo amoueamus vestium luxum, quę ad apparatum modò & vanitatem faciunt? quid enim aliud sunt istiusmodi vestes, quàm superbiæ stimuli? nemo enim, teste

Gregor. Hom. 4. in Euãg. B. Gregorio, tales lubenter conquirit, nisi ad vanam gloriam. sicuti è contrario vestitus simplex, & vilis parandæ humilitati plurimùm ancillatur, atque adeò certum præbet argumentum humilis animi ac submissi. Experientia enim docet, animam longè alium induere affectum cùm corpus sublimi aliquo & honorato throno consîdet, aut equo phalerato vehitur, quàm cùm idem humi iacet, aut genibus flexis. Ita exteriora ista indumenta siue ornamenta animam incitant vel ad superbiam, si modum excedant; vel ad humilitatem adipiscendam, si modesta &

vilia fuerint. Audiamus prætereà 4.

S. Virginem dona sua & gratias celasse constantissimè, etiam virũ suum

quem vnicè amabat: audiuimus lau- 5.

dibus suis turbatam, cùm ab Angelo salutaretur; cùm verò ab Elisabetha deprędicaretur, toto animo ad Deum conuersam, eum auctorem agnouisse, & Cantico suo collaudasse, atque

effusè gratias eidem egisse: audiui- 6. 7.

mus eam libentissimè cum minoribus versatam, neque vllius consortium aspernatam; quin etiam nouissimum sibi locum vbique deligere solitam; quomodo non imitandi studio & zelo quodam exardescimus? Quem libenter imitabimur, si ma-

trem Domini, Dominam item ma- 8.

tremq; nostram non imitamur? Denique superiori Concione integram assiduamque eius obedientiam ob oculos posuimus, quis eam imitari non potest saltem erga maiores ac Superiores suos? Atqui hoc est præsidium efficacissimum parandæ humilitatis: siquidem per obedientiam mortificamus atq; abnegamus propriam volũtatem, vt alienam promptiùs exsequamur, atque ita superbiam eradicamus, cuius illa radix est, & humilitatem comparamus. Hæc omnia quisquis pro viribus præstiterit, atque ante oculos proposita sanctissimæ Virginis vita, per humilitatem nouissimum se facere studuerit; procul dubio fiet primus: Deo dante, qui vt potentes deponit de sede, ita & exaltat humiles, sicut in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

CONCIO XXXVII.

Fiat mihi.

1. *De charitate sanctissimæ Virginis, seu de amore Dei super omnia, quem tum maximè patefecit, cùm Angelo respondit*, Fiat mihi secundùm verbum tuum.

2. *Quomodo idem amor nobis imitatione Deiparæ studiosè sit exercendus.*



SACRIS Regum historiis proditum est, *Regem Salomonem fecisse thronum ex ebore grandem; & vestiuisse eum auro fuluo nimis. Habebat sex gradus, & duodecim leunculos stantes super sex gradus hinc atque inde.* vt cetera taceam quæ eò pertinent, *non est factum tale opus in vniuersis regnis.* 3.Reg.10

Quoniam autem, vt Apostolus ait, *omnia in figura veteri illi populo contingebant*; consentaneum est vt huius throni Salomonis fabrica insignis alicuius mysterij imago fuerit. alioqui non erat cur Spiritus sanctus, qui sacræ Scripturæ auctor est, adeò diligenter hoc opus describi voluerit: cuius si externam faciem spectes, nihil in eo deprehendes quod ad religionem, sed magis quod ad pompã & fastum mundi pertinere videatur. Huius ergo throni fabrica, cui nulla in omnibus regnis similis inuenitur, rectè SS. Patres, atque inter ceteros D. Bonauentura, D. Antoninus, Petrus Damiani, & in Officio Ecclesia vniuersalis, D. Virginem significari testantur, quæ fuit nobilissimum Dei opificium, ornamentis omnibus decoratum, quæ throno Salomonis tribuuntur. Salomon quidem typum gessit pacifici nostri Regis, & sapientiæ Patris; Filij inquam Dei, qui in anima D. Virginis semper per gratiam, & in virgineo corpore, tãquam throno suo, nouem mensibus requieuit. 1.Cor.10 Bonauêt. in Spec. B.Virg. c.2.& in Carmin. de B.Virgine. Eccles. Offic. in Litaniis, &c Antonin. 4.p.tit.15 c.44.§.7.

Opulentia illa regni Salomonis & diuitiæ tantæ fuerunt, vt argenti tanta esset copia, quanta lapidum, & cedrorum quasi siluestrium lignorum. Significant autem hæc cælestium diuitiarum & gratiarum abundantiam, quas Christus Dominus attulit in mundum. Sed in omnibus diuitiis nihil magis visendum habuit, quàm D. Virginem thronum suum. Erat hic thronus *ex ebore*, quod candorem virginalem & puritatem maximam designat illius, quæ ideò Virgo virginum dicitur,

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est nec habere sequentem.

Erat etiam *vestitus auro fuluo nimis*, & sex gradibus, & duodecim leunculis hinc inde, & in summitate sedis vndique gemmis auroque pretiosissimè adornatus: quæ omnia mentis illius augustissimæ Virginis opes spirituales, ac decora eximiè adumbrabant. Denique eleganter hunc thronum explicans de Deipara Cardinalis Petrus Damiani, sic illum calamo depingit, loco citato. *Fecit*, inquit, *thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa maiestas. Nosti quidnam dicat qui sedet in throno? Ecce noua facio omnia. Felix thronus in quo sedit dominator Dominus, in quo & per quem non solùm omnes, sed omnia renouantur!* De quo etiam præclarè D. Bernardus, *Nec in terris locus dignior*, inquit, *vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit: nec in cælis Regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimauit.* D. etiam Bonauentura applicat eidem illud Psalmographi: *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Petrus Damian. suprà. Apoc.21. Bernard. Ser.1. de Assumpt. Bonau. de Eccles. hierarch. part.4. Psal.88.

num: Sed enim huius throni excellentissimi quodnam eminentissimum fuisse ornamentum putamus? Aurum vtique obrizum, fabrefactum opere mirabili, de quo dicitur, *Vestiuit eum auro fuluo nimis.* Aurum enim metallorum omnium nobilissimum est, & charitatem significat virtutum Reginam. Hoc est aurum illud quod solus donare Deus potest, & à quo solo emi debere ipsemet in Apocalypsi docet. Apoc. 4. Verùm cùm in auro quidam nobilitatis sint gradus, propter quos aurum auro defæcatius ac splédidius est, hoc aurum throni huius erat fuluum nimis, id est, splendidissimum & purissimum, significans singularem prorsus Virginis charitatem. Vbinam autem in Euangeliis omnibus B. Virgo maximè hanc charitatem declarauit? quando nimirum, vt docent concorditer Patres, Angelo respondit, *Fiat mihi secundùm verbum tuum,* cupiens summam cum Deo vnionem, & humani generis salutem. De hoc igitur dicendum hodie Primò, quanta in ea charitas refulserit, maximè hîc significata in his verbis. Deinde, quomodo nobis sit imitanda.

AVE MARIA.

QVemadmodum Christi Domini charitas prorsus immensa fuit atque infinita; sic & Mariæ matris charitas huic proxima tanta haud dubiè fuit, vt eius magnitudinem nemo mortalium aut verbis aut cogitatione consequi possit. *Christus botrus, Maria vitis.* Christus fuit botrus ille è Terra promissionis allatus, diuino amoris sui nectare animas inebrians: Maria verò vitis de qua ortus est & excreuit botrus. Num. 13. Inquiramus hodie quanta potissimùm fuerit eius charitas, dum mirabile illud *Fiat* assentiens Angelo Gabrieli, ex intimis cordis sui penetralibus deprompsit. Regius Propheta Dauid posteaquam orauit pro salute populi sui dispersi per varias oppressiones ante sua tempora, propheticè precatur Christi aduentum, per quem dispersi erant congregandi in vnum ouile, his verbis: *Saluos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus. Vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Israel à saeculo & vsque in saeculum: & dicet omnis populus, Fiat, fiat.* Psal. 105 Magnum sanè desiderium insinuatur omnium populorum, quo Saluatorem optabant, hac voce ingeminata *Fiat, fiat.* Sed ecce Maria Virgo illud omnium desiderium impleuit, dicens aliud *Fiat,* nempe *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Vide suprà Conc. 34 post exord. Nam etsi diuus Bernardus in hunc locum, interpretetur hoc verbum Virginis fuisse orantis: certè quidem, ceterorum iudicio potiùs fuit assentientis, & omnia Dei promissa, vaticinia Prophetarum, typos veteris legis ac vota populorum implentis, summa cum charitate erga Deum & maiorem eius gloriam, hominumque salutem, vt superiùs probasse nos recordor.

Fiat veterum, & fiat Maria. Cernimus, fateor, mirabile fuisse desiderium antiquorum Patrum, Regum ac Prophetarum, qui tamquam sapientes piscatores ardẽtissimè concupierunt Filium Dei piscari, varia petitionum retia vt illum caperent expandentes: sed numquam ante diuam Virginem id consequi potuerunt. Vnde meritò licuisset illis vsurpare illam Petri querimoniam, *Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Luc. 5. At sacra Virgine in lucem prodeunte, adfuit virga ad talem piscationem idonea, de qua dixit Isaias,

Egre-

Isaiæ 7. *Egredietur virga de radice Iesse, &c.* Hamus huius virgæ fuit quadruplex, obedientia eius, humilitas, charitas, fides, vt his verbis significatur, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Esca fuit virginitas, quia Cant. 6. Filius Dei *pascitur inter lilia.* His vtens instrumentis beatissima Virgo, quàm primùm protulit verbum *fiat*, Filium Dei cepit, vteroque suo inclusit. Tanta fuit illius *fiat* efficacitas & potentia. Mirabile profectò *fiat*, siue cum humano siue cum diuino *fiat* conferatur. Si de humano loquamur, nemo negabit, summorum Regum, Imperatorum, Pontificum *fiat* maximi ponderis atque efficacitatis esse; sed longè inferius est hoc Mariano *fiat*: nam per illud caducæ interdum dignitates, ac fugaces honores, siue beneficia parum stabilia conferuntur; at per istud *fiat* virgineum, celsissima illa atque in æternum duratura Dei matris dignitas Mariæ collata diuinitùs fuit. Si autem simili comparatione antiquum Dei *fiat* consideremus, per quod facta sunt omnia: certò constabit etiam maiora prodigia per hoc effecta diuinitus fuisse.

Fiat Dei, & Fiat Mariæ. Gen. 1. 2. Cor. 4. Mirabile enim fuit illud Dei *fiat*, cùm diceret, *Fiat lux, & facta est lux.* Magna Dei potentia, *qui iussit de tenebris lucem splendescere.* Sed mirabilius istud *fiat* Mariæ, quo effectum est non vt mundus fieret, sed vt Deus homo fieret, & fons lucis existeret, & Ioan. 1. vera & vnica lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Dixit quoque Deus, *Fiat firmamentum, & factum est ita.* Maria quoque dixit *fiat*, & virgineum eius corpus factum est firmamentum, in quo Deus veluti in cælo ostendit gloriam suam, & anima Christi ibi quiescens vidit essentiam Dei. Sexies repetito illo *fiat* vniuersa creata sunt: sed mirabilius fuit semel à Maria dictum *fiat*, quo omnia reparata sunt & refecta. Canit Psalmographus: *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt*, scilicet per verbum eius Psal. 32. *fiat*. Dixit quoque Maria *fiat*, & factum est opus omnium maximum, opus redemptionis humanæ. Dei *fiat* imperantis fuit, Mariæ *fiat* erat obedientis & assentientis. Imperantis Dei *fiat* secutum est cælum, operaque reliqua quæ cæli ambitu continentur: obedientis Mariæ *fiat* secuta est admiranda diuini Verbi incarnatio in vtero Virginis. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. Deniq; Dei *fiat* magnam prodidit Dei bonitatem & charitatem erga hominem, quando erexit ei totum mundum pro palatio: sed Maria quoque magnam exercuit charitatem erga hominem quando dixit *fiat*, totumque simul mundum refecit, perditumque reparauit. O *fiat* generi humano desideratissimum! O *fiat* toti mundo optatissimum! Hoc siquidem *fiat*, hunc Virginis assensum, vt ait D. Augustinus, Deus & creaturæ omnes auidissimè expectabant, posteaquam cælestis Orator iam perorauerat. *Responde*, inquit, *iam Virgo sacra: assensum tuum A[...]lus præstolatur: Deus in porta est, Angelum quem moraris, expectat.* August. Serm. 17. de Nat. Vt verbo absoluam, aspicite ad extremum quàm aptè, quàm appositè, quàm diuinè responderit sapientissima Virgo, *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quæsiuerat enim prudenter ab Angelo, *Quomodo fiet istud?* iam huius modi gnara obedienter respondit, *Fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Hoc fiat gratum Deo, Angelis, & hominibus. O lætissimum *fiat*! ô iucundissimũ Deo, Angelis, & hominibus! Deo, inquam,

inquam, quia iam in porta, vt vidimus, nuntium suum reducem expectabat. An non credibile est etiam omnibus Angelis hanc Gabrielis legationem pro consensu Virginis ad liberandum genus humanum, à Deo patefactam fuisse, & suspensis animis expectasse hanc vocem *fiat*, vt omnes ad vnum descenderent Regem suum adoraturi? Nam in quo audet Apostolus, & nos audemus. *Cùm introducit Deus primogenitum suum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius*. Ita consent præter ceteros Cardinalis Petrus Damiani, & Simon Cassianus in hæc verba: *Mirantur omnes Hierarchiæ cælestes quòd ad huiusmodi legationem nuntius cælestis egreditur: suspenduntur eorum altis considerationibus mentes*, &c. Quid iam de hominibus dubitandum, propter quos tota mundi vniuersitas curis & occupationibus sollicita distringebatur? Propter homines nimirum, & propter nostram salutem tanta tamque excellens Virginis charitas foras emicuit, quando ardentissimo desiderio voluntatis Dei implendæ in tam mirabili opere protulit istud *fiat*, Deumque hac sagitta ita fixit ac transfixit, vt anteà inimicum hominibus superauerit, & coëgerit se humiliare, & hominem propter hominem induere.

Hebr. 1.

Petrus Damian. Serm. de Annunt. Simon Cassian. super Euang.

At quomodo ita cum Deo pugnauit, vt eum superauerit, atque in terram deiecerit, è cælorum vertice in abyssum nostrarum miseriarum, à forma Regis Regum ad formam serui? Spectemus aliquantisper, si placet, iucundissimam hanc pugnam inter Deum & hominem, pugnam admirabilem, cui similis nulla est vnquam visa vel audita. In arenam descendunt hinc omnipotens Deus, instructus armis iustitiæ, iræ, furoris aduersus genus humanum: illinc Virgo humilis, ancilla Domini, ad parendum prompta, fide armata, charitate feruens supra modum. Et ecce gloriosissimam hæc Virgo victoriam reportauit. Quid ita? *Noua bella elegit Dominus*, in quibus nimirum ipsemet vult vinci. Sed quibus armis contra Deum præualere potuit Maria? quibus potissimùm? Dicat ille qui superatus est. *Vulnerasti*, inquit, *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*. Oculus ei erat vnus, intentio vna, amor vnus, de quo dicitur, *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*. In omnibus purè vnam Dei gloriam quæsiuit, non se, non mundum, sed solum Deum. soli Deo placere cupiebat: diuinam eius voluntatem semper præ oculis habebat; semper hoc in corde suo canebat longè perfectiùs quàm pater eius Dauid: *Quid mihi est in cælo, aut à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Quid non impetraret à Deo tale cor, cum summè diligens intensissimo amore? Vbi ergo in tanti momenti negotio B. Virgo esse Dei volũtatem intellexit, vt cùm mundum redimere decreuisset, neutiquam tamen id faceret sine consensu illius, id est, nisi obsequenter atque humiliter diceret *fiat*, siue *placet*, quanto amore, quanta efficacia, quanto affectu consensum suum dedisse arbitramur, dicendo, *Fiat mihi secundùm verbum tuum?* Nescit enim Deus tueri se à corde quod eum purè diligit, nec vult se immunem seruare, patitur se vulnerari ac superari.

Pugna inter Deũ & Virginem.

Iudic. 5.

Cant. 4.

Luc. 11.

Psal. 72.

Victoria charitatis.

Quemadmodum feruenter orante Moyse, ac dicente, *Si inueni gratiam*

A simili.

Exod. 32

Nnn

tiam in oculis tuis, dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, mirum in modũ Deus expugnari se passus est. Minabatur enim se velle abire, & dicebat Moysi, *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq́; te in gentem magnam.* Moyses verò obsistebat orationibus suis, & blanditiis obsecrationum Deum retinebat: & Deus patiebatur se ab homine teneri: patiebatur, inquam, Deus quasi ligatis manibus se superari, ne percuteret aut deleret populũ suum. At quantò sanctior Moyse vel Deo gratior extitit Maria, tantò potentiùs & efficaciùs Dei cor expugnauit, cùm summa flagrans charitate se totam obtulit ei in ancillam, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quo sensu haud obscura vel dubia est D. Bernardi interpretatio, dum ait, hoc *fiat* fuisse verbum orantis. efficacissimè enim eius assensus, quem hîc præbet, Deum flexit & exorauit vt homo fieret. Quamquam enim fuerat per Angelum Deus Virgini pollicitus hanc gratiam, cùm diceret, *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, &c. *nihilominùs tamen*, vt idem ait, *vult à se requiri etiam quod pollicetur. Et ideò fortè multa, quæ dare disposuit, priùs pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis erat daturus, deuota oratio promereatur. hoc prudens Virgo intellexit, quando præuenienti se muneri gratuitæ promissionis iunxit meritum suæ orationis, dicens, Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sic Bernardus. Ecce quomodo vicit Deum ancilla Dei sagittâ charitatis ignitâ, quam iecit in cælum, dum hoc verbum suum protulit, *fiat mihi.* Omnes quidem sagittæ eius erant ignitæ, omnia opera, verba, & cogitationes Deo placebant propter charitatem ex qua procedebant: ex quo enim in vtero matris concepta fuit, atque vsum rationis accepit, semper omnibus operibus suis meruit gratiam, & placuit Deo propter ardentissimam charitatem: sed certum est, maximè Deo placuisse, & cor eius vulnerasse, vt ita dicam, hoc vltimo actu ante incarnationem.

Bernard. Hom. 4. super *Missus.*

Quod vt clariùs intelligatur, paulò altiùs memoria repetendum est, quod suprà solidè ac prolixè demonstrauimus, infusam D. Virgini fuisse maximam gratiam in conceptione eius: adeoque maiorem (singulari nempe priuilegio, debito matri Dei) quàm Beatis omnibus in patria, supremis etiam Seraphinis, & vniuersè Sanctis omnibus simul sumptis. Atqui charitas infusa, seu virtus supernaturalis diligendi Dei, semper animæ donatur, vt tradit Schola Theologorum, iuxta mensuram gratiæ quæ eidem communicatur. Itaque in ipsa conceptione, antequam nata esset S. Virgo, sicuti plena fuit gratia; ita & charitate, qua Deum perfectissimè diligebat: quoniam charitas & gratia semper se inuicem comitantur. Deinde verò in omni vita sua mirificè operibus singulis charitatem suam auxit ac cumulauit: & cùm numquam esset otiosa, certè quasi infinitis dictis, factis, cogitatis, seu desideriis eam auxit. omnia enim proficiscebantur ex charitate, & frequenter, vt aiunt, ex plenitudine habitus. qua ratione in duplum crescebat. Quanta ergo oportuit eam incrementa accipere plurium annorum spatio, v.g. vsq; ad annum ætatis circiter decimumquintum, quo Dei Filium

Incrementa charitatis Marianæ ante incarnationẽ.

Filium in vtero concepit? Sanè extitisse necesse est pelagus quòddam gratiæ & charitatis in anima eius. Quòd si riuus quantumuis exiguus in sui origine, paululum progressus, & aqua ex torrentibus, imbribus, riuulisque accepta auctior, adeò excrescit, vt mari propior quàm flumini esse videatur: quid de diuino amore dicamus, quem in animam sacræ Virginis Deus continuò quasi infundebat? Numquam enim peccato se obstrinxit, omnesque eius actiones perfectissimæ erant, & nouam gratiam promerebantur, numquam etiam otiosa fuit. consequens igitur est, vt Dei charitas in ea vsque & vsque accreuerit.

Duplici discursu hac veritas illustratur.

1. Duas prætereà validas ac peculiares causas accipite, quæ hunc charitatis ignem in immensum auxerunt: Primùm, Quò plura quis cognoscit se beneficia ab aliquo percipere, eò quoque magis eumdem diligit; modò, vti decet, memor & gratus sit. Atqui credimus neminem vmquam tot tantisque à Deo beneficiis cumulatum, quot quantisq; cumulata fuit beatissima Virgo, vtpote electa in matrem Dei. Credimus etiam numquam intellectum creatum fuisse, qui meliùs pōderaret beneficia percepta, quàm fuerit clarissimus intellectus B. Virginis. Quas ergo sagittas eiaculabatur amoris, dum omnia eius beneficia recolebat tam generalia quàm peculiaria; vt beneficiū creationis, conseruationis, iustificationis, redemptionis, prædestinationis, glorificationis: tot insuper priuilegia, tot reuelationes, atque Angelorum visitationes, tot consolationes, tot prærogatiuas, tot Spiritus sancti charismata sibi collata? Hæc certè tam ampla tamque magnifica fuēre, vt nulla vmquam creatura paria vel acceperit vel acceptura sit. Et si fidissima semper ac gratissima exstitit sancta Virgo, quid dicemus de magnitudine vel immensitate potiùs eius in Deum suum amoris?

2. Deinde altera consideratio sit: Quò meliùs cognoscitur Dei bonitas, & charitas, & pulchritudo, & quælibet alia diuina perfectio, eò magis amatur Deus. At D. Virgo omnium optimè cognouit, imò maximè erat in se experta diuinæ bonitatis magnitudinem: nemo vt clariorem vmquam diuinitatis cognitionem hauserit, præter Beatos qui visionem habent beatificam. Hinc igitur expendite, quousq; progressa sit ante tempus Annuntiationis, quo salutata est ab Angelo plena gratiâ. Posteà verò superuenit adhuc Spiritus sanctus cum summis copiis: & quando ad suprema illa verba peruentum est, quibus Angelicum clauderetur colloquium, tum quasi tormentum bellicum eiaculabatur flammas charitatis, quibus Filium Dei in sinu Patris vulneraret, dicens, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Quemadmodum enim profundissimam humilitaté suam prodebat, cùm ancillam Domini se nominaret: ita & perfectissimam suam erga eumdem charitatem; cùm ad eius voluntatem se totam accommodans, & penitùs ad eam explendam se offerens, dicebat, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*.

Alia charitatis incremēta à conceptione vsque ad partum.

Itaque audiuimus iam & satis contemplati sumus, quomodo pugnauerit D. Virgo cum Deo, eumque vulnerauerit charitate sua. Sed numquid Filius Dei se vltus est? Si deiectus est in terram, si formam serui assumpsit factus homo in vtero Virginis, quid ibi egit? Sine vlla dubitatione vindi-

ctam dulcissimam ibi sumpsit de corde illo quod illum vulnerauerat. Illud cor, illa viscera quæ tangebat, inusitato quodam igne inflammabat, illud cor ita rapiebat, ita fouebat, vt grauissimè etiam charitate vulneraretur. Dixerat anteà Deus, *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Iam illa, *Vulnerata charitate ego sum, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ita nouem mensibus ibi mansit paruulus iste, matris cor vulnerans sagittis amoris. Cogitate quantum vulnus intulerit, antequam sacra Virgo partum ederet. Hoc pacto videlicet vterque in alterum sagittas amoris direxit: hoc pacto Filius Dei ictus de matre vindictam sumpsit. Huc pertinet quod de beatissima Virgine scribit D. Bernardus in hæc verba: *Regina cælorum est, misericors est, denique mater est vnigeniti Dei. Nihil enim sic potest eius potestatis seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas nouem mensibus corporaliter requieuit.* Sic pius Pater. Fabulam finxit Virgilius, vt declararet magnum Didonis in Ænæam amorem; dicens ipsam in sinu Cupidinem gestasse, qui eam continenter atque assiduè excitaret ad amandum. Verùm ecce hîc non fabula sed veritas: Deus verus, Deus amoris, atque adeò ipsa charitas in vtero Virginis continetur, vt cor eius amore Dei inflammet. Quantus ergo talis amor debuit esse, antequam ex vtero egrederetur in Natiuitate? Taceo interim, tanto tempore seruiendo cognatæ Elisabethæ, Deumque apud illam cum effusa gratiarum actione collaudando, & eius magnalia decantando, vt audiuimus in Cantico eius *Magnificat*, quantam huic virtuti accessionem fieri necesse fuerit.

Cant. 4. Cant. 2. Bernard. Serm. 1. de Assúp.

De reliquo tempore vitæ eius.

Vidimus quemadmodum amor diuinus in corde Virginis matris creuerit per totam vitam eius vsque ad partum: reliquo tempore quanta sumpserit incrementa, quis dicere sufficiat? Vtinam Seraphinus aliquis, vel ipsamet Deipara nobis explicaret fornacem illam ardentissimi amoris, qui arsit in corde eius, vt nos omnes ad amandum Deum inflammaret! Ah quis possit hîc verba reperire idonea? Concipite, obsecro, vos multò maiora quàm ego possim dicere; nonnihil siquidem pro modulo nostro est dicendum. Alij omnes Sancti Deum quidem vt Deum, & conditorem ac parentem suum dilexerunt amore supernaturali, ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex omnibus viribus suis: at Mariæ singulari priuilegio datum est, vt quæ Deum ipsum diligeret amore supernaturali, eumdem vlteriùs tamquam filium suum diligeret amore naturali. Idem namque qui Deus, filius erat Virginis, conceptus & intra viscera eius gestatus. Duo ergo hi amores in vno corde quàm potentes fuerunt! namque alter alterum adiuuabat, quòd amor naturalis à supernaturali perficeretur & supernaturalis magis magisque à naturali accenderetur. Accedebat tertius amor qui in Deum tamquam hominem factum, similem nobis ferebatur, qui vtpote supernaturalis etiam & diuinus, sine comparatione maior erat naturali, quo eum diligebat vt filium. O! qui ardores, qui ignes charitatis assiduè accendebant purissimum cor sanctissimæ Virginis? O! quod lumen, qui radij diuinæ

uinæ claritatis id illuſtrabant?

Matris amor in filium quàm potens.

Amor naturalis matris in filium tantus eſt, tamque vehemens, vt Deus ipſe cùm vult teſtari amorem infinitum erga hominem, dicat maiorem eſſe amore matris in filium. Non ſolet mons comparari in Scriptura cum grano ſinapis. Certè niſi eſſet hic amor maximus, infinitum Dei amorem erga nos non compararet cum amore matris in filium. Porrò qualis amor Mariæ debebat eſſe in Deum, & ſimul hominem, & filium, & quidem talem filium, qui vnicus erat & ſine patre in terris, qui matri ſimillimus erat, qui optimus, qui pulcherrimus, qui ſapientiſſimus, qui heres regni cæleſtis, imò qui Rex antequam natus, denique totus deſiderabilis? Rectè hoc explicat Anſelmus, quomodo cùm Christus patrem in terra non haberet, fuerit ei Maria quaſi pater & mater; atque ita in eius corde concurrerit amor patris & matris. *Quocirca,* inquit, *excedit omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor iſtius matris in filium ſuum, & iſtius filij in matrem ſuam.* Credibile eſt profectò, numquam B. Virginem oculos in filium conieciſſe, quin ardentiſſimis amoris facibus cor incenderetur.

Anſelm. l. de Excel. Virg.

Hic amor alius atque alius fuit in varijs partibus ætatis Christi.

Conſtat prætereà, parentum erga filios amorem variè in diuerſis ætatum gradibus affici atque augeſcere vel mutari ſolere. Aliter enim erga infantes, aliter erga pubeſcẽtes, aliter erga adultos parẽtes afficiuntur: paruulos blãdiùs ac teneriùs amãt quàm adultos, & adultos quàm ætate prouectiores. Hoc nimirum de naturali amore Virginis erga filium cogitare etiam debemus: tametſi amore ſupernaturali quo amabat tãquam Deum ſuum, non diſtingueret ætates. Quo igitur affectu infantem diligebat cùm illum ferret in vlnis, cùm in ſinu ſuo illum lactaret, cùm virginei lactis guttulas ori eius inſtillaret; quem interim ſciebat eodem momento etiam in ſinu Patris quieſcentem, Solis, Lunæ, ſiderum, cæleſtiumque orbium conuerſiones moderari? Quo item affectu erga eumdem duodecim annos natum, in illo ætatis flore rapiebatur, quando illum triduo amiſſum reperit inter Doctores? O! qualis & quàm inenarrabilis dulcedo & ſuauitas amoris ſanctam animam, eiuſque intrinſecos ſenſus, & omnes facultates occupabat? O! quæ ſuſpiria amor ille diuiniſſimus ei ex pectore educebat? quàm ſuaues erant lacrymæ, quas oculis eius exſtillabat? quanta cum dulcedine ei exprimebat, quod in Canticis ſcriptum eſt: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Hoc eſt, Cant. 2. diligit me, & ad benefaciendum mihi aſſiduè paratus eſt: an non æquiſſimum eſt vt viciſſim coner eum pari contẽtione ac feruore diligere? Quis poſſet explicare quomodo rapiebatur, quotieſcumque tota hac vita eius amantiſſimos in deſiderabilem filium oculos intendebat? Exempli gratia. De B. Catharina Seneſi litteris proditur, quòd accepta ſacra Euchariſtia, tanta diuinæ bonitatis dulcedine repleretur, vt duarum vel trium horarum ſpatio ſic in ſpiritu abſorberetur, vt omnem prorſus ſentiendi vim amitteret: vſque adeò vt acu vel ſtimulo puncta & grauiter ſauciata, nihil omnino ſentiret. Si ergo ſic afficiebatur, cùm Chriſtum ſub panis ſpecie velatum fidei oculis aſpiceret: quid Dei matrem, tantò maiori ſanctitate & charitate præditam, ſenſiſſe credendum eſt, quæ eumdem Chriſtum tamquam filium ſuum, non

aliena specie tectum, sed in ipso suo decore; nec fidei solùm sed corporis oculis cernebat? minimè dubitandum est, quin magnitudo & perfectio istius amoris sine comparatione exsuperet omnem dicendi copiam, & mentis comprehensionem.

Duo hinc admirãda nascuntur.

Itaque altiùs hunc affectum perpendenti duo insignia miracula, vt alia mittam, in eius vita se offerunt.

1\. Inprimis quòd tot tantisque diuini Spiritus splendoribus irradiata Virgo, tot charitatis iaculis à filio vulnerata, vitam retinere potuerit. Constat enim, multos vel ingenti aliqua lætitia, vel contrà magna aliqua & insolita tristitia affectos, subitò mortuos. Quæ autem lætitia cum Virginis lætitia in filij puerperio & educatione: quæ verò tristitia cum eius tristitia in passione eiusdem comparari queat? Nónne igitur mirum videtur, virgineum illud pectus inter tot talesque interni hominis motus disruptum non fuisse?

2\. Alterum est, quòd cùm purissimi eius oculi velut piscinæ in Hesebon, lacrymis perpetuò diffluerent, videndi tamen facultatem non amiserint. Fluxu enim assiduo lacrymarum oculis caliginem offundi, D. Hieronymus docet, qui S. Paulam obnixè rogabat, vt lacrymis parceret, ne à sacrarum literarum lectione impediretur. Quomodo autem D. Virgo se à lacrymis continere potuisset, quoties paruulum ante se filium, & Deum magnum contemplabatur? habet enim lætitia lacrymas suas. Ipse de se S. Hieronymus ad Eustochium ita scribit: *Post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum.* S. item Augustinus de seipso narrat in libris Confessionum, quòd initio conuersionis suæ fleret vberrimè in hymnis & canticis Ecclesiæ communibus. Si igitur Ecclesiæ voces, quæ Christi mysteria vbique resonant, tantopere viri sancti animam afficiebant; quid ipsa Christi præsentia, quid sacra humanitas in corde matris agerent? quas lacrymas non elicerent? qua lætitia non perfunderent? quo stupore & admiratione tantæ maiestatis non afficerent?

Hieron. ad Paulam, &c.

Hieron. ad Eustoch. de Custodia virginit.

Aug. l. 9. Confess. c. 7.

De tempore passionis Christi, & post Ascensionem eiusdem.

At verò quis dubitet etiam omnes ærumnas & dolores vel potiùs gladios dolorum, quos Domina nostra cùm sæpissimè aliàs, tum maximè in passione filij sui iuxta crucem perpessa est, totidem fuisse suscitabula igniaria ad eiusdem amoris ignem magis magisque augendum & inflammandum? Si namque ad singulos cruciatus ac dolores quos patienter quis ac lubenter pro amore Dei tolerat, charitas, gratia, virtutesque omnes infusæ incrementum in anima accipiunt; ad quem perfectionis gradum existimabimus peruenisse cor D. Virginis, quæ tot tantosque labores, anxietates & dolores tum temporis sustinebat? Nihil dicam de tempore Dominicæ resurrectionis, quo constat Filium Dei rediuiuum sæpissimè matrem inuisisse, eiusque cor nouis semper solatijs, & amoris incendijs inflammasse. Taceo quoque Dominam nostram Ascensioni filij sui dulcissimi interfuisse, eumque in cælos abeuntem ac peramanter vltimum vale iterantem, oculis, quoad poterat, voce, votis, suspirijs, assiduis recordationibus prosecutam fuisse. Quid porrò deinceps quindecim annorum spatio, quibus superuixit, quantos etiam in amore progressus fecisse credibile est? Quòd si viri sancti cùm ista meditantur, vel alia vitæ Christi mysteria, non teneant lacry-

lacrymas; quid de ista Sanctorum omnium sanctissima sentiendum est, quæ semper diuina meditabatur, quę spiritu Dei erat plena, quæ in Dei abysso mergebatur, quæ tota sine vllo carnis impedimento cælum peruolabat, Deique sui perfectiones, & eiusdem in humanitate res gestas semper ante oculos habebat; in qua nullum ius caro, mundus vel terrena cogitatio habebat? Verissimè dixit D. Hieronymus: *Totam eam incenderat amor diuinus, adeò vt nihil esset in ea quod mundanus violaret affectus; sed ardor erat continuus, & ebrietas profusi amoris.* Denique vt cetera prætermittam diuini amoris incitamenta, siue à Deo & Patre Domini nostri Iesu Christi, à Filio suo, à Spiritu sancto, siue ab Angelis, siue ab hominibus identidem oblata: satis etiam manifestum est ipsam sæpissimè ac ferè quotidie incredibili quadam charitate & deuotione dilectissimum filium suum in venerabili Eucharistiæ Sacramento percepisse, cum summo charitatis suæ ac diuinæ gratiæ incremento.

Hieron. Serm. de Assumpt.

De morte D. Virginis præ excessu amoris. Vide Suarez to. 2. in 3. part. disp. 21. sect. 1.

Mortem verò ipsam (quam somni nomine veteres dixêre) non infirmitas aliqua vel ægritudo corporis ipsi velut aliis hominibus sensim attulit; sed nimius & exorbitans seu excessiuus Dei amor; cuius impetus adeò vehementes ac potentes erãt, vt quæ ad conseruandam animæ corporisq; coniunctionem requiritur dispositio, ab eodem dissipata & dissoluta fuerit, prorsus vt sine vllo dolore, sed præ amoris excessu spiritum emiserit. Iam vt è corpore anima euolauit, mox cælestem in gloriam inuecta est, innixa super dilectum, summo cum triumpho curiæ cælestis: nulla vt inter incomparabilem amoris actum, qui animam è corpore eduxit, & eum quo diuinam essentiam coràm videre & perfrui cœpit, parenthesis aut interruptio daretur.

Secunda pars, De imitatione huius virtutis.

Hactenus de charitate beatissimæ Virginis, quæ præcipuè nobis omnibus atque omni studio imitanda est: quòd hæc virtus nobilissima sit, omniumque ceterarum virtutum vita, finis, ac perfectio. Deipara quidem Virgo plena gratia, plena charitate fuit: sed nobis hoc secundo Puncto aliquid de plenitudine eius hauriendum est. Illa meritò cum Sponsa in Canticis gloriari poterat, *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* namque vinum nouum charitas est: de quo Mariæ datum est non vas vnum, sed vniuersa cella vinaria. *Ceteris*, inquit Hieronymus, *per partes; Mariæ verò se infudit gratiæ plenitudo.* Vnam igitur guttam hodie promamus ex ista cella vinaria. Primùm audiuimus quàm purum habuerit semper intentionis oculum, omnia sua ex charitate ad Dei gloriam perficiens, & ardentissimè cupiens in omnibus Dei gloriam implere, tamquam fidelissima Dei ancilla. Hoc nimirum oculo vulnerauit Dominum, semper intenta non modò in aliquo opere bono exsequendo ad Dei gloriam, sed summa cum perfectione exequendo, & ex toto corde Dei amorem spirando. Hoc præ ceteris in ea imitemur, & adnitamur corda nostra Deo penitùs tradere, eiusque gloriam puris oculis intueri: neque consectantes aliud, neque desiderantes pręter ipsum; neque pro alio quopiam quàm pro ipso laborantes, aut pro qualibet re quę nos ad eum ducere atque attrahere valeat. Hic amor, hic oculus intentionis si simplex fuerit, omnia nostra opera

Cant. 1.

Hier. siue Sophron. Serm. de Assumpt.

1. De oculo puræ intentionis.

opera Deo placebunt, imò etiam vulnerabunt, & quiduis ab eo impetrabunt: quia verè amantibus negare nihil potest. Denique solus amor est diuinus qui omnia perficit, Deoque grata & meritoria efficit, quem in nobis potissimùm desiderat Deus, quē in omnibus actionibus singulariter considerat. Hunc ergo assiduè toto conatu ac diligentia exerceamus: tantum sollicitudinis in vnaquaque nostrarum actionum ponentes, vt ex magno Dei amore procedat, quasi summa boni nostri ab illa sola dependeret: quasi hæc sit summa Dei gloria, & bonum Ecclesiæ: & quasi aliud opus non sequatur, sed sit illud vltimum. Hoc documentum tradit nobis D. Thomas his verbis: *Diligentia adhibenda est, vt singula opera nostra quàm optime faciamus, ex omni virtute Domini nostri Iesu Christi, & ex omni desiderio triumphantis ac militantis Ecclesiæ: quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & vniuersitatis vtilitas ex vno opere depēdeat: quasi numquam ad id opus reuersuri, neque opus aliud postmodum incepturi. Quoties enim aliquod opus facimus, & ad aliud opus feruenter properamus, ex solo desiderio alterius operis statim lassescit animus in opere in quo sumus. V.g. cùm sumus in oratione, vel in alio opere, & proponimus scribere vel aliud opus facere, statim orationem minuit noster affectus, & citiùs desistimus ab incepto.* Hactenus D. Thomas.

D. Tho. Opuscul. de Diuinis moribus.

11. De obseruatione mādatorum Dei.

In quo prætereà charitatem nos docet Virgo Deipara? nempe quòd tota vita sua ita seruauerit omnia Dei mandata atque consilia, vt ne peccato quidem veniali vmquam consenserit, neque vel præ obliuione, vel præ negligē:ia ab integra eorum obseruatione vel latum vnguem discesserit. In hoc amore Dei singulariter etiam imitanda nobis est Domina nostra. Nam *qui seruat mandata mea,* inquit Seruator, *ille est qui diligit me.* Ioan. 14. Iterùm: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnū cælorum.* Matth. 7. Itaque mandatis Domini iugiter insistētes, committamus perfectissimè nostram voluntatem ipsius voluntati, purè desiderantes eam fieri & expleri tam in nobis, quàm in rebus quibuslibet creatis. Sollicitè fugiamus quæuis crimina & delicta: primùm quidē mortalia, quæ amori isti aduersantur & ex animo eumdem expellunt, adeò vt solus consensus adhibitus peccato mortali nos Dei gratia priuet ac charitate: deinde à venialibus etiam peccatis caueamus; quæ licet non omnino nos priuent amore & gratia Dei, tepefaciunt tamen atque ita debilitant animam nostram, vt eam ad iacturam eius penitùs faciendam disponant. In quam sententiam docet præter alios diuus Gregorius Magnus, hominem qui peccata minima flere ac deuitare negligit, à statu iustitiæ non quidem repentè sed paulatim & per partes totum excidere: non quòd peccata venialia, quantumuis multa, in mortalia transeant, sed quòd negligentibus non rarò accidat, vt dum facilè in venialia prolabuntur, citò etiam valida & acri exorta tentatione in peccatum mortale præcipitentur. Quamobrem cùm certum sit, peccata venialia nos disponere ad lapsus grauiores in mortalia, & ad tanti boni, qualis est amor Dei, iacturam: summa quoque diligentia adhibenda est in iis euitandis: & si subinde labamur, præsertim in ea quæ sine delibe-

Gregor. Pastor. part. 3. Admonit 34. & lib. 10. Mor. c. 9.

deliberatione & per ignorantiam siue inconsiderationem committuntur, in iis confestim vera & sincera pœnitentia emendandis: vt hac ratione conseruemus, & magis magisque in nobis diuinum illum amorem adaugeamus.

III. De Dei laudibus & gratiarū actione.

Adhæc dum sacra Virgo vocem extollit in domo Elisabethæ, Deoque bonorū omnium fonti profusè laudes canit, ac gratias agit, dicens, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* &c. tot vsa hîc verbis, cùm parci alioqui sermonis esset, vt patet in aliis eius verbis quorum in Euangelio mentio est; an non dilucidè satis eamdem erga Deum charitatem nobis commendauit? Nam quem amat anima, laudare gestit, eique gratulatur, in eo gaudet, ac cetera omnia adspernatur. Quid ni hoc quoque imitemur, millies ac millies sine vllo fastidio quotidie offerētes Deo hostias labiorum, ac sacrificia laudis; pariterque idem Virginis Canticum ex intimis medullis exprimentes, *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Hoc certè si sedulò atq; identidem præstaremus, nimium quantum esset nostri in Deum amoris argumentum. Quod idem D. Bonauentura rectè obseruauit, dicens, Dominam magnificasse opportunissimè Deum Dominum suum, & in eo meritissimò exultare, quòd eum perfectissimè diligeret.

In Spec. B Virg. cap. 8.

IV. De inuicta malorum plurimorum tolerantia.

Ex hoc amore Deiparæ & illud profectum est, vt æquissimo animo labores plurimos, ærumnas, & dolores pateretur, quæ in hac vita Dei voluntate ipsi obtigerunt. Nam qui amat, eius amore quem amat, dura pati concupiscit, totque æstimat beneficia, quot potest asperitates pati. Ideoque B. Virgo vti Deum immoderatè diligebat, ita pro eodem infinitè pati desiderabat. Ita & nos amore Domini Iesu, & Dominæ Mariæ, lubenter accipiamus, & magno cum affectu in nos admittamus incommoda quæuis & aduersa, quæ à Deo immittuntur, ea boni consulentes, & agnoscentes quasi totidem singularia Dei beneficia, vti sunt reuerà. Atque exinde magis ac magis semper augebitur charitas in nobis. Quemadmodum lapides concussi maiorem edūt flammam: ita quantumuis lapides essemus, tolerantia concussionum flammas dabimus. Aromata quoq; contrita & contusa maiorem & fortiorem habent odorem: ita quò magis tundimur, & plura patimur, magis Deo matrique Dei placebimus, & odorem suauitatis charitas nostra spirabit.

Similia.

V. De beneficiis ac mysteriis diuinis piè recolēdis.

Postremò Domina nostra ac Mater, considerando, conseruando, conferendo in corde suo Dei bonitatem, ac beneficia incomparabilia ab eo accepta, quoties rapiebatur in spiritu, quoties se totam Deo offerebat in ancillam, quoties accendebat ignem amoris in penetralibus cordis? Imitemur impensè matrem nostram, vt cum ea dicere possimus illud Sponsæ, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Sensus est: Ipse me amat & impendit se vt mihi benefaciat, vsque eò vt, omnia licet diligat, & gubernet, & foueat sua prouidentia & bonitate, tamen mei solius curam habere videatur. Ego vicissim pro mea parte totum me do amori eius: illi soli viuo: eius amor me recreat, animat, nutrit: interdiu noctuque omnes actiones, desideria, verba ad illum diligēdum absque vlla cessatione destinantur & referuntur. Sicut ille totus meus est,

Luc. 2.

Cant. 2.

 mi-

mihique intendit: ita ego totus illius sum, & illius gloriæ in omnibus intentus ero. Hac certè ratione charitatem aliasque virtutes ac dona Dei in nobis multiplicabimus, atque augebimus, si sæpè meditemur, & conferamus in corde nostro Dei beneficia, præsertim incarnationis siue redemptionis, ac pro iis Deo gratias debitas referamus. Quòd si tam prompti essemus ad recognoscenda Dei beneficia, quàm sit ipse paratus nobis ea conseruare & augere, facillimè in dies plura mereremur, eaque in nobis augeremus: sed cùm tardiores simus ad agendas gratias pro donis collatis, ipse quoq; parciorem se exhibet in iis augendis ac multiplicandis. Proinde meritò deuotus ac mellifluus Doctor sic loquitur: *Oportet hominem gratum esse & deuotum, qui percepta gratia munera non modò manere sibi desiderat, sed & multiplicari.* Constat quidem nos paria diuinis beneficiis rependere non posse, neq; hoc exigit Deus, *neq; bonorum nostrorum indiget*, vt agnoscit Psalmographus; apud quem idem testatur ipsemet Deus, cùm ait: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Immola Deo sacrificium laudis, &c.* q. d. Sufficit mihi quòd sis gratus, gratiasque quantas potes referas. Idemque sentiebat in corde suo pius Bernardus, seseque hoc modo consolabatur: *Etsi quantum debeo non possum, non possum tamen vltrà quàm possum: ideoque etiam in tuo libro ij scribentur, qui faciunt quod possunt, etiamsi non faciant quod debent.* Nulla itaque nobis excusatio relinquitur, si officio nostro hîc desimus, cùm solùm hoc à nobis exigatur, quod minimum est, & facillimè à nobis præstari potest. quod nisi præstiterimus, timendum ne nostra ingratitudo ita Deo displiceat, vt non tantùm cesset nobis benefacere, sed etiam vt donis omnibus & fauoribus suis nos priuet. Hoc agnoscit D. Augustinus in Soliloquiis, vbi sic Deum alloquitur: *Scio, Domine, ingratitudinem tibi displicere: est enim vitium hoc omnium malorum spiritualium origo, ventus exsiccans & comburens omnia, fontemque infinitæ misericordiæ obturans.* Auerte à nobis, Domine Iesu, per charitatem tuam infinitam, & per merita dulcissimæ Matris tuæ, tantum vitium, tantamque nostrarum animarum perniciem. Ita tibi honor & gloria & imperium, filio propter matrem, & matri vicissim propter filium, in sæcula sæculorum, Amen.

Bernard. Ser. 2. de Mirac. 7. panum.

Psal. 15.

Psal. 49.

Bernard. de Diligendo Deo.

August. Solil. c. 18

CONCIO XXXVIII.

Secundùm verbum tuum.

1. *De eximia fide B. Virginis, quam hoc loco peculiariter toti mundo imitandam proposuit.*
2. *Quomodo hæc nostra imitatione aliquatenus ab omnibus exprimi possit.*



VERE dixit Cardinalis Petrus Damiani: *Nullus humanus sermo in laude Mariæ inuenitur idoneus, de qua mediator Dei & hominum cognoscitur incarnatus.* Optandum sanè nobis esset, vt Angelus aliquis è cælo, neque is ex infimo ordine, sed è supremo, vt Gabriel, hîc eloquentiæ vires explicaret. Quot quamque illustres exercuit virtutes, mundoque patefecit in hoc Euangelio Angelicæ Annuntiationis? Inspeximus dumtaxat vltima eius verba seu clausulam colloquij, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* vbi quot verba

Petrus Damian. Serm. 2. de Nat. Virgin.

verba eloquitur, tot hominibus virtutes commẽdat, quas certatim imitari nos omnes oportet. *Ecce*, vidiſtis obedientiæ promptitudinem: *ancilla Domini*, ſummam indicat humilitatem: *fiat mihi*, validiſſimam oſtendit charitatem: *ſecundùm verbum tuum*, ſignificat fidem perfectiſſimã, quam verbis Angeli adhibuit, ſine vlla hæſitatione. Vt autem vltimum hoc eius verbum noſtris qualibuſcumq; verbis exornemus; tanta fuit iſta fides, tamque eximia, vt non dubitem ipſi Angelo Gabrieli valdè admirationi fuiſſe. Sciebat enim is quàm mira & inaudita, omnemque hominum captum excedentia legatione ſua complexus fuiſſet: v. g. altiſſimum S. Trinitatis myſterium, quod illo tempore ſatis incognitum erat: deinde Filium Dei hominem fieri velle, idque ex virgine quæ ſemper virgo erat permanſura: poſteà ipſam eſſe virginem illam à Deo electam in matrem: ipſum quoque filium orbis totius Saluatorem fore & Monarcham potentiſſimum, & Filium Altiſſimi. Quando igitur obſeruauit illam hæc omnia propter vnius Angeli aſſeuerationem firmiſſima fide complecti, certè in maximam rapiebatur admirationem. Quin & nos, dum ſingillatim omnia Mariæ verba iuſtis ponderibus libramus, illud ſingularis efficaciæ in iis miramur, quòd vbi illa ſonuerunt, mox in momento & in ictu oculi Filius Dei pro ſalute mundi de Spiritu ſancto conceptus eſt homo. Qua ratione Virgo beatiſſima per horologium Achaz aptè adumbratur, quod cùm horæ ſuæ ſonitum dedit, extemplò venit Filius Dei in mundum. De illo ſcribitur apud Iſaiam, & alibi, in hanc ſententiam: Cùm Regi Ezechiæ ægrotanti promitteret Dominus vitam quindecim annorum, & liberationẽ ab Aſſyriis, per Iſaiam Prophetam; quærebat Ezechias, *Quod erit ſignum quia Dominus me ſanabit?* reſpondit verò Propheta, Ecce, vides horologium Achaz? in eo miraculum accipe vt credas. *Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile eſt vmbram creſcere decem lineis; nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus. Innocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.* Eucherius & Angelomus in hunc locum figuram dicũt eſſe D. Virginis, in qua Sol iuſtitiæ pluſquam decem lineis retroceſſit, per humilitatem ad noſtræ mortalitatis contractus anguſtias. At quandónam? vel quo temporis articulo? nempe cùm horologium illud vltimum dedit ſonum verbis iſtis, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* ſic enim indicabat perfectam fidem ſuam cum aſſenſu, quam Angelus expectabat. vnde Eliſabetha diuinitus inſpirata ei poſtmodum dixit, *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino*. Ad quæ verba ſic D. Ambroſius, *Vides*, inquit, *non dubitaſſe Mariam, ſed crediđiſſe, & ideò fructum fidei conſecutam.* Dicendum itaque hodie de fide eius, quam his vltimis verbis potiſſimùm ſignificauit, Primò, quàm eximia illa fuerit; Deinde, quemadmodum nobis omnibus imitanda.

Iſa. 38. & 1. Reg. 20.

Luc. 1.

AVE MARIA.

B. Virgo funiculis orationũ & virtutum pertraxit ad ſe Filium Dei.

VT oculis omnium pateat, quomodo Deipara Virgo Filium Dei de cælo in vterum ſuum pertraxerit, D. Dionyſius Areopagita vtitur ele-

Dionys. Areopag. de Diuin. nom. c. 3. elegantissima similitudine, qua docet orationem esse veluti pulcherrimum funem, aut lucidissimam catenam è cælo demissam: quam etsi homo quasi ad se trahere videtur, reuerà tamen ipse per eam ad superiora trahitur, Deoque iungitur. Finxit quoque Homerus mirabilem catenam, quam magni fecit Plato, Macrobius, ipse Augustinus, & celebri nomine vocatur *Homeri catena.* Cùm, inquit, Iupiter vellet brachij sui potētiam ostendere, dixit ad vniuersos Deos: Ego faciam catenam, eamque manu tenebo in cælo; in extrema verò eius parte quæ terram tanget, multæ erunt catenulæ simul iunctæ. Vos ergo omnes descendite in terram, & quisque catenulam suam teneat: & omnibus viribus curate me in terram trahere: ego verò conabor ex aduerso solus, vt vos omnes in cælos adducam: atque ita fiet vt liquidò pateat omnipotentia mea. Quid porrò hac fictione significare voluerit Homerus, incertum est. Variæ expositiones ab Interpretibus afferuntur: sed optimè certè seruire potest explicationi Dominicæ incarnationis. Omnes enim Sancti veteris Testamenti, Patriarchæ, Prophetæ, Reges, & Duces populi fidelis conati sunt suis orationibus Deum trahere in terras; vitæ sanctitate & varijs virtutibus ei placere contenderunt, vt quod tantopere in optatis habebant impetrarent: concorditer vociferantes, *Vtinam dirumperes cælos & descenderes! Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Sed nullus potuit eum vincere nisi humilis *ancilla Domini*, plena fide & charitate, omniumque postrema, quæ veluti post alios stans, effecit quod alij non potuerunt. Quibus igitur funiculis vsa est? orationum suarum & virtutum maximarum, quæ in hoc Angelico produntur colloquio. Vbi autem vltimum ex ore eius verbum exijt, *secundùm verbum tuum*, ecce funiculus fidei postremus omnium qui pertraxit Filium Dei in terras: siquidem illo ipso momento incarnatus est, hoc est Spiritus sanctus accepit portionem purissimi sanguinis D. Virginis, & formauit corpusculum Filio Dei, simulque animam creauit perfectissimam & videntem Deum, plenam omni gratia & omni scientia: atque ita in corpore & anima perfectus in vtero Virginis conceptus est Filius Dei.

Homeri catena.

Isa. 64. Psal. 79.

Ita diuinissimum hunc conceptum explicant SS. Patres, ac nominatim D. Irenæus, qui valdè commendat hanc fidem, eamque opponit incredulitati Euæ, quæ genus humanum perdidit. *Quod Eua, inquit, ligauit per incredulitatem, hoc Maria soluit per fidem, qua & altissima mysteria statim credidit, & sine mora obediendo consensit.* In eamdem sententiam D. Augustinus, recitatis his verbis, *Ecce ancilla Domini*, &c. *Nec mira, inquit, reuertitur nuntius, & nuptialem thorum ingreditur Christus, id est, accipit stolam carnis in thalamo Virginis:* obtenta videlicet fide cum assensu ipsius. Ad eumdem modum loquitur & Damascenus: canitque Sedulius:

Dicto secundùm verbum tuum in instanti perfecta est incarnatio.

Irenæus l. 3. c. 33.

August. Serm. 17. de Nat.

Damasc. l. 3. de Fide, cap. 2. Sedul. l. 2 Carm.

Et dictum comitata fides, vterum que puella
Sidereum mox implet onus, &c.

Ratio est ista: quia sicuti sine consensu Virginis, quem fides elicuit, noluit Deus ex ea carnem suscipere: ita obtenta hac fide, non erat cur conceptio differretur: nihilque aliud spectabat Angelus quàm vt fidem verbis suis adstrueret, quæ Virginem ad assentiendum inducerent. Vnde mox sequitur,

quitur, *Et discessit Angelus ab ea*: vt significetur statim post responsum atque consensum Virginis, *fiat mihi secundùm verbum tuum*, conceptionem esse perfectam. Tum enim quasi confecta re ob quam venerat, suaque perfunctus legatione discessit ab ea. Ecce quàm efficax & admirabile verbum fidei, quod vbi prolatum est, extemplò Dei Filius cùm esset in accubitu gloriæ suæ, *propter nos & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* O Verbum abbreuiatum verbo virtutis!

Symbol. Nicenũ.

Quàm efficax fuerit hæc Virginis fides.

Quantam igitur, quantæque efficacitatis fuisse dicemus B. Virginis fidem hac voce significatam *secundùm verbum tuum*. Aduertimus enim in historia Annuntiationis, cuius hoc vltimum verbum est, ter locutum esse Angelum: nempe quando magnifico Virginem apparatu salutauit, quando rei summam nuntiauit, quando modum occultissimum aperuit. His tribus sententijs probè perceptis, totoque mysterio iam cognito, Domina nostra satisfacit tribus quoque verbis. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*, quam tu Angele gratia plenam, & benedictam supra omnes mulieres salutasti. *Fiat mihi*, scilicet id quod annuntias, dum ais, *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, &c. *Secundùm verbum tuum*, nempe *Spiritu sancto superueniente, & virtute Altissimi obumbrante.* Hoc itaque postremum fuit verbum fidei, & pleni consensus indicium, quo Filium Dei de cælis traxit in vterum. Non exiguam fidem requirebat Dominus ad montem ex vno loco in alium transferendum, cùm diceret: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.* Verùm vt sublimis ille mons Verbi diuini de sinu Patris ad vterum Virginis transferretur, multò certè maior fides necessaria erat: fides nempe tam audax, tam velox, tam efficax, vt statim ascenderet super Cherubim, & volaret super Seraphim, Deumque immensum caperet, quem cæli cælorum capere non possunt. Vlteriùs progredi fides illa non poterat: neque nos idoneis eam verbis describere valemus. Ceterùm infantiam nostram atque inopiam in dicendo suppleat copia Doctoris melliflui, qui sic ait: *Fiat mihi secundùm verbum tuum. q.d. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundùm verbum tuum. Fiat obsecro mihi verbum non prolatum quod transeat, sed conceptum vt maneat, carne videlicet indutum, non aëre. Fiat mihi non tantùm audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & viuum: hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus viuaciter impressum: & hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Denique fiat quidem generaliter toti mundo, sed specialiter fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hæc D. Bernardus. Similiter quoque D. Ambrosius magnitudinem huius fidei commendans ait: *Zacharias sacerdos non credidit senem concepturam hominem, & puella sanctissima credidit virginem concepturam Deum & hominem.*

Matt. 17.

Bernard. Hom. 4. sup. Missus.

Amb. l. 2. in Luc. 1.

Itaque non immeritò lubet exclamare cum Elisabetha, *Beata quæ cre-*

Magna fides Virginis magnam ei peperit dignitatem.

didisti, fide videlicet tam prompta, fide tam generosa, fide tam constanti, & neutiquam vacillanti. O mulier, benedicta inter mulieres, magna est fides tua, magnam quoque peperit tibi dignitatem: siquidem fides tua impulit te ad huiusmodi consensum, quo dignitatem matris Dei licet humillima consequi meruisti, dum in vtero Filium Dei concepisti. Quid est hoc quod dicimus? quanta species, quanta gloria, quanta maiestas est matris Dei? Nam si mater Dei, ergo Domina ac Regina mundi, sicut filius verè erat Rex ac Dominus totius orbis. Ac sicuti filius dicere poterat: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra:* ita & ipsa potuit dicere, fide sua Angelo declarata (*secundùm verbum tuum*) *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Namque omnes creaturæ siue spiritales siue corporeæ, Angeli & homines, elementa, & omnia quæ in eis sunt, cælum & terra, & infernæ potestates imperio meo subijciuntur. Potestatem denique, vt vno verbo dicamus, eamdem nacta est quam ipse filius: sed hic naturâ & propriam habet, illa dono & communicatam. Euecta est igitur Maria hoc vltimo verbo fidei ad infinitam dignitatem, dicens, *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Tantæque virtutis fuit hoc verbum, vt beatam ipsam efficeret. *Beata quæ credidisti.* Quo sensu Doctores quidam dixerunt B. Virginem concepisse per aurem, quia videlicet *fides ex auditu*, vt Apostolus docet. Ita disserunt D. Bernardus ac Damascenus. Et consona sunt quæ scribit D. Augustinus in hunc modum: *Angelus sermonem eiecit, & Christum Virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula.* Sic ille.

Matt. 28. Rom. 10. Bernard. Ser. in die Pentec. Damasc. lib. 4. de Fide. August. Ser. 6. de Natiuit.

Comparatio cum Abrahamo patre credentium.

Quæ cùm ita sint, cui te, ô Virgo augustissima, comparare possumus ob fidem tam incomparabilem? Nam vt Sanctos omnes virtutibus ac dignitate longè longeque supergressa es, ita speciatim & fide, vt liquidò satis patet. Quàm multi enim ex antiquis Patribus, vt longè minora crederent, signa petierunt? D. Paulus varijs locis depredicat fidem Abrahæ, qui propter fidem amicus Dei cõstitutus est, & pater credentium factus. *Qui*, inquit, *contra spem in spem credidit vt fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei: Sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli, & arena maris, & non est infirmatus in fide, neque considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quæcumque promisit Deus, potens est & facere: ideò reputatum est ei ad iustitiam.* Sic Apostolus Patriarchæ fidem commendat. Sed licet eapropter ille sempiterna sit memoria dignus; filia tamen Abrahæ Maria longo patrem interuallo post se reliquit. Ille credidit sterilem anum nonagenariam parituram, hæc virginem illæsa virginitate matrem futuram. Ille sibi promisit prolem ex se iam viro sene nascituram, hæc verò ex se sine viro. Ille purum hominem, hæc Deum sibi credidit nasciturum. Ille vsitato naturæ modo, hæc præter omnem vsum naturæ. Adhæc Abrahæ non defuit exemplum prolis à senibus procreandæ: nam in primis Adam & Eua post centum & triginta annos genuerant Seth: & Noë dum quingentorum esset annorũ genuit Sem, Cham, & Iapheth: multique alij citra controuersiam

Rom. 4. Galat. 3. Hebr. 11. &c.

siam

ſiam in ſenectute ſua genuerant filios & filias: at Maria *nec primam ſimilem viſa eſt nec habere ſequentem.* Denique Abraham cùm Chananæorum terrã poſteris ſuis tradendam à Domino accepiſſet, reſpondit, *Domine Deus, vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſum eam?* at Virgo tot miraculis ac promiſſis ab Angelo propoſitis, nulla cunctatione, nullo etiam ſigno poſtulato aſſenſum præbuit. Beatus ergo pater fidelium Abraham, ſed beatior filia Abrahæ, quæ multò meliùs perfectiuſque credidit, eoque & ipſa dicta eſt *mater credentium* à diuo Auguſtino, à D. Ignatio *Chriſtianæ religionis magiſtra*, à D. Athanaſio *hæreſeon omnium interemptrix*, à D. Cyrillo *ſceptrum fidei noſtræ.* Sed comparemus vlteriùs eam cum aliis fide præſtantibus atque illuſtribus perſonis.

In Offic. Eccleſ.

Gen. 15.

Vide Abul. Par. 1. c. 31. Ignat. epiſt. 1. Atha. Serm. de ſanctiſſima Deipara. Cyril. contra Neſtorium.

Alia cõparatio cum Moyſe & Aaron.

Num. 20

Crediderunt Moyſes & Aaron omnia quæ quotidie Deus illis patefacere dignabatur: quin & illud quòd educeret aquam ex petra, ſed titubanter. *Locutuſque eſt Dominus: Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Fecit Moyſes, & congregata multitudine dixit eis: Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere? cumq; eleuaſſet manum, tetigit petram virga bis, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Tantùm itaque viderunt terram illam, ſed non ſunt ingreſſi, ob infirmitatem fidei ſuæ. At Maria nihil hæſitauit in fide, quantumuis inuſitata, & omnem captum excedentia videri poterant quæ nuntiabantur ab Angelo: nihil etiam titubauit vmquam in aliis quibuſuis myſteriis fidei, cùm illi credenda proponebantur, tametſi obſcuriſſima & abditiſſima eſſent.

Quid amplius? Cùm vellet Dominus liberare Iſraëlem à Madianitis, miſit Angelum ad Gedeonem, vbi excutiebat frumenta in area, qui dixit: *Dominus tecum, vir fortiſſime. Reſpondit Gedeon: Si Dominus nobiſcum eſt, quomodo apprehenderunt nos hæc omnia? Reſpexitque Dominus ad eum, & dixit: Vade, liberabis in hac fortitudine tua Iſrael de manu Madian: ſcito quòd miſerim te. Qui reſpondens ait: Si inueni gratiam coram te, Domine, da mihi ſignum. Si ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam liberabis Iſrael. Factumque eſt ita.* Sic Gedeon. ſed non ſic Maria Virgo, non petit illa ſignum, vt credat vniuerſum genus humanum liberatum iri per ſe & filium: promptiſſimè verò ac firmiſſimè, audito Angelo, ſibi perſuadet ita futurum. Ezechias itẽ in Solis retroceſſione ad decẽ lineas in horologio Achaz conſtituit ſpem ſalutis, vt ſuperiùs vidimus in exordio: at B. Virgo vt perfectiſſimè crederet, nullum huiuſmodi quæſiuit ſignum in horologio; ſed per fidem quam Angeli verbis adhibuit, dicẽs, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, facta eſt ipſamet prodigioſum quaſi horologium per illud Achaz horologium denotatum, in quo Chriſtus verus Sol iuſtitiæ decem lineis retrogreſſus eſt: quia minoratus paulò minùs ab Angelis, per nouem eorum ordi-

Alia cõparatio cum Gedeone, Ezechia, Zacharia

Iud. 6.

4. Reg. 20

ordines descendens, ad decimam vsque humanæ naturæ lineam se demisit. Tale miraculum fidei in Maria patratum fuit. An non & Zacharias Propheta ab Angelo Gabriele signum petebat vt crederet filium sibi nasciturum, cùm audiret sibi nuntiari, *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem*, &c. Statim Zacharias ait: *Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant.* At Maria nullo petito vel exspectato signo, maiorum omnium suorum fidem longè longèque transcendit.

Lucæ 1.

Fides Mariæ omnem vincit cōparationem.

Hebr. 11

Plures commendat fide conspicuos Apostolus in Epistola ad Hebræos: sed longum sit omnes recensere *Fide*, inquit, *Enoch placuit Deo, & translatus est. Fide Noë aptauit arcam in salutem domus suæ. Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius. Fide Ioseph moriens de perfectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis.* Mitto alios *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Alij obturauerunt ora leonum*, vt Daniel; *alij extinxerunt impetum ignis*, vt tres socij Danielis, *conualuerunt de infirmitate*, vt Ezechias & Iob; *fortes facti sunt in bello*, vt Iosue & Iudas Machabæus; *fide receperunt mulieres mortuos suos*, vt illa Sarephthana vidua ab Elia, vt Sunamitis ab Eliseo; *alij secti sunt*, vt Isaias; *alij lapidati sunt*, vt Ieremias; *alij denique alio modo testimonio fidei probati sunt.* Atqui hos omnes longè superauit magnitudine fidei Maria, cùm in conclaui suo responsum Angelo dedit. Vbi enim ille de Trinitate Personarum, & de singularum propriis operationibus & attributis disseruisset, ac potissimùm de stupendo incarnationis miraculo, cuius nullum exemplum præcederet, nullum extaret vestigium; (ecquæ enim virgo & mater fuerat?) statim illa per fidē firmam se totam suumque intellectum Deo subiecit; nec aliter Gabrielem, quàm Deum loquentem reuerenter audiuit, plenaque fide quæ erant incomprehensibilia comprehendit, & se victam dedit. Tanta sanè fuit hæc fides, vt quidam hæreticus, Lutheri discipulus, Ioannes Agricola dicat: *Maius est omnino potuisse credere Virginem quòd fieret mater, quàm quòd mater facta sit, spiritu priùs quàm corpore facta mater.* Optimè dictum, cui suffragatur illud Augustini: *Beatior Maria concipiendo Christum fide quàm carne: materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi feliciùs ipsum fide quàm carne gestasset.* ita D. Augustinus. Neque obscura eius rei est ratio: quantumuis enim, esse matrem Dei, maxima esset dignitas quæ puræ creaturæ posset communicari, & origo atque fundamentum omnium gratiarum & virtutum, quæ eidem fuerunt ad hoc impertitæ; hæc tamen sola dignitas sanctam eam non efficiebat, neque gloriæ sempiternæ ius vllum conferebat; sed magna eius fides, igne charitatis

Dan. 6. & 3.

August. lib. de Sancta virgin. cap. 3.

tatis inflammata, sanctam eam efficiebat, & dignam quæ in gloria supra omnes Angelorum choros extolleretur.

Quanam in particulari præcipuè crediderit sancta Virgo. Ante partum suum.

Sed distinctiùs atque in particulari consideremus quid crediderit Maria, non tantùm audito Angelo, sed ante & post; quamque perfecta & heroïca fuerit eius fides. Inprimis longè ante incarnationem Domini altissima mysteria credidit Maria, & eo tempore credidit, quo nondum erant reuelata, nisi valdè obscurè; & credidit firmissimè sine vlla titubatione.
1. Mysterium enim sanctissimæ Trinitatis in lege naturæ absconditum, & in lege scripta valdè obscurum fuerat: tamen id probè intellexit, credititque sine vlla dubitatione, fortè per speciales reuelationes, saltem ex sacra lectione Scripturarũ: & multò clariùs ex verbis Archangeli, dum ei personam Patris indicabat à quo missus erat, & personam Filij, dicens eam parituram Filium Altissimi; & personam denique Spiritus sancti, cuius superuentu conceptio de virgine perficiẽda erat. Vnde cùm de tribus Personis, earumque proprietatibus seu propriis operationibus in opere incarnationis dissereret, S. Virgo non dubitauit, neque clariùs doceri expetiit, sed statim animo comprehendit quid
2. vellet. Deinde credebat profundissimum mysterium incarnationis, significatum quidem vmbris & figuris legis, sed nondum orbi patefactũ. Credebat, inquam, Verbum Patris æterni, Filium Dei æqualem Patri & Spiritui sancto, carnem assumpturum humanam, & similem nobis hominem futurum. Legerat enim atque intellexerat vaticinium Isaiæ:
Isaiæ 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hoc sine dubio legerat & audierat, atque adeò futurum credebat. *Sed quomodo fieret*, inquit Ambrosius, *nondum legerat, vel à Deo didicerat*; *ideò cùm Angelus id futurum nuntiaret, etsi crederet, tamen modum scire cupiebat, dicens, Quomodo fiet istud*, &c. at posteaquam audiuit sine virili opera, Spiritus sancti superuentione id futurum, statim credidit ac perfectissimè credidit. Credidit item se esse virginem illam à Deo delectam, illam benedictam inter mulieres, ex qua Filius Dei carnem nostram assumeret modo & inuiso & inaudito, nimirum postquam ex Angelo audiuit, *Ecce concipies & paries filium. Spiritus sanctus superueniet*, &c. adeoque matrem simul ac virginem fore. Non considerauit Virgo sacratissima quòd natura non haberet, vt sine viri congressu virgo conciperet, virgo pareret: non considerauit quòd nullus vmquam intellectus capere posset, quomodo Deus homo fieret: non considerauit denique exiguitatem suam, totiusq; generis humani peccata quasi infinita, quæ thesauros iræ diuinæ accumularant; quibus omnibus rationibus videri poterat incredibile quod Angelus dixerat, Deum velle hominem ex ipsa fieri: sed fide roborata est, dans gloriam Deo, & agnoscens, vt aiebat Angelus, *Quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum*. De magna hac fide est quod ipsa Cantico suo decantat, *Fecit mihi magna qui potens est*. Quæ sunt ea, nisi quòd Deus carnem humanam in vtero eius assumpserit, & se inter omnes virgines in matrem delegerit, dotibus & gratiis, & virtutibus sibi conuenientibus adornans? Hæc agnoscens dicebat, *Beatam me*

Ambr. l. 2. suprà Luc. 1.

3.

Luc. 1.

dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. inter quæ absque dubio fuit magna fides, qua beneficium incarnationis in se modò
4. perfectum complectebatur. Aliud addamus arcanum, quòd filius eius futurus esset Saluator mundi, peccato protoplastorum perditi. Etsi enim videbat generalem omnium peccatorum cataclysmum, qui totum obruisset orbem, pœnisque grauissimis Iudæos Ethnicosque pariter inuoluisset; talem proinde statum esse humani generis propter iratum ac vindicem Deum, vt meritò cruciatus perpetuos pendere deberet: credidit tamen, audito Angelo, iam tempus adesse, quo idem Deus, velut iræ omnis immemor, totum se homini daret in remissionem peccatorum, vt cæli portas reseraret, ac mundum ad
5. Dei cultum conuerteret. Credidit insuper, tam felicem progressum rerum in mundo consecuturum, vt suus filius in Ecclesia regnum spirituale gereret, cunctisque in perpetuum dominaretur. Hæc sunt præcipua quæ credidit antequam filius nasceretur, tametsi summas obscuritates, grauesque difficultates inuoluerent: plenissimè sciens, quemadmodum Deus ad nutum facere possit quæcumque vult, adeoque nullo negotio, vbi, quando, & quomodo vult efficiat, licet nobis supra rationem & incredibilia videantur. Neq; est dubium quin Angelus in eodem cubiculo diutius sit commoratus, & plura dixerit. sed Euangelium, instar picturæ quæ subinde capita ostentat ingentis multitudinis quam accuratè exprimere non potest, ita solet mysteria multa comprehendere, quæ ad plenum omnia describi non queunt, neque est necesse. Omnia interim S. Virgo fide perfecta complectebatur, nullus vt Euangelij auditor vel paratiores aures, vel maiorem fidei simplicitatem, ac perfectiorem obedientiam afferre posse videatur.

Vlteriùs vt prouehatur oratio, Christo iam nato, quãuis videret illum similem aliis hominibus, infantulum, passibilem, mortalem, omnibus huius vitæ miseriis & calamitatibus obnoxium; tamen eumdem *Quanam crediderit post partum.*
credidit esse creatorem, ac Dominum 1.
omnium, qui eodem tempore cælos recrearet suæ præsentiæ gloria, Angelosque bearet aspectu suæ diuinitatis. Deinde eadem facilitate crede- 2.
bat omnia quæ cani audiebat ac nuntiari ab agminibus illis Angelorum in Natiuitate, & à Pastoribus & Regibus, atque à Simeone & Anna in
templo. *Conseruabat enim omnia ver-* Luc. 2.
ba hæc, vt habet Euãgelium, fide pertractans *ea in corde suo*, & ruminans tum quæ ipsamet videbat in eo, & in se experta erat, tum quæ ab aliis de
ipso audiebat. Adhæc nutantibus 3.
Apostolis in magna illa tribulatione passionis Domini, atq; à latere Christi fugientibus; cùm tamen præ omnibus debuissent esse columnæ fidei, vtpote qui professi fuerant esse Filium Dei viui: ipsa eius mater à latere filij, imò à cruce non poterat auelli: sed *stabat iuxta crucem*, non tam corpore quàm fide immobilis, quãquam animus eius immensa doloris vi affligeretur. Fidem quippe suam prodebat ac testificabatur toti mundo, vtpote cùm iam tempus id postularet, tamquam in summa persecutione, reliquis omnibus à suo Domino deficientibus. Cecidit quidem in illo rerum discrimine Iudas proditor, & desperationis adiunxit crimen. Cecidit Petrus, adeoque mortis

tis

tis metu debilitatus est, vt magistrũ suum semel atque iterùm, imò tertiò abnegaret atque abiuraret. Ceteri familiares Christi atque amicissimi quique scandalum passi sunt; sed non Maria. Hæc vna excipiebatur & stabat iuxta morietẽm, mortuumque filium animo prorsus inuicto, quantumuis præacutus ille gladius à Simeone prædictus cor eius tenerrimum atque mœstissimum penetraret: firmissimè credens eum à mortuis suscitatum iri, vt ea quæ dixerat ac promiserat integrè complerentur. Hinc ad eius honorem suprema illa candela seruatur ab Ecclesia in Officio Tenebrarum. Sed quid mirum, posteaquam vidit miracula filij, eiusque conciones audierat, ac tanto tempore cum eo vixerat, tam constantem permansisse? Omnia quæ suprà commemorata sunt, aliaque complura, certiùs ac firmiùs quàm vllus vmquam Sanctorum, credidit sanctissima Virgo ante Christi miracula & Euangelij promulgationem: neque vt fidem difficillimis articulis adhiberet vlla vmquam signa vel certitudinem vllam requisiuit. Atque hæc satis sint de fide Virginis vndequaque perfectissima.

Secunda pars. De imitatione huius fidei. Vt porrò ad secundum membrum transeamus, quod ad imitationem sanctissimæ Virginis pertinet; discamus hîc necesse est, sicuti per Mariam ad nos Deus venire dignatus est, ita nobis per illam ad Dominum ac Saluatorem nostrum vicissim accedendum: quod quidem fieri potest, impensè virtutes eius imitando: quandoquidem, vt testatur Ambrosius, *talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium esset disciplina.* (Ambr. l. 2 de Virg.) Omnium igitur virtutum exemplar Maria, sed nominatim fidei. Credidit siquidem firmiter ac perfectè, vt audiuimus, altissima mystèria quæ omnem superant captum, neque vllum tamen signum petiuit: sed Angelo Dei vicario tamquam Deo dicenti credidit. Hoc imitemur: & nos lubenter etiam credamus quæ captum nostrũ superant, sine hæsitatione: & quando ab Ecclesia Catholica & à Dei Vicariis credenda proponuntur, sufficiat nobis. Ita grauissimè monet D. Leo his verbis: *Magnarum hoc vigor est mentium, & valdè fidelium hoc lumen est animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu.* (D. Leo Ser. 1. de Ascens.) Quantò autem ea quæ creduntur sublimiora sunt, & supra rationem humanam, qualia sunt multa Christianæ Religionis mysteria; tantò virtus fidei maior est, Deo gratior, maiorisque meriti. Tantò namque magis homo submittit rationem, & renuntiat intellectui, captiuum eum reddens, ac morigerum verbo Dei.

Quomodo credendũ sit nobis, nullo expectato signo. Neque verò sunt amplius miracula requirenda quibus fides nostra confirmetur: v.g. de veritate Venerabilis Eucharistiæ, de Purgatorio, de sacris Reliquiis, aut inuocatione Sanctorum, aut eiusmodi alijs mysterijs. Sat multa sunt hactenus patrata. Credamus firmissimè omnia quæ Ecclesia Catholica credit: quia Deus ea reuelauit, & per Ecclesiam nobis credenda proponit, siue scripta illa sint siue non sint. Fortis & inuicta sit fides nostra, nec rationes quærens humanas, vt fuit beatissimæ Virginis fides. Prompta & animosa sit, vt fuit fides Magorum, qui, vt D. Leo ait, *non videbant illum imperantem dæmonys, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, claudis gressum, mutis eloquium reformantem, sed infantem, quietum, silentem.* (D. Leo Serm. 7. de Epiph.) Quid ergo? Rectè diuus Hila-

 rius,

Hilar.l.2. de Trinitate. rius, *Aliud videbant*, inquit, *aliud intelligebant: aliud oculis, aliud animo conspiciebant. Pauperem infantuli matrem videbant, partum à Deo credebant. Videbant infantem vagientem & pãnis inuolutum, Deum verò credebant, & protestabantur adoratione & munerum exhibitione.* Talis fuit & Petri fides à Christo Domino tantopetè laudata, Matt.16. vt diceret: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ponderanda vis ista verborum, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. quibus quasi vicem rependit ei qui in fidei suæ confessione dixerat, *Tu es Christus Filius Dei viui:* & quem videbat in carnis infirmitate ceteris hominibus similem, confitebatur Filium Dei æterno Patri æqualem. Talis fuit & latronis fides in Crucifixum, cùm di- Luc.23. xit: *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.* De quo sic D. Leo: Leo. Ser.2.de Passione. *Quæ istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda non aderant: & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem.* Talis denique debet esse fides omnium Catholicorum circa tremenda Missæ mysteria, sacramque fidelium Synaxim: vbi quidem formam panis videmus, sed carnem Christi esse credimus. Vilis apparet nobis elementi species, sed Dei Filium adoramus. Natura non habet, vt idem corpus sit in diuersis locis, vt totum corpus sit sub specie tam modici panis, vt accidens subsistat sine suo subiecto: sed firmiter interim credimus verbis Dei, qui neminem vult fallere. *Loquenti auscultamus, operis verò sui viam atque scientiam illi soli concedimus*, vt loquitur D. Cyrillus. Cyril.l.4. in Ioan.

De tentationibus contra fidem. Hostis quidem humani generis, qui tempore passionis Dominicæ fidem Discipulorum grauissimè concussit, etiam in nobis excitat subinde tentationes contra fidem, vt nos turbet, ac circa eius veritatem in dubitationes atque anxietates varias impellat: idque Deus iustè permittit, vt, quoniam fidem in Baptismo sine vllo labore accepimus, eam sollicitè saltem conseruemus, & labore nostro atque exercitio augeamus. Sed viriliter omnibus tentationibus obsistamus, & strenuè aduersus eas pugnemus, ex animo protestantes nos credere, atque amplecti quidquid nos fides Catholica docet: & credere quidem propterea quòd Deus Ecclesiæ suæ id reuelarit, multisque crebrò miraculis confirmarit. Discamus etiam à Virgine matre, cùm tempus postulat, generosè fidem profiteri, ac pro ea in omnia discrimina ipsius etiam vitæ offerre; præsertim cùm Seruator noster dicat: *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Matt.10. Quòd si aliquando vis ac vehementia tentationum ac persecutionum tanta fuerit, vt mens nostra vacillare videatur, præter voluntatem tamen; ne ideò turbemur, neque nos arbitremur idcircò fidem amisisse: quandoquidem omni cum certitudine & firmitate, quoad eius fieri potest, credere volumus. Quemadmodum enim fides perfecta esse non potest in ijs qui ad rationis vsum pertigerint, donec voluntas sese vnà cum intellectu ad credendum accommodarit: ita fides semel iam accepta amitti non po-

test, donec homo dubitare voluerit, & deliberata voluntate consenserit dubitationi, quam noster intellectus incurrit.

Cur ad salutem necessariũ sit quadã supernaturalia credere. D.Tho. contra gent. l.1. c.5.

Expedienda hîc ad extremum illa quoque est quæstio, quibus de causis necessarium fuit homini ad salutem consequendam res credere naturâ sublimiores. Respondet autem perquàm luculenter D. Thomas contra gentes. Prima, inquit, est honor & gloria Dei. Cùm namque maiestas eius sit infinita, æquum fuit vt cogni-
1. tio quam de Deo homo haberet, digna esset tali maiestate: ideoque necesse fuit vt homo quædam firmiter crederet, quæ multò exsuperant quidquid homo intelligere possit, aut naturali ratiocinatione compre-
2. hendere. Altera est ratio, cùm homo præditus sit intellectu & voluntate, quæ principes animæ sunt facultates, conueniens fuit vt sicuti per voluntatem obedit ac seruit Deo; ita eidem seruiret atque subijceret sese per intellectum. Atqui voluntas abnegat se vt obsequium præstet voluntati diuinæ; ergo & intellectum oportuit in multis iudicio suo renuntiare, vt Dei
3. iudicio se subijciat. Denique finis hominis ac summum bonum ad quod creatus est, supernaturale est, nempe clara Dei visio: media quoque diuinitus ad illum finem adipiscendum destinata, supra naturam sunt, vt redemptio nostra per Dominum nostrum Iesú Christum, diuina gratia, nouæ legis Sacramenta: consequens igitur est, hominem non potuisse certò cognoscere finẽ suum vel media, nisi credendo res illas supernaturales, quas Deus reuelauit, & ad quas humana ratio attingere non potest.

Stimulus ad fidem exercendam.

Hæ sunt videlicet rationes ob quas maximè conueniebat Deum homini proponere credenda quæ rationem superent humanam: idque constituendo præmium æternæ gloriæ si crediderit vt oportet, vel æternæ condemnationis, si defecerit. Christi quippe oraculum est, *Qui crediderit ac baptizatus fuerit, saluus erit* (fidem viuam intellige, charitate informatam) *qui vero non crediderit, condemnabitur.* Eódem pertinet illud Apostoli: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Idem alibi edisserit, *Christum per fidem habitare in cordibus nostris.* Optamus igitur, vt sicut in Virgine matre corporaliter, ita per gratiam in nobis habitet Christus? Ecce fides necessaria est. Fides est basis ædificij spiritualis, quod Deus in anima habet vt eam inhabitet. Humilitas quidem dicitur quoque fundamentum, sed aliter atque fides, vt tradit diuus Thomas. *Fundamentum est humilitas,* inquit, *quia tollit ex animo impedimentum præcipuum quod est superbia. Fides verò est primus lapis qui ædificium sustinet.* Humilitas ergo præparat locum fidei, quia nemo perfectè potest credere, nisi per humilitatem se demittat, ac subijciat intellectum. Vt verbo concludam, Simus humiles, præsertim in exercitio fidei: & Christus per fidem cum charitate coniunctam habitabit in nobis. Gratia Domini nostri Iesu Christi nobiscum, Amen.

Marc. vlt. Hebr. 11. Ephes. 3. D.Tho. 2.2.q.101 ar.5.

CONCIO XXXIX.

Et discessit Angelus ab illa.

1. *Quomodo gloriosissima Virgo, digresso Angelo, concepit in vtero Filium Dei.*

2. *Quomodo ad id sese praparauerit quatuor pracipuè virtutibus, puritate mentis, humilitate, fide, charitate.*

3. *Singillatim illis additur, quomodo nos conueniat imitari Dominam nostram in praparatione ad sacram Communionem.*

Albert. Mag. in Mariali c. 81. Vide Suar to. 2 in 3. p. disp. 18. sect. 3. Canisiũ l. 1. de B. Mar. c. 9. Actor. 2. 1.



ALBERTVS Magnus, aliique Doctores grauissimi certò asserunt, D. Virginem post Ascensionem filij frequenter ac piè venerabile Eucharistiæ Sacramentum vsurpasse, magna cum animi præparatione, humilitate, reuerentia, charitate. Cùm enim legamus in primitiua Ecclesia fideles omnes vel quotidie vel frequenter vsos esse hoc Sacramento, multò magis credendum est B. Virginem hanc consuetudinem obseruasse, atque hac ratione diuinam gratiam etiam ex opere operato in immensum auxisse.
2. Deinde quia constat huius Sacramenti vsum diuini præcepti esse, frequentiam verò eius consilij. Atqui neque præcepti huius obligatione eximebatur Virgo, cùm vniuersè dictum sit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* neque verisimile est consilium neglexisse tam honestum, tam vtile, tam salutare; quodque præterea ad exemplum & ædificationem omnium aliorum tantopere pertinebat. (Ioan. 6.)
3. Præsertim verò hæc quoque vrget ratio: Cùm hoc venerabile Sacramentum, sit Sacramentum amoris atque intimæ coniunctionis animæ nostræ cum Christo Domino, institutum verò ad recolendam eius passionem: quomodo credibile sit matrem Domini hoc amoris pignus, hoc pietatis exercitium prætermisisse? Nam si filium amabat suum, si supremos eius cruciatus quibus interfuerat, identidem animo reuoluebat, hoc percipiendo Sacramentum, indubiè solabatur sese propter eius præsentiam, qui alioqui specie adspectabili iam absens erat, in cælum sublatus, matremque reliquerat in terris.
Postremò sicuti, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nulla de Virgine mentio facienda, 4.
quòd ab omni peccato fuerit immunis, vt vult D. Augustinus: ita cùm de bonis operibus humilitatis, fidei, charitatis, deuotionis agitur, quis dubitabit in ijs sese accuratissimè exercuisse? Quamobrem tametsi nihil ea de re Sacris litteris proditum sit (quoniam pauca admodum de B. Virgine in Scripturis habemus) nemini tamen dubium videri debet, quin hoc religionis Christianæ opus sanctissimum cum ceteris piè frequentarit. (Aug. l. de Natura & gratia c. 36.) At verò licet nos hac de re Scriptura sacra certiores non fecerit, quod fatendum est: interim hoc disertè expressit, post Angelicam Annuntiationem, & consensum præstitum, concepisse in vtero Filium Dei, ideoque matrem Domini continuò ab Elisabetha salutatam. Deinde expressit pariter quemadmodum virtutum maximarum exercitio, & singulari affectu ad hanc conceptionem sese præpararit. In quo nobis omnibus illustre reliquit exemplum, quo pacto nos ad sacrosanctæ Eucharistiæ perceptionem comparare ac componere debeamus. Numquam illa audiuerat Sacerdotes se cum magna submissione ac reuerentia ad sacram Synaxim accin-

accingentes, dum aiunt: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*, &c. tamen eodem ferè modo, imò longè nobiliori se præparauit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Omni certè diligentia præparauit hospitium Regi suo: *nullus vt fuerit in mundo locus dignior vtero virginali, in quo Dei Filium Maria suscepit*, teste D. Bernardo. Verùm in quo sita fuit potissima eius præparatio? Maximè quatuor in virtutibus, puritate mentis Angelica, humilitate, fide, charitate perfecta. Itaque postea quam Angeli discessum exposuerimus, vberiùs de his virtutibus dicturi sumus. Deinde singillatim illis omnibus subiungemus quomodo Deipara nobis imitanda sit in præparatione nostra ad communionem.

Bernard. Ser. 1. de Assumpt.

AVE MARIA.

De discessu Angeli.

SOlent hæc vltima D. Virginis verba, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, comparari quinque illis mysticis verbis quibus vtitur Sacerdos in Consecratione augustissimi Sacramenti altaris: quoniam videlicet, sicut illis prolatis totus Christus in Sacramentum venit, sic & hisce pronuntiatis idem in Virginis vterum cælitus descẽdit. *Mox intra vterum*, inquit D. Gregorius, *Angelo discedente Verbum caro factum est.* Et D. Augustinus sic effatur: *Exulta Virgo de tanto promisso: nuntius discedit Angelicus, & ventris hospitium ingreditur Deus: diuinitati sponsatur homo.* Credibile quidem est, Gabrielem Angelũ rectà inde abijsse ad SS. Patres qui erant in Limbo, & nouo nuntio tantopere ab illis expectatò mirificè illos esse consolatum: ac tandem summo cùm gaudio peracta legatione sua ad cælos remeasse. Insinuat hæc D. Lucas dum ait: *Et discessit Angelus ab ea.* D. Athanasius duo in his verbis adnotauit. Vnum est, Euangelistam huius discessus meminisse, nequis Angelum aut eius verbum carnem assumpsisse arbitraretur: cùm non ille sed Filius Patri consubstantialis, Verbumque subsistens & æternum, carnem induerit hmanam. Alterum est, Angelo discedente continuò Verbum factum hominem esse; non quidem Angelo adhuc præsente, neque tamen post eius discessum mora temporis intercedente.

Gregor. l. 18. Moral.
August. Serm. 11. & 17. de Natiuit.
Athanas. Serm. de Deipara.

Ceterùm quomodo, aut qua rerum totius mundi immutatione atque innouatione hoc factum fuerit, in quo tantum erat momenti, D. Lucas videtur, vt cetera, sic etiam id enarrare debuisse, exposita iam Annuntiatione Angelica: sed sciebat esse incomprehensum mysterium & ineffabile: ideoque potiùs cogitandum reliquit ac meditandum Ecclesiæ. Imitatus quasi celebrem illum pictorem Timanthem, qui quòd exprimere penicillo non poterat ingentem Agamemnonis patris luctum in morte filiæ, velo quodam faciem tegebat. Ita enim facto magis explicauit operis magnitudinem quàm verbo. Factum quidem scimus statim ab Angeli discessu, sed modum non possumus comprehendere. Scimus ipsam Elisabetham paulò pòst manifestè dixisse, *Benedictus fructus ventris tui.* &, *Vnde hoc mihi vt mater Domini mei veniat ad me?* Estque hic communis SS. Patrum atque Ecclesiæ totius sensus atque consensus, vt D. Augustini, Bernardi, Gregorij, Athanasij, Damasceni, &c. Et ratio est, quia cùm Angelus fuerit missus ad obtinendum Virginis consensum, illo dato, nihil erat quòd moraretur.

Quomodo mox in ictu oculi peractum sit mysterium incarnationis in vtero Virginis.

Luc. 1.
Aug. l. 2. de Symb. ad Catec. & Ser. 5. in Natali Domini.
Bernard. Hom. 4. sup. *Missus.*
Gregor. Hom. 38. in Euág.
Athanas. suprà
Damasc. lib. 3 de Fide, c. 2.

Respon-

Responde verbum, ô Virgo, inquit D. Bernardus, *& suscipe Verbum. Profer tuum, & suscipe diuinum. Emitte transitorium, & amplectere sempiternum.* Itaque in momento, in ictu oculi, cùm nihil impediret, & tarda molimina nesciat Spiritus sancti gratia, sitientissimus nostræ salutis auctor ac parens Deus opus suum in sanctissima Virgine perfecit, opus, inquam, gloriosissimum, opus inexplicabile suæ incarnationis; quo peracto, facta est Maria Mater Dei, & exaltata est supra omnes creaturas, & supra omne id quod dici aut cogitari potest infra Deum, siue in cælis, siue in terris.

Mira Virginis extases. Eodem temporis articulo, quo post consensum Virginis Verbum in ea caro factum est, admodum probabile est ita eleuatam fuisse mentem eius, vt statum viatoris quodammodò transcenderet, ac mysterium ipsum incarnationis, atque adeò Deum ipsum visione beatifica, prout in se est, & prout humanitati coniunctus est, clarè videret. Hoc enim beneficium ac priuilegium sæpiùs in hac vita mortali esse Virgini concessum, Auctores grauissimi docuerunt, quos alibi citauimus. (Vide sup. Conc. 17. & Suarez to. 2. in 3. p. disp. 9 sect. 2.) Siquod autem tempus in hac vita potuit esse opportunum ad suscipiendum hoc beneficium, videtur sanè illud fuisse, in quo post eximiam obedientiam, humilitatem, fidem, charitatem mater Dei meruit fieri. Quid ita? In illo vtique momento quo Dei mater facta est, tantam consecuta est dignitatem, vt stupeant SS. Patres, & prorsus ineffabilem atque infinitam prædicent, ob intimam cum Deo coniunctionem. Quin etiam D. Anselmus (Anselm. l. de Excell. Virg. c. 7.) affirmat accepisse B. Virginem ea hora, qua Christum concepit, certam atque indubitatem promissionem seu cognitionem suæ prædestinationis, & supra omnes choros Angelorum exaltationis. Quæ eadem est sententia D. Ioannis Damasceni, &c. (Damasc. Orat. 1. de Dormitione Deiparæ.)

Meritò itaque disertis verbis docent inter ceteros Albertus Magnus, & discipulus eius D. Thomas, Bonauentura, alijque quàm plurimi, quos alijs temporibus allegaui; (Alber. Mag. sup. *Missus*. c. 180. D. Tho. p. 1. q. 25. a. 6. Bonau. in Opusc. de D. Virg. c. 8.) præpotentem Deum nihil maius D. Virgini conferre potuisse, quàm vt hoc pacto fieret mater Dei: cum quo honore simul ea omnia dabat, quæ decuit Dei Filium matri suæ date. Magna quidem dignitas censenda est esse Dei seruum, vt sunt Angeli, quia *fecit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* (Bernard. Hom. 1. sup *Missus est.* &c Psal. 103.) Maior enimuerò celsitudo sit oportet, non solùm Dei seruum, sed eius amicum ac familiarem esse, vt Apostoli fuerunt, quibus ait: *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* (*Sublimitas matris Dei.* Ioan. 15.) Altior verò dignitas, adhuc Dei fratres & filios nominari & esse per adoptionem. *Videte*, inquit D. Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij eius nominemur & simus.* (1. Ioan. 3.) Sed omnium altitudinum longè longèque maxima hæc est, fieri matrem Dei, & non modò nominari, sed esse reuerà. Quæcumque enim gratia confertur seruis, amicis, fratribus, longè inferior est eâ quæ à Deo collata est magnæ Matri. Denique *quòd Dei mater est*, inquit Anselmus, *excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest.* (Anselm. lib. de Excell. Virg. c. 2.) Hoc satis, quia non est quò progredi vlteriùs liceat.

Quo merito suo consequi potuerit B. Virgo tantam dignitatem. At verò quærendum nunc est, quo merito suo consecuta sit beatissima Virgo tantam dignitatem. Respondent Scholastici cum D. Thoma, Bonauen-

D. Thō. 3.p.q.2. art.3. Bonau.in 3.dist.4. q.1.

nauentura, &c. S. Virginem meruisse tantam status sublimitatem non quidem de condigno, sed de cōgruo. Sicuti peccator fidem habens, & auxiliis diuinæ gratiæ excitatus atque adiutus meretur gratiam Dei primam, habitualem, cùm se congruenter ad gratiā disponit. Propriè enim dici non potest eam promereri, quia non tantum Deo dat, quantum accipit, vt sit iusta proportio. Quomodo enim esset gratia, si esset iusta retributio pro merito? Tamen quando facit quod in se est, & benè se disponit per auxilia gratiæ ordinaria, quæ Deus benignè suggerit, æquum est etiam vt ei detur gratia. Ita sanctissima Virgo suo labore ac diligentia cooperando cum gratia Dei ad tantam peruenit perfectionem, vt esset optimè & conuenientissimè disposita & parata, & digna quæ conciperet Filium Dei. Atque ideò Patres interdum, quando dicunt eam meruisse dignitatem hanc, sic sunt intelligendi. Vt D. Ambrosius, cùm ait: *Talem Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit, vt digna esset ex qua Filius Dei nasceretur.* D. item Augustinus, *Talis,* inquit, *eligitur virgo de toto mūdo, quæ tantum haberet meritum, vt Filium Dei in semetipsa susciperet.* Sic & diuus Chrysostomus: *Beata mater vltra omnem naturæ modum, modestiam & temperantiam coluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero portare promeruit.* Et D. Hieronymus: *Tantæ puritatis Maria exstitit, vt mereretur effici mater Dei.* Quid alios recensere opus est, D. Gregorium, Bernardum, Basilium, Petrum Damiani, &c.? vniuersalis Ecclesia illi canit: *Regina cæli lætare alleluia, Quia quem meruisti portare,* &c. Ratio autem cur id consentaneum fuerit, hæc est, quoniam laude dignius est quod quisque proprio labore & industria, quàm quod mera Principum liberalitate consequitur. Sic Agathoclem legimus, cùm ex figulo ad Regiæ dignitatis culmen ascendisset, inter vasa aurea & argentea, etiam fictilia ex luto collocari voluisse: quòd nempe maioris æstimaret Regnum virtute partum, quàm si hereditate obuenisset. Nam Regem nasci nihil magnum est, sed Regno dignum se præstitisse multò maximum est. Sic ergo D. Virgo vt honorificentiùs Dei genitricis dignitate gauderet, illud diuina gratia opitulante propriis operibus promeruit, *vt dignum Filij Dei habitaculum effici mereretur.*

Ambros. lib.1. de Virg. August. Serm.10. de Nat. Chrysos. de Christi Præsent. Hier. ad Eustoch. Gregor. in 1. Regum 1. D. Bern. Ser.1. de Assumpt. Basilius Hom. de Humana Christi gener. Petrus Damian. Serm.3. de Nat. Mariæ.

In Apophth.

Ecclef. Offic.

Secunda pars, Qua præparatio necessaria sit ad sacram Cōmunionē exemplo Virginis.

Iam sequitur vt videamus quomodo, & quibus potissimùm virtutibus Deipara sese præpararet, vt Deum corporis sui domicilio excipere mereretur: quomodo & nos eius exemplo nostros animos adornare oporteat, vt pariter in sacra Communione Regem gloriæ dignè suscipiamus. Itaq; prima dispositio statuenda est Puritas mentis Angelica: de qua ita diuus Hieronymus ad Eustochium scribit: *Propone tibi Mariam, quæ tanta extitit puritatis, vt mater Domini esse mereretur.* Guarricus quoque Abbas his verbis: *Splendebat Virginis thalamus mundissimo puritatis auro. est enim aurea illa vrna in qua dulcissimum manna non seruatum solum, sed & natum est; imò veluti cælum miro sanctimoniæ fulgore micabat Nam vt canit Psalmista, Solis thalamus cælum dicitur. Ipse (inquit) tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Sic Christi veri Solis thalamus, id est, Virginis vterus cælum erat.* Quid cælo sideribusque splendidius? quid item pu-

Prima dispositio. Puritas mentis. Hier. ad Eustoch.

Guarric. Ab. Ser.1 de Annunt.

Psal.18.

purius aut radiantius Virgine gloriosissima? Porrò per eius puritatem intelligo nō modò virginitatem, quam perfectissimam habuit, aut conscientiæ nitorem, sed omnium virtutum eius plenitudinem ac perfectionem, quibus omnia Dei dona & gratias consecuta est. Refert enim D. Bonauentura, Mariam Virginem S. Elisabethæ viduæ ordinem vitæ suæ explicuisse: inter alia verò hoc etiam addidisse, se, excepta ea gratiæ plenitudine quam in vtero matris posita recepit, omnem aliam gratiam & cælestia dona, non sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, & deuotione & multis lacrymis percepisse.

Bonau. in Medit. de Vita Christi, cap. 5.

De Imitatione Virginis.

Imitemur, Christiani, hanc sollicitudinem in virtutibus proficiendi, hanc puritatem, hanc perfectionem: abstrahentes cor ab omni affectu mundano, & cum Deo arctissimè illud coniungentes. Hic scopus est omnis vitæ spiritualis, vt testantur Sancti, vita moribusque id experti, atque in primis Ioannes Cassianus, vbi de huiusmodi puritate loquitur. Præcipuè verò pro suo quisque statu castitatē imitemur; quoniam Sponsus inter lilia virtutum pascitur, maximè autem castitatis. Anima sic ornata omni puritate, sedes est Spiritus sancti, & sanctissimæ Trinitatis. Magna siquidem est, magna planè inter Deum puramque mentem cognatio & similitudo: quo fit vt, sicut lapis naturæ suæ relictus tendit in cētrum, ita mens pura ab omni amore inordinato carnis aut mundi, in Deum velut in centrum suum finemque vltimum tendat. Deus vicissim amantissimus puritatis & omnium virtutum, vbi mentem videt adeò speciosam & ornatam, totus in eam amore fertur, vt in domicilium sibi gratissimum. Et sicuti, vbi corpusculum infantis in vtero matris suæ, membris suis & organis distinctum fuerit, statim Deus infundit animam rationalem: ita vbi anima iusti virtutibus ac maximè pulchritudine castitatis instructa est, in ea Spiritus ille sanctus, imò tota Trinitas domicilium statuit. Tandem anima illa fulgens his ornamentis verè thronus est Salomonis, id est, Regis nostri pacifici, ex ebore grandis, hoc est, castitate & conscientiæ puritate præ aliis ornamentis excellens. Quocircà vt Deo dignum simus hospitium, curādum est summa diligentia, vt corpus & anima, & sensus omnes castitati famulentur, in quocumque statu simus. Hinc Timotheum sic hortatur Apostolus, *Teipsum castum custodi:* atque in ipso nos omnes hortatur qui neque prudentiores, neque fortiores, neque sanctiores sumus tali Episcopo. Quid est autem custodire se castum, nisi curare vt habitus, vt incessus, vt verba, vt aures, vt oculi, vt lingua & sensus omnes puritatem spirare videantur: nihil turpe fiat, vel dicatur, vel audiatur, vel cogitetur? Namque omnibus his modis quęrit dæmon aditum sibi aperire ad animam nostram, vt virtutis huius thesaurum nobis eripiat. Itaque quemadmodum arces quæ in hostium cōfinibus sitæ sunt, vallis & fossis, ceterisque propugnaculis propter pericula munire solemus: ita virtus hæc, quam omni conatu dæmones impetere solent, hac vigili cura & sollicitudine vallanda est. Constat verum esse quod diuus Augustinus monet: *Inter omnia prælia Christianorum periculosiora sunt certamina castitatis; vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.*

Cassian. de Instit. Monast.

1. Tim. 5.

Aug. l. de Mulierū honestate, c. 2.

ria. Grauem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. Ita nos videlicet importunus ille castitatis hostis impugnare non cessat; non dat requiem; vt vel importunitate vincat, quos pronæ suggestionis impetu superare non potest. Aiunt Physici, rhinocerotem adeò ferum & immite animal esse, vt numquam cicurari possit; cùm omnia alia animalia tempore mansuescunt, vrsi, leones, leopardi: atqui hoc ipsum de concupiscentia dici potest. Alia enim vitia & prauæ inclinationes labore & virtutibus extinguuntur paulatim, hæc verò pestis non ita: peræigrè, ac vix, imò numquam penitùs exstinguitur, nisi virtute diuina siue miraculo. Serui Dei quantumuis Sancti non possunt sibi fidere, etiamsi quadraginta vel quinquaginta annorũ spatio, neque opere, neque cogitatione, neque alia ratione castitatem violarint. Neq; minùs ferè in senectute illis, quàm in iuuentute aduersus hũc rhinocerotem pugnandum est. Quomodo pugnandum? inediâ, asperitatibus, mortificatione sẽsuum ac præcipuè oculorum, ne mors (quod Dauidi contigit) per has fenestras in mentem nostram ingrediatur.

Secunda dispositio. Humilitas. Secunda præparatio est summæ humilitatis: qualis erat sanctissimæ Virginis, quæ turbata est in sermone Angeli, cùm ab eo supra modum laudaretur. Deinde se minimam reputans, quæ tamen in Dei matrem eligebatur, modestissimè respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quibus verbis ita Dei Filium vulnerauit ac deuicit, vt è cælis atque è sinũ Patris in vterum victricis laberetur. Id insinuatur in Cantico Virginis, dum ait paulò pòst: *Quia respexit humilitatem ancil-* (Luc. 1.) *læ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et in Canticò Sponsæ, cui dictum est, *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno crine colli tui.* (Cant. 4.) Vel vt trãstulerunt septuaginta Interpretes, *Excordasti me, quia abstulisti cor meum. In vno crine colli tui*, id est, humilitate tua, vt exponit Rupertus Abbas. *Nam quid vno crine gracilius, inquit, & quid humilitate subtilius? quid vno crine flexibilius, & quid humilitate contractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas quoque vix consentit quod computari possit inter homines.* (Rup Abbas l. 3. in Cant. paulò ante fin.) Itaque hoc crine suæ humilitatis, quasi armis idoneis vulnerauit Filium Dei, maximè tempore incarnationis. Fortis quidem ille, qui debellandus erat, sicut scriptum est: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* (Psal. 23.) at ipsa quoque fortis à Sapiente describitur, dum ait: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* (Prou. 31.) Itaque duo strenuissimi bellatores, sese inuicem respicientes, & inter se dimicantes, alter alterum vulnerarunt, & pariter ceciderunt. Cecidit Maria, se demittens atque humilians vsque ad terram, cùm diceret, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Cecidit & Deus in vterum ancillæ suæ, & hominem induens se filium hominis fecit. Sicque illud impletum est quod ait Propheta Ieremias: *Fortis impegit in fortem, atque ambo pariter ceciderunt.* (Iere. 45.)

De imitatione humilitatis eximia. Anne & hìc imitari beatissimam Virginem possumus, in tam generosa pugna cum Deo? quid ni possumus erga Deum, & inter nos humilitate certare, qua vinci Deus gaudet, victusque in cordibus hominum requiescit? D. Bernardum audiamus, ad

ad hanc æmulationem nos prolixè & efficaciter inuitantem. *Audis virginē,* inquit, *audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista præcipitur. Si Maria humilis non fuisset, super eam Spiritus sanctus non quieuisset. Scriptum est enim: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem? Paucorum quidem est virginitas, sed multo paucïorum est humilitas cum virginitate. Imitemur humilitatem virginis: pulchra permixtio est virginitatis & humilitatis.* Hæc Bernardus. Sic & Leo Papa in idem Euangelium, dialogo pulcherrimo alloquitur D. Virginem & rogat, quomodo meruerit mater Dei fieri, eumque in vtero concipere, quem cæli capere non possunt? Respondet autem illa, Maximè per humilitatem, quia *respexit humilitatem Dominus ancillæ suæ.* Itaque eius exemplo, vt dignè recipiamus Dominum, quando iam puritatem conscientiæ, quantam possumus, per cōfessionem ac peccatorum detestationem consecuti fuerimus, antequam veniamus ad mensam Eucharisticam, profundissimè nos deprimamus infra omnes homines, dicentes cum Sacerdote: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* itemque cum Publicano percutientes pectora nostra, & cum verecundia demissis oculis dicamus: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Cum filio quoque prodigo: *Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.* Sic, sic excelsus Dominus, qui humilia respicit, humilibus gratiam dabit.

Bernard. Hom. 1. super Missus.

Isaiæ vlt.

Leo in Hom. de Annunt.

Lucæ 18.

Luc. 15.

Tertia dispositio, Per fidem viuam.

Tertiò, maxima insuper mentis præparatio est per firmissimam & clarissimam fidem: quam Domina nostra & in fine colloquij Angelici, & in Cana Galilææ, in nuptiis deficiente vino indicauit, vbi primum impetrauit miraculum hoc verbo, *Vinum non habent.* Eamdem & Euangelista Lucas prædicat, vbi hoc eius elogium iterat: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Siquidem ibi rectè cum Origene duo intelligimus Euangelistam significare voluisse, nempe singularem Mariæ diligentiam in obseruandis Christi mysteriis, & maiorem quamdam fidem, cognitionemque quàm Iosephi (de quo nihil tale exprimitur) vnde ea proficiscebatur obseruatio.

Ioan. 2.

Luc. 2.

Imitatio.

Hanc virtutem etiam æmulari conuenit, quotiescumque ad sacrum Epulum accedimus. nam si viuaciter fides nostra excitetur circa huius venerabilis Sacramenti veritatem, fieri quodammodò potest vt ante oculos præsentem Dominum intueamur, neque aliter nos geramus aut animos nostros componamus, quàm si visibili specie ante oculos nostros consisteret. Quòd si autem oculis nostris illum videremus, quid non amoris, obsequij, & reuerentiæ illi offerremus? quanta humilitate pedibus eius aduolueremur, suppliciter eius benedictionem flagitantes? quantis desideriis noster inflammaretur affectus? Sanè maiorem in modum expedit exemplum sanctissimæ Virginis, eius fidem, inquam, & sensa animi in nobis quoad possumus exprimere, & quoscumque affectus illa in se experiebatur, cùm Filium Dei conceptura diceret, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Expedit & D. Thomæ fidem

affectumque in nobis excitare, qui Dominum post resurrectionem videns atque contingens, cum magna verecundia ac reuerētia dicebat, *Dominus meus, & Deus meus*. Ita & nos dicamus, Quamuis non te videam oculis, Domine Deus, vt tuus ille discipulus Thomas: tamen firmissimè credo te hîc nobis adesse, ideoq; nihilo te minùs amo, tibique me totum offero in holocaustum: doleo verò me non plus habere quod offeram. Non minus equidem reuerentiæ, laudis, atque gratiarum actionis tibi exhibere conabor, quàm si te hisce meis oculis aspicerem, tuósque pedes indignus tangere, teque amplecti possem. Nolo te palpare, contrectare tuam sacram humanitatem, aut coràm cernere, sicuti diuus Thomas: beatiores enim sunt, vti ipsemet affirmasti, *qui non viderunt & crediderunt*. hoc est, qui te oculo fidei vident, non corporis. Hanc, Domine, adauge in nobis fidem. Quis dubitet his aliisque virtutum exercitiis congruentem Regi dominoque ad nos per diuina mysteria venturo locum præparari? haud secùs videlicet, ac virginalis illi thalamus quondam ante incarnationem fuit adornatus, de quo scribit in hunc modū D. Laurentius Iustinianus: *Erat quidem B. Virgo*, inquit, *thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, & omni præditus sanctitate: floribus aspersus, & omni virtute decoratus, fragrās castitatis odore, charitate feruens, virginitate redolens, pollens humilitate*. quibus & viuidam fidem addamus, tamquam basim reliquarum virtutū. Sed nunc ad charitatem transeamus, quæ erit quarta & vltima præparatio.

Ioan. 20.

Laurent. Iustin. lib. de Casto connub. cap. 9.

Quarta dispositio, Per charitatem.

Tandem enim & charitas exercenda est, cùm ad sacrosancta mysteria inuitamur: cuius pellucidum speculum in vita moribusque gloriosissimæ Virginis nobis ob oculos ponitur; longè vt supra Angelos & Seraphinos, qui charitate ardent, excelluerit vsque ab vtero matris suæ. Quamquam haud diffitendum est, eam multò pleniorem charitate & gratia fuisse quàm anteà, quādo eam Angelus in sua legatione *gratia plenam* salutauit, *& benedictam inter mulieres*. At quomodo exuberasse dicemus, quantis ardoribus succensam, vbi superueniente Spiritu sancto tempus illud aduenit, quo in vtero eius, quæ ex Deo est charitas cum omni plenitudine gratiarum requiescere dignata est? Magna quidem emicuit Zachęi charitas, cùm eodem Rege gloriæ hospitio suscepto stans diceret, *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplū*. Magna quoque apparuit charitas B. Mariæ Magdalenæ, Marthæ, Lazari, multorumque aliorum, quando singulari Dei munere eodem hospite amantissimo sunt dignati. Haud paullò maior adhuc ardentiórque exstitit Simeonis illius Prophetæ, qui non hospitio, sed vlnis suis senilibus, è brachiis matris eumdem suscipiens, voce cygnæa canebat: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace*, &c. Verumtamen amoris ista experimenta in Sanctis, si cum charitate gloriosæ Virginis conferantur, quid aliud sunt, quàm scintillæ cum fornacis accensæ ignibus comparatæ? quid aliud quàm guttæ cum Oceano, lumen stellarum cum lumine Solis?

Luc. 19.

Luc. 2.

Iam illius quoque maximus sit ardor oportet, qui eumdem Deum ac Dominum in venerabili Eucharistia,

Imitatio.

ristia, de manibus Sacerdotum, non domi suæ hospitem, non vlnis suis arctissimè pectori admotum, sed intra viscera sua receptum, in sacra Communione intimè amplexatur, vnumque cum eo fieri meretur, iuxta illud Euangelicæ veritatis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Porrò effectus charitatis peculiaris ac primarius est vnio animorum, qui vnus quasi spiritus cum Deo fiunt; quo fit vt Christus in iis sedem deligat ad habitandum. Siquidem *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Quapropter omnia nostra opera charitatis auro fuluo nimis vestienda sunt, vt thronum Regis supremi dignè adornent. *Omnia vestra in charitate fiant,* monet Apostolus. quam sententiam latiùs alibi declarans ait, *Siue comeditis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vnde sequitur, quæ alioqui nullius pretij opera sunt, ea omnia Deo grata, & meritoria per charitatem fieri. vsqueadeò charitas, quæ omnia nostra facit aurea, meritò *aurum* dicitur *ignitum, & fuluum nimis.* Soli quippe conuenit hoc charitati, in qua non peccat illud *nimis:* quia nemo potest nimis diligere. Vt enim D. Bernardus rectè docuit, *Optimus diligendi Deum modus est diligere sine modo.* In moralibus quidem virtutibus hoc esset vitium, nimis abstinens, nimis humilis, nimis generosus: hîc autem non vitium sed perfectionem denotat virtutis. Huc itaque in omnibus nostris actionibus collimemus, hic noster sit scopus, vt tota vita nostra in charitate perficiamur: quia numquã hîc erit *nimis.* Quemadmodum diua Virgo semper in charitate creuit, ita

Ioan. 6.
1. Ioan. 4.
1. Cor. 16
1. Cor. 10
Apoc. 3.
3. Reg. 10
Bernard. lib. de Dilig. Deo.

& nos par est semper crescere: namque mensuræ charitatis respondet mensura gloriæ. Hîc Deus per charitatem habitat in cordibus nostris; posteà per gloriam, in sæculorum omnium immortalitate. O vtinam hunc charitatis ignem spirantes ad cæleste Regis nostri conuiuium accederemus! vtinam, vt par est, anhelaremus ad hunc Regem gloriæ nostro excipiẽdum hospitio! tamquam ad patrem amantissimum filij charissimi, cùm deliciæ sint eius esse cum filiis hominum: tamquam ad optimum Medicum ægroti, vt à vitiis omnibus purgentur animæ, quoniam illa sunt quæ maximopere Deo displicent: tamquam oues ad pastorem, vt reficiantur & custodiantur, & pascua inueniant, nunc quidem per gratiam & dona Spiritus sancti, posteà verò per gloriam in cælis.

Ad extremum antequam concludamus, vellem, auditores, Christiani me omnes velut è sublimi specula clamantem exaudire possent, atque ad consectandas omni conatu ac studio heroïcas Deiparæ virtutes, de quibus hactenus audiuistis, cohortantem. hæc siquidem imitatio gratissimus Reginæ matri cultus est, adeoque inter omnia cultus & obsequij genera, quæ vsu ac moribus Ecclesiæ recepta sunt, hoc verè dixerim primarium ac maximè necessarium. Paucis illa perstringamus. Floreat in primis omni benedictione cælesti vniuersalis omnium nostrûm mater Ecclesia, Spiritu sancto excitata, quæ vt cultum obsequiumque Virginis matris augeat atque amplificet, multa per annum Festa in eius honorem celebrat, ac singulis propè mensibus vnum, in quibusdam plura: singulis quoque hebdomadis diem Sabbatinum

Inter omnia genera cultus Deiparæ, virtutũ eius imitatio primas tenet.

tinum

tinum illi dedicat: ipsumque Ecclesiasticum Officium illi recitat, simulque augustissimum Missæ Sacrificium: quin & singulis totius anni diebus proprium illius instituit Officium, concessis id recitanti largiter Indulgentiis: vt taceam multos Ordines Religiosos eius quotidie recitandi peculiarem obligationem atque institutum habere. Adhæc singulis Horis Ecclesiasticis salutatio præmittitur Angelica: atq; ad finem Horarum aliqua semper Antiphona vel Oratio ad eius legitur honorem. Itemque more & instituto omnium Orthodoxorum Concionatores eam salutare atque inuocare consueuerunt, priusquam ad dicēdum se componant. Manè, meridie, ac vespere, per vniuersas orbis Christiani Ecclesias, signum campanâ datur ad eamdem ter vt minimum concordibus votis salutandam. Approbauit etiam Ecclesia vsum Rosarij, siue in quo tot Deiparæ salutationes decurruntur, quot Psalterium continet Psalmos, centum scilicet ac quinquaginta: siue in quo sertum ei quasi contexitur è sexaginta tribus salutationibus, iuxta numerum annorum quos ipsa in hoc mundo creditur exegisse. Eodem fine instituit Congregationes, Sodalitates, & Religiones, Deo eiusque cultui peculiariter dedicatas, concessis extraordinariis generatim pariter ac speciatim gratiis, Indulgentiis, & fauoribus, vtroque in sexu, iis qui se cultui eius addicūt. Illius in memoriam templa, sacella, altariaque plurima consecrat: & vix vlla est in orbe Christiano prouincia, vbi non visantur complura loca religiosa, siue ædes sacræ, singulari B. Virginis cultui atque inuocationi sub variis titulis dicatæ; crebris quoque omni æuo miraculis illustratæ, quibus vtique ostendit Dominus Deus, ratum se ac gratum habere honorem illum, qui sanctissimæ eius matri impenditur.

Hæc ferè capita sunt rituum Ecclesiasticorum; siue omnis generis cultus quo Dominam nostram veneratur Ecclesia Orthodoxa. Verùm illud certissima fide tenendum, non posse gratius ipsi obsequium à nobis offerri, quàm si vitam eius atque virtutes, quas hactenus prædicauimus, omnibus viribus æmulari contendamus. Nam, vt rectè nobis edisserit D. Bonauentura, *Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissima vita sua. Ipsa est cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: ipsa est, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo: ipsa est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur.* Ipsa igitur à Deo constituta est tamquam exemplar virtutum, speculumque lucidissimum. Ipsa eadem vehementer expetit, atque à nobis tamquam verè filiis magnopere exposcit, vt in hoc speculum virtutum suarum sedulò inspiciamus, easque imitemur. Si namque B. Paulus præ zelo, & vehementi gloriæ diuinæ proximorumq; salutis studio, tam frequenter rogabat & obsecrabat Christianos, dicēs, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* quid de Virgine matre dicemus, quæ citra comparationem istū beati Pauli zelum tantò superabat, quantò Sol minora sidera exsuperat? Quo studio, quo ardore credimus eam de cælo nobis hæc ingeminare, *Sequimini me, ô filioli mei: imitatores mei estote,* vti ego Deum meum, Dominum meum, & filium meum Iesum sum imitata. Magna sanè emphasis obser-

Bonauēt. in Spec. B. Virg.

1. Cor. 6. & 11. & 2. Thess. 3

seruanda in his verbis, *Sicut & ego Christi*. Nam si ex imitatione Apostolorum, multò potiùs ex imitatione sacratissimæ Virginis progredimur ad Dei quoque & Seruatoris nostri imitationem: propterea quòd matris vita quodammodò sit delineatio vitæ filij. Et gustu certè præcipuo, & suauitate quadam peculiari rapimur ad Saluatoris nostri imitationem, longè magis ex matris eius imitatione, quàm Sanctorum aliorum. Ipsa enim (id quod S. Catharinæ Senensi diuinitus patefactum est) quasi buccella quædam delicata est hamo Dei appensa, qua homines ad omne virtutum genus alliciuntur. Quapropter vnusquisque sibi dictum existimet illud D. Bernardi, penitusque in animo suo recondat, *Vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum*: opitulante videlicet gratia Domini nostri Iesu Christi, cui honor & gloria vnà cū benedicta Matre in sæcula sæculorum, Amen.

Tract. 4. Dialog. S. Cath. Senensis. c. 139.

Bernard. Hom. 2. sup. Missus.

Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Ioan.* 1.

CONCIO XL.

& vltima, & multarum instar, de hoc argumento, Cur Deus homo.

Rationes 28. adducuntur, quæ ad hæc duo capita reuocari possunt:

1. Propter maiorem diuini nominis gloriam.

2. Propter multiplicem hominum vtilitatem, atque exaltationem.



Æc verba thematis nostri cùm S. Mater Ecclesia quotidie ter ad pulsum campanæ subiungat superioribus, vt historiæ de incarnatione Domini veritas & clausula postulat; meritò hîc quoque à nobis nostro congruenter instituto exponentur. Itaque, vt hinc ordiamur, quantumlibet varijs olim signis apud veteres vis ac potestas Amoris adumbrata fuerit; illud sanè præclarum ac singulare est, quòd pingeretur spicas & flores vna manu, & altera piscem tenens: vt inde quidquid terrarum limitibus, aut maris littoribus clauditur, Amori tributum pendere, & illius imperio seruire cognosceremus. Sed angusta hæc est eius ditio, & nimis breuibus circumscripta limitibus eius potestas: quæ adeò latè patet, vt non solùm terræ marique leges imponat, sed ipsi quoque cælo tantum imperet tributum, vt ex tribus, quæ in Deo sunt, personis vnam sibi dari præcipiat. Quod quidem benignè ob ingentem in hominum genus beneuolentiam à Deo præstitum esse D. Ioannes Euangelista his verbis commemorat, *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* At rursum, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Tametsi enim Deus potuisset nostræ subuenire calamitati Angelum mittens, vel hominem, penes quem tamquam Dei legatum ac vicarium, facultas esset remittendi peccata: noluit tamen ab alio quàm à seipso id fieri, vt qui nos fecerat, idem ipse nos reficeret. Vnde non legatus, neque Angelus, sed, vt ait Vates Euangelicus, *ipse in dilectione sua, & indulgentia sua redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos: & factus est eis saluator.* Cuius amoris ac beneficij magnitudinem ita ponderat Damascenus: *Tātus, Domine, in me tuus amor fuit, vt non per Angelos aut aliam creaturam*

Vide Alciatum in Emblemat.

Ioan. 1. & 3.

Isa. 63.

Damasc. Orat. 3. de Nat.

turam salutis meæ negotium obieris, verùm vt primam fictionem, sic etiam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris. Ecce triumphus charitatis, cuius funiculis Dei Filius de cælo detractus est in terram, vt homo factus hominem secum attolleret ad cælum. Hoc enimuerò diuinissimum arcanum est, quod in hoc argumento quæri à multis atque examinari solet, *Cur Deus homo?* siue, Quare potiùs carnem nostram & naturam humanam, quàm aliam aliquam assumpserit; postquam se diuina bonitas creaturis suis communicare omnino decreuerat? Nam haud dubiè, etiam hoc posito quòd vellet Deus vsque eò se humiliare, vt ipsemet in persona homines redimeret corporatus & spectabili forma tectus; potuisset corpus assumere alterius naturæ; sicut Angeli corpus assumunt ex aëre vel simili materia: sed consentaneum non erat vt aliud assumeret quàm osseum & carneum, factus vtique *os de ossibus nostris, & caro de carne nostra.* Idque adeò multas ob causas, easque grauissimas & congruentissimas fecit, quæ hodie in medium proferendæ sunt: duplici potissimùm fine, vt vniuersè dicamus, tum ad maiorem nominis sui gloriam, tum ob multiplicem hominum vtilitatem. Domine Iesu Christe, omnis nostræ felicitatis auctor & parens, solito nos fauore prosequere, matris tuæ charissimæ interuentu.

AVE MARIA.

Quæstionis huius sublimitas.

IAm pridem non leuis quæstio pertractata est à sanctis Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, quamobrem Deus, cùm infinitis alijs modis genus humanum in libertatem asserere atque ad salutem perducere potuisset, hunc tamen elegerit tam insitatum, tam rigidum, tam arduum, sibique tam difficilem, *vt exinaniret semetipsum, serui formam accipiens.* Nam D. Augustinus inter alios non rarò stultos vocat eos qui dicunt, *Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem. Subest enim tibi cùm volueris posse*, ait Scriptura. Et Christus ipse dicit, *Pater, omnia tibi possibilia sunt: si vis, trãsfer à me calicem hunc.* q.d. Potes, si volueris, multis alijs modis homines iuuare: pendet à sola voluntate. Hoc interim, vt credimus, certissimum est, nihil conuenientius fuisse, quàm vt hoc modo nos redimeret, quo redemit: neque sapientiam Dei infinitam potuisse modum reparationis nostræ meliorem eligere. Certè dicendum hoc loco cum Apostolo, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Nam & idem alibi hoc mysterium incarnationis vocat *mysterium à sæculis absconditum.* Rursumque alibi, *Manifestè magnum est*, inquit, *pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne:* vel, vt alij verterunt, *Deus manifestatus in carne.* Quin & D. Hieronymus illud Isaiæ, *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator*, interpretatur de hoc ineffabili diuinæ incarnationis sacramento, de quo agit ibidem Propheta. Quis igitur poterit abyssum hanc penetrare? *Abyssus planè imperscrutabilis*, inquit Bernardus, *hoc sacramentum; abyssus impenetrabilis, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quis inuestiget?* Nimirum hoc factum Domini si ratione mensuretur humana, exsuperat omnem sensum, omnemq; longè transcen-

Philip. 2.
Aug. l. 13. de Trin. c. 3. & lib. de Agone Christ. &c.
Sap. 12.
Marc. 14.
Rom. 11.
Ephes. 3.
1. Tim. 3.
Isa. 45.
Bernard. de Ann. Serm. 1.

cendit intellectum. Vnde hodieque stultitia quædam videtur Indis, Iaponibus, & nouo orbi, cùm Christus illic annuntiandus est, quòd præpotens ille Deus ita voluerit se demittere ad hanc miseriarum nostrarum abyssum, nulla interim necessitate adactus. Nec frustrà suo itidem tem-
1. Cor. 1. pore D. Paulus ait, *Prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Stultitia quippe maxima videtur, Deum pro sua creatura nasci, & pati, & mori. Attamen, vt sequitur, *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Quæ cùm ita sint, quantumuis inscrutabile sit hoc mysterium, sufficiatque nobis ad salutem, fide simplici hoc factum credere: vtile tamen erit ad excitandos omnium animos in amorem & admirationem diuinæ bonitatis, rationes eius aliquot cum SS. Patribus ac Doctoribus Ecclesiæ indagare. Rogamus te & obsecramus, ô summe Deus, vt tua maiestas indulgeat, si homo, cinis & puluis, fidentiùs hæc secreta tua rimetur: vestigijs modò sacræ Scripturæ ac Sanctorum insistat.

Prima ratio, nostra redemptio: siue, propter nos & propter nostram salutem. Symb. Nicen.

Prima igitur ac præcipua ratio, Cur Deus homo, fuit humani generis conuenientissima redemptio: vt in carne peccati quæreret peccatores, quibus regni cælestis ianuam reseraret: hoc est, vt ouem centesimam, quæ in deserto perierat, in ouile suum reduceret. Sic enim discimus in Symbolo Niceno, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, & homo factus est.* Ideò quoque nomen Saluatoris accepit, Dei iussu
Matth. 1. per Angelum dicentem, *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et Apostolus disertis verbis, *Fidelis sermo*, inquit, *& omni acceptione dignus,* 1. Tim. 1.
quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Item, *Qui* Rom. 8.
proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Idem exprimit alibi sæpissimè; nihil vt opus sit è sacro codice plura citare testimonia. Verùm è veteri Instrumento iuuabit idem audire ex Patriarcha Ioseph, qui ex illustrioribus typis fuit veri Saluatoris, cùm & ipse à Pharaone Saluator Ægypti fuerit appellatus. Is Gen. 37.
itaque describitur à patre missus in agrum ad fratres suos, vt dispiceret quomodo circa eos omnia gererentur: *inuenitque eum vir in agro errantem, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto dicentes, Eamus in Dothaim. Perrexitque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothaim.* Quæramus & nos, si placet, à nostro Saluatore ad eundem modum, quid venerit quæsiturus in terra nostra, cùm patria ipsi cælum esset. Respondebit vtique, vt Ioseph, *fratres meos quæro. Venit enim filius* Lucæ 19.
hominis quærere & saluum facere quod perierat. At illi deflexerant in Dothaim, hoc est, in vallem defectionis.
Homo etenim cùm in honore esset, non Psal. 48.
intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Agedum, inquit Filius Dei, ego quoque dabo me in vallem miseriarum & lacrymarum, & liberabo fratres meos.
Vtique *non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matth 9.
Porrò quid hoc sibi vult? Non venit vocare iustos? Quid ita? erántne aliqui iusti, quos relinquebat; aliqui peccatores, quos quærebat? Minimè verò: sed omnes misericordia Dei indigebant, quia omnes peccauerant: omnes filij iræ, omnes egebant Redem-

demptore. Sensus igitur verborum istorum est, Quantumuis aliqui iusti fuissent, qui numquam peccassent, ne quidem in Adamo; tamen relictis iustis, peccatores quærere voluissem, & homo pro eis fieri, mortemq; suscipere. Sicuti pastor bonus centũ ouium, si perdiderit vnam ex illis, nonaginta nouem relictis in deserto, vadit ad quærendam ouem centesimam. Qua parabola euidenter significauit Dominus se adeò bonum & misericordem, vt si non fuissent nisi centum homines, nempe nonaginta nouem iusti, & vnus iniustus; illos reliquisset, hunc verò factus homo in terris quæsiuisset. O pastorem bonum & benignum! ô cor dulcissimum erga peccatores! Ita videlicet *venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*. Sed hæc sufficiant è Scripturis sacris.

Luc. 15.

Iam quod attinet ad SS. Patres, & Scholasticos, tametsi non desint graues Auctores qui asserant, quamuis Adam non peccasset, nihilominùs Filium Dei humanam naturam assumpturum fuisse, non quidem vt Redemptorem, sed vt consummatorem ac glorificatorem; quoniam videlicet hoc ad vniuersi perfectionem & consummationem maximè pertinere, simulque ad humani generis dilectionem & exaltationem summopere conferre existimant: tamen vt Scripturæ loquuntur, quas modò citauimus, & communis Ecclesiæ sensus habet, fide certissima tenendum est, Christum Dominum actu non venisse potissimùm pro humanæ naturæ exaltatione, sed pro eiusdem curatione. Luculenter etiam id adstruens D. Augustinus, *Nulla*, inquit, *causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Magnus de cælo venit Medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus.* Rursus quoque: *Non eum de cælo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* Quid D. Chrysostomus? *Propterea carnem assumpsit nostram*, inquit, *propter benignitatem & clementiam solam, vt misereretur nostri. Non est enim alia quæpiam causa dispensationis, quàm hæc sola. Vidit quippe Deus humi iacere proiectos, pereuntes, mortisque tyrannidem patientes, & misertus est.* Mitto alios, causa breuitatis.

Vide D. Tho. 3. p. q. 1. ar. 3. & Suarez ibid. Caiet. &c. Alensem p. 3 q. 2.

Aug. in Ioan. & de Paschę mysterio c. 1. & 4. & Ser. 9. & 10. de Verbis Apostoli.

Chrys. Hom. 5. in Epist. ad Heb.

At quæret hîc fortasse quispiam, quid causæ sit cur permiserit Deus hominem labi, quem voluit erigere; & mori, quem ad vitam reuocare decreuerat? Respondet D. Augustinus in Enchiridio: *Deus cùm sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Et non multò pòst subiungit: *Melius enim iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* [Re]ctissimè dictum. Proinde si peccatum, quo nihil magis naturam inficit, nihilque deterius est, inter Angelos permisit: at exinde ansam captauit creandi genus humanum, vt coloniam ex eo cælestem institueret, & exulantium sedes repleret. Si non præpediuit etiam lapsum totius humanæ naturæ in Adamo, sed ex eo argumentum sumpsit incarnationis Iesu Christi, quod bonum est omnia bona excedens, miraculum omnibus miraculis excellentius, gratia quoque omnibus gratijs longè superior. Vnde exclamat Ecclesia Sanctorum: *O felix culpa, quæ tamen ac tantum meruit habere Redemptorem*; felix, inquam, culpa, non quâ peccantem Adamum, sed quâ diuinæ bonitatis magnitudi-

Cur Deus hominem permiserit labi in peccatũ.

Aug. in Enchir. c. 11. & 20.

nem,&, quæ inde consecuta est, nostram respicit redemptionem ac salutem.

Secunda ratio cur Deus homo, propter semetipsum, & maiorem Diuinitatis gloriam.

Porrò in hoc opere admirabili humanæ redemptionis cùm omnia magna sunt & stupenda, tum hoc in primis quòd nusquam magis omnium diuinarum perfectionũ eluceat gloria, nusquam tanta hominis dignitas cum summis vtilitatibus coniuncta. Itaque vt ordine ac via progrediamur, hæc secunda ratio statuatur, *Cur Deus homo*, nimirum propter semetipsum, & maiorem nominis sui gloriam, quam toti mundo congruentiùs patefacere non poterat, quàm si hac ratione diuinæ perfectiones nobis clarissimè innotescerent. Sicuti enim eo fine atque consilio conditus est orbis vniuersus, vt per hæc visibilia patescant inuisibilia Dei attributa, (*Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas*) ita multò maximè per hoc diuinissimum opus incarnationis, vt fusè demonstrat D. Ioannes Damascenus, alijque quos inferiùs adducimus. Idque frequenter Ecclesia in festis Domini Saluatoris innuere solet, dum ait: *Per incarnati Verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.* Idem affirmat Sapiens, qui dicit: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, hoc est, propter maiorem suæ diuinitatis gloriam. Atqui cùm in vniuersis eius operibus eluceant diuinæ perfectiones, maximè tamen id certissimò credendum est de hoc, vtpote nobilissimo omnium, opere incarnationis. Quemadmodum in horologio multæ rotæ continuò mouentur ponderibus excitatæ, atque in orbem conuersæ; at quamprimùm hora elapsa est, ingenti commotione facta, maximis fragoribus cuncta perstrepunt: ita in operibus Dei mirabilibus vsu venit. Nam cùm Angelos creauit, cælorumque molem erexit, omnipotentiæ rotam circumduxit: cùm hominem condidit, qualitates contrarias in corpore consocians, & extrema maximè inter se dissidentia, carnem nempe & spiritum inuicem coniungens, sapientiæ rotam commouit: cùm Luciferum de cælo detrusit, Adam de Paradiso, mundum diluuio absumpsit, Sodomam ac Gomorrham sulphure & igne combussit, aliaque huiusmodi diuinæ vindictæ exempla edidit, iustitiæ rotam agitauit: cùm cibum de cælo præstitit Israëlitis, eosque in deserto pauit, & è lapide aquas eduxit, prouidentiæ rotam impulit: cùm populo idola colenti pepercit, & Niniuitis pœnitentibus plenam dedit peccatorum veniam, misericordiæ rotam excitauit; atque ita in singulis Dei magnalibus singula Dei attributa enitebant. At *quando venit plenitudo temporis*, atque hora sonuit Dominicæ incarnationis; tum omnes diuinarum perfectionum rotæ in Dei horologio, clarissimo strepitu atque indicijs certissimis simul commotæ sunt, atque audiri cœperunt, charitas, iustitia, bonitas, misericordia, liberalitas, sapientia, potentia, ceteraque diuinitatis attributa.

Rom. 1. Damasc. l. 3. de Fide c. 1. &c. Ecclef. in Missa. Prou. 16. Galat. 4.

Opus creationis longè inferius dignitate.

Sed ais, Nónne sufficere debuisset homini quòd per opera condita, hoc est, per mirabile huius mundi opificium Deum cognoscere, cognitumque diligere, & dilectum imitari vtcumque poterat? sic enim clarissimi quidam Philosophi ad aliquam Dei cognitionem perducti sunt. Respondetur,

detur, hoc Philoſophis vtcumque licuiſſe, qui acri ingenio & ſumma doctrina prædìti, ex diuinis operibus Deum aliquo modo cognoſcere potuerunt: ſed quid rudibus & ſimplicibus facies (quorum maxima turba eſt) qui hoc modo philoſophari neſciunt? Carnalis enim homo & carnalibus rebus aſſuetus, nihil niſi corporeum vel cognoſcere, vel diligere nouerat: adeò vt non defuerint multi, qui nihil niſi quod oculis cerni poteſt, eſſe crederent: in qua hæreſi Sadducæi fuiſſe memorantur, qui nec ſpiritus nec Angelos eſſe putabant. Iam verò ex creaturarum cognitione, Creatoris potentiam, ſapientiam & maieſtatem vtcumque agnoſcere licet: at prouidentiam, benignitatem, miſericordiam, iuſtitiam, charitatem, multi quidem Philoſophi per iſta ipſa opera aſſequi non potuerunt: quarum tamen rerum cognitio ad ſalutem noſtram multò magis neceſſaria erat. Ex ea enim & Dei amor, & timor, & ſpes in Deum, & religio, hoc eſt, diuini Numinis cultus & veneratio, ceteræque virtutes oriuntur. At incarnati Verbi myſterium, velut lucerna quædam diuini pectoris fuit, quæ latentes in eo virtutes ſeu perfectiones Dei apertè monſtrauit. Quas quidem nunc animus eſt pro virili recenſere, atque ante oculos collocare.

Tertia ratio, Vt oſtenderet infinitam erga nos charitatem.

Porrò inter alias prima meritò conſtituatur infinita illa charitas, quam erga genus humanum in hoc opere manifeſtam ac teſtatam eſſe voluit. Prima enim verè ac præcipua illa fuit, ex ſententia D. Dionyſij, & clariſſimè D. Auguſtini: qui in libris de Trinitate, ad quæſtionem *Cur Deus homo*, reſpondet, *congruum fuiſſe ſummæ eius dignitati: quia hoc opus erat maximi amoris expreſſiuum.* Et alibi hæc eius verba ſunt: *Quæ maior cauſa aduentus Domini, niſi vt oſtenderet dilectionem ſuam in nobis; vt ſi amare pigeat, redamare non pigeat?* Quin & ipſamet Veritas hoc opus eximiæ dilectioni attribuit, dicens: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*, &c. Apoſtolus item eius: *Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto.* Ecce nimiam charitatem in hoc opere humanæ redemptionis. Oſtenderat quidem Deus in creatione hominis ac totius mundi magnificam potentiam, ſapientiam, bonitatem, aliaque ſuæ diuinitatis idiomata: verùm in reparatione hominis, diuitias inueſtigabiles gloriæ ſuæ quaſi effudit, & inæſtimabile pondus charitatis ſuæ ſupra omnem ſenſum & intellectum hominibus declarauit.

Dionyſ. l. de Diuinis nominib. c. 4. Aug. l. 13. de Trin. c. 10. Lib. de Catechiz. rud. bus c. 4. Ioan. 3. Epheſ. 2.

Effectus præcipuus charitatis eſt vnio.

Quid ita? in quo cernitur potiſſimùm vis charitatis? In hoc, vt opinor, præcipua vis eſt amoris, vt vnum faciat præſtanti quodam modo, reſque inter ſe diuerſas vniat: vnde & glutinum animorum fortiſſimum dicitur. Quod cùm ita ſit, præ omnibus diuinis perfectionibus voluit præcipuè Deus innoteſcere nobis hunc effectum charitatis in myſterio incarnationis. Quomodo enim perfectiùs ſe coniungere atque intimè vnire cum homine potuiſſet, quàm per myſterium incarnationis, aſſumendo naturam humanam ſub eadem hypoſtaſi, vt fieret caro de carne noſtra, & os de oſſibus noſtris? Ecquod maius amoris indicium, ecquod maius vinculum, quàm amantem cum amato vnum ita fieri velle, vt ab eo numquam diuella-

Apologus, seu parabola. uellatur? Hanc rem exempli fictione significare volentes Poëtæ, duos olim extitisse viros amicissimos fabulantur, qui cùm sese mira charitate complecterentur, ea re ita delectatus Vulcanus, optionem dedit vt peterent à se quod vellent, nullam passuros repulsam. Cui eorum alterum ad hunc modum respondisse ferunt: Heus Vulcane, qui inter deos faber ferrarius habetis, si eo nos cupis beneficio afficere, quo neque vllum à te nobis præstari maius, neque expeti à viris amicissimis præstantius potest, fac vt qui duo sumus, in vnum corpus & animam transeamus. Si igitur hoc exemplo veræ dilectionis vim atque naturam cognoscimus, vbi magis elucebit Dei erga nos dilectio, quàm in hoc mysterio, quo Deus inter homines homo factus vnum cum illis fieri voluit? *Quanta vnio in incarnatione, nẽpe hypostatica.* Tanta certè hîc vnio est, & tam arcta coniunctio, vt maior dici aut cogitari non possit. Magna est animorum cum Spiritu sancto per gratiam: magna fidelium inter se, vt virtute eiusdem Spiritus vnum constituant corpus Christi mysticum quod est Ecclesia: magna est quoque, adeoque maior eorumdem cum Christo Domino per sacram Corporis ipsius perceptionem in venerabili Eucharistia, de qua dicit Apostolus: 1.Cor.10 *Vnus panis, vnum corpus multi sumus; omnes, qui de vno pane participamus.* ista coniunctio non modò spiritualis, sed & corporea est, per veram & realem Corporis pretiosissimi in corpore nostro susceptionem, vt efficaciter explicant D. Hilarius & Cyrillus. Hilarius lib. 8. de Trinit. Cyrill. lib. 11. in Ioã. c. 26 Adhuc maxima omnium apparet Sãctorum vnio in cælis per visionem ac fruitionem beatificam, qua diuinitatem quasi induunt; sicuti ferrum ignitum fit ignis. At longè longéque maxima est, & omnem superat comparationem, vnio hypostatica duarum naturarum in vna persona Filij Dei per incarnationem Verbi. Numquam talis audita vel cogitata est: siquidem in aliis omnibus manent naturæ personæque diuersæ. D. Athanasius & Augustinus hac delectantur similitudine: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus.* Athanas. in Symb. sed adhuc magna est discrepantia: quo- August. epist. 57. niam caro & anima partes sunt quæ se inuicem perficiant, & consociatæ atque copulatæ vnum suppositum constituant; at Deus & homo perfectissimæ sunt naturæ duæ in Christo, qui vnus habet quidquid ad diuinitatem spectat, & quidquid ad humanitatem. Prætereà faciè per mortem dissoluitur vnio animæ & corporis: sed vnio hypostatica numquã, ne per mortem quidem. *Quod enim Deus assumpsit, numquam dimisit,* *Axioma Theologicum.* neque corpus in sepulchro, neque animam post mortem ad inferos descendentem. vereque dici potuit, Deus sepultus est, Deus ad inferos iuit, Deus surrexit à mortuis. O mirabilem vnionem! ô dilectionem eximiam, & inusitatam, ac prorsus singularem!

O Christiani, sedulò vobiscum expendite, quid à vobis requirat Deus vester, qui tanta vos dilectione præuenit. Ecquid illud est? D. Au- August. in Ench. cap. 26. gustinum, obsecro, audiamus, in hoc argumento perquàm disertum, vt patuit suprà: *Vt familiarius,* inquit, *ab homine diligeretur Deus, in similitudinem hominis apparuit.* Quid verò illud Apostoli, quanti ponderis, quantæque efficaciæ ducẽdum est? *Huius rei gratia,* inquit, *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt* Ephes. 3. *possi-*

Charitas ista vincit omnē scītiam, & admirationē.

Iob. 36.

possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientia charitatem Christi. Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram, inquit Propheta Iob: aptissimè sanè proposito nostro. in omnibus verè magnus & vincens omnem scientiam, sed præcipuè in dilectione. Quis enim comprehendat quomodo pro vili creatura, & sibi inimica, quam etiam potuisset verbulo redimere, Deus immensus, Deus æternus, Deus infinitæ maiestatis dignatus sit ad ima descendere, pauper & inops in stabulo inter animalia nasci, in patibulo crucis inter sceleratos mori, ne deliciis paradisi homo, quem creauerat, priuaretur? hæc enim Deo prorsus indigna videntur, sed tantò maiora fuerunt charitatis argumenta. Vnde ait diuus Hilarius: *Hæc siquis indigna Deo recolet, tantò se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quantò minùs ista conuenerint illius maiestati.* Quis hîc fide prędítus & cor habens non dicat cum Propheta: *Consideraui opera tua, & expaui: in medio duorum animalium notum facies.* Vtique Domine Iesu, plantasti vineam veluti Noë, & bibisti ex ea, & inebriatus vino charitatis tuæ, & nudatus es in cruce, quasi non intelligeres quid tuam maiestatem deceret. O vinum fortissimum! ô splendidissimum charitatis triumphum! Ecce Deus captiuus ducitur amore superatus, inuincibilis vincitur, altissimus deiicitur, omnipotens ligatur & panniculis inuoluitur, Iudex omnium condemnatur, vita occiditur. O mirabilem victoriam! Meritò in summam admirationem & amorem Dei rapiuntur Sancti, cùm hoc diuinæ pietatis opus contemplantur: quorum non paucos legimus in stuporem & ecstasin excitatos, atq; eleuatos spiritu (dum hæc attentiùs cogitant) etiam vsum sensuum frequenter perdidisse. An non D. Chrysostomus huiusmodi mentis ecstasin se pati confitetur, dum quodam loco vehementiùs admiratur quod Apostolus ait: nempe supernas illas virtutes (etiam quæ Deo in altissimo dignitatis loco positæ assistunt) *in ministerium* mitti *propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Vbi verò ipsum vnicum Dei Filium, paternæ gloriæ splendorem, salutis quoque nostræ ministrum, & humanæ naturæ, non Angelicæ consortem factum esse considerat, se mentis excessum pati affirmat: hoc est, tanta admiratione & stupore affici, vt mens & cogitatio, & affectus omnis in ipso deficeret. Atque hæc eius verba sunt, inter cetera: *Reuera magnum & admirabile, & stupore plenum est, carnem nostram sursùm sedere, & adorari ab Angelis, & ab Archangelis, & Cherubinis, & Seraphinis. Hoc ergo sæpiùs in mente versans, excessum patior, & magna de genere humano imaginor: magna quippe video.* Hæc ille.

Hilarius lib. 2. de Trinit.

Habac. 3

Ecstasis charitatis.

Chrysost. Hebr. c. 1

Accedit ex opposito quarta ratio, vt summam perfectionem ac rigorem iustitiæ diuinæ ostenderet, quæ adæquatam satisfactionem & infinitā exigebat ab homine, qui in Deum infinitum peccauerat: neq; alius eam præstare poterat, nisi Deus. Dicam clariùs. Postulabat ordo & proportio iustitiæ perfectæ, vt & Deus esset qui satisfaceret pro peccatis, & simul homo: neque poterat aliter ex condigno fieri solutio debiti quod contraxerat homo, nisi ab eo qui simul esset Deus & homo. Ratio est ista, quia cùm culpa admissa esset infinita;

Quarta ratio, Vt iustitia diuina ex condigno & adæquatè satisfaceret.

ta; propter infinitatem eius in quem commissa erat, infinita quoque indigebat satisfactione. Infinita autem satisfactio inueniri non potest, nisi in eo cuius meritum est infinitum: atqui hoc in puro homine non reperitur, vti neq; in Angelo, vel alia creatura: ergo necessariò Deus factus est homo, Christus Iesus, qui pro homine patiens, propter infinitatem personæ, haberet meritum infinitum, & satisfactionem infiniti valoris. Vnde ait Apostolus: *Exauditus est pro sua reuerentia.* Patet necessaria consecutione, non ab alio quàm à Deo, salua iustitia, potuisse satisfactionem pro homine præstari. Rursus verò sicuti purus homo aut creatura quæuis satisfacere non poterat: ita nec Deus purus propriè sumptus, vt erat ante incarnationem. Nam vt talis non potuisset pati, vt meritum infinitum colligeret. Igitur necesse erat vt Deus homo fieret, essetque vnus qui & Deus & homo fieret.

Hebr. 5.

Obiectio. Siquis autem hoc loco petat, an non potuisset Deus redimere genus humanum, & à peccatis liberare, assumendo naturam aliam quàm humanam; an non sic ex æquo etiam institiæ satisfecisset; Respondetur, id rigidissimæ huic iustitiæ consentaneum non fuisse: cuius ordo & decorum requirebat, vt homo qui offenderat, de suo satisfactionem offerret. Clarissimè id docet D. Ambrosius his verbis: *Quæ erat causa incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat per se redimeretur? Interitum enim hominum dolens diuina censura, non per seruum vatem, nec per inuisibilem Angelum, sed ad hoc per substantiam humanæ carnis in homine Deus veniens habitauit.* Hominis itaque partes fuerunt *delere quod aduersus nos erat chirographum*; debito nempe ex perfecta iustitia ab eo persoluto qui contraxerat.

Ambros. de Dominica incarnat. cap. 6.

Coloss. 1.

Eapropter diuus Paulus non sine graui causa hoc opus incarnationis per excellentiam opus diuinæ iustitiæ nuncupauit. *Quem*, inquit, *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ.* Et inferius: *Sicut per vnius delictum omnes mortui sumus, ita & per vnius iustitiam omnes viuemus.* Atqui per peccatum Adæ ex toto rigore iustitiæ posteri eius damnantur: ergo multò magis per Christum ex perfecta iustitia salutem consequentur: namque potentior est Christus ad viuificandum, quàm Adam ad interficiẽdum.

Ex sacra Scriptura & SS. Patribus. Rom. 3. & 5.

Ita etiam iustitiam hanc de condigno exponunt Doctores cum D. Thoma, & Patribus, estque doctrina communis. de qua etiam verba Procli audiamus, Auctoris antiquissimi, vt referuntur in Concilio Ephesino. *Erat*, inquit, *alterutrum duorum necessarium, aut vt homines præcipites abirent in mortem, aut certè vt huiusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad iustitiæ amussim exæquaret.* Addamus & D. Leonem Papam, qui ait: *Magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate.* Ita D. Leo.

Doctores in 3. d. 20. D. Tho. 3. p. q. 1. ar. 2. & Concil. Ephes. cap. 7.

D. Leo Ser. 1. de Natiuit.

Sed ais adhuc, Cur non homo purus potuit pro peccato suo satisfacere? nónne æquum videri debet, vt sicuti actus peccati imputatur ei ad pœnam, ita & actus contrarius pœnitentiæ imputetur ei ad meritum? non enim Deus ab homine plus requirere debet, quàm possit: imò pronior est ad miserendum quàm ad puniendum. Respondet D. Thomas, satisfactionem aliquam dici posse sufficiencia-

Quæstio. Cur purus homo non potuerit satisfacere.

D.Tho. 3.p.q.1. a.1.ad 2. sufficiẽtem dupliciter. *Vno modo perfectè*, inquit, *quia est condigna per adæquationem culpæ commissæ: & sic hominis puri satisfactio non poterat esse sufficiens pro peccato. Nam cùm tantò grauior sit offensa, quantò maior est ille in quem delinquitur, necessaria erat efficacia satisfacientis infinita, vtpote Dei & hominis. Altero modo imperfectè sufficiens dici potest, scilicet secundùm acceptationem eius qui est ea contentus, quamuis non sit condigna: qualis esse poterat satisfactio puri hominis.* Huc pertinet definitio Concilij Tridentini, vbi dicit *necessariò credendum, neque remitti, neque remissa vmquam fuisse peccata, nisi gratis diuinâ misericordiâ propter Christum.* Et colligitur etiam ex omnibus Scripturæ locis, in quibus dicimur gratis iustificari. *Iustificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius.*

Concil. Trident. sess. 6. c.7. & 9.

Rom.3.

Morale monitũ. Quæ cùm ita se habeant, satis, opinor, hinc intelligimus, vtrùm non par sit horrere diuinam iustitiam, si in peccato persistamus. Nam si vnigenito suo Deus non pepercit, qui tamen ex pura charitate aliena in se peccata susceperat; quantò minùs parcet seruis, qui innumeris quotidie sceleribus thesaurizant sibi iram in die iræ, nisi tempestiuè resipiscentes, meritorum Christi infinitorum participes fiant? Si iustus & innocens pro alienis morte turpissima condemnatur, iniusti, impij, ingrati, propriis cooperti flagitiis, quas pœnas luent? *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* O præuaricatores, redite ad cor, & considerate attentiùs *quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis: qui non respicit personas hominum, nec veretur magnitudinem cuiusquam, sed potentes potenter tormenta patientur.* Accurrite igitur quàm citissimè ad medicum animarum vestrarum, & remedia meritorum eius exposcite, dum tempus est: alioqui si extra statum gratiæ in eius manus incideritis, in æternum peribitis, *& qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum*, supplicio videlicet intolerabili atque infinito.

Luc.23.

Hebr.10.
Matt.22.

Sap.6.

Matt.21.

Quintò voluit etiam Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis expandere *viscera misericordiæ suæ, in quibus visitaret nos Oriens ex alto*, vt cecinit Propheta Zacharias in natiuitate Præcursoris. Nam quid maius aut excelsius illa misericordia, qua iacentibus inimicis & extremè laborantibus tantum contulit beneficium, vt eosdem visitaret infirmos, redimeret captiuos, suscitaret mortuos? Primò siquidem homo lapsus in peccatum summam contraxerat ægritudinem animi & corporis. vnde cùm in infimis iacens, sanitatis causâ venire per se ad Deum non posset, necesse omnino fuit, vt misericors ad illum Deus veniret: hoc est, quia decumbens æger ad medicum pergere non valebat, pius ad illum veniret medicus. Hoc porrò quantæ dignationis quantæque misericordiæ fuerit, exponit pluribus D. Fulgentius quodam loco, cuius hæc est sententia: Non erat cur Dominus maiestatis ad hominem veniret, qui nec bonorum eius indigebat, & ab eo grauiter offensus fuerat: erat autem cur homo ad Deum iret, quia & illius leges violauerat, & sine illius ope viuere nullo modo poterat. Et tamen miser hic diuinæ opis indigus à Deo recessit: Deus autem qui nullius egebat, hominemque meritissimo iure deserere poterat, ad eum misericorditer venit. Sed in qua forma venit? in

Quinta ratio. Propter abyssum diuinæ misericordiæ erga miseros.

Luc.1.

1.

Fulgent. de Nat. Domini.

in ea nimirum, in qua ęger medicum posset attingere: hoc est, in qua homo carnalis iam factus, Deum posset cognoscere, diligere & imitari: vt hoc modo visibiliter Deum cognoscens, in inuisibilium amorem rapetetur.

2. Deinde captiuum, vt dixi, cùm omne genus hominum teneretur, diræque seruituti mancipatum; redemptionis nulla spes affulgebat, nisi vnicus Dei Filius de solio Regali in carcerem nostrum veniret, & misericordia motus pro seruulis suis serui formam accipiens, damnationis sententiam, quam illi commeriti erant, in se, mutato habitu, susciperet. Quod post D. Augustinum ita demiratur Anselmus: *Quid misericordiæ intelligi valet, quàm quòd peccatori æternis tormentis deputato, & vnde se redimeret non habenti, Deus Pater dixit: Accipe vnigenitum meum, & da pro te. & Filius dixit: Accipe me, & redime te?* Pius quoque Bernardus his verbis: *Tu foris ludebas in platea, & in secreto Regalis cubiculi super te ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus Dei Filius: exiit posito diademate sacco vestitus, spinis caput redimitus, nudus pedes, sanguine madens, flens & eiulans quòd morte damnatus esset seruulus eius. Intueris illum procedentem, causam quæris & audis. Quid facturus es? adhuc ludes & deludes lacrymas eius? & non potiùs sequeris cum lugente lugens, & ex consideratione remedij, periculi tui æstimans quantitatem?* Ita Bernardus.

Anselm lib. 2. Cur Deus homo.

Bernard. Serm. 3. de Nat. Domini.

3. Quin etiam cùm esset genus humanum à morte vindicandum, quomodo id fieri quàm conuenientissimè debuit? Audite quid Elias, quid Eliseus, quid Paulus præstiterint, vt mortuum quilibet suscitaret. Super mortuum se posuerũt, vt frons fronti, oculi oculis, manus manibus, & pedibus pedes coniungerentur. Sed quid hac corporis dispositione designarunt? Certè dum arctissimè defunctis ita commensurantur, summam exhibent erga eos misericordiam, qua Deum exorant, & miraculum impetrant. Deinde hoc veluti typo diuinam in opere incarnationis misericordiam adumbrarunt. Ita enim Verbum carni vnitum fuit per incarnationem, vt vnum fierent Deus & homo: & quod homo propter se non merebatur, propter Verbum reciperet. *Videte*, inquit D. Augustinus, *quantum se vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo, & iacenti congrueret. Et nos quia paruuli eramus, paruulum se fecit Christus: & quia mortui iacebamus prius se medicus inclinauit; quia nemo potest iacentem erigere, qui se noluerit inclinare. Humiliauit se Elisæus vt puerum resuscitaret: & inclinauit se Christus humiliando, vt hominem in peccatis iacentem erigeret.* Deniq; D. Ioannes Damascenus hanc misericordiã pelagus quoddam appellat, dicens: *Magnum patefecit Deus clementiæ suæ pelagus.*

3. Reg 17. 4. Reg. 4. Act. 20.

August. Ser. 206. de Tẽp.

Damasc. lib. 3. de Fid. c. 1.

Vbi autem maior quoque eluxit Dei bonitas, quàm in opere incarnationis? Bonitas, inquam, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem. Bonitas, quæ ex tanto malo culpæ tanti boni sumeret occasionem, vt in perpetuum Ecclesia vniuersalis exinde triumphans decantaret: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Bonitas, quæ tantoperè se creaturis indignissimis communicaret. Namque tripliciter se illis Dei bonitas communicauit, quoniam ei proprium est alijs se communicare. Primò, cùm eis dedit esse

Sexta ratio, Vt etiam bonitas Dei inexhausta magis elucesceret.

Omne bonum communicatiuum est sui.

1.

esse naturæ, in quo cum Deo proportione analogiæ maximè conueniunt, homines præsertim ad imaginem Dei
2. facti. Deinde cùm eisdem impertitus est esse gratiæ & gloriæ, quò nimirum possint via amoris ac visionis Deo
3. suo frui. Nondum tamen hisce modis se perfectè communicarat, donec eamdem homini hypostasim daret, vt iam non solùm dici posset, Homo Deo similis est, Homo Deo fruitur per gratiam & gloriam: sed etiam, Homo est Deus, &, Deus est homo.

D. Tho. Opusc. 60.

Hæc est doctrina D. Thomæ in Opusculis. Etenim cùm ad rationem boni pertineat, vt se alijs communicet; & ad rationem summi boni, vt summè se communicet: Deus summè bonus summè se communicauit, quando naturam nostram sic sibi vniuit, vt non posset magis, in vnam personam, teste D. Augustino.

Aug. l. 13. de Trin. c. 7.

Bonum sui diffusiuum. Dionys. lib. de Diuin. nominib.

Quin etiam cùm bonum quoque, instar olei, sit naturâ suâ diffusiuum sui, teste D. Dionysio; quando diuina bonitas diffusa est vsque ad hominem, per incarnationem, etiam pertigit ad omnes creaturas quas in homine supra modum nobilitauit, vt explicat loco citato D. Thomas his verbis: *Communicauit se Christo homini, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ.* Cuius quidem veritatis fundamentum est, quòd homo sit omnium creaturarum compendium, commune habens esse cum lapidibus, viuere cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis. Quæ est communis Doctorum cõtemplatio, nominatim D. Basilij, Isidori, Mercurij Trismegisti, dum hominem vocant microcosmum, quoniam singularis quidam concentus ac similitudo in hominis atque mundi comparatione reperiatur.

D. Tho. suprà.

Basil. Hom. 11. sup. Hexaëm. Isid. l. de Differēt. n 13. & 14. Trismegist. in Asclepio.

Proptereà etiam Deus hominem vltimum post omnium rerum creationem condidit; imitatus quodammodò calculatores, qui in calce paginæ summam omnium numerorum conficiunt, quæ reliquis paginæ numeris æquipollet. Animus quippe hominis, quia substantia spiritalis est, & immortalis, & trinitate facultatum præditus, Deum multiplici similitudine refert & Angelos; corpus verò cetera creata: capite cælum, oculis duo luminaria magna cum reliquis in cælo; quatuor corporeis qualitatibus, elementa, seu quatuor rerum aliarum principia, in quibus & concors discordia, & varia dissolutio, & multiplex immutatio status. Quare si singulis rerum generibus conditis atque examinatis, omnia Deus approbauit, & *vidit quòd essent valdè bona*; multò magis id in hominem conuenit, cui insuper & vitam inspirauit, & gratiæ suæ dona largitus est, & iustitiam originalem, & spiritum suum bonum; quia ab initio, vt ait Ecclesiastes, *fecit Deus hominem rectum.* Vsque adeò Dei bonitas, quando ad hominem se diffudit, vsquequaque se diffudit. Neque ad extremum alienum ab ea reputauit Deus, vt qui maximus erat, & infinitæ magnitudinis, amore nostri se minimum faceret. *Nam quantò se minorem fecit in humanitate*, inquit D. Bernardus, *tantò se maiorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior.* Denique his omnibus modis ita bonus fuit Deus noster, vt dici mereatur *solus bonus.*

Gen. 1.

Ecclef. 7.

Bernard. Ser. 1. de Epipha. Matt. 19. Marc. 10. &c.

Non minorem prætereà Deus in hoc opere liberalitatem ac beneficentiam ostendit, tantum homini bonum, tantumque munus conferendo, vt maius neque Deus dare, neque homo

Septima ratio. Vt immensa Dei liberalitas cunctis innotesceret.

homo accipere potuisset. Vnde asserit D. Augustinus, incarnationem esse *summum exemplum gratiæ, nec potuisse gratiam Dei gratiùs commendari, quàm vt ipse Dei Filius hominem indueret.* Et alibi: *Si humanus dicitur qui in domo sua suscepit hominem, quàm humanus est qui in seipso hominem suscepit? Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*, sed maximè in hoc opere, quo seipsum nobis dedit, tantamque exercuit liberalitatem, quantam poterat, hoc est, prorsus inexhaustam & infinitam.

Aug. l. 10. de Ciuit. c. 29. & Ser. 8. de Verbis Apostoli.

1. Quando cælum creauit & terram, & omnia quæ in ijs continentur propter hominem, munifica certè manu ei dona largitus est, sed non pro sua opulentia, vel dignitate. Quid est enim orbis terrarum in conspectu eius, nisi *gutta roris antelucani? Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*, vt loquitur Isaias. Itaque nihil hactenus dederat homini condignum Deo: quantumuis *gloria & honore coronauerat eum, & subiecerat omnia sub pedibus eius*: donec Filium suum vnigenitum dando nihil sibi reliquum fecit quo donum hoc superaret; siquidem ipsemet Deus erat qui dabatur. Vnde canit Vates: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius*, &c. Quemadmodum solēt homines pro suo statu munera dare, diuites magna, tenuiores parua, Reges magnifica, rara, Regalia: ita Deus pro sua magnificentia & opibus donum nobis misit, cùm Filium sibi æqualem donauit. O donum omnium donorum diuinissimum!

Sap. 11. Isaiæ 40. Psal. 8. Isaiæ 9.

2. *Christus ipsemet donans & donum.*

Quòd si magnus aliquis Princeps in captiuorum suorum redemptionem non modò bona sua vniuersa, sed & semetipsum offerret, ad carcerem adeoque mortem pro ipsis oppetendam paratissimus; quantum hoc beneficium censeretur? quantas illi tam munifico largitori gratias rependerent? Atqui talis multoque maior *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus*: quia tali indigebant Redemptore. Indigebant, vt obiter colligamus, patre, matre, Rege, fratre, Sacerdote, redemptore, sacrificio, pastore, medico, aduocato, præceptore, iudice clementiore, & vno verbo, Saluatore. Ideò Christus Dominus *omnia in omnibus factus dicitur, vt omnia adimpleret.* Nam qui illum *pro nobis omnibus tradidit, quomodo non cum illo omnia nobis donauit?*

Tit. 2. 3. Ephes. 1. Rom 8.

4. *Christus egenus factus, vt nos ditaret.*

Porrò hoc etiam atque etiam perpendendum, & gratis animis agnoscēdum est, quod alibi ait Apostolus: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm diues esset, vt illius inopiâ vos diuites essetis.* Hæc videlicet eximia virtus est liberalitatis, quæ proprijs sumptibus, vt dici solet, & incommodis plurimis aliorum commodis studet; paupertatis verò atque angustiarum tolerantia diuitias aliorum ac felicitatem auget. Estque hæc virtus maximè propria eius qui bonus est, & quodammodò soli Deo conuenit per excellentiam, cùm sit bonorum omnium fons, nulla inde expectata commoditate, vt docet D. Thomas. Perspicuum id fit in primis in historia Saluatoris natalitia, in stabulo, in præsepi, inter bestias: quia Regi gloriæ locus non erat in diuersorio. Ibi nascens cœpit se dare nobis socium, se moriens dedit in pretium, se vescens in edulium. De quo ita D. Leo: *Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Magnum est, dile-*

2. Cor. 8. D. Tho. l. 1. Contra gent. c. 93. Leo Ser. 6. de Natiuit.

dilectissimi, huius muneris sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum: vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem. Sic Leo Papa.

Octaua ratio. Incarnatio fuit opus infinitæ sapientiæ. Iam inter alia diuinitatis insignia & excellentias non minùs quoq; deprædicanda est suprema illa sapientia, quæ in hoc opere proditur multiplici argumento, teste Apostolo, vbi ait: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat Principibus & Potestatibus, in cælestibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Ephes. 3.

1. Primò itaque sapientiæ fuit, *inuenire difficillimi pretij decentissimam solutionem*, vt explicat D. Thomas. D.Tho. 3.p. q.1. art.1. Nam cùm homo deberet, sed non posset soluere, Deus autem haberet vnde solueret, sed non deberet; quid sapientiùs fieri potuit, quàm vt modus excogitaretur, quo homo ipse haberet vnde solueret? Iustitia quoque diuina cùm debitum posceret infinitum, quod ęgrè poterat vspiam reperiri, vt demonstrat pluribus diuus Bernardus; ecce *misericordia* in Verbi incarnatione illud inuenit atque obtulit. Bernard. Ser. 1. de Annunt. Tunc *misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Psal. 84. Sed hac de re suprà egimus amplissimè.

2. Deinde, cùm Lucifer ex humani generis inuidia Adamum, atque in eo omnem posteritatem, ad peccati lapsum per mulierem pertraxisset, voluit æterna Dei Sapientia, siue Verbum, per incarnationem ex femina illum profligare, & humilitatis armis illata per diaboli fraudem hominibus detrimenta sapientissimè restaurare:

Ars vt artem falleret, Ecclef in Hymn.
Et medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat.

Ita vicit ars diuinæ Sapientiæ satanicam astutiam, atque ex ipso dæmonis veneno salutiferum mundo antidotum composuit.

3. Eòdem pertinet illa Dei prouidentia, *quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sap. 8. Fortiter nimirum duo extrema seu duos fines inter se iungens, simulque suauiter, per dulcissimum hoc mysterium incarnationis. Quid ita? Duo fines sunt, Deus & homo. Deus, inquam, ipsius hominis & rerum omnium finis atq; principium: homo verò finis omnium aliarum creaturarum; quam ob causam etiam conditus fuit post res omnes alias, quæ destinatæ ac paratæ iam erant ad eius obsequium. Hos igitur fines diuina Sapientia arctissimè coniunxit in vnam personam, quæ Deus & homo fuit. Hinc ait D. Leo: *Tanto fœdere vtramque naturam copulauit, vt nec superiorem minuerit assumptio, nec inferiorem consumpserit glorificatio.* D. Leo Ser. 1. de Natiuit. Et D. Augustinus: *Ita magnus in forma Dei, ita breuis in forma serui; vt nec ista breuitate magnitudo illa minueretur, nec ista magnitudine breuitas illa perimeretur.* August. Serm. 17. de Tēp.

4. Adhæc vt verba D. Gregorij vsurpemus: *Sicut arte medicina calida frigidis, frigida calidis curantur: ita quando Dominus ac Redemptor noster nouus homo venit in hunc mundum, contraria opposuit medicamenta peccatis.* Gregor. Hom. 32. Quia namque parens noster protoplastus similitudinem diuinitatis concupiscens, per superbiam, & inobedientiam de fructu arboris vetitæ gustare ausus est; idcircò secundus Adam è contrario per humilitatem *exinaniuit*

 semetip-

Philip. 2. *semetipsum, serui formam accipiens: & humiliauit se factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis:* & contra arborem vetitam erexit in medio paradisi, hoc est Ecclesiæ, aliam arborem, *decoram & fulgidam, ornatam Regis purpura, electam digno stipite tam sancta membra tangere. Arborem ô beatam, cuius brachiis sæcli pependit pretium, verè fructus vitæ æternæ, Christus Iesus: vt qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur.* Denique sapientissimo sanè consilio, & praxi amatoria Deus, vt ab hominibus diligeretur, *in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus vt homo,* vt Apostolus loquitur loco iam dicto. Nam cùm similitudo prouocet ad amorem, Deus hominibus tantopere assimilatus, factus est iis perquàm amabilis, totusque desiderabilis. Refert Plutarchus, Magnum illum Alexandrum, vbi victo Dario, amplissimo Persarum regno potitus esset, vt subactos bello Persas sibi Macedonibusq; suis cōciliaret (quò paribus animis ac studiis in victoris fide permanerēt) *miscellaneum quoddam gestamen, ex Persico Macedonicoque habitu, instituisse, atque omnium in se amorem hac similitudine conciliasse. Belluas quoque capturi venatores,* inquit, *ceruorum sibi tergora obuoluunt: plumatisque tuniculis amiciuntur qui ad aucupia exeunt. Ita Rex indomitas gentes ferarum in morem mãsuefaciens, vernaculis eas vestibus demulsit, placidioresq; reddidit.* Hoc igitur exemplo diuinæ sapientiæ cōsilium intelligere licebit, quę dum humanam naturam sibi desponsauit, nos omnes in illa sibi copulauit, & similitudine habitus prouocauit ad amorem: vt si altissimum Deum tamquam à natura nostra alienum amare pigebat, modò iam similem nobis factum, & nostra carne indutam redamare non pigeat. Sed quis modus redamandi? Sicut ille arctissimè se nobis coniunxit in humanitate, quam numquam dimisit neque dimittet; ita conemur nos intimè cum eo coniungere per charitatem, vt nihil sit quod nos possit separare, non mundus iste amabilis, non liberi, non voluptas, non honor, sed nec tribulatio, nec angustiæ, nec gladius, nec mors. Nulla res tam sit chara vel pretiosa, nulla res tam dura vel tam acerba, quæ nos possit diuellere. Atqui non diuellimur nisi per peccatum mortale, quod diuidit inter nos & Deum. horreamus igitur illud, & tamquam à facie colubri fugiamus. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his superamus propter eum qui dilexit nos.* Rom. 8.

Marginal notes (left column): Eccles. Offic. — 5. — Philip. 2. — Plutarc. in Alex. Vita. — *Similitudo prouocat amorem.*

Obiectio. Sed ais, Quæ est hæc sapientia, Regem gloriæ serui formam accipere, & serui instar in cruce mori? Respondeat diuus Gregorius Magnus: *Stultum hominibus visum est, vt pro hominibus auctor vitæ moreretur; & inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde ei ampliùs debitor fieri debuit. Nam tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit.* Similiter & respondeat D. Hieronymus. *Ingerantur,* inquit, *dura præsepia, vagitus paruuli, & crux ipsa, quæ nil contumeliosius. Non erubescimus, non silemus. Quantò sunt humiliora quæ pro me passus est, tantò plus ei debeo.* Sic illi. Sed sint ista satis de diuina sapientia.

Gregor. Hom. 6. in Euãg. — Hieron. contra Heluid.

Nona ratio. Opus incarnationis fuit etiam infinita potentia. Num prætermittenda est Dei potentia, & virtus infinita, quæ in hoc pietatis sacramento pariter enituit? *Sapientia namque Dei* (de qua egimus) Sap. 7.

mus) *vna cùm sit, omnia potest*, vt S. Scriptura ponderat: cumque possit omnia, eminentissima tamen ratione
Luc. 1. Deus *fecit potentiam in brachio suo*, dum hoc opus incarnationis difficillimum perfecit. Idque explicat diuus Thomas, qui in hunc modum philosophatur: *Magna quidem Dei potentia in coniunctione disparium cernitur elementorum, & ita placida vnione, vt numquam se mutuò destruant: multò maior tamen in anima, quæ tota spiritus est, coniunctione cum corpore: at in vnione humanæ naturæ cum increato spiritu, quod est Verbum æternum, infinitè distans, longè mirabiliùs atque excellentiùs effulget.* (D. Tho. Opusc. 60. 1.) Ita Doctor Angelicus disserit Angelicè: nihil siquidem maius est, quàm Deum fieri hominem; nihil potentius, quàm extrema summè distantia coniungere, nempe Deum & hominem, Verbum Patris æternum & carnem humanam, creatorem fieri creaturam, immortalem simul esse & mortalem, impassibilem iuxtà ac passibilem, æternum ac temporalem, infinitum & limitatum, incomprehensum & panniculis inuolutum, immensum & paruulum, natum de femina, sed virgine. Deus denique quantumuis omnipotens & infinitæ virtutis, non potuit opus vmquam maius atque excellentius producere, quàm fuerit opus incarnationis, in quod omnem effudit potentiam, omnem quodammodò exhausit sapientiam, vt vlteriùs progredi non posset.
2. Alia namque eiusdem opera, vt cæli, sol & sidera, terræ, maria, homines, Angeli, certos naturæ limites, ac perfectiones finitas habent: sed Christus Deus & homo est prorsus infinitus.
Ecclef. Offic. *O admirabile mysterium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.* Itaque admiranda quidem se Dei potestas insinuat in mundi totius creatione, sed longè maior in eiusdem redemptione: vt in Missæ Sacrificio quotidie confitetur Ecclesia, dum ait: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabiliùs reformasti*, &c. (Ecclef. in Missæ Ordinario.)
3. Hanc quoque diuinæ potestatis magnitudinem admiratus D. Basilius, dum longum de diuinis operibus catalogum texit, sic ait: *Non hæc vsque adeò euidenter exprimunt diuini Verbi potentiam, quantum dispensatio assumpta carnis.* (Basil. sup. Psal. 44.) Quare meritò Propheta Dauid Deum obsecrans vt nostram assumeret naturam, sic ad eum exclamabat: *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.* (Psal. 47.) Hoc est, omnes in hoc opere vires tuas adhibe, clementissime Deus, & quantum valet potentia tua consequi nunc ostende. Meritò etiam eodem sensu dixit Anacletus Pontifex, *Deum factum esse hominem, vt virtutis suæ potentiâ nos liberaret.* (Anacl. Pap. epist. 2. Decretal.) Sic & loquuntur D. Irenæus, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius. (Iren. l. 3. c. 20. & 22. Athan. de Incarnat. Cyrill. Alex. l. 1. de Fide ad Regin. Chrysost. Hom. 20. in Ioan. Ambrof. lib. 4. in Luc. &c.)

Decima ratio seu congruentia fuit, quia debuit esse generis humani conueniens Mediator apud Dominum, vt clarissimè docet D. Augustinus his verbis: *Vt Mediator esset inter Deum & homines*, inquit, *debebat habere aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus: ne in vtroque hominibus similis longè esset à Deo, aut in vtroque Deo similis longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.* (*Decima ratio, Vt esset in causa generis humani conueniens mediator.* Aug. l. 10. Confess. c. 42.) Sensus est, Si fuisset homo purus, pretium condignum habere non poterat vt satisfaceret pro toto genere humano: si autem fuisset purus Deus, æquè etiam non potuisset nos redimere; quia non po-
1.

tuisset

tuisset pati vt pretium persolueret. Quocircà vt conuenienter fieret nostra reconciliatio per Mediatorem, debuit esse vna persona quæ duas haberet naturas, diuinam atque humanam, Deus homo existens, & homo
2. Deus. Deinde quemadmodum per vnum hominem peccatum & mors in orbem terrarum intrauerat, ita per infinitam misericordiam suam disposuit Deus vt per vnum hominem salus ac vita mundo redderetur: & quemadmodum illius ambitio nos condemnauit, ita huius humilitas à damnatione nos liberaret. Itaque *suscipitur à maiestate humilitas*, inquit D. Leo, *à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei hominumque mediator, & mori posset ex vno, & resurgere posset ex altero.* (Leo Ser. 1. de Natiuit.)
3. Adhæc quis meliùs posset nostris necessitatibus ac miserijs succurrere, quàm qui easdem aliquo modo esset expertus? Quis potuisset maiori pietate & simul auctoritate nostram causam perorare, quàm qui simul homo sit & Deus? implorans videlicet misericordiam Dei pro homine tamquam pars, & auctoritatem virtutemque impetrandi assumens tamquam Deus: debitum agnoscens vt homo, & debitum potenter soluens vt Deus. Verè non posset modus inueniri congruentior illo, in quo omnia concurrunt simul quę ad nostram requiruntur salutem. His alijsque modis explicant SS. Patres Mediatorem propriè ac perfectè fieri debuisse, qui Deus esset & homo. Sic loquitur etiam Agapitus Papa. *Quæ reconciliatio*, inquit, *esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam mediator Dei & hominum non susciperet?* q. d. Non satis congrua, imò imperfecta esset alioqui reconciliatio nostra. (Agapitus in epist. ad Anti.)

Vndecima congruentia fuit, vt nuptijs incarnationis pacem inter duo regna potentissima faceret, ac reconciliaret ima summis. Cùm enim inter se regnum cæleste atque terrenum summè dissiderent, nuptijs Filij Dei cum humana natura, sorore nostra, ad concordiam reduci debuerunt: siquidem ipse, vt asserit Apostolus, *reconciliauit omnia pacificans per sanguinem crucis siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* (*Vndecima ratio, Vt matrimonio hoc spirituali regnum cæleste cũ terreno reconciliaretur.* Coloss. 1.) Vt res similitudine illustretur: Cõtingit subinde nobilem quemdam Toparcham, seu Dynastam alieno & auerso animo esse à Monasterio vel Ordine quopiam religioso, nec æquis oculis personas illius Ordinis intueri, nec de ijs nisi malignè loqui, nec loquentes meliora lubenter audire: minitari etiam subinde se totũ illud Cœnobium vel solo æquaturum, vel flammis vltricibus daturum. (*A simili.*) Posteà verò quàm filius eius applicauit animum ad eamdem ipsam Religionem, eamque tandem ingressus est, nec sine consensu patris (quia impedire non licet diuinam vocationem) tum pater incipit benè affici, & peculiarem illius Monasterij atque Ordinis curam gerere, & patrocinium suscipere: paratusque est in omnibus illi seruire, operamque suam præstare: ac reipsa consilio est auxilioque ei in omnibus. Ad eumdem modum Deus Pater toti hominum generi offensus erat atque infensus odio implacabili. *Odio est enim Deo impius & impietas eius.* (Sap. 14.) Postquam autem pro hominibus Filius eius vnigenitus, in quo sibi ab æterno complacuit, homo factus est, & cum hominibus conuersatus, & quasi vnus è nobis; mox placatus omnem depo-

deposuit iram, atque offensam remisit, cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis.

Aliud simile. Iterùm contingit aliquando Principem quemdam propter iniurias ab homine certo illatas, in totam eius familiam ira accendi, & multa machinari mala; nec nisi toruis oculis deprecatores siue intercessores aspicere, secumque assiduè vindictam meditari. Sed posteà longo satis interuallo filius eius primogenitus incidit in amorem virginis cuiusdam ex illa familia, & ducit eam vxorem. Quid tum pater? tametsi durissimus alioqui ad omnẽ misericordiæ motum, mox tamen, propter illud matrimonium, toti familiæ nullo negotio reconciliatur. Haud secùs ille Dominus exercituum, iustus & zelotes, Deus vltionum, propter matrimonium filij sui dilectissimi cum humana natura, sorore, inquam, nostra, toti generi humano, cui propter peccatum grauissimè offensus erat, propitiatur, ignoscit, commẽdat charitatem suam in nobis: quia cùm adhuc inimici essemus, pro nobis homo nasci & mori dignatus est. Ista propriè causa fuit, cur non Angelicam naturam, vel aliam aliquam induere voluerit, sed humanam, vt Apostolus
Heb. 2. rectè expendit, dum ait: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. vnde debuit per omnia fratribus similari: vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.* Vbi obseruandum, quòd pro *apprehendit* Græca habeant ἐπιλαμβάνεται, emphasi insigni nobis insinuando, Christum nos quasi hostes & fugientes, venatoris instar, persecutum, & apprehendisse magno feruore & zelo.

His addunt Doctores grauissimi aliam ex parte Creatoris nostri causam incarnationis Verbi, nempe quia neutiquam conueniebat vt amor noster cultusque diuinus diuiderentur inter Creatorem & Redemptorem: si videlicet alius fuisset Redemptor quàm Creator. Deus enim amat dici *zelotes*, & immenso gloriæ suæ zelo flagrans per Prophetam ait: *Gloriam meam alteri non dabo.* Sic D. Athanasius explicans illa Christi verba, *Omnia tradita sunt mihi à Patre*; *Dedit*, inquit, *omnia in manus eius Pater, vt quemadmodum per eum facta sunt, ita in eo omnia refici possent.* Idem quoq; alibi elegãter & eruditè docet, alium aliquem hominum Redemptorem præter Deum esse nequaquam conueniens fuisse; ne supremus ille cultus, qui summo humani generis instauratori debetur, alicui quantumuis excelsæ creaturæ deferretur. verba eius sunt: *Merum hominem id facere indecorum erat, ne homines habentes Dominum, hominis cultores efficerentur.* Similiter & D. Augustinus, *Ideò*, inquit, *Deus noster Filium suum misit ad hominem liberandum, vt cui dixerat, Faciamus hominem, ipse etiam liberator esset, qui fuerat creator.* Addamus D. Anselmum, cuius hæc eadem est sententia: *Potuisset quidem Deus redimere nos vel per Angelum vel per hominem: ne tamen amorem diuideres inter Iudicem Creatorem, & Redemptorem, idem tibi Deus factus est Conditor & Redemptor.* Itaque propter honorem diuinum, cultumque supremum debitum Creatori, congruum erat, vt quæ manus hominem de limo terræ formarat, vt loquitur Propheta Iob, *Manus tuæ, Domine, fecerunt me & plasmauerunt me*; ipsa quoque iam creatum à peccato & à morte perpetua liberaret.

Duodecima ratio, Vt non diuiderentur amor Creatoris & Redemptoris.

Exod. 20. Isa. 42. Luc. 4. Athanas. ad illa verba, & aduersus Arianos. August. Serm. 10. de Natiu. Anselm. in lib. Cur Deus homo. Iob. 10.

Ttt Nunc

Decimatertia ratio, Ad perfectã diuinæ imaginis in homine reformationem. Nunc ad hominem descendamus, eiusque multiplicem vtilitatem atq; exaltationem exponamus. Proxima igitur causa statuitur ex parte hominis, vt videlicet imago illa diuinitatis in homine ad suum prototypum refingeretur, quod est Verbum Dei, imago Patris, *& imago bonitatis illius.* (Sap.7.) *Creauit* enim *Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum*, inquit Moyses. (Gen.1.) Aduerte hîc, quantâ energiâ fiat huius imaginis repetitio, vt extollat sacra Scriptura hominis dignitatem. O mira celsitudo, & exaltatio humanæ naturæ! Sed quid? Homo cùm in tanta esset dignitate & gloria constitutus, num gratus fuit? num agnouit? num rationem & æstimationem debitam adhibuit? minimè. (Psal.48.) *Homo enim*, inquit Psaltes, *cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* En iterùm bis similitudo hominis repetitur, sed superiori è regione opposita. creatus enim erat vt Deus, peccando factus est vt brutum. Quid iam consilij? quomodo poterit redire ad pristinam dignitatem & similitudinem Dei? Non poterat sanè deformata hæc imago siue similitudo reformari ab Angelo aliquo vel Archangelo, Cherubino vel Seraphino, vel ab alio aliquo; quia non ab illis desumpta similitudo fuerat, neque ad illorum imaginem formatus homo, sed Dei: ergo opus erat Dei aduentu in carnem humanam, vt homo reformaretur ad imaginem Dei sui. (Ambros. super Psal.118. Bernard. Ser.2. de Pentec. Cyrill. lib.1. in Ioan.c.13 Euthym. super Psal.48.) Hanc rationem adducunt, atque in hunc modum mysterium idem explicant Auctores sacri, D. Ambrosius, Bernardus, Cyrillus, Euthymius. Vnum Ambrosium ex aliorum sententia loquentem audiamus. *Imago Dei*, inquit, *ad eum qui est ad imaginem venit: & quærit imago eum qui est ad similitudinem sui, vt iterùm signet, vt iterùm conformet, quia amisisti quod accepisti.* Haud aliter quàm si imaginem vel signaculum Regis ceræ impressum, iamque deformatum ac disruptum, volueris reformari; opus erit eodem sigillo, & Regis imagine: sic vt homo, Deiq; imago homini impressa in pristinum dignitatis gradum restitueretur, necesse fuit vt per idem fieret prototypum ad quod conditus erat homo. At quęnam est perfecta & plena imago summi Regis, ipsi Regi per omnia consimilis, nisi Verbum Dei, de quo ait Apostolus: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, &c. (Hebr.1.) atque vt habet liber Sapientiæ, *imago bonitatis illius.* Verbum igitur caro factũ est, & vnitum homini, vt reformaretur homo, & imago eius. Atqui hominem sic reformatum quousque tandem euexit? Num similis euasit Angelis? at propriè non erat factus ad illorum similitudinem. Num similis Cherubinis aut Seraphinis? non tantùm: ob eamdem rationem. Sed verè tantam accepit gratiam, vt iterùm Deo suo tam similis fieret, quàm fuerat ante lapsum. Denique tanta extitit similitudo, vt dici possit, quòd per incarnationis mysterium homo factus sit Deus, vt mox patebit.

Decimaquarta ratio, Propter exaltationem humanæ naturæ. Decimaquarta causa ex parte hominis reformati, atque è superiori consequens, est, ob maiorem humanæ naturæ excellentiam atq; exaltationem: quam in primis insigni partitione seu gradatione illustrat diuus Bernardus hoc modo: (Bernard. Serm.3. in Vigil. Natiu.) *Tria opera fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia,*

rabilia, & mirabiliter singularia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint ampliùs super terram. Coniuncta quippe sunt ad inuicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Admirabilis ista mixtura, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuersa, tamq; diuisa ab inuicem, inuicem potuerunt coniungi. Primò enim nihil Deo sublimius, nil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili sacramento. Aduerte homo quia limus es, & non sis superbus: quia Deo coniunctus es, & non sis Deo ingratus. Secundò, à sæculo non est auditum quòd virgo esset quæ peperit, quòd mater esset quæ virgo permansit. Sola hæc est in qua virginitas atque fecunditas obuiauerunt sibi: quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Tertiò, mirum est quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit. Ergóne credendũ est quòd iste Deus sit qui ponitur in præsepio qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatũ iniurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulcro? quomodo hoc potuit persuaderi generi humano? Hæc ille. Idem quoque vrgens argumentum D. Augustinus, sic ait: *Demonstrauit nobis Deus quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quòd hominibus in vero homine apparuit.* O siquis posset hanc celsitudinem oculis intueri! Theodoretus in historia cuiusdam viri sanctissimi (qui in terra degens amore & cogitatione erat in cælis) ait ipsum mentem habuisse alatam, qua videlicet terram deserens, pernicissimo volatu cælestia penetrabat. Siquis hanc mentem haberet, qua in cælum conscendens supremam illam maiestatem humanæ naturæ supra Cherubim & Seraphim, omnia supera atq; infera moderantem cerneret, quo gaudio exultaret? Quòd si oculi darentur, quales diuo Stephano diuinitus dati sunt, vt cælos apertos inspicere, & filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei liceret; quomodo gloriaretur à fratre suo cælum & terram regi? Nam per incarnationem factum est, vt verè dicamus, Iste Deus qui omnia gubernat, est homo, Deus, inquam, est homo, & homo est Deus; propter coniunctionem duarum naturarum in vna persona quæ est Deus & homo. Quanta fuit tua in nos benignitas, quanta dignatio, bone Deus, qua nostram vilitatem ac miserias adeò non exhorruisti, vt intimè in te susciperes, atque amplectereris? Quid de illo homine diceremus, qui vt muscam aliquam aduolantem à candelæ incendiis auerteret atque conseruaret, manum ipse suam aduri æquo animo pateretur: muscam, inquam, licet inutile animalculum, & hominibus satis infestum? an iste non emotæ mentis, aut certè tenui cogitatione præditus iudicaretur? Haud aliter tamen Deus noster, *qui bonorum nostrorum non eget*, cuius *serui inutiles sumus*, neque inutiles modò, sed ingrati etiam & inimici; qui eum configimus, qui Filium Dei conculcamus: ille, inquam, Deus noster tanto in nos amore exarsit, vt potiùs extrema pati, mortemque dirissimam oppetere deligeret, quàm vt seruuli eius ad gehennæ incendia, quæ meruerant, præcipitarentur.

Aug. l. de Vera relig. c. 6.

Psal. 15. Luc. 17. Malach. 3. Heb. 10.

Paraenesis ad Christianos. O Christiani, gentibus quidem hic amor diuinus stultitia reputatur, teste Apostolo; (1.Cor. 1.) vobis autem alia longè mens, opinor, alius est sensus. Vestrarum est partium suspicere atq; adorare infinitas diuinæ bonitatis diuitias, & altitudinem sapientiæ, quam nemo assequi cogitatione potest, sed gratis saltem animis agnoscere omnes debemus. Quapropter *si vobis ex terrena fragilitate viluistis*, inquit D. Augustinus, (Aug. sup. Psal. 32. & de Prædest. Sanct. cap. 15.) *ex pretio vestro vos appendite.* Et alibi humanam naturam asserit ita hoc mysterio incarnationis subleuatam, vt quò altiùs attollatur non habeat. Quid ni etiam rugitum Leonis Papæ lubeat assumere, cum eoque sic exclamare: (D. Leo Ser. 7. de Natiuit.) *Expergiscere, ô homo, & dignitatem tuæ cognosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei: quæ etsi in Adam corrupta, in Christo tamen est reformata.* Quomodo reformata? paulò superiùs explanatum est; ad suum videlicet prototypum: tantò vt splendidior atque illustrior sit reddita post culpam Adæ, quantò secundus Adam maior ac perfectior primo fuit.

Decima quinta ratio, Propter adoptionē filiorum Dei. Ceterùm hæc dignitas atque exaltatio, tametsi nostra est etiam, & in totum redundat genus humanum: tamen magis propria est Christo Domino, seu indiuiduæ illi naturæ humanæ, quæ ab eo specialiter assumpta est. Ecquā verò nobis dignitatem contulit in particulari? numquid nos Barones, Duces, Reges creauit? Quin immò, quod longe maius est, fecit nos Christi fratres, ac filios Dei, non naturâ quidem, sed adoptione. Hinc illa vox D. Ioannis Euangelistæ: (1.Ioan. 3.) *Videte qualem charitatem donauit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Idem expendit initio sui Euangelij dicens: (Ioan. 1.) *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Moxque subiungit: *Et Verbum caro factum est:* vtique insinuans nos ideò filios Dei factos, quia Verbum caro factum est, vt volunt Interpretes in hunc locum. Ita etiam disertis verbis id exprimit D. Paulus: (Gal. 4.) *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Nulla re siquidem conuenientiùs poterat hæc nostra adoptio fieri, quàm si ipse Filius Dei naturalis ad nos descenderet, ac caro fieret de carne nostra, vt eius virtute in filios adoptaremur. Hanc eamdem rationem tradunt D. Cyrillus, ac D. Augustinus hoc modo: (Cyrill. l. 1. sup. Ioā. c. 16. August. tract. 2. in Ioan.) *Vnicum Deus misit in mundum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos. Non timuit ille habere coheredes, quia hereditas eius non fit angusta, si multi eam possiderint.*

Quanta sit excellentia filiorum Dei. Estne igitur hæc ingens & incomparabilis dignitas, quòd filius Dei sis per gratiæ diuinæ participationem? Est planè: quia si filius, & heres regni, coheres autem Christi. (Rom. 8.) *Si autem filij, & heredes,* ait Paulus: *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Aiebat quondam Dauid, (1. Reg. 18) *Num parum vobis videtur generum esse Regis?* Parúmne, homo, reputas quòd Dei filius & heres sis? Cur igitur tam facilè, adeoque pro nihilo id relinquis, & portionem substantiæ tuæ quæ te contingit repudias? Agnosce, animo reuolue, perpende nobilitatem tuam ac propinquitatem generis tui, quæ tibi cum Deo tuo intercedit, non solùm in spiritu sed & in carne. Opera porrò tua præsta vt digna sint illa nobilitate. Hoc monitum identidem repetere solebat vir quidam beatus, Balthasar Aluarez, cuius Vita in omnium manibus est, his verbis: (In Vita Balthasaris Aluarez.) *Fratres,*

tres, non degeneremus à præcelsis cogitationibus filiorum Dei. Quòd si Nobiles huius mundi (tametsi omnis eorum nobilitas in hominum opinione sita sit) studiosissimè cauent ne in mores rusticorum aut vilis plebeculæ incidant, néve committant quidpiam quod nomen ac statum suum dedeceat: contrà verò generosè, omniq́ue contentione in vita moribusq́ue nituntur excellere, vt æquum est: quid ni sancta quadam æmulatione verbis factisq́ue condignis nostram asserimus nobilitatem, qui Dei filij, fratresq́ue Christi censeri volumus?

Paranesis ad peccatores. Vos quoque, ô peccatores, somno vitiorum consopiti, excitate siquid est in vobis generosi spiritus, ad omnia magna capessenda. Audite, quicumque magni ducitis filios Regum aut Imperatorum nasci vel adoptari, diui Augustini vocem percipite. *Non iam desperandum est*, inquit, *participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est homo.* q. d. Quantumlibet iam sitis non filij Dei, sed filij diaboli, cuius opera imitamini: per meritum tamen incarnationis Verbi inuitamini vt fieri velitis filij Dei. Audite & D. Leonem Papam sic hortantem: *Reformationis humanæ mysterium sacrum atque diuinum, sancto sinceroque honorate seruitio, quotquot hîc estis.* Atque iterùm eodem Sermone: *Quisquis igitur Christiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iusto perpende iudicio. Per incarnationem quippe tibi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium: vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam: vt si te Dei filium per spiritum adoptionis agnoueris, Deum patrem audeas nuncupare, & malæ conscientiæ reatu absolutus ad cælestia regna suspires.*

Aug. de Grat. noui Testá.

D. Leo Serm. 2. de Nat.

Decimasexta ratio, Deus homo factus est vt hominem faceret Deum. Enimuerò numquid contulit Deus homini maiorem adhuc dignitatem? Quanta sit filiorum Dei, iam satis, opinor, manifestum est: sed audeo dicere cum D. Bernardo (quem paulò inferiùs loquẽtem audietis) Deum prætereà ex hominibus Angelos fecisse, per gratiam vtique, non per naturam: & Angelos quidem supremi ordinis atque excellentiæ æquè atque ordinum inferiorum: Angelos, inquam, cuiusque status ac dignitatis, qui vacuas in cælis aliorum sedes occupare possent. Sed numquid hîc status fuit præpotenti Deo in hominis exaltatione? minimè. Fecit enim homines etiam Deos per supremam gratiæ excellentissimæ communicationem. Hinc quasi maximum quid Propheta Dauid adstruit cùm ait: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* q. d. Si aliquando, ô homines, hoc audistis, neque credidistis, quia maximi momenti est, scitote ita se rem habere: ego enim illud affirmo vobis. Hinc disertè ac planè D. Augustinus in Sermonibus de Natiuitate, *Ideò*, inquit, *Deus factus est homo, vt homo fieret Deus.* Vsque eò nimirum euectus est homo per Verbi incarnationem, vt non ad cælos modò aut ad choros Angelorum, sed etiam ad Deum, & ad dexteram Patris, per diuinitatis participationem peruenerit. Etenim propter hoc incarnationis mysterium de vna atque eadem persona verè dicimus, Homo Deus est, &, Deus est homo: idque propriè ac primariò propter vnionem hypostaticam in Christo, cuius nos interim mem-

Ratione 26. infrà.

Psal. 81.

August. Serm. 9. de Nat. Domini.

sertum, interdiu columna nubes castra præeunte, de nocte verò columna ignis; neque vestimenta eorum attrita sunt, neque defecit vmquam commeatus. nam & manna pluit illis de cælo, & mellis instar aquam de petra, oleumque de saxo durissimo. Quid in ipso ingressu Terræ promissæ, lacte & melle fluentis? Stitit cursum Iordanis, contra hostes eorum assiduè præliatus est, muros vrbis Ierichuntinæ tubarum sonitu subuertit, Solem in medio cæli immotum stare præcepit, donec hostes profligarentur; aliaque plurima id genus miracula patrauit. Fouit denique populum suum electum, sicut gallina pullos suos, sub alis prouidentiæ ac beneficentiæ suæ: videlicet vt mundus hæc omnia intelligens ad Dominum suum conuerteretur, dicens: Agedum, soli Deo seruiamus, tam magnifico, tam amabili, tam beneuolo in cultores suos; deos alienos & idola omnia repudiemus. Verùm neque hac ratione mundus idololatriâ exterminatâ resipuit, atque ad Deum auctorem suum reuersus est. Quid ergo secutum est? destitit aliquando Deus benefacere? bonitatis ac benignitatis suæ fontes occlusit?

Isaiæ 45. Agg. 2. Nequaquam. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Vnum adhuc, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam. & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Hoc fuit opus supremi amoris.

Tertia via, amoris immodici. Venit in hunc mundum Filius Dei, incarnatus est, in stabulo natus est, summè humiliatus est, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus: flagellatus dirissimè, spinis redimitus, consputus, illusus, in crucem actus, morte turpissima sublatus. Hoc per orbem diuulgatum est, tamque ineffabile pietatis sacramentum longè lateque auditum, intellectum, creditum est. Quid inde? enimuerò mundus tunc adeò inusitatam Dei erga se charitatem expertus, tanta gaudens Saluatoris sui benignitate, tamque immenso beneficij pondere superatus, ad pedes eius procidit, Deumque suum, vt par erat, profundissimè adorauit. Ita quem non vicerat timor neque fauor, vicit amor. Quocircà D. Ambrosius in illud Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem*, &c. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, calestium, terrestrium, & infernorum*, hoc modo sermocinatur: *Multa, Domine, feceras pro me, & non genu flexi: fecisti me, fecisti mundum pro me, dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoraui. At postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum; stare non potui, sed tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoraui.* (Vide sup. Psal. 118. Serm. 20.) Denique ita se gessit cum homine Deus, sicut pater aliquis prænobilis & diues cum filio insolente & fugitiuo, quem tamen ardentissimè diligit, atque ad se reuocare satagit. (*Simile.*) Quid agat, quid moliatur, vt ad se fugitiuum retrahat? Primò, missis nuntiis intentat minas, exheredationem, supplicia; nec interim redit: aliâ inflectendus viâ est. Secundò aliis atque aliis nuntiis munera transmittit, beneficiis promissisque variis allicere eum conatur: at non paret. Tandem igitur pater amore velut ebrius, filium ipsemet adit, manantibus dolore lacrymis, sparsis canis, expansis brachiis ad filij genua prouoluitur: rogat per mansuetudinem Christi, obsecrat, supplices tendit manus vt redire velit, quoniam sine illo

illo nimis durum sit viuere. Hac amoris testificatione prorsus emollitum atque euictum filij pectus, humi pariter procidit, & victus lacrymas lacrymis reddit. Ita nobiscum videlicet egit clementissimus Dominus, longanimis & misericors, & præstabilis super malitia.

Decimaoctaua ratio, Vt ad fidem, spem, charitatē homo excitaretur.

Nunc etiam ostendamus, homini sic erecto ac restituto quàm multiplex bonum per incarnationem obtigerit. Vtique non solùm opus fuit remedio sanatiuo, sed etiam confortatiuo, & præseruatiuo, vt Medici loquuntur. Egimus de sanatiuo, iam videndum in quo consistat confortatiuum. Nimirum quòd hac ratione excitatus efficaciter homo fuerit ad veram fidē, spem, charitatem, in iisq; validè confirmetur: in quibus sanè omnis hominis in hac vita felicitas & perfectio est sita. Quod vt solidiùs intelligamus, sciendum est, totam mentis humanæ perfectionem in arctissima quadam cum diuina mente coniunctione ac similitudine positam esse. vniuscuiusque enim rei perfectio est, principio suo coniungi, & illius perfectionem (quoad fieri possit) imitari. Cùm ergo Deus hominis atque rerum omnium principium sit, consequens est, vt quò magis ad illum accedimus, eique coniungimur, hoc vtique perfectiores simus. Atqui hæc coniunctio tribus his virtutibus potissimùm perficitur, quæ idcircò Theologicæ dicuntur.

De Fide. D.Tho. 3.p. q.1. art.2. August. lib.11. de Ciuitat. cap.2.

Profuit porrò nobis Verbi diuini incarnatio, inquit D.Thomas, *quoad fidem; quæ magis certificatur ex hoc quòd ipsi Deo loquenti credit. Vnde Augustinus dicit: Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem*. Quanta fidei nostræ confirmatio, quando certò nobis persuasum est, Euangelia, quæ nobis in Ecclesia Catholica exponūtur, esse verbum Dei, ipsius Christi Domini ore prolatū, nobisque traditum vt credamus & vitam habeamus? Ipsum videlicet Dei Verbum ab æterno absconditum in Patre, nobis in tempore carne vestitum apparuit, & reuelauit quod credimus, vt nemo de veritate ambigere posset; quemadmodum verbum nostrum exteriùs prolatum hominibus declarat quid intrinsecus habeamus in corde. Hoc erat quod Philippo insinuabat cùm diceret: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* & alibi: *Ego & Pater vnum sumus. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ioan. 14. & 10.

De Spe. D.Tho. suprà. Aug. l.13 de Trin. cap. 10.

Quoad spem etiam, vt ait D.Thomas suprà, *quia per hoc mysterium maximè erigitur. Vnde Augustinus dicit: Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?* Optima certè & efficacissima ratio spei nostræ subleuandæ, & peccatoris ad pœnitentiam atque ad veniam postulandam erigendi; quando sic quodammodò Deus homo factus eum alloquitur: Quid trepidas, quid diffidis, ô peccator? *Conuertere ad Dominum Deum tuum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*. Ioël.2. Et alibi: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* Ezec.18. Quid hæres? non credis verbis meis? crede saltem operibus. Ecce propter hoc summa humilitate incarnatus

 sum,

sertum, interdiu columna nubes castra praeeunte, de nocte verò columna ignis; neque vestimenta eorum attrita sunt, neque defecit vmquam commeatus. nam & manna pluit illis de cælo, & mellis instar aquam de petra, oleumque de saxo durissimo. Quid in ipso ingressu Terræ promissæ, lacte & melle fluentis? Stitit cursum Iordanis, contra hostes eorum assiduè præliatus est, muros vrbis Ierichuntinæ tubarum sonitu subuertit, Solem in medio cæli immotum stare præcepit, donec hostes profligarentur; aliaque plurima id genus miracula patrauit. Fouit denique populum suum electum, sicut gallina pullos suos, sub alis prouidétiæ ac beneficentiæ suæ: videlicet vt mundus hæc omnia intelligens ad Dominum suum conuerteretur, dicens: Agedum, soli Deo seruiamus, tam magnifico, tam amabili, tam beneuolo in cultores suos; deos alienos & idola omnia repudiemus. Verùm neque hac ratione mundus idololatriâ exterminatâ resipuit, atque ad Deum auctorem suum reuersus est. Quid ergo secutum est? destitit aliquando Deus benefacere? bonitatis ac benignitatis suæ fontes occlusit? Nequaquam. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Vnum adhuc, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam. & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Hoc fuit opus supremi amoris.

Isaiæ 45. Agg. 2.

Tertia via, amoris immodici.

Venit in hunc mundum Filius Dei, incarnatus est, in stabulo natus est, summè humiliatus est, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus: flagellatus dirissimè, spinis redimitus, conspurus, illusus, in crucem actus, morte turpissima sublatus. Hoc per orbem diuulgatum est, tamque ineffabile pietatis sacramentum longè lateque auditum, intellectum, creditum est. Quid inde? enimuerò mundus tunc adeò inusitatam Dei erga se charitatem expertus, tanta gaudens Saluatoris sui benignitate, tamque immenso beneficij pondere superatus, ad pedes eius procidit, Deumque suum, vt par erat, profundissimè adorauit. Ita quem non vicerat timor neque fauor, vicit amor. Quocircà D. Ambrosius in illud Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem*, &c. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, hoc modo sermocinatur: *Multa, Domine, feceras pro me, & non genu flexi: fecisti me, fecisti mundum pro me, dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoraui. At postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum; stare non potui, sed tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoraui.* Denique ita se gessit cum homine Deus, sicut pater aliquis prænobilis & diues cum filio insolente & fugitiuo, quem tamen ardentissimè diligit, atque ad se reuocare satagit. Quid agat, quid moliatur, vt ad se fugitiuum retrahat? Primò, missis nuntiis intentat minas, exheredationem, supplicia; nec interim redit: aliâ inflectendus viâ est. Secundò aliis atque aliis nuntiis munera transmittit, beneficiis promissisque variis allicere eum conatur: at non paret. Tandem igitur pater amore velut ebrius, filium ipsemet adit, manantibus dolore lacrymis, sparsis canis, expansis brachiis ad filij genua prouoluitur: rogat per mansuetudinem Christi, obsecrat, supplices tendit manus vt redire velit, quoniam sine illo

Vide sup. Psal. 118. Serm. 20.

Simile.

illo nimis durum sit viuere. Hac amoris testificatione prorsus emollitum atque euictum filij pectus, humi pariter procidit, & victus lacrymas lacrymis reddit. Ita nobiscum videlicet egit clementissimus Dominus, longanimis & misericors, & præstabilis super malitia.

Decima-octaua ratio, Vt ad fidem, spem, charitatē homo excitaretur.

Nunc etiam ostendamus, homini sic erecto ac restituto quàm multiplex bonum per incarnationem obtigerit. Vtique non solùm opus fuit remedio sanatiuo, sed etiam confortatiuo, & præseruatiuo, vt Medici loquuntur. Egimus de sanatiuo, iam videndum in quo consistat confortatiuum. Nimirum quòd hac ratione excitatus efficaciter homo fuerit ad veram fidē, spem, charitatem, in iisq; validè confirmetur: in quibus sanè omnis hominis in hac vita felicitas & perfectio est sita. Quod vt solidiùs intelligamus, sciendum est, totam mentis humanæ perfectionem in arctissima quadam cum diuina mente coniunctione ac similitudine positam esse. vniuscuiusque enim rei perfectio est, principio suo coniungi, & illius perfectionem (quoad fieri possit) imitari. Cùm ergo Deus hominis atque rerum omnium principium sit, consequens est, vt quò magis ad illum accedimus, eique coniungimur, hoc vtique perfectiores simus. Atqui hæc coniunctio tribus his virtutibus potissimùm perficitur, quæ idcircò Theologicæ dicuntur.

De Fide. D.Tho. 3.p. q.1. art.2. August. lib.11. de Ciuitat. cap.2.

Profuit porrò nobis Verbi diuini incarnatio, inquit D.Thomas, *quoad fidem; quæ magis certificatur ex hoc quòd ipsi Deo loquenti credit. Vnde Augustinus dicit: Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem.* Quanta fidei nostræ confirmatio, quando certò nobis persuasum est, Euangelia, quæ nobis in Ecclesia Catholica exponūtur, esse verbum Dei, ipsius Christi Domini ore prolatū, nobisque traditum vt credamus & vitam habeamus? Ipsum videlicet Dei Verbum ab æterno absconditum in Patre, nobis in tempore carne vestitum apparuit, & reuelauit quod credimus, vt nemo de veritate ambigere posset; quemadmodum verbum nostrum exteriùs prolatum hominibus declarat quid intrinsecus habeamus in corde. Hoc erat quod Philippo insinuabat cùm diceret: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* & alibi: *Ego & Pater vnum sumus. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ioan. 14. & 10.

De Spe. D.Tho. suprà. Aug. l.13 de Trin. cap. 10.

Quoad spem etiam, vt ait D.Thomas suprà, *quia per hoc mysterium maximè erigitur. Vnde Augustinus dicit: Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius natura nostra dignatus est inire consortium?* Optima certè & efficacissima ratio spei nostræ subleuandæ, & peccatoris ad pœnitentiam atque ad veniam postulandam erigendi; quando sic quodammodò Deus homo factus eum alloquitur: Quid trepidas, quid diffidis, ô peccator? *Conuertere ad Dominum Deum tuum, quia benignus & misericors est, patiens & multa misericordia, & præstabilis super malitia.* Ioël.2. Et alibi: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* Ezec.18. Quid hæres? non credis verbis meis? crede saltem operibus. Ecce propter hoc summa humilitate incarnatus

sertum, interdiu columna nubes castra præeunte, de nocte verò columna ignis; neque vestimenta eorum attrita sunt, neque defecit vmquam commeatus. nam & manna pluit illis de cælo, & mellis instar aquam de petra, oleumque de saxo durissimo. Quid in ipso ingressu Terræ promissæ, lacte & melle fluentis? Stitit cursum Iordanis, contra hostes eorum assiduè præliatus est, muros vrbis Ierichuntinæ tubarum sonitu subuertit, Solem in medio cæli immotum stare præcepit, donec hostes profligarentur; aliaque plurima id genus miracula patrauit. Fouit denique populum suum electum, sicut gallina pullos suos, sub alis prouidétiæ ac beneficentiæ suæ: videlicet vt mundus hæc omnia intelligens ad Dominum suum conuerteretur, dicens: Agedum, soli Deo seruiamus, tam magnifico, tam amabili, tam beneuolo in cultores suos; deos alienos & idola omnia repudiemus. Verùm neque hac ratione mundus idololatriâ exterminatâ resipuit, atque ad Deum auctorem suum reuersus est. Quid ergo secutum est? destitit aliquando Deus benefacere? bonitatis ac benignitatis suæ fontes occlusit?

Isaiæ 45. Agg. 2. Nequaquam. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Vnum adhuc, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam. & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Hoc fuit opus supremi amoris.

Tertia via, amoris immodici. Venit in hunc mundum Filius Dei, incarnatus est, in stabulo natus est, summè humiliatus est, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus: flagellatus dirissimè, spinis redimitus, conspu tus, illusus, in crucem actus, morte turpissima sublatus. Hoc per orbem diuulgatum est, tamque ineffabile pietatis sacramentum longè lateque auditum, intellectum, creditum est. Quid inde? enimuerò mundus tunc adeò inusitatam Dei erga se charitatem expertus, tanta gaudens Saluatoris sui benignitate, tamque immenso beneficij pondere superatus, ad pedes eius procidit, Deumque suum, vt par erat, profundissimè adorauit. Ita quem non vicerat timor neque fauor, vicit amor. Quocircà D. Ambrosius in illud Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem*, &c. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, hoc modo sermocinatur: *Multa, Domine, feceras pro me, & non genu flexi: fecisti me, fecisti mundum pro me, dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoraui. At postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum; stare non potui, sed tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoraui*. Vide sup. Psal. 118. Serm. 20. Denique ita se gessit cum homine Deus, sicut pater aliquis prænobilis & diues cum filio insolente & fugitiuo, quem tamen ardentissimè diligit, atque ad se reuocare satagit. *Simile.* Quid agat, quid moliatur, vt ad se fugitiuum retrahat? Primò, missis nunciis intentat minas, exheredationem, supplicia; nec interim redit: aliâ inflectendus viâ est. Secundò aliis atque aliis nunciis munera transmittit, beneficiis promissisque variis allicere eum conatur: at non paret. Tandem igitur pater amore velut ebrius, filium ipsemet adit, manantibus dolore lacrymis, sparsis canis, expansis brachiis ad filij genua prouoluitur: rogat per mansuetudinem Christi, obsecrat, supplices tendit manus vt redire velit, quoniam sine illo

illo nimis durum sit viuere. Hac amoris testificatione prorsus emollitum atque euictum filij pectus, humi pariter procidit, & victus lacrymas lacrymis reddit. Ita nobiscum videlicet egit clementissimus Dominus, longanimis & misericors, & præstabilis super malitia.

Decimaoctaua ratio, Vt ad fidem, spem, charitatē homo excitaretur. Nunc etiam ostendamus, homini sic erecto ac restituto quàm multiplex bonum per incarnationem obtigerit. Vtique non solùm opus fuit remedio sanatiuo, sed etiam confortatiuo, & prçseruatiuo, vt Medici loquuntur. Egimus de sanatiuo, iam videndum in quo consistat confortatiuum. Nimirum quòd hac ratione excitatus efficaciter homo fuerit ad veram fidē, spem, charitatem, in iisq; validè confirmetur: in quibus sanè omnis hominis in hac vita felicitas & perfectio est sita. Quod vt solidiùs intelligamus, sciendum est, totam mentis humanæ perfectionem in arctissima quadam cum diuina mente coniunctione ac similitudine positam esse. vniuscuiusque enim rei perfectio est, principio suo coniungi, & illius perfectionem (quoad fieri possit) imitari. Cùm ergo Deus hominis atque rerum omnium principium sit, consequens est, vt quò magis ad illum accedimus, eique coniungimur, hoc vtique perfectiores simus. Atqui hæc coniunctio tribus his virtutibus potissimùm perficitur, quæ idcircò Theologicæ dicuntur.

De Fide. D.Tho. 3.p. q.1. art.2. Profuit porrò nobis Verbi diuini incarnatio, inquit D.Thomas, *quoad fidem; qua magis certificatur ex hoc quòd ipsi Deo loquenti credit. Vnde* Auguft. lib.11. de Ciuitat. cap.2. *Augustinus dicit: Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem.* Quanta fidei nostræ confirmatio, quando certò nobis persuasum est, Euangelia, quæ nobis in Ecclesia Catholica exponūtur, esse verbum Dei, ipsius Christi Domini ore prolatū, nobisque traditum vt credamus & vitam habeamus? Ipsum videlicet Dei Verbum ab æterno absconditum in Patre, nobis in tempore carne vestitum apparuit, & reuelauit quod credimus, vt nemo de veritate ambigere posset; quemadmodum verbum nostrum exteriùs prolatum hominibus declarat quid intrinsecus habeamus in corde. Hoc erat quod Philippo insinuabat cùm diceret: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* & Ioan.14. & 10. alibi: *Ego & Pater vnum sumus. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?*

De Spe. D.Tho. suprà. Quoad spem etiam, vt ait D.Thomas suprà, *quia per hoc mysterium maximè erigitur. Vnde Augustinus dicit: Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?* Aug.l.13 de Trin. cap.10. Optima certè & efficacissima ratio spei nostræ subleuandæ, & peccatoris ad pœnitentiam atque ad veniam postulandam erigendi; quando sic quodammodò Deus homo factus eum alloquitur: Quid trepidas, quid diffidis, ô peccator? *Conuertere ad Dominum Deum tuum, quia benignus & misericors est, patiens & multa misericordia, & præstabilis super malitia.* Ioel.2. Et alibi: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* Ezec.18. Quid hæres? non credis verbis meis? crede saltem operibus. Ecce propter hoc summa humilitate incarnatus sum,

sertum, interdiu columna nubes castra præeunte, de nocte verò columna ignis; neque vestimenta eorum attrita sunt, neque defecit vmquam comeatus. nam & manna pluit illis de cælo, & mellis instar aquam de petra, oleumque de saxo durissimo. Quid in ipso ingressu Terræ promissæ, lacte & melle fluentis? Stitit cursum Iordanis, contra hostes eorum assiduè præliatus est, muros vrbis Ierichuntinæ tubarum sonitu subuertit, Solem in medio cæli immotum stare præcepit, donec hostes profligarentur; aliaque plurima id genus miracula patrauit. Fouit denique populum suum electum, sicut gallina pullos suos, sub alis prouidentiæ ac beneficentiæ suæ: videlicet vt mundus hæc omnia intelligens ad Dominum suum conuerteretur, dicens: Agedum, soli Deo seruiamus, tam magnifico, tam amabili, tam beneuolo in cultores suos; deos alienos & idola omnia repudiemus. Verùm neque hac ratione mundus idololatriâ exterminatâ resipuit, atque ad Deum auctorem suum reuersus est. Quid ergo secutum est? destitit aliquando Deus benefacere? bonitatis ac benignitatis suæ fontes occlusit? Nequaquam. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Vnum adhuc, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam. & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Hoc fuit opus supremi amoris.

Isaiæ 45.
Agg. 2.

Tertia via, amoris immodici.

Venit in hunc mundum Filius Dei, incarnatus est, in stabulo natus est, summè humiliatus est, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus: flagellatus dirissimè, spinis redimitus, consputus, illusus, in crucem actus, morte turpissima sublatus. Hoc per orbem diuulgatum est, tamque ineffabile pietatis sacramentum longè lateque auditum, intellectum, creditum est. Quid inde? enimuerò mundus tunc adeò inusitatam Dei erga se charitatem expertus, tanta gaudens Saluatoris sui benignitate, tamque immenso beneficij pondere superatus, ad pedes eius procidit, Deumque suum, vt par erat, profundissimè adorauit. Ita quem non vicerat timor neque fauor, vicit amor. Quocircà D. Ambrosius in illud Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem*, &c. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, hoc modo sermocinatur: *Multa, Domine, feceras pro me, & non genu flexi: fecisti me, fecisti mundum pro me, dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoraui. At postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum; stare non potui, sed tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoraui*. Denique ita se gessit cum homine Deus, sicut pater aliquis prænobilis & diues cum filio insolente & fugitiuo, quem tamen ardentissimè diligit, atque ad se reuocare satagit. Quid agat, quid moliatur, vt ad se fugitiuum retrahat? Primò, missis nuntiis intentat minas, exheredationem, supplicia; nec interim redit: aliâ inflectendus viâ est. Secundò aliis atque aliis nuntiis munera transmittit, beneficiis promissisque variis allicere eum conatur: at non paret. Tandem igitur pater amore velut ebrius, filium ipsemet adit, manantibus dolore lacrymis, sparsis canis, expansis brachiis ad filij genua prouoluitur: rogat per mansuetudinem Christi, obsecrat, supplices tendit manus vt redire velit, quoniam sine illo

Vide sup. Psal. 118. Serm. 20.

Simile.

illo nimis durum sit viuere. Hac amoris testificatione prorsus emollitum atque euictum filij pectus, humi pariter procidit, & victus lacrymas lacrymis reddit. Ita nobiscum videlicet egit clementissimus Dominus, longanimis & misericors, & præstabilis super malitia.

Decimaoctaua ratio, Vt ad fidem, spem, charitatē homo excitaretur. Nunc etiam ostendamus, homini sic erecto ac restituto quàm multiplex bonum per incarnationem obtigerit. Vtique non solùm opus fuit remedio sanatiuo, sed etiam confortatiuo, & præseruatiuo, vt Medici loquuntur. Egimus de sanatiuo, iam videndum in quo consistat confortatiuum. Nimirum quòd hac ratione excitatus efficaciter homo fuerit ad veram fidē, spem, charitatem, in iisq; validè confirmetur: in quibus sanè omnis hominis in hac vita felicitas & perfectio est sita. Quod vt solidiùs intelligamus, sciendum est, totam mentis humanæ perfectionem in arctissima quadam cum diuina mente coniunctione ac similitudine positam esse. vniuscuiusque enim rei perfectio est, principio suo coniungi, & illius perfectionem (quoad fieri possit) imitari. Cùm ergo Deus hominis atque rerum omnium principium sit, consequens est, vt quò magis ad illum accedimus, eique coniungimur, hoc vtique perfectiores simus. Atqui hæc coniunctio tribus his virtutibus potissimùm perficitur, quæ idcircò Theologicæ dicuntur.

De Fide. D.Tho. 3.p. q.1. art.2. Profuit porrò nobis Verbi diuini incarnatio, inquit D.Thomas, *quoad fidem; quæ magis certificatur ex hoc quòd ipsi Deo loquenti credit. Vnde* August. lib.11. de Ciuitat. cap.2. *Augustinus dicit: Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem*. Quanta fidei nostræ confirmatio, quando certò nobis persuasum est, Euangelia, quæ nobis in Ecclesia Catholica exponūtur, esse verbum Dei, ipsius Christi Domini ore prolatū, nobisque traditum vt credamus & vitam habeamus? Ipsum videlicet Dei Verbum ab æterno absconditum in Patre, nobis in tempore carne vestitum apparuit, & reuelauit quod credimus, vt nemo de veritate ambigere posset; quemadmodum verbum nostrum exteriùs prolatum hominibus declarat quid intrinsecus habeamus in corde. Hoc erat quod Philippo insinuabat cùm diceret: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* & alibi: *Ego & Pater vnum sumus. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ioan. 14. & 10.

De Spe. D.Tho. suprà. Quoad spem etiam, vt ait D.Thomas suprà, *quia per hoc mysterium maximè erigitur. Vnde Augustinus dicit: Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?* Aug. l.13 de Trin. cap. 10. Optima certè & efficacissima ratio spei nostræ subleuandæ, & peccatoris ad pœnitentiam atque ad veniam postulandam erigendi; quando sic quodammodò Deus homo factus eum alloquitur: Quid trepidas, quid diffidis, ô peccator? *Conuertere ad Dominum Deum tuum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Ioël.2. Et alibi: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* Ezec.18. Quid hæres? non credis verbis meis? crede saltem operibus. Ecce propter hoc summa humilitate incarnatus

 sum,

Paraenesis ad Christianos. O Christiani, gentibus quidem hic amor diuinus stultitia reputatur, teste Apostolo; vobis autem alia longè mens, opinor, alius est sensus. Vestrarum est partium suspicere atq; adorare infinitas diuinæ bonitatis diuitias, & altitudinem sapientiæ, quam nemo assequi cogitatione potest, sed gratis saltem animis agnoscere omnes debemus. Quapropter *si vobis ex terrena fragilitate viluistis*, inquit D. Augustinus, *ex pretio vestro vos appendite*. Et alibi humanam naturam asserit ita hoc mysterio incarnationis subleuatam, vt quò altiùs attollatur non habeat. Quid ni etiam rugitum Leonis Papæ lubeat assumere, cum eoque sic exclamare: *Expergiscere, ô homo, & dignitatem tuæ cognosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei: quæ etsi in Adam corrupta, in Christo tamen est reformata.* Quomodo reformata? paulò superiùs explanatum est; ad suum videlicet prototypum: tantò vt splendidior atque illustrior sit reddita post culpam Adæ, quantò secundus Adam maior ac perfectior primo fuit.

1. Cor. 1.

Aug. sup. Psal. 32. & de Prædest. Sanct. cap. 15.

D. Leo Ser. 7. de Natiuit.

Decima quinta ratio, Propter adoptionẽ filiorum Dei. Ceterùm hæc dignitas atque exaltatio, tametsi nostra est etiam, & in totum redundat genus humanum: tamen magis propria est Christo Domino, seu indiuiduæ illi naturæ humanæ, quæ ab eo specialiter assumpta est. Ecquã verò nobis dignitatem contulit in particulari? numquid nos Barones, Duces, Reges creauit? Quin immò, quod longe maius est, fecit nos Christi fratres, ac filios Dei, non naturâ quidem, sed adoptione. Hinc illa vox D. Ioannis Euangelistæ: *Videte qualem charitatem donauit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Idem expendit initio sui Euangelij dicens: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Moxque subiungit: *Et Verbum caro factum est:* vtique insinuans nos ideò filios Dei factos, quia Verbum caro factum est, vt volunt Interpretes in hunc locum. Ita etiam disertis verbis id exprimit D. Paulus: *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Nulla re siquidem conuenientiùs poterat hæc nostra adoptio fieri, quàm si ipse Filius Dei naturalis ad nos descenderet, ac caro fieret de carne nostra, vt eius virtute in filios adoptaremur. Hanc eamdem rationem tradunt D. Cyrillus, ac D. Augustinus hoc modo: *Vnicum Deus misit in mundum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos. Non timuit ille habere coheredes, quia hereditas eius non fit angusta, si multi eam possiderint.*

1. Ioan. 3.

Ioan. 1.

Gal. 4.

Cyrill. l. 1. sup. Ioã. c. 16. August. tract. 2. in Ioan.

Quanta sit excellentia filiorum Dei. Estne igitur hæc ingens & incomparabilis dignitas, quòd filius Dei sis per gratiæ diuinæ participationem? Est planè: quia si filius, & heres regni, coheres autem Christi. *Si autem filij, & heredes,* ait Paulus: *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Aiebat quondam Dauid, *Num parum vobis videtur generum esse Regis?* Parúmne, homo, reputas quòd Dei filius & heres sis? Cur igitur tam facilè, adeoque pro nihilo id relinquis, & portionem substantiæ tuæ quæ te contingit repudias? Agnosce, animo reuolue, perpende nobilitatem tuam ac propinquitatem generis tui, quæ tibi cum Deo tuo intercedit, non solùm in spiritu sed & in carne. Opera porrò tua præsta vt digna sint illa nobilitate. Hoc monitum identidem repetere solebat vir quidam beatus, Balthasar Aluarez, cuius Vita in omnium manibus est, his verbis: *Fratres,*

Rom. 8.

1. Reg. 18

In Vita Balthasaris Aluarez.

tres, non degeneremus à præcelsis cogitationibus filiorum Dei. Quòd si Nobiles huius mundi (tametsi omnis eorum nobilitas in hominum opinione sita sit) studiosissimè cauent ne in mores rusticorum aut vilis plebeculæ incidant, néve committant quidpiam quod nomen ac statum suum dedeceat: contrà verò generosè, omnique contentione in vita moribusque nituntur excellere, vt æquum est: quid ni sancta quadam æmulatione verbis factisque condignis nostram asserimus nobilitatem, qui Dei filij, fratresque Christi censeri volumus?

Paranesis ad peccatores. Vos quoque, ô peccatores, somno vitiorum consopiti, excitate siquid est in vobis generosi spiritus, ad omnia magna capessenda. Audite, quicumque magni ducitis filios Regum aut Imperatorum nasci vel adoptari, diui Augustini vocem percipite. *Non iam desperandum est*, inquit, *participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est homo.* q. d. Quantumlibet iam sitis non filij Dei, sed filij diaboli, cuius opera imitamini: per meritum tamen incarnationis Verbi inuitamini vt fieri velitis filij Dei. Audite & D. Leonem Papam sic hortantem: *Reformationis humanæ mysterium sacrum atque diuinum, sancto sinceroque honorate seruitio, quotquot hic estis.* Atque iterùm eodem Sermone: *Quisquis igitur Christiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam insto perpende iudicio. Per incarnationem quippe tibi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium: vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam: vt si te Dei filium per spiritum adoptionis agnoueris, Deum patrem audeas nuncupare, & mala conscientiæ reatu absolutus ad cælestia regna suspires.*

Aug. de Grat. noui Testã.

D. Leo Serm. 2. de Nat.

Decimasexta ratio, Deus homo factus est vt hominem faceret Deum. Enimuerò numquid contulit Deus homini maiorem adhuc dignitatem? Quanta sit filiorum Dei, iam satis, opinor, manifestum est: sed audeo dicere cum D. Bernardo (quem paulò inferiùs loquẽtem audietis) Deum præthereà ex hominibus Angelos fecisse, per gratiam vtique, non per naturam: & Angelos quidem supremi ordinis atque excellentiæ æquè atque ordinum inferiorum: Angelos, inquam, cuiusque status ac dignitatis, qui vacuas in cælis aliorum sedes occupare possent. Sed numquid hîc status fuit præpotenti Deo in hominis exaltatione? minimè. Fecit enim homines etiam Deos per supremam gratiæ excellentissimæ communicationem. Hinc quasi maximum quid Propheta Dauid adstruit cùm ait: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Psal. 81. q. d. Si aliquando, ô homines, hoc audistis, neque credidistis, quia maximi momenti est, scitote ita se rem habere: ego enim illud affirmo vobis. Hinc disertè ac planè D. Augustinus in Sermonibus de Natiuitate, *Ideò*, inquit, *Deus factus est homo, vt homo fieret Deus.* Vsque eò nimirum euectus est homo per Verbi incarnationem, vt non ad cælos modò aut ad choros Angelorum, sed etiam ad Deum, & ad dexteram Patris, per diuinitatis participationem peruenerit. Etenim propter hoc incarnationis mysterium de vna atque eadem persona verè dicimus, Homo Deus est, &, Deus est homo: idque propriè ac primariò propter vnionem hypostaticam in Christo, cuius nos interim mem-

Ratione 26. infrà.

August. Serm. 9. de Nat. Domini.

membra sumus ac fratres, ob eiusdem naturæ consortium. Deinde quoad ceteros homines, propter gratiæ diuinæ communicationem, redundantis eminentissimo modo ex hoc mysterio in genus humanum, *vt efficiatur diuinæ consors naturæ*, inquit D. Petrus. Tantam videlicet gloriam nobis per hoc sacrosanctum mysterium à Deo communicatam gloriatur Apostolus his verbis: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neque Principum huius sæculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.*

2. Petr. 1.

1. Cor. 2.

Hanc dignitatem peccatis inficere horreamus.

Quæ cùm ita sint, hanc nostram gloriam, hanc nobilitatem, hanc excellentiam tantam quis non horrebit peccato inficere? quomodo carnem illam corrumpere ac contaminare audebimus, quam Deus infinita sua charitate assumere, atque intimè suæ personæ vnire per incarnationem dignatus est? D. Bernardum audite huius rei indignitatem ita exaggerantem: *Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Sed iam capiat & carnalis, quia Verbum caro factum est. Si nihil præter carnem nouit audire, ecce Verbum caro factum est: audiat illud vel in carne.* Iterùm: *Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis in carne exhibuit, vt durissimus sit, quisquis eum toto affectu non diligit.* Nimirum veluti incensus carbo ponitur in medio carbonum, vt ignescant: ita Christus homo factus est, qui est ignis consumens, in medio omnium, vt omnes inflammet. Experimentum quotidianum habemus in sacrosancta Communione venerabilis Eucharistiæ, qua piæ animæ mirificè accenduntur, & ignem cælestem quasi concipiunt, quem Deus noster cælitus detulit in terras. Ecquid etiam efficaciùs aut potentiùs dici potest, quàm quod D. Leo in eodem genere exclamans ait: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* q.d. Quomodo lubet tibi peccare, cùm scias te peccatis inficere hanc dignitatem, & gloriam tuam offuscare? quomodo terram & bona mundi fallacia sic diligis, quæ tantò sunt inferiora status tui eminentia? quomodo carnem & carnalia tam ardenter consectaris, cùm Filio Dei facias iniuriam, qui factus est caro, vt tu fieres Deus? *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuã, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenerare.* Quam, obsecro, vocat veterem vilitatem? Ante incarnationem omnis caro per peccatum corruperat viam suam. Sed ecce in carne Verbum Dei ponitur, vt diuina iam efficiatur & cælestis, vereque dicere possimus cum Propheta, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quid mirum, si caro nunc diuinum saporem in se contineat, cùm Deum in se contineat? Ideò namque *simile dicitur regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.* Insipida siquidem farina est, sed fermentum in ea positum saporem præstat. Ita carnem nostram quæ insipida fuerat, Verbum Dei suscipiens, quod fermentum est, cælestem reddidit.

Bernard. Serm. 3. de Nat. Domini. 2. Cor. 2.

Bern. in Cant.

Simile.

D. Leo Serm. 1. de Nat.

Psal. 13.

Matt. 13.

Agnosce igitur, *ô Christiane, dignitatem tuam. Vsquequò deliciis dissoluèris filia vaga? quia creauit Dominus nouũ super terram, fæmina circumdabit virum.* Nondum satis agnoscis? placent tibi peccata carnalia? displicet carnis

Ierem. 31

carnis mortificatio, pœnitentia, austeritas? Ah, cogita tibi necdum Saluatorem incarnatum: quia non vis te reddere participem gratiarum eius, quamdiu ex carnali factus non es spiritualis. Deus, inquam, nondum tibi incarnatus, nondum in corde tuo natus est. Vnde hoc colligo? quia ibi habitat inimicus eius, ibi adhuc est idolum: Deus autem & idolum simul habitare non possunt.
1.Reg.5. Hinc legimus Philisthæos Arcam quam cœperant posuisse quidem iuxta Dagon, sed illa continuò eum deiecit: ac licet iterùm eum erexerint vt priùs, iterùm deturbauit, & capite palmisque truncatum ac prostratum inuenêre coram Arca. Quid ita? quia vbi habitat Deus, idolum ibi nullum, atque adeò caro ibi dominari non potest. sicubi illam dominari videas, longè ab eo loco Deus est. Porrò idcircò Deus venit in mundum vt eius idola euerteret, hoc est, nostra vt peccata penitùs aboleret.
Ioan.1. *Agnosce, Christiane, diuina consors naturæ: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Peccata idola sunt: abiice idola, & Deus habitabit in anima tua.

Decimaseptima ratio, Remedij cõgruentia. Verùm vt hos honorum gradus ascenderet homo, qui iacebat in via Ierichuntina saucius ac semiuiuus, opus erat conuenienti remedio quo erigeretur: vnde sequitur decima septima ratio, cur Deus homo, nempe vt naturæ lapsæ congruens remedium adhiberet. Etenim cùm tribus potissimùm viis hominem ad salutem reducere tentarit, tertiam demùm conuenientissimam fuisse experientia comprobauit.
Prima via terroris. Primò, longissimè eum à se peccatis separatum reuocauit minis ac terroribus, simulque suppliciis atrocissimis ac pœnis. Exemplo sit apparatus ille diuinus & maiestas, qua in montem Sinai descendit, vt legem traderet, quæ filios Israel adeò in stuporem rapuit, vt dicerent Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus; Ne loquatur Deus, ne fortè moriamur*, quibus respondit Moyses: *Nolite timere; vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Exod.20. Omnem videlicet hunc terrorem, omnes cerimonias illius temporis vsurpauit Dominus exercituum, vt populus Hebræorum eum timeret, eum agnosceret, ei soli seruiret, nullumque peregrinum Deum adoraret. Itaque tota lex & Prophetæ minis, ac terroribus & plagis, quas intentant, ad hunc scopum collimant. Quin etiam eodem consilio horribiles Deus ab initio exercuit scelerum vindictas: mundum diluuio subuertit, ciuitates profanas cælesti incendio pariter absumpsit, Dathan & Abiron cum tabernaculis suis viuos hiatu suo terra absorbuit, toties præuaricatores hostibus trucidandos obiecit, tot tamque diris suppliciis eos inuoluit, vt sacris proditur Monumentis, quò vi metuque populus à peccatis retraheretur. Gen. 7. & 19. Deut.11. Sed quid actum est? *Populus non est reuersus ad percutientem se*, ait Vates, *& Dominum exercituum non inquisierunt.* Isaiæ 9. Alia igitur tentata est etiam via; fauoribus scilicet ac promissis hominem Deus ad se reducere contendit. *Secunda via fauoris.* Elegit enim sibi populum Hebræorum, pro eo mirabilia fecit in Ægypto, eduxit eum è grauissima seruitute Pharaonis, aperuit atque exsiccauit mare Rubrum, siccoque vestigio suos per medium traduxit, inimicos verò tergo eorum imminẽtes operuit mare: deinde quadraginta annis deduxit illos per deser-

sertum, interdiu columna nubes castra præeunte, de nocte verò columna ignis; neque vestimenta eorum attrita sunt, neque defecit vmquam commeatus. nam & manna pluit illis de cælo, & mellis instar aquam de petra, oleumque de saxo durissimo. Quid in ipso ingressu Terræ promissæ, lacte & melle fluentis? Stitit cursum Iordanis, contra hostes eorum assiduè præliatus est, muros vrbis Ierichuntinæ tubarum sonitu subuertit, Solem in medio cæli immotum stare præcepit, donec hostes profligarentur; aliaque plurima id genus miracula patrauit. Fouit denique populum suum electum, sicut gallina pullos suos, sub alis prouidétiæ ac beneficentiæ suæ: videlicet vt mundus hæc omnia intelligens ad Dominum suum conuerteretur, dicens: Agedum, soli Deo seruiamus, tam magnifico, tam amabili, tam beneuolo in cultores suos; deos alienos & idola omnia repudiemus. Verùm neque hac ratione mundus idololatriâ exterminatâ resipuit, atque ad Deum auctorem suum reuersus est. Quid ergo secutum est? destitit aliquando Deus benefacere? bonitatis ac benignitatis suæ fontes occlusit?

Isaiæ 45. Agg. 2. Nequaquam. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. Vnum adhuc, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam. & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Hoc fuit opus supremi amoris.

Tertia via, amoris immodici. Venit in hunc mundum Filius Dei, incarnatus est, in stabulo natus est, summè humiliatus est, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus: flagellatus dirissimè, spinis redimitus, conspuus, illusus, in crucem actus, morte turpissima sublatus. Hoc per orbem diuulgatum est, tamque ineffabile pietatis sacramentum longè latéque auditum, intellectum, creditum est. Quid inde? enimuerò mundus tunc adeò inusitatam Dei erga se charitatem expertus, tanta gaudens Saluatoris sui benignitate, tamque immenso beneficij pondere superatus, ad pedes eius procidit, Deumque suum, vt par erat, profundissimè adorauit. Ita quem non vicerat timor neque fauor, vicit amor. Quocircà D. Ambrosius in illud Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem*, &c. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, hoc modo sermocinatur: *Multa, Domine, feceras pro me, & non genu flexi: fecisti me, fecisti mundum pro me, dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoraui. At postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum; stare non potui, sed tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoraui*. Denique ita se gessit cum homine Deus, sicut pater aliquis prænobilis & diues cum filio insolente & fugitiuo, quem tamen ardentissimè diligit, atque ad se reuocare satagit. Quid agat, quid moliatur, vt ad se fugitiuum retrahat? Primò, missis nuntiis intentat minas, exheredationem, supplicia; nec interim redit: aliâ inflectendus viâ est. Secundò aliis atque aliis nuntiis munera transmittit, beneficiis promissisque variis allicere eum conatur: at non paret. Tandem igitur pater amore velut ebrius, filium ipsemet adit, manantibus dolore lacrymis, sparsis canis, expansis brachiis ad filij genua prouoluitur: rogat per mansuetudinem Christi, obsecrat, supplices tendit manus vt redire velit, quoniam sine illo

Vide sup. Psal. 118. Serm. 20.

Simile.

illo nimis durum sit viuere. Hac amoris testificatione prorsus emollitum atque euictum filij pectus, humi pariter procidit, & victus lacrymas lacrymis reddit. Ita nobiscum videlicet egit clementissimus Dominus, longanimis & misericors, & præstabilis super malitia.

Decimaoctaua ratio, Vt ad fidem, spem, charitatẽ homo excitaretur.

Nunc etiam ostendamus, homini sic erecto ac restituto quàm multiplex bonum per incarnationem obtigerit. Vtique non solùm opus fuit remedio sanatiuo, sed etiam confortatiuo, & præseruatiuo, vt Medici loquuntur. Egimus de sanatiuo, iam videndum in quo consistat confortatiuum. Nimirum quòd hac ratione excitatus efficaciter homo fuerit ad veram fidẽ, spem, charitatem, in iisq; validè confirmetur: in quibus sanè omnis hominis in hac vita felicitas & perfectio est sita. Quod vt solidiùs intelligamus, sciendum est, totam mentis humanæ perfectionem in arctissima quadam cum diuina mente coniunctione ac similitudine positam esse. vniuscuiusque enim rei perfectio est, principio suo coniungi, & illius perfectionem (quoad fieri possit) imitari. Cùm ergo Deus hominis atque rerum omnium principium sit, consequens est, vt quò magis ad illum accedimus, eique coniungimur, hoc vtique perfectiores simus. Atqui hæc coniunctio tribus his virtutibus potissimùm perficitur, quæ idcircò Theologicæ dicuntur.

De Fide. D.Tho. 3.p. q.1. art.2. August. lib.11. de Ciuitat. cap.2.

Profuit porrò nobis Verbi diuini incarnatio, inquit D.Thomas, *quoad fidem; quæ magis certificatur ex hoc quòd ipsi Deo loquenti credit. Vnde Augustinus dicit: Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem*. Quanta fidei nostræ confirmatio, quando certò nobis persuasum est, Euangelia, quæ nobis in Ecclesia Catholica exponũtur, esse verbum Dei, ipsius Christi Domini ore prolatũ, nobisque traditum vt credamus & vitam habeamus? Ipsum videlicet Dei Verbum ab æterno absconditum in Patre, nobis in tempore carne vestitum apparuit, & reuelauit quod credimus, vt nemo de veritate ambigere posset; quemadmodum verbum nostrum exteriùs prolatum hominibus declarat quid intrinsecus habeamus in corde. Hoc erat quod Philippo insinuabat cùm diceret: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* & alibi: *Ego & Pater vnum sumus. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ioan. 14. & 10.

De Spe. D.Tho. suprà. Aug. l.13 de Trin. cap. 10.

Quoad spem etiam, vt ait D.Thomas suprà, *quia per hoc mysterium maximè erigitur. Vnde Augustinus dicit: Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?* Optima certè & efficacissima ratio spei nostræ subleuandæ, & peccatoris ad pœnitentiam atque ad veniam postulandam erigendi; quando sic quodammodò Deus homo factus eum alloquitur: Quid trepidas, quid diffidis, ô peccator? *Conuertere ad Dominum Deum tuum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*. Et alibi: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* Quid hæres? non credis verbis meis? crede saltem operibus. Ecce propter hoc summa humilitate incarnatus

Ioël.2. Ezec.18.

ſum, propter hoc natus ſum, propter hoc expanſus in cruce totus dilaceratus, ſanguine perfuſus, & inter ſceleratos reputatus; propter hoc mortuus ſum. Ecce iudex tuus, qui pro te animam poſuit. Quomodo te abijciet redeuntem, qui de cælo venit perditum requiſiturus? Quomodo damnabit te pœnitentem, qui propter hoc mortuus eſt ne damneris? Quomodo deſpiciet creaturam ſuam, quæ tanti ei conſtitit? Ita & Apoſtolus diſputat.
Rom. 8. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

De charitate. D. Tho. ſuprà. Aug. l. de Catechi. rudibus cap. 4. Pergit D. Thomas loco citato: *Quantum ad charitatem etiam, quæ maximè per hoc excitatur. Vnde Auguſtinus dicit in libro de Catechizandis rudibus: Si amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.* Porrò in his virtutibus Theologicis, ac potiſſimùm in charitate Dei & gratia, quæ ſimul ſunt, ſita eſt arctiſſima illa cum Auctore noſtro coniunctio, vt modò dicebamus, quæ eſt ſumma hominis perfectio in hac vita. Non eſt alia nobis propinquitas aut cognatio cum Deo noſtro, qua ipſi aſſimilamur, tamquam germani eius filij, niſi hæc ſpiritualis. Quam ex contentione ſic
1. Cor. 15 extollit Apoſtolus: *Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni* (filij ſcilicet eius naturales) *qualis cæleſtis, tales & cæleſtes*, qui ſpiritum nempe & gratiam eius participarunt.

Decimanona ratio, Congruentia remedij præſeruatiui contra peccatum. Decimonono, vt eſſet perfecta hominis ægroti curatio, opus ei erat forti remedio præſeruatiuo contra peccatum: vt non ſolùm præteritas culpas deteſtaretur, ſed à futuris etiam vehementer deterreretur. Talis profectò fuit incarnatio morſque Chriſti Domini noſtri: vtpote remedium tam rigidum, tamque horribile, vt ſolo ferè auditu tinniant aures humanæ. Quid enim eſt quod magis horrorem peccati incutere poſſet, quàm videre Filium Dei pro peccato carnem aſſumere, & in patibulo crucis mori? O peccatum, grande malum, pro quo talis vltio expetitur! Non mihi inundantem mundum diluuio, non exuſtas cæleſti igne ciuitates, non abſorptos à terra homines, non denique omnes inferni pœnas obtendas atque exaggeres pro peccatis hominum: maius longè eſt Filium Dei incarnari & pati. Ah qualis macula, quæ tanta Dei humiliatione & ſanguine eluenda eſt! qualis culpa, quæ Dei morte vindicatur! Optimè dixit melliſſuus Doctor: *Ex qualitate remedij, morbi æſtimo quantitatem. Filius Dei iubetur occidi, vt pretioſo Sanguinis ſui balſamo vulneribus meis mederetur. Agnoſce, ô homo, quàm grauia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtũ vulnerari.* De cetero, quis, obſecro, audeat peccare? quis vel leuiſſimam culpam non expaueſcat? Siquis Rex adeò eſſet furum & latronum inimicus, vt pro vnico furto filium ſuum vnicum, regni heredem, in furcam ageret; quis in eius regno deinceps furari auderet? Et tu homo in regno Dei peccare audes, cùm vnigenitus Dei Filius pro peccato ſit ſupremo ſupplicio affectus? Audes caput erigere & honores affectare, cùm tale ante oculos ſit humilitatis exemplar? Audes Dei legem atque mandata in regno Dei præuaricari, cùm Dei Filius vitam maluerit quàm obedientiam Patris deſerere? Huiuſmodi ergo morbi noſtri curatio cæleſtem medicum de cælis deuoca-

Bernard. Serm. 3. de Nat. Domini.

Simile.

Aug. l. 13. de Trin. cap. 13. D. Leo Serm. 5. de Nat.

uocauit, teste D. Augustino. Quod grauissimis quoque verbis ita exponit Leo Papa: *Quid sanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit; quàm vt superbiæ vulnera humilitatis remedijs curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem: Iesus factus sub lege reddidit iustitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans vsque ad præuaricationem, meruit vt in ipso omnes morerentur: hic Patri obediens vsque ad crucem, fecit vt in ipso omnes viuificarentur.* Hactenus D. Leo.

Vigesima ratio, Vt Christus semper præsens nobis adesset, perfugium in omni necessitate.

Vigesimò, Cur Deus homo? nimirum vt præsentem haberemus semper nobis assistentem non modò diuinitate, verùm etiam corpore & anima in Venerabili Eucharistia, in templis omnibus passim, imò & in nobisipsis intimè, quoties luberet. Quantum verò hoc sit Dei beneficium, quantum bonum, quanta felicitas nostra, quis mente, quis verbis assequatur? Non enim intueri solùm illum, vel adorare, vel piè affari, sed & tangere, & intra nos quasi hospitio suscipere, eius carnibus saturari, eius spiritu viuificari, roborari tamquam cibo nobilissimo, pasci ac delectari, ius fasque est omni ferè loco & tempore. Hæc spes, hæc consolatio cunctis obuia, hæc armatura fortissima omnibus Christianis, hoc robur, hic portus & asylum, & in omni necessitate perfugium singulare atque diuinum: hoc summum bonum nostrum, & finis omnium bonorum, gaudium totius mundi, Deus, inquam, ac Dominus noster pro hominibus factus homo, habitans in medio nostri, in medio Ecclesiæ, tamquam fructus vitæ positus in medio paradisi: non modò est ante nos vt videatur, aut prope nos vt tangatur, aut supra nos vt protegat nos, aut circa nos vt quasi scuto circumdet nos; sed etiam in nobis, pascens ac replens omni benedictione animas nostras. Meritò quidem dixisti quondam, ô Moyses, *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta*, &c. Sed quid modò de Christianis diceres, quibus non eadem tantùm ratione coràm adest semper, non veluti in typis ac figuris tabernaculi, arcæ, propitiatorij, sed in veritate, in corpore, inquam, ac spiritu? Quanta Reip. felicitas ac gloria, Regem in decore suo semper habere præsentem, vigilantem, oculis omnia perlustrantem, manibus omnia moderantem? Quantum emolumenti gregibus ouium, quantum boni gregibus populorum, continua pastoris præsentia? Quantus honor, quantaque vtilitas ciuitati, si Medicum præclarissimum inusitatæ ac supra naturam eximiæ experientiæ ac beneuolentiæ coràm habeat, qui contra omnes morbos, quantumuis incurabiles, opem certissimam polliceatur? Quantum solatij auxilijque filijsfamilias, patris vultum intueri? Quantum discipulis, præsentia sui præceptoris continenter & assiduè frui posse? At quod dicimus de Christo Domino in Venerabili Sacramento, hæc omnia longo excedit interuallo. Testis est D. Clara, virgo sanctissima (vt vnum aut alterum de præsentia huius Sacramenti miraculum attexam è multis) quæ Saracenis Assisium in Italia obsidentibus, iamque hostili furore inuasuris; intrepidè sibi proferri postulabat sacram Hierothecam cum Corpore Domini: moxque in oratione humi prostrata Christum allo-

Deut. 4.

Similia conglobata.

In Vita S. Claræ iussu Alexandri IV. Pontificis conscripta, apud Surium.

Yvv 2

allocuta fertur in hunc modum: *Placet, mi Domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus innutrivi, manibus ecce tradere paganorum? Custodi, precor, has famulas tuas, quas ipsa in præsenti articulo custodire non possum. Ne tradas bestijs animas confitentium tibi.* Respondit autem ei vox Dei: *Ego vos semper custodiam.* Nec mora: canum illorum repressa pauescit audacia, & per muros, quos iam ascenderant, Sacramenti virtute deturbati sunt. Testis quoque D. Gorgonia S. Gregorij Nazianzeni soror, quæ morbi inusitati atque incurabilis doloribus diu conflictata, desperatis aliorum omnium auxilijs, ad cælestem medicum in Eucharistia confugit, noctisque intempesta caligine obseruata, ad altare cum fide procubuit, eumque qui super illud colitur cum magno clamore obtestans & adorans, finem orandi facere non poterat: sed pia quadam impudentia fiduciam eius imitata, quæ Christi fimbriam tangens sanguinis profluuium compresserat, caput altari cum lacrymis admouebat, nec se antè discessuram minitabatur, quàm sanitatem consecuta esset. Atque ita factum est (ô diuinæ bonitatis dulcedinem!) vt se protinus liberatam morbo sentiret, animæque fiduciâ plenæ firmitas corpori firmitatem restitueret.

Gregor. Nazian. Orat. in laudem sororis.

Matth. 9.

Vigesima-prima ratio, Vt praberet hominibus exemplum.

D. Tho. 3. p. q. 1. art. 2.

Sunt aliæ plurimæ vtilitates supra apprehensionem sensus humani, vt loquitur D. Thomas. Sed nec ista, quæ iam sequitur, infima fuit, nempe vt ipsemet Deus, qui verbo genus humanum variè informarat ad virtutem, pariter & exemplum eidem præberet; commonstrans rectam ad cælos viam, à qua longè aberrauerat. *Ego in hoc natus sum*, inquit, *& ad hoc veni in hunc mundum, vt testimonium perhibeam veritati*, id est, vt veram beatitudinem, & optimam viam ad illam comparandam homines doceam. Vnde & initio Euangelij sui ait D. Ioannes: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verùm hactenus fuerat lux inaccessibilis, ideoque tegumentum corporis sumere debuit, vt homines lucis huius radios ferre possent. Cuius rei figura fuit legislator ille Moyses, quando cum tabulis legis de monte Sinai descendit, in quo tanto tempore fuerat cum Deo conuersatus: sed cùm filij Israël splendorem vultus eius perferre non possent, operuit faciem suam velo, vt eos alloqui posset. Itaque D. Augustinus in quodam Sermone de Natiuitate, *Homo sequendus non erat*, inquit, *qui videri poterat: Deus sequendus erat qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Et alibi, *Deus factus est humilis, vt vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei*, rectissimè D. Augustinus: alioqui enim quî fieri poterat, vt homo Deum quem non videbat, quemque ab omni dolorum & laborum perpessione alienum sciebat, in exemplum sibi virtutis proponere posset, quæ vel tota in laborum perpessione potissimùm sita est? Quomodo rursus purum hominem, quem videre poterat, imitari tutò potuisset, quem vt eiusdem naturæ, ita eiusdem peccati, erroris & infirmitatis consortem nouerat? conuenientissimè ergo Deus homo factus est, vt haberet homo & quem posset vt hominem videre, & quem tutò posset vt Deum imitari. Quod item D. Leo breuissimè & elegantissimè testatur his verbis: *Nisi esset*

Ioan. 18.

Ioan. 1.

Exod. 34.

Ita citatur à diuo Tho. 3. p. q. 1. a. 2.

Aug. sup. Psal. 35.

D. Leo Serm. 1. de Nat. & Ser. 6.

esset verus Deus, non afferret remedium; & nisi esset verus homo, non praeberet exemplum. Et infrà: *Nisi ille ad nos hac humilitate descenderet, nemo ad illum vllis meritis suis perueniret.* D. Ambrosius verò sic: *Ille iustus venit ad nos peccatores, vt ex peccatoribus faceret iustos: pius venit ad impios, vt nos pios; humilis venit ad superbos, vt ex superbis faceret humiles.* Sic ille. Hunc locum quoniam copiosè Lactantius tractauit, iuuabit etiam quædam eius verba hîc attexere. *Cùm ad perfectum & absolutum virtutum exemplar minimè sufficiat terrenus aliquis Doctor, qui nec omnem possit capere veritatem, nec omnibus vitijs resistere, quorum materia in visceribus continetur: eo fit vt cælesti opus fuerit, cui scientiam omnem & virtutem diuinitas tribueret. Atqui nec is in docendo perfectus fit, nisi mortale corpus assumat. Ratio est euidens: nam si ad homines veniat vt Deus, non poterunt mortales oculi claritatem eius conspicere atque sustinere: & vt possint, ipse certè Deus virtutem perfectè docere non poterit: quia expers corporis non faciet quæ docebit, atque per hoc doctrina eius perfecta non erit. Alioqui si summa virtus est, dolorem patienter pro iustitia officioque perferre: si virtus est, mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere: debet ergo doctor ille perfectus & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo. Existet enim constans aliquis, atque dicet: Tu quidem non peccas, quia liber ab hoc corpore non concupiscis, quia immortali nihil est necessarium: mihi verò multis rebus opus est, vt tuear hanc vitam. Mortem non times, quia valere in te non potest: dolorem contemnis, quia nullam vim pati potes. At ego mortalis vtrumque timeo, quia cruciatus istos grauissimos tolerare carnis infirmitas non potest. Doctor itaque virtutis etiam hanc excusationem debuit hominibus auferre, ne quis quod peccat necessitati potiùs adscribat quàm culpæ suæ. Et si fortè quis dixerit, Impossibilia præcepit, respondeat, Ecce ipse facio. Si dixerit, Ego carne indutus sum, cuius est peccare proprium: nec possum pro iustitia dolorem ferre vel mortem, qui fragilis sum. Dicat ei, Ecce & ego eamdem carnem gero, nec peccatum in me dominatur. Et ego doloribus ac morti obnoxius sum, tamen ea ipsa quæ times vinco, vt victorem te faciam doloris & mortis: præeo, vt sequaris.* Hactenus Lactantius, vt ostendat nec hominem perfectâ doctrinâ esse posse, nisi sit idem Deus, vt auctoritate cælesti necessitatem parendi hominibus imponat: nec Deum, nisi mortali corpore induatur, vt præcepta sua factis adimplendo, ceteros parendi necessitate constringat. Ita igitur SS. Patres sentiunt: ita rationem hanc luculenter exponunt, nihil vt addi posse videatur.

Ambros. sup. Luc.

Lact. l. 4. de Diuin. instit.

Quid enimuerò profecit exemplo suo Doctor cælestis apud homines? quid? quantum voluit: totum ad se mundum conuertit. *Ego*, inquit, *si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum*, nempe exemplo charitatis exhibitæ, & humilitatis inusitatæ atque incredibilis. Multa quidem Deus mandata dederat populo suo electo in signum amoris, multósque miserat Prophetas, per quos voluntatem suam ei patefaceret, ac viam salutis aperiret: sed pauci interim sequebantur, pauci parebant. Vnde querebatur per Prophetam: *Quis cæcus nisi seruus meus; aut quis surdus nisi ad quem nuntios meos misi?* Quamdiu scilicet verbis agebat, præceptis aut promissis, nihil proficiebat. Tandem ei dicere audebat Psaltes Regius: *Exsurge Domine*

Quantum profecerit Deus exemplo suo. Ioan. 12.

Isa. 42.

Psal. 7.

mine Deus meus in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te. atque ita factum est: quique exiguum Iudææ populum antè vix in officio continebat, totum posteà per se factus homo conuertit orbem. Vsqueadeò necessarium fuit perfectissimum virtutũ magistrum Deum pariter atque hominem esse: vt in altero haberemus maiestatem quam reuereremur, in altero exemplũ quod imitaremur, & cuius laboribus ad simile laboris studium accẽderemur.

In quo præcipuè exemplo præluxit. Atenim quænam potissimùm exẽpla nobis monstrauit? Vtique pulcherrimarum virtutum quæ lucent in omni eius vita, tamquam in cælo sidera, quibus omnia nostra vitia profligentur. Nam quæ potentiora nobis arma ad hoc suppeditari potuissent? Quomodo potuit ambitio nostra meliùs deprimi, quàm tanta illius demissione vsque ad terram, hoc est, vsque ad carnem nostram de terra sumptam? Quomodo nostra auaritia meliùs curari, quàm illius paupertate ac nuditate? Quomodo ira nostra frænari, quàm illius inuictâ patientiâ & mansuetudine? nostra inobedientia castigari, quàm eius obedientiâ? mollities & illecebræ nostræ expelli, quàm eius doloribus ac vitæ asperitate? vinci odium vel inuidia nostra, quàm eius amore flagrantissimo? Denique omnia maleficia nostra quomodo aliter exstirpari potuêre, quàm eius tot tantisque beneficiis? *Estote igitur imitatores Dei,* monet Apostolus, *sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Quid ais, Paule, quid sibi vult hoc, *sicut filij charissimi?* Serui quidem solent imitari Dominum suum, & discipuli magistrũ, vt ait Christus Dominus: *Vos vocatis me magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim. Sed si ego sum magister ac Dominus, exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Non est seruus maior Domino suo, nec discipulus maior magistro.* Item Nobiles & aulici oculos suos in Regem seu Principem coniectos habent, vt ei quàm simillimi euadant in vestitu, in operibus ac moribus: & quò perfectiùs imitantur, eò maiori sibi honori ducunt: vti verè id honorificum censetur in omni Rep. At multò magis adhuc filij patrem imitãtur in omnibus: sicuti præ omnibus constitutione corporis, indole & affectibus naturalibus patrem præcipuè referunt. Ita igitur conuenit nos imitari Christum Dominum; & verè in Ecclesia Dei tum militante tum triumphante eò quis maior ac gloriosior est, quò fuerit Christo propinquior. Ille est Dominus dominorum, & nos serui eius: ille magister, & nos discipuli: ille Rex noster, Rex Regum ac supremus Monarcha, nos verò subditi eius, aulici vel ministri: ac postremò, quod caput est, etiam Pater noster est, & solus Pater noster dici amat. *Patrem,* inquit, *nolite vocare vobis super terrã: vnus est enim Pater vester qui in cælis est.* Pater est, *à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Nos autem filij eius electi, creatione, regeneratione, adoptione; *vt conformes fiamus imagini filij eius* naturalis. Quapropter eius exempla semper intueri, eius vestigiis insistere, eius monitis parère nos oportet, iuxta illam Apostoli vocem; *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi.*

Ephes. 5.

Ioan. 13. & 15.

Matt. 23.

Ephes. 3.

Rom. 8.

Vigesimasecunda ratio, Vt Christianus fieret nobis sapiẽtia, iustitia, & sanctificatio. Similem causam, cur Deus homo, nobis exprimit Apostolus vbi ait: *Christus factus est nobis sapientia, iustitia*

1. Cor. 1.

tia & sanctificatio. Nam hæc tria bona fuerunt per se humanæ naturæ
1. conuenientissima. In primis, quoad sapientiam, homini perquàm necessarium fuit doceri ab ipso Dei Vnigenito, qui *lux vera est illuminans omnem hominem*, & *ad hoc venit in mundum vt testimonium perhiberet veritati:* id est, vt veram beatitudinem, & optimam viam ad illam comparandam homines doceret. Hæc autem veritas sita est in duobus: Primò, in Dei ipsius ac summi boni notitia, earumque simul rerum quæ ad illud bonum consequendum requiruntur; Secundò, in recta operatione, quam verbis operibusque in omni vita sua nos docuit, & miraculis efficacissimè cõfirmauit. Siquidem omnis Christi actio, nostra est instructio. Hæc itaque vera est sapientia
Sap 7. de qua loquitur D. Paulus, *Cum qua*
Matt. 17. *nobis omnia bona pariter venerunt. Hic*
2. *est filius meus dilectus*, inquit Pater cælestis, *in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* Prætereà debuit idem fieri *iustitia nostra*, vt communicatione meritorum eius infinitorum condignam Deo satisfactionem offerre possemus pro peccatis: simulq; digni redderemur vera iustitia seu gratia iustificante, quà propriè iusti
3. fieremus. Deniq; magna hominum dignitas & vtilitas fuit, vt aliquis homo esset illis fons totius sanctitatis, & gratiæ, & gloriæ; veluti etiam per hoc mysterium sunt consecuti, iuxta
Ioan. 8. illud D. Ioannis: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* &
Ephes. 1. D. Pauli: *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.*

De septẽ Sacramẽtis eodem fine institutis. Hanc porrò Christi iustitiam ac sanctificationem vt continua participatione, tamquam de fonte inexhausto, nobis liceret haurire; ipse nobis septem instituit Sacramẽta, tamquam vasa siue thesauros gratiarum suarum, quos Eloquia sacra *fontes* Isaiæ 12.
Saluatoris appellant. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Hi fontes in Ecclesia Orthodoxa semper omnibus patent, quia semper diuina gratia indigemus, ad peccatorum omnium vitiorumque expulsionem. Nam ex quo peccatum in orbem intrauit, hominemque iustitia originali nudauit, magnam ac variam in eo reliquit procliuitatem ad malum, prauasque inclinationes siue passiones assiduè ad peccatum incitantes: ac proinde opus fuit continuis ferè peccatorum remediis seu medicamentis Samaritani, quibus animarum vulnera sine intermissione curarentur, & ad vitia exstirpanda vires adderentur. Hoc videlicet optimè effectum est septem Sacramẽtis, quibus ceu vasculis & pyxidiculis pretiosis inclusit Christus merita sua & gratiam, quam nobis liberalissimè conferunt. *Quid enim est Sacramentum, nisi signum visibile gratiæ inuisibilis, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum?* *Quid Sacramentum.* Signum, inquam, visibile. Quare in signis externis ac visibilibus Sacramenta sua Christus instituit? nimirum vt per ea faciliùs efficaciam interioris gratiæ, quam nobis conferunt, intelligeremus. nihil enim est in intellectu quod priùs non fuerit in sensu. Sic ait D. Chrysostomus: *Si incorporeus esses, nuda & incorporea dedisset dona: sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Chrysost. Hom. 60 ad popul. Antioch. Deinde plurimum conueniebat vt is qui per peccatum læsus fuerat, à Samaritano visibilia remedia acciperet, quibus adhibitis sanatum se certò credere posset,

posset, seque consolari, ac de cetero tranquillè viuere.

Vigesima tertia ratio, Mysteriũ incarnationis peperit matrem humano generi Mariam.

Adhæc per incarnationem Verbi non modò Christum patrem loco Adami, sed Mariam quoque matrem loco Euæ consecuti sumus: matrem pulchræ dilectionis, matrem diuinæ gratiæ, matrem misericordiæ, dulce præsidium nostrum, refugium peccatorum, salutem afflictorum, auxilium Christianorum, Dominam totius orbis, Reginam Sanctorum omnium, vt quotidie ab Ecclesia salutatur. Christus quidem Ecclesiæ suæ optimus paterfamilias est: sed æquũ erat, vt filiis piè educandis, & ad salutem blandè pertrahendis, mater quoque talis non deesset. Christus caput Ecclesiæ, at Maria collum esse debuit, ceteri fideles corporis mystici membra. Proinde sicuti omnis virtus capitis, sensus, motus, influxus, ipse etiam cibus qui vitam tuetur, medio collo in corporis membra descendunt: ita per Mariam ad nos omnes Christi gratiæ deriuantur: quin & ipsemet Christus per eam ad nos descendit. *Vsqueadeò nihil habere nos Deus voluit*, teste Bernardo, *quod per manus Mariæ non transiret*. Christus verè est vnicus & singularis *Mediator Dei & hominum*, ipse aduocatus hominum, ipse refugium peccatorum. *Sed & siquis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Hinc Vulnera quinque retinuit quæ ostenderet Patri, *ad interpellandum pro nobis*, ait Paulus: vnde, inquit, *saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum*. Quinque Vulnera, fateor, sunt quasi quinque ora vel linguæ nostri aduocati. Sed & Maria pro nobis ostendit filio vbera, atque idcircò constituta est & ipsa generis humani aduocata. Totidem ferè verbis hoc dicit Arnoldus Abbas Carnotensis: *Christus, nudato latere, ostendit Patri latus & Vulnera, Maria Christo pectus & vbera; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt & orant, omni lingua disertiùs, hæc clementissima monumenta & charitatis insignia*. Sed pulcherrimè & mellitissimè D. Bernardus: *Omnis quidem sufficientia nostra fuit ex Christo: sed congruum magis erat vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Opus erat mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quàm Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, omnibus offerens lac & lanam. Omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam; denique tota Trinitas gloriam, persona Filij carnis humanæ substantiam*. Hæc Bernardus. Quamobrem non frustrà Catholici Orationi Dominicæ mox subiungere consueuerunt Angelicam salutationem, vt per Mariæ interuentum suscipiat Deus quæcumque ab eo postulauimus. Materna siquidem pollens auctoritate apud filium nihil non potest. Licet enim Deus sit Christus, idem tamen est & homo, plurimum deferens matri, vt par est; cùm præceptum de honorandis parentibus ipsemet dederit. Proinde sicuti voluntatem Patris in omnibus adimpleuit, *quia descendi de cælo*, inquit, *non vt faciam*

Bernard. Serm. de Natiu.
1. Tim. 2.
1. Ioan. 2.
Hebr. 7.
Arnold. Abbas Tract. de Laudib. Mariæ. & Palb. in Stell. l. 12. p. 2. art. 1.
Bernard. de Signo magno.

etiam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me: ita & voluntati matris se submittit, vbicumque diuinæ voluntati non repugnat: quod numquam sanè in ipsam cadet.

Triplex refugium hominibus. Porrò hîc obiter obseruandum est, quàm certum ac securum omnibus pateat hoc refugium in omni necessitate. In veteri Testamento præter ciuitates refugij, legimus triplex apud Iudæos, refugium fuisse hominibus, arcæ videlicet, montis, & templi. Noë siquidem seruatus est in arca tempore diluuij, Lot in monte tempore incendij quinque ciuitatum, Iudæi in templo postquam aliquod delictum commiserant. Ita & in nouo Testamento, vt ab ira Dei seruemur,
1. tria sunt refugia præcipua. Primò, Arca noui Testamenti est humanitas Christi Domini, continens omnes gratiarum thesauros, & Sanguinem illum pretiosum quo totus mundus redemptus est. Huc si accurrerimus, quinque Vulnera sunt quasi quinque ora, vel quinque aduocati nostri clamantes sine intermissione, *Miserere Domine, respice nos.* Deinde, Mon-
2. tes sunt Sancti Dei, nostri item deprecatores, de quibus Rex Dauid ita
Psal. 120. canit: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Montes sunt, quia ad cælestia eleuati, quia meritis, quia virtutibus, quia dignitate altissi-
3. mi. Tertiò, Templum autem veri Salomonis, siue tabernaculum fœderis est Maria Virgo, mater Dei, mater misericordiæ, mater omnium peccatorum. Est enim communis omnium sensus & Ecclesiæ consensus, per illud templum vetus eam typicè designari. *Domus pudici pectoris templum repentè fit Dei,* inquit Sedulius. Templum, inquam, Spiritus sancti, templum pretiosissimum & magnificentissimum, templum in quo plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter: vt promptissimè exaudiat preces nostras. Quæ cùm ita sint, vt finiam verbis Bernardi, *Modicũ illud quod offerre desideras, quicumque desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.*

Sedul. in Carm.

Bernard. Serm. de Natiuit.

Vigesima quarta ratio, Vt homo fieret plenè beatus in corpore & anima. Vigesima quarta ratio cur Deus homo, sumi potest ex D. Cypriano, qui dicit, *Christum factum esse hominem, vt homo haberet in Deo, vnde fieri posset plenè beatus, in anima, videndo diuinitatem; in corpore, videndo humanitatem: nempe vt ita tota hominis conuersio esset ad Christum.* Quę sententia fundamentum aliquod habet in loco illo D. Ioannis: *Hæc est autẽ vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Eamdem quoq; doctrinam explicat diuus Augustinus in Manuali suo his verbis: *Deus propter homines factus est homo, vt vterq; sensus hominis in ipso beatificaretur; & reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate, vt siue egrediens, siue ingrediens, in ipso pascua inueniret humana natura condita ab ipso.* Ita Patres. En quàm bonus ac liberalis in nos fuit Dominus noster, quàm magnificus, quàm munificus Rex noster; qui vt nos perfectè bearet, vltrò se in vallem lacrymarum & miseriarum nostrarum dedit! Quòd si præpotens aliquis Rex, audiens vnum è seruulis captum ab hostibus, & ad vltimum mortis discrimen redactum, pecunia & opibus magnis eum redimere conaretur; an non Regiæ liberalitati, & curæ suorum satisfecisse censeretur? Amplius verò, si opera & labore suo vel amicorum nihil non ageret vt seruulum suum è periculo illo eruere

Cypria. l. de Cardinal. Christi operibus, cap. de Natiu. Christi.

Ioan. 17.

Aug in Manuali, cap. 26.

Simile.

Xxx posset?

possset? Sed quantò magis, si ea de causa filium vnicum in certam mortem pro seruulo oppetendam mittere dignaretur? Quid si insuper hunc, pro quo filium suum dedit in mortem, ita diligat, vt velit eum sibi succedere, & coronam Regni duplicis eius capiti imponat, atque ita bonis suis omnibus eum beet: quàm inusitatus atque immodicus hic amor seruuli diceretur? Atqui talis in nos amor ac dignatio fuit supremi illius Regis gloriæ, qui vt dignos morte in libertatem asséreret, ac cælesti gloria bearet, Filio suo vnigenito non pepercit, sed ad nos de cælo solioque suo illum misit vt nos ad cælum reueheret: paupertate, cõtumelijs, persecutionibus, odijs, summo contemptu illum onerauit atque depressit, vt nos ad opes immensas, ad honores, ad gloriam immortalem atque infinitam eleuaret. *Empti estis pretio magno*, inquit diuus Paulus, igitur *glorificate & portate Deum in corpore vestro*. 1. Cor. 6.

Colligamus aliquantisper adhuc spicas post vestigia messorum, hoc est, sententias Patrum de ineffabili hoc mysterio. Vigesima quinta sit, quoniam conueniẽtissimũ erat Deum hominem fieri, vt in genere gratiæ haberent homines caput homogeneum quod idem esset caput Angelorum, qui anteà quidem habebant tale caput, sed homines non habebant, eoque erant longè inferiores. Hæc est sententia D. Augustini præ ceteris, qui sic ait: *Vnius naturæ sunt vitis & palmites. Cùm ergo esset Deus cuius naturæ non sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius nos palmites esse possemus.* Sic ille Doctorum Coryphæus: & ratio esse possit, quia cùm vna Ecclesia, seu Respublica ex hominibus & Angelis constituatur, valdè necessarium erat vt vnum & idem caput eiusdem naturæ nobiscum fieret. Quod vt insinuet Apostolus, toties nos vocat *corpus Christi, & membra de membro, quorum caput sit Christus Dominus*: idque disertissimè explicat. Vnde & D. Leo Magnus, *O Christiane*, inquit, *memento cuius capitis & cuius corporis sis membrum. Etenim de tam inenarrabili pietatis opere quantum lætari debet humilitas hominum, cùm tantum gaudeat sublimitas Angelorum? vident enim cælestem Ierusalem ex omnibus mundi gentibus fabricari.*

Vigesima quinta ratio, Vt hominibus caput homogeneum esset, commune cũ Angelis.

August. Tract. 80. in Ioan.

Rom. 12. 1. Cor. 12. Coloss. 1. &c.

D. Leo Serm. 1. de Nat.

Sed quæres, cur voluerit Deus huiusmodi caput potiùs hominem esse quàm Angelum? Respondetur, In primis vt Dei gratia clariùs cognosceretur. Dum enim Angeli homini subduntur, constat satis id non perfectioni humanæ naturæ, sed gratiæ illi donatæ esse tribuendum. Deinde, quia cùm homines, qui naturâ suâ sunt inferiores Angelis, ad eamdem gloriam & beatitudinem ordinentur, decuit vt illa inæqualitas naturæ per gratiæ excellentiam, & personalem dignitatẽ vnius hominis quasi compensaretur, vel etiam superaretur. Denique appositissimè hortatur omnes homines D. Paulus, *vt veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusq; mẽbri, augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate.* Ephes. 4.

Quæstio de eodem.

Vt iam magis ab hominibus ad Angelos ascendamus, nec tamen hominum causam vtilitatesque relinquamus; Deum hominem fieri è re quoque fuit Angelorum, vt eorum ruinæ hominibus replerentur. Quod vt

Vigesima sexta ratio, Propter Angelos, vt vacuis illorum sedibus homines inserentur.

vt perspicuè intelligatur, sciendum est atque altiùs repetendum ex doctrina D. Bernardi, Basilij, Gregorij, & aliorum: quando Pater æternus, ab initio mundi, Lucifero reliquisque Angelis modò conditis in statu gratiæ, Christum proposuit adorandum, tamquam proprium ipsorum Dominum, caput, ac Regem; vt hac subiectione & obedientia suam gloriam promererentur, veluti Adam in paradiso simili præcepto adstrictus fuit eodem fine; id ipsos per summam superbiam, instigante Lucifero, facere detrectasse; quasi nimis indignum esset Angelos hominem adorare. Quin potiùs ipsemet Lucifer principatum inter Angelos ambiebat, seque caput constituere nitebatur, vt esset similis Altissimo, & à ceteris adoraretur. Ita qui perfectus erat in decore suo, & ornatus omni lapide pretioso, cæcatus ambitione miserrimè corruit. Hęc sententia fundata est auctoritate sacræ Scripturæ, quoniam Apostolus ait: *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius.* Nam cur iterùm Angelis præciperetur vt Christum omnes adorarent, nisi priùs adhuc idem mandatum fuisset, antequam incarnatio perficeretur? Idem quoque insinuat Christus ipse hoc modo: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria eius vultis perficere: ille homicida fuit à principio.* Tametsi enim alia sit etiam huius loci expositio, nihilominùs hic bonus est sensus: Sicuti ille à principio contra me insurrexit, voluitque me occidione delere; ita & vos mihi eripere vitam studetis, tamquam legitimi eius filij & heredes. Accedit sententia multorum Patrum, & ratio explicandi Scripturas de lapsu Angelorum.

Bernard. Serm. 7. su. Cant. Basil. Serm. de Inuidia. Gregor. in Orat. Catech. cap. 6.

Hebr. 1.

Ioan. 8.

Hanc etenim ob causam, vt in Apocalypsi dicitur, *factum est prælium magnū in cælo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt.* Dominus quoq; in Euangelio, *Videbam*, inquit, *satanam quasi fulgur de cælo cadentem.* & *tertiam partem stellarum* dicitur secum traxisse, id est, tertiam partem angelorum.

Apoc. 12. Luc. 10. Apoc. 8.

Quæ cùm ita se habeant, vt homo ruinas illas, & vacua tot spirituum cuiusque ordinis sedilia occupare posset, Deus factus est homo. Hinc elegantissimè D. Bernardus in Sermone de Verbis Isaiæ, cùm per incarnationem non modò Dei filios, aut Angelos, sed etiam supremi ordinis Seraphinos ex hominibus à Deo factos docuisset, ita subiungit: *Nec mireris hominem Seraphim factum: memento quòd creator & Dominus Seraphim factus est homo. Ad contumeliam tuam, ô superbe, qui creatus inter Angelos stare non meruisti. Ecce Rex noster, qui nouos in terra Angelos fabricaturus aduenit. Atque vt tabescas ampliùs, & liuore proprio torquearis, non qualescumque, nec inferioris alicuius ordinis Angelos, sed Seraphim. Audi enim quid ipse loquatur: Ignem veni mittere in terrā, & quid volo, nisi vt accēdatur? Vult ergo Seraphim fabricari, vt ibi stent, vnde tu corruisti.* Hęc Bernardus.

Bernard. Serm. de verbis Isa. *Vidi Dominum.*

Luc. 12.

Addamus his aliam rationem ex parte diaboli, vt qui nos vicerat in parentibus nostris protoplastis, congruè quoque vinceretur. *Dei namque Filius* (vt Leonis vtar verbis) *secundùm pleni-*

Vigesimaseptima ratio, Cōgruentia ex parte diaboli. D. Leo Serm. 1. de Nat. 1.

plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandã auctori suo naturam generis assumpsit humani: vt inuentor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatũ est: dum omnipotẽs Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, obijciẽs ei eamdem formam, eamdemque naturam.

2. Deinde conueniebat eâdẽm arte diabolum vinci ab homine, qua victus ab eo fuerat. Namq; vt spe diuinitatis illum seduxerat, dicens, *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*; ita carnis humanæ prætextu decipiẽdus erat à diuinitate, quando Verbum carne occultatum est: atque ita dum quasi in hominem impetum facit, in Deum incurrit. Sic disserit D. Augustinus: *Subtilem subtiliter voluit Deus inimicum expugnare, & quasi sub esca humanitatis hamum celauit diuinitatis*, &c. deinceps explicat quomodo dæmon sapientissimo Dei consilio fuerit delusus. Eamdem conuenientiam totidem ferè verbis habent Damasc. & Gregor. Nazianz.

Aug. lib. Cur Deus homo.

Damasc. lib. 3. de Fide, c. 1. & Naz. Orat. in sancta lumina.

3. Quin etiam per incarnationem ex femina constituit Deus illum pariter debellare, quia per feminam nobis nocuerat. Gloriosius quippe victoriæ genus est, quod propriis deuicti aduersarij armis paratur. Vnde quamuis Dauid offerre Deo potuerit fundam & lapides, quibus Philisthæum prostrauerat: tamen gladium illius offerre maluit, quo eius caput amputauerat; quia ad maiorem eius victoriæ honorem id pertinebat, vt hostis propriis iugularetur armis. Itaque idem hîc fuit diuinæ sapientiæ consilium, dum humani generis hostem gladio iugulauit suo.

Alia in hoc genere conuenientia fuit, dum non ab alio quàm ab homine debellatur tyrannus, vt non ampliùs homini insultaret, aut se præponere auderet; vt sentit D. Augustinus, loquens in hunc modum: *Quandoquidem sic potuit Deo coniungi humana natura, vt fieret vna persona: superbi illi maligni spiritus non ideò se audeant homini præponere, quia non habent carnem.* 4.

August. lib. 3. de Trin. c. 17

Aliam adducit rationem idem sanctissimus Doctor in Enchiridio, his verbis: *Vt diabolus veritate iustitiæ, non violentia potestatis oppressus, & victus, quoniam ipsum sine vllo peccati merito occiderat iniquissimè, per ipsum iustissimè amitteret quos peccati merito detinebat.* 5.

Aug. in Enchir. cap. 49.

Addi possit & illa congruentia, *vt qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur.* 6.

Denique *noua bella elegit Dominus*, & dæmonibus hactenus incognita: quam ob causam faciliùs delusi ac profligati fuêre. Non enim suspicabatur Lucifer homines aliter quã vi armata & aperto Marte, vt dicitur, pugnare. Sed in Christo non obseruabat hunc præliandi modum, qui imbecillo corpore, & miseriis humanis obnoxius, famem ac sitim, frigus æstumque, ac defatigationes, tædia, mœrores tolerare nouerat, nemini verò nocere, omnem iniuriam patientissimè ferre, cedere, pati vsque ad mortem. Atqui hæc dum facit, non aliis vtendo armis quàm huiusmodi virtutum, humilitatis, ac patientiæ. *Fortem deuicit bellatorem custodientem atrium suum, & vasa eius omnia diripuit, ac spolia distribuit.* Victor demum aliis etiam, vt hac eadem ratione hostem deuincant, robur ac vires addidit; vt iam feminis im- 7.

Iudic. 5.

Luc. 11.

imbellibus ac pueris risui sit ac ludibrio, tamquam leo suis vnguibus exarmatus. Ad eumdem ferè modum, quo primùm inuentus puluis nitratus, igniarijs iniectus catapultis, magnam hostibus stragem ac perniciem inferebat, quia talem bellandi industriam numquam fuerāt experti. Sed nunc tādem ad exitum properemus.

Vigesimaoctaua ratio, Incarnatio Christi complementū fuit perfectionis vniuersi.

1. Vigesima octaua ratio, cur Deus homo, ad vltimum hęc statuitur, quia maximopere pertinebat hoc mysterium ad perfectionem & quasi complementum vniuersi. idque variis congruentiis declaratur. Primò enim requirebat completa vniuersi perfectio, vt constaret omnibus rerum ordinibus: atque hoc pacto fieret Deo quàm simillimum. Simili quippe ratione optimè probat diuus Thomas, inter res creatas quasdam esse spirituales & intellectuales. Simili quoque argumento demonstrari potest, conueniens fuisse dari in rebus creatis ordinem gratiæ & gloriæ, præter totius naturæ ordinem. Eodem ergo modo concludimus, vnionem hypostaticam fuisse congruentissimam rerum vniuersitati, vt esset omni ex parte perfecta, nempe ordinibus rerum creatarum, spiritualium, corporalium, & mixtarum, accedente noua persona quæ simul esset Deus & homo. Hanc conclusionem firmat auctoritas ac multiplex ratio eorum, qui sentiunt Deum ad hypostasim suam hominem assumpturum fuisse, quantumuis Adam

D.Tho. 1.p.q.50. art.1.

2. non peccasset: quia nimirum cùm in omnibus substantiis creatis, vna natura integra sit in vna persona; & in diuina substantia vna natura sit in pluribus personis; vt omnes differentiæ rerum inuenirentur, consentaneum fuit modum adinuenire quo plures naturæ essent in vna persona.

3. Similiter colligunt D. Augustinus & D. Anselmus, debuisse congruenter hominem aliquem produci ex muliere sine viro: quia iam alij tres modi producendi hominem inuēti fuerant, solus autem quartus isque perfectissimus omnium restabat. Nam sine viro & sine muliere productus erat Adam ex terra: deinde ex viro sine muliere formauerat Deus Euam, nempe ex latere viri: tertiò ex viro & muliere simul communis est modus nascendi, & ordinarius: supererat tantùm quartus modus ex virgine sine viro, planè inusitatus & admirandus, sed dignus Dei Filio, qui in cęlis patrem habebat sine matre.

August. Serm.20. de Nat. Ansel.l.2 Cur Deus homo, cap.8.

4. Accedit quòd ex hoc mysterio ad omnes creaturas quædam peculiaris dignitas redundauit; cùm omnes siue spirituales siue corporales substātiæ acquisiuerint caput nouum homogeneum, quod antè non habebant. Deinde in natura hominis omnes res creatæ quodammodò cōtinentur: quapropter assumendo illam naturam, omnes creaturas quodammodò Deus sibi specialiter copulauit: vt rectè exposuit Caietanus, & multi existimant indicatum esse à D.Paulo, cùm dicit, *omnia esse in Christo instaurata*. Nam verbum Græcum *recapitulare* significat, vt ibi D.Hieronymus notauit. Dicuntur autem omnia esse recapitulata in Christo, quia cùm omnia in natura humana quasi in summa contineantur, assumpta hac natura à Verbo, ceteræ res omnes veluti in summam redactæ, illi censentur coniunctæ.

Caiet. in D.Tho. p.3.q.1. ar.1. Ephes.1. Hieron. in hunc locum.

5. Hæc eadem ratio afferri solet cur Angelicam naturam Deus non induerit, sed humanam, in qua pariter mundum vniuersum, atque omnia

rerum genera summè honoraret, sibíq; excellentissimè adsociaret. Cùm namque rerum aliæ sint putè spiritales, vt Angeli seu boni seu mali; aliæ merè corporeæ, vt sunt cuncta inanima, ac muta animantia, quibus inest anima corporalis, non rationalis aut spiritalis; aliæ denique mixtæ & compositæ ex vtraque natura, vt homines intellectu ac libero arbitrio præditi: si Deus Angelos apprehendisset, non semen Abrahæ, iam creaturæ omnes rationis expertes præteritæ fuissent: sin autem has assumere dignatus fuisset, iam Angeli hoc mysterio honorati non fuissent. Enimuerò cùm hominem ad consortium suæ diuinitatis eleuauit, qui & corpore constat & spiritu, tamquam microcosmus, & omnium rerum inuolucrum atque epitome: iam omnium naturas vnà cum illo ad

6. sublimitatem maximam euexit. Denique eadem ratione in Scriptura & Patribus homini vniuersitas quædam attribuitur, & nomine vniuersitatis significatur, vt cùm dicitur, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis:* vt notant D. Gregorius ac Damascenus. Atque ita dum homo diuinitatis vnione nobilitatur, noua dignitas & excellentia omnibus est collata creaturis. Fortassis etiam omnes propterea inuitantur ab Isaia ad hoc mysterium perficiendum his verbis: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem,* &c. Quin etiam mundi nomine censetur homo, dum Christus ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*. Denique ad eamdem rationem accommodatur nomen illud, quo solent Patres Græci hoc mysterium appellare, dum *œconomiam* vocant, vt patet maximè in Nazianzeno & Iustino. Est enim œconomia quasi vniuersalis dispensatio, vtilitatibus consulens familiæ totius orbis, vti & per incarnationis mysterium toti prouisum est vniuerso.

Gregor. 6. Moral. c. 7. & 8. Damasc. l. 2. c. 12.

Isaiæ 45.

Naziáz. Orat. 42. Iustin. in Exposit. fidei.

Ad summam, vt ad extremum hoc adiiciamus, rectè admonet D. Thomas, piè considerantem hoc mysterium tantam inuenire sapientiæ profunditatem, vt illius semper magis ac magis admirabiles rationes occurrant. Quas omnes, & infinitas fortasse alias, Deus opt. max. cùm voluit hoc mysterium perficere, præ oculis habuisse debuit: quandoquidem omnia perfectissima ratione vult atque decernit; omnia semper tam decenter ac conuenienter perficit, vt magis non possit.

Quid superest igitur, nisi vt concordi Ecclesiæ Catholicæ voce & spiritu exclamemus omnes: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Omnis Adæ posteritas vnà cum Adam & Eua: mortales omnes & immortales, quotquot sunt, fuerunt, erunt: omnes cælorum incolæ, quique infra cælos sunt: animantia omnia atque inanima pariter nobiscum Deo nostro grates persoluant, & cum summa admiratione ac veneratione dicant: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Illi soli trinoque honor & potestas, ac gloria sempiterna. Amen. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

D. Tho. 4. contra Gentes, cap. 54.

SAN-

SANCTO P. N. IGNATIO DE LOYOLA PARENTI AC FVNDATORI SOCIETATIS IESV, PIETATIS ATQ. OBSERVANTIÆ ERGO, VOTVM AVCTORIS.



CCVINAM *potiùs, aut fidentiùs, è toto Diuorum tutelarium cœtu, has lucubrationum mearum primitias, hunc studiorum quantulumcumque partum commendare queam, quàm tibi, ô* B. P. IGNATI, *dulcis vitæ meæ tutela, ac præsidium salutis? Siquid enim habeo, siquid poßum (quod agnosco quàm sit exiguum) per te habeo, per te possum. Siquid feci boni, siquid facere constitui, id omne tibi, post Deum immortalem, bonorum omnium fontem ac principium libens acceptum fero.*

Credo nimirum, te in cælesti tua gloria, inter ceteros sacrorum Ordinum Patriarchas, non modò beatifico Dei tui conspectu frui (quod Beatis omnibus commune est) sed intueri etiam sine intermissione Ordinem à te fundatum, eiusque progressus ac incrementa cognoscere, dirigere, adiuuare, amplificare. Credo item, singulari Dei priuilegio non solùm Ordinis tui vniuersi status ac mutationes. sed omnia quoque singulorum eius alumnorum dicta, facta, cogitata, quantumuis arcana, tibi cognita & perspecta esse, tuæque subijci directioni atque opitulationi. Hoc siquidem docuère me SS. Patres, ac Doctores Ecclesiæ, ad statum gloriæ tuæ pertinere, vt in hunc modum sis & præses Ordinis tui, & tutor singulorum, ad promouendam Dei gloriam, & salutem animarum. Itaque

D. Greg. l. 12. Moral. c. 12.
D. Tho. 1. p. q. 12. art 8.
D. Bon. in 3. d. 14 ar. 2. &c.

que ex quo tibi omnia mea, meque totum à puero in Religione tua dicaui, totus tuus sum, & quidquid sum, de tuo fonte fluxi. Hoc animo atque hoc sensu offero tibi hos paruulos laborum meorum fructus, atque in iis omnes meæ voluntatis conatus ac molitiones in annos venturos; sementem, vt sic dicam, simul ac messem.

Leuit. 23. *Scriptura sacra Hebræos commemorat olim mense Nisan, quo mense fruges maturescebant, manipulum spicarum Dei iussu solitos offerre Sacerdoti, qui eum ritè ad cælum eleuaret, atque in eo messem totam fausta prece consecraret. Ad eumdem modum en ego quoque tibi offero de studiorum meorum prouentibus hunc manipulum, vt dignissimus quondam Dei Sacerdos oblatum ad Deum eleues, ac benè precatus non hunc modò, verùm etiam in eo consecres secuturam segetem omnium laborum: quam quidem certò confido non alia ratione faciliùs, quàm tuo interuentu, ad maturitatem posse perduci.*

Manipulus est, fateor, si ex tua, vel ex sua dignitate spectetur, perexiguus; prorsus vt indignus sit qui offeratur: tamen si ex vtriusque nostrûm affectu, vel ex dignitate duorum sanctissimorum, quæ continet, mysteriorum, erga quæ perquàm ardenti quondam studio, ac iugi obseruantiâ te enituisse constat, est longè longéque maximus. Quin etiam quò maior videri possit, opt[illegible] ex animo, quot spicas continet, ac grana, id est, quot in hoc op[illegible]e dictiones, litteras, syllabas, ac denique apices formaui, tot fieri ora clamantia, iugiterque testificantia meam erga te voluntatem, obseruantiam, pietatem. Suscipe, obsecro, amantissime Pater, hoc animi symbolum de manu peccatoris, ac benigno fauore prosequere, dirige, promoue: ad maiorem incarnati Filij Dei gloriam, dulcissimæ Matris virtutumque eius commendationem, multarum animarum salutem. Amen.

INDEX

I. INDEX CONCIONATORIVS.

LECTORI BENEVOLO.

ANTEQVAM ordinem Alphabeti aggrediamur, lubens nonnulla ſuggeram, benigne Lector, quæ dum occurrerent, viſa ſunt opportuna formandis Concionibus, non modò per Aduentum, ſed etiam Feſtis Aduentum conſequentibus, aliiſque, præſertim B. Virginis; quibus anno vertente poterunt populo congruenter proponi.

1. PRIMO *ſufficere abundè poſſunt hæ quadraginta Conciones duobus Aduentibus, cùm ſatis fecundæ ſint, vberemque ſuppeditent materiam de diuiniſſimis myſterijs Incarnationis, & Annuntiationis, iuxta Hiſtoriam Euangelicam S. Lucæ.*

2. *Deinde Concio ſola quadrageſima, quæ rationes* 28. *pertractat,* Cur Deus homo, *tertium Aduentum inſtruere poſſit: ſi videlicet præter locum aliquem moralem, ſeu doctrinam Euangelij præcedentis Dominicæ, duæ ſingulis vicibus rationes adducantur,* Cur Deus homo; *vt auditorum animi præparentur ad proxima Chriſti Natalitia. Sic enim compertum habeo feciſſe quoſdam, cum fructu populi, & applauſu.*

3. *Quòd ſi concionandum ſit Dominicis tantùm diebus, non malè quadrabunt in quatuor Dominicas Aduentus, Conciones quatuor in illud,* Ecce ancilla Domini, *&c. de quatuor excellentioribus Deiparæ virtutibus, quæ verbis illis ſignificantur: vel quatuor itidem ex initio Euangelij, de quatuor circumſtantijs Angelicæ legationis,* In menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel.

Si verò dicendum Dominicis ſimul ac Feſtis, accipi haud incongruè poterit tota Salutatio Angelica, Aue gratia plena, *&c. nimirum toto tempore Aduentus.* 4.

Feſto Conceptionis conueniens erit Concio XII. De domo Dauid, *nempe de genealogia Chriſti filij Dauid, & Mariæ Virginis filiæ Dauid. Siquidem Euangelium eſt;* Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, *&c. Secundò,* Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, *conueniet Concio* X. *de deſponſatione Virginis, & cauſis eius, & exemplo quod præbuit omnibus cõiugibus. Tertiò,* De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. *Cùm Ieſus in hoc libro generationum vltimus ponatur, quæſtio moueri poteſt à SS. Patribus multùm agitata, Quare non primis temporibus, ſed nouiſſimis venerit Chriſtus? Vide Concionem* III. Menſe autem ſexto. 5.

In hebdomada tertia Aduentus, feria quarta Quatuor Temporum, proponitur idem Euãgelium, Miſſus eſt, *&c. vbi vel totum Euangelium paraphraſtice* 6.

II. INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVI CONCIONATORIE TRACTANTVR.

I. PENTATEVCHVS, *seu libri legales.*

III. *Libri Sapientiales, atque inprimis Psalmorum.*

Ecclesiastes, & Prouerbia.

IV. *Libri Prophetici. Prophetæ maiores, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel.*

VI. *Acta Apostolorum, & Epistolæ D. Pauli.*

VII. *Epistolæ aliorum Catholicæ, & Apocalypsis.*

III. INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

eius-

B.

C.

primò,

D.

E.

F.

H.

quàm

oracula

L.

M.

eius

R.

S.

FINIS.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXVIII.


ABORE ET.CONSTANTIA



